R. P. Fr.

LEANDRI

DE

SANCTISS^MO SACRAMENTO,

NAVARRI, OPPIDI DE VILLA-FRANCA;

ORDINIS DISCALCEATORVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Redemptionis Captiuorum, olim Prouincialis Prouinciæ Spiritus-sancti: Nunciterum atque iterum Diffinitoris Generalis totius Ordinis, quondam in suo Collegio Complutensi Theologiæ Professoris.

QVÆSTIONES MORALES THEOLOGICÆ

In quinque Præcepta Ecclesiæ,

CVNCTIS OPVS PERVTILE,

Nunc nouiter prodit ab eodem Auctore diligentiùs recognitum, & copiosiùs auctum: cum duplici Indice, Primo Tractatuum, Disputationum, & Quæstionum: Altero verò Sententiarum.

PARS TERTIA.



LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVIL. BARBIER.

M. DC. LXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Sel.

Digitized by Google

AD SANCTISSIMVM

PATRIARCHAM

ORDINIS SSMÆ TRINITATIS CAPTIVORVM REDEMPTRICIS,

IOANNEM DE MATA,

Quo Parisiensis Academia Doctore, ac Sacrarum literarum Interprete disertissimo, iure gloriatur abundè;

AVTHORIS sese, & Scripta Parenti dulcissimo commendantis,

PERBREVIS ORATIO.

TANTO in terris accito, atque delecto Patrono; quem in cœlis, nisi Te Parentem Beatissimum cum Christo sempiternum regnantem acclamabo fautorem? Tutorem expetam? Protectorem desiderabo? Cui hæc, qualiacumque scripta mea, Sacris, vtpote Militantis Ecclesiæ constipata præceptis commendem, nisi Tibi (Gloriosissime Patriarcha) quem Triumphantis Aula, gratulantibus Angelis, affatim lætabunda suscepit? Cùm enim præclaro tuo, ac cœlesti sanè instituto, me totum, vitam & opera, iampridem (aspirante Numine) professus deuouerim, tuum quoque esto, si quæ virtutis, & litteraturæ Sacræ, vel indigni Alumni, huius in publicum prodeant monimenta, ea ad Trinitatis gloriam ineffabilis (qua nil antiquius) benignus dirigere, amplexari, fouere.

Tu, inquam, qui in funesto hocce, perpetuoque sibi succedentium calamitatum theatro, & vorticoso miseriarum Euripo dum ageres, Redemptoris nomen (soli Christo germanum, ac proprium) tibi comparasti mirandum, quo, ceu ardentissima charitatis in proximos prælucente face, Religio hæcce tua Captiuos Catholicos ex intumescentibus, ac despumantibus Barbarorum sectæ fluctibus, periculosissimóve execrabilium errorum oceano (proh dolor!) diuersimodè affliĉtantur, vt ad

Google

superas emergant auras, liberare consueuit, tua, qua Deo placeant, intercessione gratissima oblatas lucubrationes redimias, ac, si quæ forsan insurgant à latrantium Hæreticorum (cum non mordere possint) procaci dicacitate, & calumniis tutatus, redimas.

In te Psalmographi illud: *Homo non redimet, redimet homo*, vberrim extitisse comprobatum, nemo est qui ambigat. Enimverò, quemadmodum puro homini ad totius humani Generis Redemptionis officium sincerè exequendum, nullæ meritorum vires suppetebant, quibus debitum illud in Protoplasto Adamo, veluti in supremo mortalium capite à cunctis contractum filiis, solui, atque deleri chirographum posset: quocirca inexhaustæ Summi Patris bonitati mittere placuit in terras Vnigenitum suum mortali amictum trabea, vt Dei simul, & hominis, pro homine in Cruce morientis, infinita solutio superabundantius excelleret debitum: Haud secus tibi (ô Admirabilis Patriarcha Ioannes) diuinitus contigisse fatemur. Nam, vt piissimæ Captiuorum Redemptioni nouus veluti vacares Redemptor, ab Empyreo cœlorum splendentissima arce, Crucis Sacratissimum insigne cæruleo, rubeoque coloribus efformatum, per Angelum excepisti transmissum, quo diuinitatis, nonnullo expresso argumento, Captiuorum Redemptor, alto iam commendateris præconio. Sic sapienter Cassiodorus ille: *In Crucis impressione, lumen est vultus Dei.*

Verum ne in altissimo Diuinarum dotum in te elucentium pelago naufragus absumerer, enatandi impotens, eloquij carbasa spontè, & vltrò se se in Tui Laudem expendentia, singularis modestiæ tuæ recordatione detentus, rei magnitudine territus, complicabo. In magnis enim (vt ait ille) & voluisse sat est. Et de te equidem, ceu fulgentissimo Religionis nostræ Sole, minus forent semper dicta, quam dicenda. Restat, & nunc, vt quotquot sub hocce tuo fulgentissimo Crucis vexillo periculosæ vacamus militiæ, & vti Christi discipulos, in remigando conspicis laborantes, paterno prosequaris amplexu; vt Tibi, (simulque Compatriarchæ Fœlici) securiorem, iam sortito cœlestis patriæ portum, immortales grates habere valeamus, post Deum. Cui soli honor, & gloria. Amen.

APPRO

APPROBATIO P.F. FRANCISCI A S. IVLIANO *Ordinis Discalceatorum Sanctißimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Diffinitoris Generalis, &c.*

QVÆSTIONES morales in Quinque Ecclesiæ præcepta à Reu. admodum P. F. LEANDRO de Sanctiss. Sacramento, olim in Complutensi nostro Collegio primario Lectore, elaboratas ex commissione Diffinitorij nostri Generalis, per otium volui. In quibus non modo aliquid minus congruè dictum non deprehendi, verum omnia Author ita exacta, & ad amussim exposita ac indefesso studio Doctorum locupletata reddit, vt nihil vltra in hoc scribendi genere desiderari posse videatur. Ipsa decidendi ratio non nimis phalerata, non fusco, non calamistro, non longo verborum ductu exornata; sed perfacilis, clara, & currens est, semper tamen solida. In referendis fidelissime, (in quo non pauci peccant) placitis Antiquorum, & Iuniorum, qui vsque ad hæc nostra scripsere sæcula, ipsissimus est, qui in prioribus voluminibus de Sacramentis. Et quidem singularis quia nullus meditatius penetrat, diligentius vestigat, accuratius euoluit, penitius eorumque concipit sensa. In eligendis sententiis piissimus. Vnde opiniones releuantes, quæ à peccato liberant pluries; vel sequitur, vel probatas omittit, præsertim in gratiam miserorum laborantium, siue mente, siue corpore; nunquam tamen sine Patrono, & prudenti rationum pondere; Quod aliqui ægrè ferentes, nimiam operandi licentiam appellant, licèt non meritò, cum Author praxi faueat, praxim foueat, vt in praxi extirpentur peccata, & practica ipsa duce, nullus bene composuit iura, qui non attentè considerauit diuersa tempora. Abeant ergo timidi; non audiantur scrupulosi, neque nimio feruentes zelo: assumant isti rigidam disciplinam, sicut, & Author sibi, dum aliis iugum Christi suaue, & onus eius propalant leue. Nouitates insimulant classicorum opiniones, eóque sunt ingenio, vt existiment, nihil extra scholas suas litterarum esse posse; neminémque putant quidquam scire, nisi sub sua fuerit antiqua ferula: quasi (ô bone Deus?) prisca ætas repererit verum omne: non enim quod antiquitatis est inuentum, eo ipso verum; neque quia nuper repertum, erit falsum: Numquid antesignani sapientiores sunt, quia floruerunt quondam? Et qui viuunt, & florent nunc, quia vita fruuntur, spoliandi sunt natiuo sapientiæ honore? Non equidem. Nam, vt asseruit Philo *lib. 1. de vita Moysis,* Præclara ingenia multa innouant circa scientias. Et Seneca *Epist.* 33. Qui ante nos ista mouerunt, non Domini nostri, sed Duces sunt, patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa, etiam futuris relictum est. Et Epist. 45. Illi quoque (id est, antiqui) non inuenta, sed quærenda nobis reliquerunt. Igitur opus hoc germana familiaritate consonat cum prioribus, iuxta Scripturam Sacram, Concilia, Patrum, & Doctorum sententias. Quapropter dignissimum iudico, quod ad obsequium omnium lucem videat, vt in omnium oculis, & manibus versetur, votisque desiderantium fiat satis. Matriti, in hoc Religiosissimo Conuentu, die 10. Octobris 1647.

F. FRANCISCVS à S. IVLIANO, *Diffinitor Generalis.*

FACVLTAS ORDINIS.

FRATER Martinus ab Assumptione Maior, ac Generalis Minister Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. De Consensu nostri Definitorij Generalis, vt tertia pars Quæstionum Moralium Theologicarum in quinque præcepta Ecclesiæ à Patre F. LEANDRO de Sanctiss. Sacramento, nostræ Sacræ Religionis Theologiæ Professore composita, & à grauioribus, & Doctioribus eiusdem Ordinis Theologis recognita, & approbata, Typis mandetur, tenore præsentium facultatem concedimus. In quorum fidem, has litteras, manu nostra, & sigillo, ac Secretarij nomine subscriptas dedimus. Matriti die Vigesima Octobris, anni millesimi sexcentesimi Quadragesimi septimi.

F. MARTINVS *ab Assumptione, Minister Generalis.*

De Mandato P. N. Ministri Generalis.

F. FRANCISCVS *à Matre Dei Secretarius.*

APPROBATIO,

REVERENDISSIMI, AC SAPIENTISSIMI P. Fratris Ildefonsi de Herrera Minimorum Sancti Francisci De Paula, Lectoris iubilati: Qualificatoris Supremi Consilij Generalis Inquisitionis: electi Episcopi de Castellamar.

EX commissione Domini Licentiati D. Ildefonsi de Morales Ballesteros, Canonici Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, ac in Curia Regia Vicarij Generalis. Hoc opus, iam tertium morale, in Quinque Ecclesiæ præcepta nuncupatum, à Reuerendo admodum, Sapientiss. P. F. Leandro de Sanctiss. Sacramento, ex Discalceatis Sanctiss. Trinitaris Ordinis, olim in suo Collegio Complutensi Primario Theologiæ Professore, ac in sua Prouincia Spiritus Sancti Prouinciali meritissimo, elaboratum, attentè legi, & magna cum voluptate perlegi. In quo quidem mirabor dexteritatem ingenij, claritatem sententiarum, eruditionem laboriosam in eruendis germanis, & propriis Authorum assensibus, & in Theologicis quæstionibus facilitatem difficillimis decidendis, ita vt in hoc tertio opere, non solùm cohæreat cum aliis, rerum, ac sententiarum genuina series: Sed, & superare videatur; & cum in singulis his, singularis sit, in quo excellentior existat, prorsus ignoro. Præclarum sanè opus, vndequaque aureum, opere Saphirino exornatum, re verà, & nomine morale. In quo, nihil sanè Catholicis dogmatibus dissonum; integritativè morum, alienum; & conscientiæ securitati noxium offendi. Et ideò magna cum laude, & congratulatione ab omnibus suscipi debet: quia profert de thesauro suo noua, & vetera, quibus facilè quisquis sapientiam omnium Antiquorum, & Recentiorum exquiret; & exiguo labore multam doctrinam, & scientiam omnium comparabit Lector. Dignum quidem, quod typis detur, vt Orbi radiet, vt moribus optimis opituletur, & conscientiæ referat Sacramenta, & excitet omnium ad pietatem mentes. Ita subscribo in hoc Conuentu Marritensi Sancti Francisci de Paula, die 22. Mensis Octobris, anni 1647.

Fr. ILDEFONSVS *de Herrera.*

LICEN

Digitized by Google

LICENTIA DEL ORDINARIO.

NOs el Lic. D. Alonso de Morales Ballesteros, Canonigo de Toledo, y Vicario General desta Villa de Madrid, y su partido, por el Eminentiss. Señor D. Balthasar de Moscoso, y Sandoual por la gracia de Dios Cardenal de la Santa Yglesia de Roma, del titulo de Santa Cruz en Ierusalem, Arçobispo de Toledo, Primado de las Españas; del Consejo de su Magestal, y Canciller mayor de Castilla. Por la presente, y por lo que à nos toca, damos licentia al P. F. LEANDRO del Sanctissimo Sacramento, Religioso de la Orden de Descalzos de la Sanctissima Trinidad, para que pueda Imprimir vn Libro intitulado *Quaestiones Morales in Quinque pracepta Ecclesia.* Attento à sido visto, y examinado por nuestra comision, y no auer en el cosa que contradiga a nnestra Santa Fè, y buenas costumbres. Dada en Madrid a 2. de Nouiembre, de 1647. Años.

El Lic. DON ALONSO *de Morales Ballesteros.*

Por su mandado.

IVAN ALVAREZ *de Llamas. Notario.*

APPOBATIO R. P. AVGVSTINI A CASTRO
è Societate Iesu, Concionatoris Regij: & Supremi Consilij Sanctæ Inquisitionis Censoris.

EX præscripto Supremi Regij Senatus Castellæ, vidi *Quaestiones Morales in Quinque Ecclesia pracepta*, elaboratas à *Reuerendo admodum, & Religiosissimo P. F. Leandro de Sanctissimo Sacramento, ex Ordine Sanctissima Trinitatis ex Discalceatis*, olim meritissimo Prouinciali huius Prouinciæ Castellæ. Et cum iam perpendissem attentè Quæstiones Morales eiusdem Magistri in septem Ecclesiæ Sacramenta, existimaui omni animi studio Authorem fore contendendum, vt posterius hoc opus alteri priori inferius non euaderet. Verum iudicium meum celsitudinem præsentis voluminis non æquauerat, cum nec eruditione, cum summo labore coniuncta in Doctoribus compilandis; nec iudicio in sententiis seligendis: nec claritate in eis aperiendis; nec breuitate in verbis: nec acumine in nouitate, cum securitate coniungendo, non solum æquale; verum etiam superius multò existeret. Nec miror dum audio Sapientissimum Iesum Sirac *cap. 1. vers. 33. in Thesauris Sapientiæ significatio est disciplina.* Quid aliud explicant, & ostendunt hæ Quæstiones morales, quàm Ecclesiasticam disciplinam in his qninque Ecclesiæ præceptis inclusam? Sed vbi Thesauri isti reperiuntur? Prædixerunt vers. 26. *Radix Sapientiæ est timere Dominum: Et rami illius longaui: In Thesauris Sapientiæ intellectus, & scientia religiositas.* Vbi ergo abundat religiosæ vitæ disciplina, quidni abundent etiam Sapientiæ thesauri? Quidni illius rami sint longæui? Rami, qui non solùm tulere copiosissimum fructum explanantem septem Ecclesiæ Sacramenta; verum nouum hodie exhibent, aperiendo euisdem Ecclesiæ præcepta. Et vbi perfectus Dei timor est, Sapientiæ radix, & principium, quid mirandum, ramos onustos fructibus in communem Ecclesiæ vtilitatem semper edere? Quapropter censeo, vt volumen istud, lumen videat, ne aliquis sua luce priuetur. In hoc Imperiali Collegio Societatis IESV, die 20. Aprilis, Anno 1648.

AVGVSTINVS A CASTRO.

APPRO

APPROBATIO DOCTORVM
Facultatis Parisiensis.

NIHIL Censura dignum reperimus, Nos infrascripti Doctores Theologi Almæ Facultatis Parisiensis, in Opere de Sacramentis in genere, & specie, Præceptorum Ecclesiæ obseruatione, ac de Censuris Ecclesiasticis, composito à Reuerendo admodum P. Leandro à Sancto Sacramento, ex Ordine Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis. In lucem igitur edatur, quippe quod succinctè & explicatiùs satisfaciat omnibus quæstionibus, quæ in subiecta quaque materia possunt excogitari. Actum in Carmelo nostro Lugdunensi, die vltima Ianuarij 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD, *Prouincialis Prouinciæ Narbonæ Ordinis FFr. B. M. Virg. de Monte-Carmelo.*

Fr. CYRILLVS MOREL, *humilis Prior Conuentus Lugdunensis eiusdem Ordinis.*

INDEX

INDEX TRACTATVVM, DISPVTATIONVM,

QVÆSTIONVM, EARVMQVE RESPONSIONVM,

Quæ in hac tertia Parte continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De Obſeruatione Feſtorum.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO II.

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

De his, qui ad festos dies obseruandos tenentur. pag.9

14. An

14. An Peregrini, ſeu Aduenæ, diu degentes Romæ; teneantur ad feſta, & ieiunia, & alias leges proprias vrbis Romæ?
R. *Longè multò probabilius: Teneri.* p.14
15. An Regulares exempti, teneantur ad obſeruanda feſta, & ieiunia indicta Epiſcopo?
R. *Certum eſt, teneri ad feſta; non verò ad ieiunia, licèt ad hæc etiam teneri, probabiliter quidã affirment.* p.15
16. An regulares teneantur obſeruare feſta, introducta conſuetudine?
R. *Probabilius longe, imo, certum eſt: Teneri.* p.15
17. An Epiſcopus teneatur ſeruare feſta, & ieiunia, quæ ipſe populis imponit?
R. *Probabilius eſt: Teneri.* p.15
18. An Epiſcopus teneatur ſub mortali peccato, obſeruare feſta, & ieiunia, quæ à populo obſeruari præcipit?
R. *Probabilius eſt: Teneri.* p.16
19. An Peregrini vel Aduenæ morãtes in aliquo loco, maiori anni parte; teneantur ad feſta, ieiunia, & alias leges, proprias illius loci?
R. *Longè probabilius eſt: Teneri.* p.16
20. An Peregrini accedentes ad aliquem locum, animo ibi habitandi, per minorem partem anni, v.g. per quatuor, tres, aut duos menſes; teneantur ad feſta, ieiunia, & alias leges proprias illius loci?
R. *Probabilius longè: Teneri.* p.17
21. An Peregrini teneantur ſeruare feſta, & ieiunia propria locorum, ad quæ ſolùm perueniunt, vt ibi per duos, tres, aut quatuor dies negotiationis, vel recreationis cauſà, morentur?
R. *Probabilius eſt: Teneri.* p.17
22. An Aduenæ teneantur ſeruare feſta, & ieiunia propria locorum, etiamſi per vnicum diem ibi commorentur?
R. *Probabilius: Teneri.* p.18
23. An tandem, teneantur Aduenæ, ſeu Peregrini ſeruare feſta, & ieiunia propria locorum, per quæ tranſeunt ibi tantùm prandendo, cœnando, aut pernoctando, craſtino diſceſſuri?
R. *Probabilius adhuc, Teneri.* p.18
24. An Religioſi, qui ex diuerſis Prouinciis aut domibus ad alias prouincias, aut domus, tanquam hoſpites; accedunt; teneantur ſeruare feſta, & alia præcepta particularia Monaſterij, ſeu loci, quæ, eiuſdem domus Conuentuales tenentur?
R. *Probabilius: Teneri.* p.19
25. An, Adnenæ teneantur ſeruare feſta, & ieiunia, & alia præcepta iuris communis, quando hæc conſuetudine præſcripta, in proprio loco ſunt legitimè abrogata?
R. *Longè probabilius: Teneri.* p.19
26. An aduenæ accedentes ad locum, vbi ius commune de aliquo feſto, aut ieiunio, eſt abrogatum; teneantur ſeruare illud, caſu; quo tale ius non ſit abrogatum, in proprio loco, aut domicilio?
R. *Non teneri.* p.19
27. An Parochianus duplicis Parochiæ, teneatur obſeruare feſta, & alias leges Parochiæ, in qua etiam pro breui, vt in hoſpitio reperitur?
R. *Probabilius: Teneri.* p.20
28. An vagi, vel (quod idem eſt) qui nullibi habent domicilium; teneantur ad feſta, ieiunia, & alias proprias conſuetudines locorum, per quæ tranſeunt?
R. *Longè probabilius: Teneri.* p.20
29. An Caſtellani, quibus in ſua patria licitum eſt in Sabbatho inteſtina, & extremitates animalium edere, poſſint etiam, licitè ea comedere, tranſeuntes per Nauarram, aut Luſitaniam, quibus in Regnis, non licèt prædicta manducare?
R. P. Leand. in V. Præcept. Eccleſ.
R. Longè probabilius, imo vt mihi certum, Non eis licere. p.20

DISPVTATIO IV.

De Operibus in diebus feſtis prohibitis. p.21

Q.1. AN opera ſeruilia prohibeantur in diebus feſtis?
R. *Tanquam certum: Prohiberi.* p.21
2. An omnia opera corporalia externa, ſint prohibita Chriſtianis in diebus feſtis?
R. *Tanquam certum: Quòd non.* p.21
3. An opera ſeruilia, quæ in feſtis prohibentur Chriſtianis, ſint tantùm illa, quæ propria ſunt ſeruorũ?
R. Eſſe tantùm illa. p.21
4. An etiam prohibeantur in feſtis opera, quæ ſunt communia liberis, & ſeruis, vt ſunt venari, piſcari, &c.
R. Longè probabilius: Non prohiberi. p.21
5. An ſit licitum, in die feſto, ſtudere?
R. *Tanquam certum: Eſſe licitum.* p.22
6. An licitum ſit alicui in die feſto, docere alios, aut legere, lucri gratiâ?
R. Tanquam certum: Eſſe licitum. p.22
7. An licitum ſit, cantare in feſto, aut pulſare organa, ſeu alia inſtrumenta, ex conuentione aliquatum pecuniarum.
R. *Tanquam ferè certum: Eſſe licitum.* p.22
8. An licitum ſit, conſulere in feſto, etiam principaliter, propter lucrum?
R. *Tanquam ferè certum: Licitum eſſe.* p.22
9. An ſit licitum in die feſto ſcribere: ſi id non fiat, ob lucrum?
R. Tanquam certum: Eſſe licitum. p.22
10. An licitum etiam ſit in feſto, ob lucrum ſcribere?
R. *Probabilius: Licitum etiam eſſe.* p.22
11. An etiam ſit licitum, tranſcribere in die feſto, ſine pretio?
R. *Longè probabilius: Etiam eſſe licitum.* p.23
12. An item, ſit licitum, tranſcribere in feſto, ob lucrum, aut pretium?
R. *Probabilius: Adhuc eſſe licitum.* p.23
13. An ſit licitum, in die feſto tranſcribere, ex officio, aut pro mercede, libros cum Notis, ad cantum deſeruientes, Priuilegia, & ſimilia?
R. Probabilius: Eſſe licitum. p.23
14. An ſit licitum, in die feſto illuminare libros, aut litteras?
R. Probabilius: Non eſſe licitum. p.23
15. An ſit licitum Tabellionibus, ſeu Notariis, facere ſcripturas in diebus feſtis?
R. *Probabilius: Licitum eſſe, dummodo ſcripturæ non contineant actus prohibitos in feſtis.* p.24
16. An ſit licitum, in die feſto, rationem facere. Hiſpanè: *Dar, y tomar cuentas*, ſaltem quando id, nec ex officio, nec pro mercede fit?
R. *Probabilius: Eſſe licitum.* p.24
17. An etiam ſit licitum, rationem facere in feſtis, illis, qui pro mercede, aut ex officio, id faciunt?
R. *Probabilius: Etiam eſſe licitum.* p.24
18. An licitum ſit Typographis, ordinare, & componere characteres, aut litteras, in feſtis?
R. *Probabiliter: Eſſe licitum.* p.24
19. An etiam, ipſiſmet impreſſoribus librorum; vulgò, *Batidores, y Tiradores*, ſit licitum, in feſtis prelo incumbere?
R. *Tanquam quid certum: Non eſſe licitum.* p.25
20. An ſit licitum, pingere in feſto, lucri gratiâ?
R. Probabilius: Non eſſe. p.25

Index Tractatuum, & Disputationum,

DISPVTATIO V.

De operibus non seruilibus, speciali tamen iure prohibitis in festo. p. 33

6. An

6. An licitum sit in diebus festis, emere, & vendere panem, vinum, carnes, fructus, & alia necessaria ad quotidianum victum?
R. *Tanquam certum: Esse licitum.* p. 34
7. An licitum sit Carnificibus, Tabernariis, & similibus; vendere in die festo, carnes, vinum, &c.
R. *Tanquam certum: Etiam esse licitum.* p. 34
8. An licitum sit in festo, bona defunctorum, voce præconis vendere. Hispanè: *Hazer, almoneda?*
R. *Esse licitum.* p. 34
9. An etiam sit licitum, priuatas venditiones, aut emptiones, in festis fieri?
R. *Etiam esse licitum, si adsit, vel consuetudo, vel aliqua iusta causa.* p. 34
10. An licitum sit in festis, locationes, Conductiones, & similes contractus celebrare?
R. *Probabilius: esse licitum.* p. 34
11. An licitum sit habentibus veteres vestes (vulgò *Ropauejeros*) in die festo, eas apertis ianuis vendere?
R. *Esse licitum illis, dummodo id non faciant tempore Missæ maioris.* p. 35
12. An licitum sit Sutoribus, calceos in festis vendere?
R. *Esse licitum.* p. 35
13. An licitum sit in festis, candelas vendere?
R. *Esse licitum.* p. 35
14. An licitum sit in festis, adire ad oppida, ad exigenda debita?
R. *Esse licitum, dum illa non exigantur in iudicio, sed priuatim.* p. 35
15. Quid nomine Placiti, quod est prohibitum in festis, intelligatur?
R. *Quod intelligitur, lis, causa fori, &c.* p. 35
16. An citatio facta in festo, seclusa necessitate, non solùm sit illicita, verumetiam inualida?
R. *Tanquam certum: Et illicitam esse, & inualidam.* pag. 35
17. An etiam sit illicita, & inualida citatio facta in die profesto, pro die festo?
R. *Etiam esse.* p. 36
18. An saltem citatio illa facta pro die festo, obligabit partem ad comparendum die proximo sequenti ad diem festum?
R. *Probabilius: Non obligare.* p. 36
19. An ad minùs valida sit citatio, si non fiat directè, & formaliter, pro die festo, v.g. pro Dominica; sed pro tali die mensis, in quem forte incidit dies festus?
R. *Probabilius: Adhuc non esse validam.* p. 36
20. An mandatum factum ad hoc, vt Reus comparet intra octo dies sit validum, si intra illos octo dies vnus, aut plures dies festi, incidant, vel medient?
R. *Esse validum.* p. 36
21. An etiam sit validum, mandatum citationis factum, vt Reus intra octo dies compareat, si octauus dies sit festus?
R. *Esse validum.* p. 36
22. An Reus citatus in die festo, possit iterum in die profesto, aut non feriato, citari; & teneatur ex vi huius citationis, ad comparendum?
R. *Posse, vel nouo mandato; vel virtute prioris, si datum fuit in die non feriato, & pro die non feriato.* pag. 36
23. An reus validè citari possit, dum existit in loco, vbi dies festus non seruatur; si vbi est iudex celebretur?
R. *Posse, si præceptum citationis datum fuit in die festiuo.* p. 36
24. An etiam, citari validè possit Reus, existens in loco, vbi festus dies seruatur; si in loco iudicis, non seruetur?
R. *Probabilius: Non posse.* p. 37
25. An possint testes recipi, & examinari in die festo, si in ipso die festi ab ipsis exigatur iuramentum?
R. *Tanquam certum: Nec licitè, nec validè, posse.* pag. 37
26. An saltem, possint testes examinari in die festo; si in die non festo iurent de veritate dicenda?
R. *Probabilius: Nec licitè, nec validè posse; nisi aliàs consuetudo vigeat.* p. 37
27. An, interpositio iuramenti, sit licita, aut saltem valida, in die festo?
R. *Tanquam certum; Nec licitam, nec validam esse, nisi in certis casibus.* p. 37
28. An etiam iuramentum extraiudiciale sit prohibitum in festo?
R. *Probabilius: Non omne, sed aliquod esse prohibitum.* p. 37
29. An licitum sit iuramentum factum in die festo, pro causis spiritualibus?
R. *Probabilius: Non esse licitum.* p. 37
30. An, sit licitum iuramentum in festo, factum pro pace, fide, obedientia, pietate, aut fama, aut denique, necessitate vrgente?
R. *Tanquam certum: Esse licitum.* p. 38
31. An, sententia criminalis data in festo, non solùm sit illicita; sed etiam inualida?
R. *Tanquam certum: Illicitam esse, & inualidam.* p. 38
32. An saltem, vrgente necessitate, non solùm validè, verùm, & licitè, possit dari sententia criminalis in die festo?
R. *Posse.* p. 38
33. An, sententia criminalis lata in die non festo, possit executioni mandari in die festo?
R. *Probabilius: Non posse, nisi aliàs executio sententiæ vrgeat.* p. 38
34. An, confessio Rei cuiusque, non solùm validè, sed & licitè possit recipi in die festo?
R. *Probabilius longè: Non posse, nisi in certis causis.* pag. 38
35. An non solùm sententia criminalis, sed etiam alia quælibet ciuilis, sit prohibita in festo?
R. *Etiam prohiberi, si talis sententia requirit strepitum iudicialem.* p. 38
36. An Inquisitores fidei, possint validè, & licitè ferre sententiam contra hæreticos, in die festo?
R. *Tanquam certum: Posse.* p. 38
37. An sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, lata in die festo, sit valida, & licita?
R. *Esse validam, & licitam.* p. 39
38. An iudex licitè possit in festis, exercere actus iurisdictionis voluntariæ?
R. *Tanquam ferè certum: Posse.* p. 39
39. An Actus extraiudiciales sint prohibiti in festis?
R. *Tanquam ferè certum: Non esse.* p. 39
40. An visitare Ecclesias, aut Clericos, in die festo, sit licitum?
R. *Esse; dummodo fiat, sine strepitu iudiciali.* pag. 39
41. An, sententia iudicis arbitri lata in die festo, sit licita, aut saltem valida?
R. *Tanquam certum: Nec licitam, nec validam esse* pag. 39
42. An saltem, sententia iudicis Arbitratoris lata in festo, sit valida, & licita?
R. *Tanquam certum: Esse.* p. 40
43. An liceat Aduocato, & Procuratori, informare iudicem, super lites, verbo, vel scripto, in diebus festis?

DISPVTATIO IV.

De causis excusantibus à præcepto obseruationis Festorum? p. 41

dam indignationem Dominorum, seu Parentum, exercent opera seruilia in festis?

R. *Excusari, si id faciunt, ob euitandam indignationem grauem; minimè, si leuem.* p.48

33. An excusentur à peccato famuli Barbitonsorum, qui à suis Dominis compelluntur, in festis laborare?

R. *Probabilius: Excusari regulariter loquendo.* p.48

34. An excusetur à mortali Barbitonsor, qui in festo, vnam, aut alteram barbam tondet?

R. *Tanquam certum: Excusari à mortali.* p.48

35. An etiam excusetur à veniali Barbitonsor, qui tondet aliquem in festo, in quo celebraturus est vel Missam nouam, vel Nuptias?

R. *Etiam excusari à veniali.* p.49

36. An etiam à peccato omni excusentur Barbitonsores, tondentes in festos omnes suos Parochianos, propter solemnitatem Paschatis?

R. *Probabilius Etiam excusari: Si diebus aliis profestis occupati fuerint?* p.49

37. An ratione consuetudinis possint excusari à peccato Barbitonsores, qui per totum diem festum, aut per maiorem partem illius, barbas, & capillos, tondent?

R. *Tanquam certum: Posse excusari, & de facto excusari, vbi consuetudo fuerit recepta.* p.49

38. An excusetur à peccato Barbitonsor, qui solet diebus festis ire ad tondendos agricolas ad oppidum, in quo non residet?

R. *Excusari.* p.49

39. An etiam excusetur Barbitonsor, qui omnes ad suam officinam ad tonsuram accedentes, in diebus festis tondet?

R. *Etiam excusari.* p.49

40. An excusetur à mortali Barbitonsor, qui postquam aliquos, ratione necessitatis in festo totondit; alios? sine vlla necessitate, per spatium duarum horarum, in eodem festo capillos rasit?

R. *Excusari à mortali: Non verò à veniali.* p.49

41. An excusetur à mortali, qui tonsuram, in die festo, à Barbitonsore petit?

R. *Excusari à mortali: Imò à veniali, si eum aliqua iusta tonsuram petat. Secus dicendum est, in casu, quo ille peteret tonsionem, quando Barbitonserem non excessurum esse paruitatem materiæ.* p.49

42. An excusentur à mortali Sartores, qui solùm ratione consuetudinis, perficiunt in festo vestes pro illa die inseruientes?

R. *Non excusari præcisè ratione consuetudinis, licèt aliàs possint.* p.50

43. An saltem excusentur peccato Sartores, qui in festis conficiunt vestes, pro Nuptiis, aut funere, in illis diebus celebrandis?

R. *Excusari. Sicut excusarentur etiam perficiendo vestes pro Adnena, aut alio, qui decenter nequit domo exire, aut talibus vestiri vestibus.* p.05

44. An etiam excusentur Sartores, qui perficiunt vestes in festo, eo quòd timeant aliquod damnum notabile, aut acerbas reprehensiones, & iniurias, si non perficiant?

R. *Excusari.*

45. An excusentur Sartores, & alij artifices, qui pro causa publica, & conuenienti Reipublicæ, vestes, tabulata, & alia huiusmodi, perficiunt, ornant, & laborant in festis?

R. *Excusari.* p.50

46. An excusentur artifices, qui in festo tabulata faciunt; vt in eis publicus actus Inquisitionis fiat?

R. *Excusari.*

47. An etiam excusentur artifices, qui quando in festo recitanda est comedia, laborat in ipso festo, efficiendo tabulata, & alia necessaria?

R. *Probabilius: Etiam excusari.* p.50

48. An tandem, excusentur prædicti artifices, si prædicta tabulata, &c. Faciant in festo, casu, quo illa potuerint conficere ante diem festum?

R. *Non Excusari.* p.51

49. An excusentur à peccato, qui in die festo, equos iter agentium ferrant?

R. *Excusari.* p.51

50. An etiam excusentur à peccato ferrantes in festis, equos non iter agentium?

R. *Non excusari ferrantes equos existentium in populo: Bene tamen ferrantes equos, aut mulas, eorum, qui altera die manè aggrediendi sunt iter, &c.* p.51

51. An excusentur Textores, qui in diebus festis instrumenta texendi præparant?

R. *Non excusari: nisi aliàs adsit consuetudo.* p.51

52. An excusentur à peccato, qui in diebus festis, pontes, fontes, vias publicas, & alia huiusmodi, reficiunt, eo quòd sine magno incommodo, hæc in alios dies non festos, non possint differri?

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.51

53. An excusentur à peccato, qui in diebus festis laborant, in prouidendis rebus, ad aliquam expeditionem Indiæ, necessariis?

R. *Excusari.* p.51

54. An excusentur à peccato, qui causâ pietatis seruilia exercent in festis?

R. *Probabilius longè: Non excusari absolutè.* p.52

55. An excusentur à peccato, qui in festis, curant infirmos, sepeliunt mortuos, vestiunt nudos, & faciunt alia similia opera misericordiæ, & pietatis?

R. *Tanquam certum; Excusari.* p.52

56. An excusentur etiam à peccato, qui in diebus festis, sternunt vias publicas pro viatoribus, pontes erigunt; congregant ligna, & lapides pro loco publico, sola pietatis causa moti?

R. *Probabilius longè: Non excusari à peccato, & mortali; nisi aliàs concurrat vrgens necessitas.* p.52

57. An excusentur à peccato artifices, qui in diebus festis laborant; vt ex lucro, eleemosynas pauperibus erogent?

R. *Probabilius lõgè: Non excusari à mortali, nisi aliàs necessitas grauis in aliquo paupere astu existat.* p.52

58. An saltem excusentur artifices, qui in festis diebus, pauperi in magna necessitate existenti, vestem consuunt, aut illi ligna portant, &c.

R. *Tanquam certum: Excusari, casu, quo ipse pauper id efficere non posset.* p.53

59. An excusentur à peccato, qui in diebus festis exercent aliqua opera seruilia in honorem, & cultum Dei?

R. *Tanquam certum; Excusari.* p.53

60. An excusentur à peccato, qui in festis, pulsant organa, & cymbala; deferunt Crucem in processionibus, musicis, instrumentis vtuntur, &c?

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.53

61. An excusentur à peccato, qui in festis, rationabili de causa, conficiunt Hostias, templa mundant, tapetibus ornant; vias publicas ad processionem præparant, &c.

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.53

62. An etiam excusentur ab omni peccato, qui prædicta opera seruilia, ralata quæst. antecedenti, absque rationabili causa, in festis exercent?

R. *Probabiliter: ab omni peccato excusari.* p.53

63. An item excusentur, qui in diebus festis lauant vasa sacra, purificatoria, & alia, huiusmodi?

TRACTATVS II.

De Precepto Audiendæ Missæ.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura huius præcepti; & de Diebus, pro quibus est impositum; ac de Personis, quas obligat. pag. 57

24. An

58. An

audire ad implendum præceptum, teneatur aliam audire Missam?

R. *Probabilius: Non teneri.* p.84

91. An qui Missam audiuit, animo non adimplendi præceptum, simulque animo non audiendi aliam Missam, adimpleat adhuc præceptum?

R. *Probabilius: Adimplere: Licèt peccaret mortaliter si crederet per Missam à se auditam non satisfecisse precepto.* p.84

92. An qui Missam audiuit, animo non adimplendi præceptum, auditione talis Missæ; teneantur ad minùs casu, quo aliam nolit audire, mutare animum, intra tempus obligationis, & velle adimplere præceptum per Missam auditam?

R. *Probabilius: Non teneri mutare animum; sed sufficere ei, si iam satisfecisse precepto per Missam à se auditam.* p.85

93. An, qui audit Missam, animo non satisfaciendi voto, ad quod tenetur; teneatur audire aliam, vt voto satisfaciat?

R. *Probabilius: Non teneri.* p.85

94. An satisfaciat præcepto, qui venit ad audiendam Missam ex fine prauo, v.g. videndi fœminam, ad finem turpem?

R. *Tanquam certum: Satisfacere; licèt aliàs peccet contra castitatem.* p.85

95. An vi huius præcepti, teneantur fideles assistere Missæ, non solùm mente, sed corpore?

R. *Tanquam certum: Teneri.* p.85

96. An vt quis præcepto Missæ satisfaciat, debeat necessariò videre Sacerdotem celebrantem, & eius verba audire?

R. *Tanquam certum; Non debere.* p.86

97. An saltem, qui commodè potest audire, & videre celebrantem, teneatur ad vtrumque vi huius præcepti?

R. *Tanquam certum: Nec adhuc teneri.* p.86

98. An Cœci, vel Surdi, teneantur ad Missam audiẽdã?

R. *Tanquam certum: teneri.* p.86

99. An etiam, Qui simul est Surdus, & Cœcus teneatur audire Missam?

R. *Vt certissimum ferè: Etiam teneri.* p.86

100. An vt quis præcepto Missæ satisfaciat, debeat esse intra Ecclesiam, in qua Missa celebratur?

R. *Tanquam certum: Non debere necessariò esse intra Ecclesiam.* p.87

101. An satisfaciat præcepto, qui ex atrio, aut Cœmeterio Ecclesiæ, Missam audit?

R. *Vt quid certissimum: Satisfacere, si inde cognoscat aliquo modo quid celebrans agat.* p.87

102. An satisfaciat præcepto, qui, quando Missa celebratur in aliqua platea, seu vico, è fenestra domus illam audit?

R. *Tanquam certum: Satisfacere; modò aliqua ratione cognoscat, quid Sacerdos agat.* p.87

103. An etiam satisfaciat, qui Missam, quæ in Ecclesia celebratur, è fenestra domus suæ audit?

R. *Probabilius: Satisfacere, dummodo aliquo modo cognoscat quid agat Sacerdos.* p.87

104. An qui existentes in choro structo post altare, Missam audiunt, satisfaciant præcepto?

R. *Probabilius longè, imo tanquam certum: Satisfacere: dummodo verba celebrantis audiant, aut aliquo alio modo cognoscant, quid agat Sacerdos.* p.88

105. An etiam satisfaciant præcepto, qui, existentes post parietem Ecclesiæ Missam audiunt?

R. *Probabilius: Satisfacere; dummodo aliquo signo cognoscant, quid Sacerdos in Missa agat.* p.88

106. An si dicatur Missa in alta turri, satisfaciat præcepto, qui foris assistit illi?

R. *Probabilius: Satisfacere; dummodo aliquo signo intelligat, quid celebrans agat.* p.88

107. An vt quis satisfaciat præcepto Missæ, sufficiat, quòd sit præsens intra eandem Ecclesiam, in qua dicitur, & habet intentionem audiendi illam?

R. *Sufficere: Si aliquo sensu percipiat, quæ in Missa ageret Sacerdos: aliàs minimè.* pag.88

DISPVTATIO II.

De Causis excusantibus ab audienda Missa præcepto.

Q. 1. AN dentur aliquæ causæ, ab auditione Missæ, excusantes?

R. *Tanquam certum, Dari.* p.89

2. Quot, & quales sint causæ, quæ excusare possunt fideles, ab obseruatione huius præcepti?

R. *Quòd sunt septem: Videlicet, Impotentia, Nocumentum, Ignorantia, Consuetudo, Obedientia, Pietas, & bona fides.* p.89

3. An Impotentia, tam physica, quàm moralis, excuset ab audienda Missa?

R. *Excusare.* p.89

4. An qui personaliter est interdictus, vel excommunicatus, excusetur ab audienda Missa, in festis?

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.89

5. An saltem, si huiusmodi excommunicatus aut interdictus, facilè possit absolutionem à censura obtinere, excusetur à præcepto Missæ, si illam non obtineat?

R. *Longè probabilius: Adhuc excusari.* p.89

6. An commorantes in loco interdicto, excusentur à præcepto audiendi Sacri, casu, quo commodè possint ire ad locum non interdictum?

R. *Multò longè probabilius: Non excusari.* p.90

7. An excusetur à præcepto Missæ tempore interdicti, qui habent priuilegium, vt audire possint Missam tempore prædicto interdicti?

R. *Longè probabilius: Non excusari.* p.90

8. An excusetur ab audienda Missa, qui non habet alium Sacerdotem nisi excommunicatum; toleratum tamen, & non denuntiatum?

R. *Non excusari.* p.91

9. An saltem excusetur, qui non habet alium Sacerdotem, præter excommunicatum, nominatim denunciatum?

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.91

10. An item excusetur ab audienda Missa, qui non habet alium Sacerdotem, nisi publicum percussorem Clerici?

R. *Tanquam certum: Excusari.* p.91

11. An etiam excusetur, Qui non habet alium Sacerdotem, nisi personaliter interdictum?

R. *Æquè probabiliter: Non excusari.* p.91

12. An saltem excusetur à Missa audienda, qui non habet alium Sacerdotem, præter publicum, ac notorium Concubinarium?

R. *Probabilius: Iam non excusari.* p.91

13. An infirmi, seu ægroti, excusetur ab audiẽda Missa?

R. *Excusari.* p.92

14. An etiam ægroti conualescentes, excusentur ab audienda Missa?

R. *Etiam excusari, si timeant incurrere, excundo domo, periculum maioris morbi: In casu verò, quòd de periculo dubitent, debent petere consilium.* pag.92

15. An item excusentur à Missa Ministri, seu Custodes infirmorum.

R. *Etiam excusari, casu, quo non habeant alios, quis ad custodiam infirmorum, relinquant; aut aliis in casibus.* p.92

16. An qui vinculis detinentur, excusentur à Missa?

R. *Excusari: Imo etiam illi, quibus domus, loco carceris signata est.* p.92

17. An

R, *Non*

R. *Non excusari, nisi in casu, quo, ex mora, aut magnas expensas facerent, aut alicuius negotij magnam iacturam subirent.* p.100

49. An etiam excusetur à Missa iter faciens, qui oe socios necessarios amittat ad iter peragendum, vel quia viam ignorat, vel timet latrones, &c. omittit Missam?

R. *Excusari.* pag.100

50. An item excusetur iter faciens, si Missam omittat, ea tantùm de causa, ne scilicet, amittat socios in via?

R. *Etiam excusari casu solùm, quòd iter sit valde longum; non si breue.* p.101

51. An milites stationarij, & Vigiles Ciuitatum excusentur ab auditione Missæ?

R. *Excusari, si nequeant suum officium dimittere, sine graui incommodo secus si possint.* pag. 101

52. An etiam Custodes Carcerum, Vinearum, &c. excusentur ab audienda Missa?

R. *Excusari: Nisi aliàs, debeant aliquem socium, cui cura huiusmodi committi possit.* p.101

53. An Consiliarij, qui seria oegotia, ex officio, tractant, excusentur à Missa?

R. *Excusari, casu solum, quo non possint negotia in aliud tempus, sine detrimento, differre.* p.101

54. An Puella, quæ credit, se ab adolescente perditè adamandam, si domo exeat, excusetur à Missa?

R. *Probabiliùs: Quòd in hoc casu, licet possit Puella Missam omittere; non tamen ad id teneatur.* pag. 102

55. An ignorantia inuincibilis, obliuio, aut ioconsideratio diei festi, excusent à præcepto Missæ?

R. *Excusare.* p.102

56. An etiam consuetudo regionis excuset à præcepto audiendæ Missæ?

R. *Etiam excusare.* p.102

57. An ab audienda Missa excusentur vidoæ, quæ mortuo marito, ad certum tempus ooo exeunt domo?

R. *Tanquam certum: Excusari, si per breue tempus id faciant.* p.102

58. An præfatæ viduæ excusentur à præcepto Missæ, etiamsi per semestre, aut annum, domu, recepta consuetudine, se contioeant?

R. *Excusari: Etiam per annum.* p.103

59. An etiam excusentur, Puellæ nobiles, quæ non solent domo egredi, donec nuptui tradantur, & ideo Missam omittunt?

R. *Etiam excusari; Vbi talis consuetudo viget.* pagin. 103

60. An adhuc excusentur, si dictæ puellæ soleant aliàs domo exire ad Ludos, vel Choreas; non verò ad audiendam Missam?

R. *Longè multò probabiliùs, & veriùs: Non excusari.* pag.103.

61. An excusentur à Missa audienda mulieres quæ per aliquot dies post partum, etiamsi plenè cooualuerint, se ab ingressu Ecclesiæ abstinent?

R. *Excusari: Dummodo id non faciant ex superstitione, aut Mosayco ritu.* p.103

62. An excusentur ab auditione Missæ mulieres, quæ menstruam consuetudinem patiuntur?

R. *Non excusari per se: bene tamen possunt per accidens, ratione debilitatis, &c.* p.103

63. An saltem, excusentur ab auditione Missæ, etiam per se, aut ratione menstrui ordinarij, vbi talis consuetudo recepta est?

R. *Excusari tunc, etiam per se.* p.104

64. An excusetur à præcepto Missæ audiendæ qui per totum tempus, quo celebratur, io facienda confessione de præcepto est occupatus?

R. *Excusari, dummodo dicta confessio nequeat moraliter differri.* p.104

65. An etiam excusaretur, qui in facienda confessione ex deootione detineretur?

R. *Excusari, si ad talem confessionem faciendam daretur specialis aliqua causa, aut moralis necessitas: aliàs, minimè.* p.104

66. An excusentur à peccato contra hoc præceptum, qui bona fide putant, se esse legitimâ causâ, impeditos, etiamsi in re fallantur?

R. *Excusari.* p.104

67. An item excusentur iter agentes, quando, bona fide, putant se reperire posse sacrum in aliqua Ecclesia, si illud postea non reperiant?

R. *Etiam excusari.* p.104

68. An in casu, quo quis, rationabili causa, excusatur à Missa audieoda; teneatur loco illius, aliquas orationes ad Deum fundere?

R. *Tanquam ferè certum: Non teneri.* p.105

69. An saltem, qui in festo non potest Missam audire teneatur alio die illam audire?

R. *Tanquam certum: Non teneri.* p.105

70. An quando festum transfertur in alium diem, teneantur fideles audire Missam, eo die in quem translatum est?

R. *Tanquam certum: Non teneri.* p.105

71. Ao in iure sit imposita aliqua pœna contra non audientes Missam?

R. *Nullam esse in iure impositam.* p.105

72. An ex vi huius præcepti sanctificandi festa, teneantur fideles ad aliquem cultum internum?

R. *Tanquam certum: Non teneri.* p.105

73. An ex vi præcepti seruandi festa, teneantur fideles ad sacram concionem audiendam?

R. *Non teneri.* p.105

74. An ex vi huius præcepti, teneantur fideles ad oblationes, in die festo, faciendas?

R. *Non teneri.* p.105

75. An teneantur fideles in die festo, ad horas vespertinas audiendas?

R. *Tanquam certum; ex vi iuris communis, nullo modò teneri: Licet, ex vi iuris particularis, multi teneantur. Imo ratione consuetudinis alij, licet ij, nec ad peccatum veniale ratione illius.* p.106

TRACTATVS III.

De secundo Præcepto Ecclesiæ, quo peccatorum Confessio semel in anno præcipitur.

DE hoc secundo præcepto actum est à nobis, 2. part. de Sacram. tract. 5. disp. 3. à quæst, 21. vsque ad 62.

TRACTATVS IV.

De tertio Præcepto Ecclesiæ, quo sumptio Eucharistiæ sacræ, in Pascha saltem præscribitur.

DE hoc præcepto tractauimus, 2. part. de Sacram. tract. 7. disp. 5. per totam.

Digitized by Google

Index Tractatuum, & Disputationum,

TRACTATVS V.

De quarto Præcepto Ecclesiæ, nempe de Ieiunio.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura ieiunij Ecclesiastici?

DISPVTATIO. II.

De Abstinentia à carnibus in diebus ieiunij.

22. An

22. An item, Catholici laborantes, aut famulatum præſtantes, in terris hæreticorum, poſſint veſci carnibus in diebus ieiuniorum?

R. *Poſſe, ſi non haberent alios cibos; aut obtinuiſſent diſpenſationem; aliàs minimè.* pag. 117

23. An diſcedens à loco, vbi illa die, nec ieiunatur, nec prohibentur carnes, poſſit comedere carnes antequam diſcedat, quamuis veſpere peruenturus ſit ad locum, vbi ieiunatur?

R. *Poſſe.* p. 117

24. An prædictus, qui manè licitè comedit carnes, poſſit etiam licitè eas veſperi comedere, ſi perueniat ad locum proprij domicilij, in quo, illa die non comeduntur?

R. *Tanquam certum: Non poſſe.* p. 117

25. An ſaltem, poſſet illas comedere, ſi locus ad quem veſpere peruenit, non ſit proprium domicilium, ſi ibi ſpecialiter prohibentur?

R. *Probabilius: Adhuc non poſſe.* p. 117

26. An diſcedens à proprio domicilio, vbi carnes prohibentur, poſſit nihilominus, eas comedere antequam diſcedat, ſi peruenturus ſit veſpere, ad locum, vbi comeduntur?

R. *Tanquam certum: Non poſſe.* p. 117

27. An ſaltem, diſcedens manè ex loco vbi eſt ieiunium, perucnturus veſperè ad locum in quo ieiunium non obligat, poſſit antequam diſcedat ientaculum ſumere?

R. *Probabilius: Non poſſe.* p. 117

28. An qui ex diſpenſatione comedit carnes in diebus, in quibus prohibentur, peccet mortaliter, contra præceptum abſtinentiæ à carnibus, ſi comedat toccinum, aut alias carnes nociuas, in magna quantitate?

R. *Probabilius: Non peccare mortaliter contra præceptum abſtinendi à carnibus: Bene tamen peccaret contra aliud præceptum naturale, mortaliter, vel venialiter, iuxta menſuram damni, quod ex comeſtione carnium nociuarum illi proueniret.* p. 118

29. An qui, in diebus prohibitis, comedit, ex diſpenſatione, carnes, oua, & lacticinia; poſſit etiam ſimul comedere piſces, caſu, quo ex comeſtione horum non proueniat illi aliquod damnum?

R. *Tanquam certum: Poſſe.* p. 119

30. An peccet mortaliter, qui, in Diœceſi Toletana, comedit piſcatum ſimul, & carnes, in diebus, in quibus carnes prohibentur?

R. *Peccare mort. Dummodo id faciat, ſine neceſſitate, & ita in magna quantitate, vt ſalus: & temperantia grauiter lædatur: Aliàs, minimè.* p. 119

31. An qui ex diſpẽſatione comedit carnes in diebus prohibitis, poſſit etiã comedere, oua, & lacticinia?

R. *Tanquam certum: Poſſe.* p. 120

32. An cui ex diſpenſatione conceditur facultas edendo oua in Quadrageſima; licitum ſit etiam edere lac, & butyrum, ſi hæc in diſpenſatione non exprimantur?

R. *Longè multò probabilius: Licitum illi eſſe.* p. 120

33. An cui conceditur licentia edendi oua, lac & butyrum in Quadrageſima; concedatur conſequenter licentia edendi caſeum?

R. *Longè probabilius. Concedi. Caſu verò, quo infirmo noceret; peccaret ille, ſi eo veſceretur: non quidem contra præceptum Eccleſiæ, ſed contra præceptum temperantiæ.* p. 120

34. An liceat veſci ſanguine animalium illi, cui conceditur edere oua, & lacticinia?

R. *Tanquam certum: Non licere.* p. 121

35. An cui licet comedere oua, & lacticinia; liceat etiam veſci ſagimine porcino (Hiſpanè, *manteca de puerco*) aut aliorum animalium?

R. *Probabilius: Non licere, abſolutè loquendo.* p. 121

36. An ſaltem in diebus, in quibus prohibentur carnes, ſit licitum vti ſagimine, ſeu lardo, in Regnis, & Prouinciis in quibus ex conſuetudine, illis vti, eſt introductum?

R. *Tanquam certum: Eſſe licitum* p. 122

37. An etiam in diebus in quibus eſus carnium eſt prohibitus, liceat vti ſagimine, in Regnis aut oppidis, in quibus non eſt oleum?

R. *Probabilius: Licere ſi non ſuppetant alij cibi præter legumina & herbæ.* pag. 122

38. An toties quis peccet, quoties comedit carnes, vel lacticinia, ſeu oua, quando prohibentur?

R. *Tanquam certum: Affirmatiuè* p. 122

39. An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, aut oua, &c. Toties etiam, peccet, quoties ea comedit?

R. *Longè probabilius: Toties etiam peccare.* p. 123

40. An item, qui ex voto tenetur certa die ieiunare: Toties peccet, quoties carnis comeſtiones, in illa die, moraliter diſtinctas, multiplicat?

R. *Probabilius: Non peccare toties, quoties carnes comedit, ſed prima vice tantum.* p. 123

41. An liceat pueris ante ſeptennium, in quo eis primò lucet vſus rationis, veſci carnibus, ac lacticiniis in diebus, in quibus hæc prohibentur?

R. *Tanquam certum: Licere.* pag. 123

42. An etiam liceat pueris veſci carnibus, & lacticiniis in dictis diebus prohibitis, caſu, quo ante ſeptennium, iam habeant vſum rationis?

R. *Longe probabilius: Tunc non licere.* p. 123

43. An liceat miniſtrare carnes pueris ante ſeptennium expletum, etiamſi non adſit conſuetudo?

R. *Probabilius longe. Licere: Excepto caſu, quo ante ſeptennium, iam vſum rationis eſſent adepti.* p. 124

44. An etiã liceat miniſtrare carnes perpetuò amentibus, in diebus prohibitis; etiam caſu, quo dicti, carnibus non indigeant tanquam infirmi?

R. *Probabilius longe: Licere etiam.* p. 124

45. An item, liceat miniſtrare carnes amentibus ad tempus; aut qui tales ſunt per aliqua ſola interualla; aut in aliqua ſola materia?

R. *Tanquam certum: Etiam licere. Quod ſecus dicendum eſt, loquendo de Ebrijs.* p. 124

46. An licitum ſit, miniſtrare carnes infidelibus in diebus in quibus prohibentur?

R. *Tanquam certum: Licitum eſſe.* p. 124

DISPVTATIO III.

De Abſtinentia Ouorum, & lacticiniorum in diebus ieiunij.

Q. 1. AN oua, & lacticinia, ſint prohibita à iure, in ieiunijs Quadrageſimæ?

R. Tanquam certiſſimum: Eſſe p. 124

2. An oua, & lacticinia, ſint prohibita à iure ſub mortali, in ieiunijs Quadrageſimæ?

R. Tanquam certum, Eſſe prohibita à iure ſub mortali. p. 126

3. An non ſolùm ex vi iuris, verumetiam, ex vi conſuetudinis, ſint prohibita ſub mortali, oua, & lacticinia, in ieiunijs Quadrageſimæ?

R. *Tanquam certum: Etiam ex vi conſuetudinis eſſe prohibita ſub mortali.* pag. 129

4. An oua, & lacticinia, ſint etiam prohibita ex vi iuris, in ieiunijs extra quadrageſimam, ſub culpa mortali?

R. Probabilius: Non eſſe prohibita ex vi præceptiua iuris ſub culpa mortali, imo nec ſub veniali, bene tamen ex vi rationis à iure allata, ex congruentia, aut ex æquo. p. 130

5. An ſaltem, ex vi conſuetudinis, vbi viget, teneatur

DISPVTATIO. IV.

De vnico in die ieiunij Prandio : Necnon de Collatione serotina.

15. An

DISPVTATIO V.

De Rebus, quæ contrariantur vnicæ comestioni Ecclesiastici ieiuny.

34. An

Digitized by Google

34. An ieiunans poſſit, poſt quam ſumpſit prandium, aliò ire ad aliquid edendum?

R. *Vt certiſſimum: Poſſe, ſi è menſa in hunc finem ſurgat. Sicut etiam poteſt quis è menſa ſurgere ad aliquid emendum, & poſtea redire ad illud comedendum.* p.166

35. An ieiunans, qui ſurrexit à menſa, animo non redeundi, poſſit iterum, mutata intentione, ad comedendum redire, ſi adhuc prandium duret?

R. *Æquè probabiliter: Poſſe.* p.166

36. An præfatus poſſet iterum redire ad comedendum, adhuc caſu, quo prandium eſſet omnino completum?

R. *(Quidquid alij ſentiant) Poſſe iterum redire, ſi redeat, breue poſt tempus, ad comedendum ea, quæ prius appoſita erant in menſa: Secus verò ſi redeat ad nouum prandium edendum.* p.166

37. An ieiunans, qui plicato linteolo, propoſuit nil amplius comedere, poſſit, mutato propoſito, de ferculis nouiter appoſitis aliquid ſumere?

R. *Adhuc poſſe.* p.167

38. An frangatur ieiunium per odorem nidoris exhalantis ex carnibus, & aliis rebus odorem ſpirantibus?

R. *Vt quid certiſſimum: Non frangi.* p.167

39. An ex iuſta cauſa, liceat ſumere manè, aut horâ prandij collationem, dilato in noctem prandio?

R. *Tanquam certum: Licere.* p.167

40. An etiam, ſine cauſa, liceat ſumere collationem manè, aut horâ prandij, dilato in noctem prandio?

R. *Tanquam certum: Sine cauſa non licere: quia ad minus id erit veniale.* p.167

41. An non ſolùm ſit veniale, verumetiam mortale, prædictam commutationem, ſine cauſa facere?

R. *Probabilius: Solùm eſſe veniale.* p.167

DISPVTATIO VI.

De Hora, qua ſumenda eſt refectio in die Ieiunij, & qua Ieiunium incipit.

Q. 1. AN in diebus ieiunij ſit differenda refectio quouſque corpus inediam ſentiat?

R. *Vt certiſſimum: Quòd non.* p.168

2. An antiquitus, hora nona, fuerit hora comedendi, in ieiunus extra Quadrageſimam?

R. *Vt quid certiſſimum: Fuiſſe horam nonam.* p.168

3. An etiam, in ieiuniis Quadrageſimæ, hora nona fuerit olim, hora ſumendi refectionem?

R. *Probabilius: Non fuiſſe horam nonam; ſed veſperarum.* p.168

4. An nunc hora ſumendi refectionem in omnibus ieiuniis Eccleſiæ, ſit hora ſexta, ſeu meridiana?

R. *Affirmatiuè.* p.168

5. An hora ſexta, ſeu meridiei, aut duodecima, quæ eſt hora taxata ad prandendum in ieiunij diebus, ſit more mathematico ſeruanda?

R. *Quòd non: Sed morali, & groſſo modo.* p.168

6. An Hora meridiana taxata ad prandendum computari etiam poſſit, ſecundùm horologium ſolare?

R. *Computari poſſe: Imo ſatius eſſe.* p.169

7. An vbi eſt conſuetudo ſumendi prandium, vna, aut duabus horis ante meridiē, licitè poſſit obſeruari?

R. *Licitè poſſe obſeruari: Etiam à Religioſis.* p.169

8. An qui ſine cauſa, notabiliter anticipat horam comedendi in die ieiunij, violet ieiunium?

R. *Æquè probabiliter: Non violare; quamuis peccet venialiter.* p.169

9. An qui abſque iuſta cauſa, præuenit notabiliter horam prandendi, teneatur implere ieiunium?

R. *Teneri.* p.170

10. An in ieiunus, extra Quadrageſimam, liceat ſumere prādium, antequam officium Nonæ dicatur?

R. *Vt quid certiſſimum; Licere.* p.170

11. An etiam in ieiuniis Quadrageſimæ liceat cuilibet comedere, antequam veſperæ dicantur?

R. *Vt quid certiſſimum (quidquid alij dicant) Licere* pag.170

12. An ieiunantes, poſſint per vnam integram horam, ante meridiem, prandere, abſque vllo peccato?

R. *Probabilius (quidquid alij dicant) Poſſe.* p.170

13. An etiam ieiunantes poſſint ſine vlla culpa, prandere, ante horam præfixam, ſiue à Doctoribus, ſiue à conſuetudine?

R. *Probabilius longè: Poſſe prandere, etiam abſque veniali.* p.171

14. An licitè poſſint ieiunantes, anticipare prædictam horam comeſtionis præfixam à conſuetudine, vel doctoribus, per horam circiter?

R. *(Quidquid alij ſentiant) Non poſſe licitè anticipare per vnam horam, ſi hora præfixa comeſtionis, eſt decima hora, ante meridiem; ſecus ſi præfixa eſt, hora vndecima, hoc eſt, vna hora ante meridiem.* p.172

15. An ex iuſta cauſa, poſſit, abſque vllo prorſus peccato, anticipari notabiliter hora præfixa ad comedendum?

R. *Poſſe: Vnde ob legendum in menſa, vel in ſcholis; ob concionandum poſt meridiem; ob iter faciendum; ob aduentum hoſpitis; & ob alias ſimiles cauſas, licitè poteſt prandium anticipari. Sicuti etiam poteſt anticipari ab officialibus Regularium; à Procuratoribus, Aduocatis, Relatoribus, & Iudicibus, & ab illis, qui ſtatim poſt meridiem tractaturi ſunt negotia grauia; aut loqui cum Papa, Rege, aut alio magno Principe, & tandem ab illis, qui valde manè ſurgunt, & c.p.172*

16. An Religioſi, qui habent priuilegium anticipandi prandium per horam, poſſint adhuc per aliud breue tempus, anticipare ſupra dictam horam?

R. *Poſſe.* p.172

17. An priuilegium conceſſum Religioſis comedendi, vna horâ ante tempus præſcriptum, habeat locum, vbi eſt conſuetudo comedendi, vna, aut duabus horis, ante meridiem?

R. *Non habere locum in omni caſu.* p.172

18. An in prædicto caſu, poſſint Religioſi, adhuc licitè præuenire prandium per anticipationem non notabilem?

R. *(Quidquid dicant alij) Poſſe quidem præuenire per aliquod valde breue tempus, nempe per dimidium quadrantis; non per longius, abſque culpa veniali, tempus.* p.173

19. An Religioſi, qui non ſurgunt de nocte ad matutinas preces, vti poſſint priuilegio anticipandi per vnam horam prandium?

R. *Poſſe: Etiamſi conceſſum fuerit priuilegium intuitu laborum ſurgentium Regularium.* p.173

20. An qui ex priuilegio poteſt notabiliter in ieiuniis anticipare prandium, teneatur adhuc ieiunare?

R. *Vt quid certiſſimum: Teneri.* p.173

21. An hora prandij in ieiuniis, poſſit regulari iuxta horologium primò pulſans?

R. *Poſſe: Dummodo moraliter concordet cum tempore.* pag.173

22. An qui in die ieiunij dubitat, an ſit hora prandendi, poſſit prandere abſque peccato?

R. *Non poſſe abſque veniali, caſu, quo ita dubitaret, vt verè hora debita prandij poſſet notabiliter diſtare: Secus verè ſi probabiliter cognoſceret, quòd parum temporis diſtare poſſet.* p.173

23. An licitum ſit differre ſine cauſa, prandium in die ieiunij, vſque ad noctem?

R. *Licitum eſſe: Dummodo id non fiat ex ſuperſtitione.* pag.173

24. An ſit præfixum, & determinatum tempus, quod quis

DISPVTATIO VII.

De diebus, quibus, tam ex iure, quàm ex consuetudine, est ieiunium seruandum.

DISPVTATIO VIII.

De personis quæ ad ieiunij præceptum tenentur.

R. *Tan*

Digitized by Google

65. An Baiuli (hispanè *Ganapanes*) eximantur à ieiunio, casu, quo tota die, continuò, aut interpolatè laborent?

R. *Eximi, Imo, idem dicendum, casu, quo dicti Baiulò otiosi expectent occasiones laborandi, etiamsi pro illo die non occurrat occasio laborandi.* p.198

66. An Sutores teneantur ieiunij legibus?

R. *Probabilius: Non teneri.* p.199

67. An saltem, ad ieiunium teneantur Sutores, qui calceos ex materia molli conficiunt?

R. Probabilius: *Adhuc non teneri.* p.199

68. An ad minus incidentes calceos, teneantur ieiunare?

R. *Teneri, si partem tantùm diei in dicto exercitio consumant: Non verò, si integrum diem.* p.199

69. An Sartores ad ieiunij legem teneantur?

R. Probabiliter: *Non teneri, casu, quo tota die, vt solent, suo incumbant labori: secus aliàs.* p.199

70. An Barbitonsores, ad præceptum ieiunij teneantur?

R. Probabiliter: *Non teneri, dummodo per totum diem, suam exerceant artem: Secus aliàs.* p.200

71. An Pictores ad legem ieiunij teneantur?

R. *Æquè probabiliter: Non teneri, si per totum diem sua officia exerceant: Secus verò si per aliquam partem.* p.200

72. An etiam Sculptores à ieiunio eximantur, casu, quo per totum diem, suis exercitiis vacent?

R. *Æquè probabiliter: Etiã eximi, & à fortiori.* p.200

73. An Argentarij, qui supellectilem argenteam, aut auream fabricant, eximantur à ieiunio?

R. T*anquam certum: Eximi.* p.200

74. An Textores panni lanei vel linei, teneantur ieiunare?

R. *Non teneri.* p.200

75. An ad minus, Textores vittæ sericæ, aut alterius generis, teneantur ad ieiunium?

R. Probabiliter: *Nec hos teneri, si per totam diem, & partem noctis laborent.* p.201

76. An Pistores; seu Fornarij, qui in conficiendo, & coquendo panem laborant, teneantur ieiunare?

R. *Non teneri; etiam casu, quo, solùm per magnam partem diei laborent.* p.201

77. An Coqui qui pro pluribus personis habent parare fercula, teneantur ad ieiunium?

R. *Non teneri; si saltem per maiorem partem diei in hoc exercitio insumant, & tractent cacabos, & ollas magnas: Secus, si pro paucis personis ministrent cibos: & solam partẽ diei in hoc ministerio insumant.* p.201

78. An Coqui Religiosorum, teneantur ad ieiunia Ecclesiæ, saltem, si parent fercula, licèt pauca, pro multis?

R. *Teneri, si pauca fercula etiam pro multis præparent: Secus verò, si plura pro multis.* p.210

79. An Molitores, qui, saltem per maiorem partem diei, portant, & imponunt triticum molendino, colligunt farinam, &c. teneantur ieiunare?

R. *Non teneri. Secus verò, dicendum de Molitore qui per minorem partem diei id efficeret.* p.201

80. An qui pedestres circumeunt ciuitatem vendendo merces, teneantur ad ieiunium?

R. *Non teneri si per totum diem circumeant ciuitatem: Secus verò, si per minorẽ partem diei circuirent.* p.205

81. An Mulieres, quæ post lexiuium lauant lineam supellectilem, seu pannos (hispanè, *hazen labugada*) teneantur ad ieiunium?

R. *Non teneri, si per maiorem partem diei huic incumbant exercitio, si id faciant in hyeme.* p.202

82. An saltem, Mulieres complicantes dictam supellectilem lineam, ad ieiunium teneantur?

R. *Vt certissimum (quidquid sentiant alij) Teneri.* pag. 202

83. An famuli, & ancillæ, exercentes officia valde laboriosa teneantur ieiunare?

R. *Non teneri.* p.202

84. An exercitia inseruiendi stabulis; hauriẽdi aquam è puteo; & huc, illud discurrendi ob domestica seruitia, excusent famulum, & Ancillam à ieiunio?

R. *Excusare famulum vel ancillam exhibentem omnia dicta ministeria: Secus verò si aliquod tantùm.* p.202

85. An famuli comitantes rhedas Dominorum, eximantur à ieiunio?

R. *Eximi, casu, quo per totum, diem aut per maiorem partem. Dominos per ciuitatem comitentur: Secus si per aliquas horas tãtùm, vt communiter solent.* p.202

86. An etiam eximantur à ieiunio famuli, quando, vt inseruiant Dominis, coguntur valde differre prandium?

R. *Etiam eximi. Quamuis exhortari debeant, vt ieiunent meliori modo, quo possint, sumendo quid cibi manè.* p.203

87. An Typographi tractantes torcular, & prælum sint immunes à ieiunio?

R. *Esse immunes.* p.203

88. An etiam Compositores characterum in ordine ad impressionem, sint exempti à lege ieiunij?

R. Probabiliter: *Adhuc esse exemptos, si per totum diem componant.* p.203

89. An Nautæ remigantes, eximantur à ieiunio?

R. *Eximi: Adhuc quòd per plures dies à remigando cessent.* p. 203

90. An Nautæ regentes, & tractantes vela, etiam à ieiunio eximantur?

R. *Etiam eximi; Etiamsi non occupentur continuò in dictis exercitiis.* p.203

91. An Milites, exempti sint à ieiunio?

R. *Esse exemptos, si degant in castris; aut iter agant, aut exerceantur in arte militari, &c.* p.203

92. An Ornantes templa, teneantur ad ieiunium?

R. *Non teneri; si saltem per maiorem partem diei in hoc exercitio detineantur.* p.203

93. An iter pedestre facientes, excusentur à ieiunio?

R. *Excusari.* p.203

94. An iter pedestre vnius diei, sufficiat ad excusandum à ieiunio illius diei?

R. *Vt quid certissimum: Sufficere.* p.204

95. An iter pedestre septem milliarium sufficiat ad tollendam obligationem ieiunandi?

R. *Non sufficere; sed requiri iter nouem milliarium siu trium leucarum.* p.204

96. An adhuc breuius iter pedestre, possit in aliquo casu tollere obligationem ieiunandi?

R. Posse; *& in multis casibus.* p.204

97. An Muliones, & Agasones, qui pedestres ducunt, aut comitantur bestias, aut currus, sint etiam liberi à ieiunio?

R. *Esse liberos; casu, quo conficiant trium leucarum iter, &c.* p.204

98. An si iter pedestre sit merè voluntarium, tollat nunc obligationem ieiunij?

R. *Æquè probabiliter: Adhuc tollere.* p.104

99. An cursores, qui per totum diem currunt, (Hispanè; *que todo el dia corren la posta*) teneantur ieiunare?

R. *Non teneri.* p.205

100. An saltem Cursores, qui vnicum tantum cursum conficiunt: Hispanè, *los postillones, qui corren vna posta*, teneantur ieiunare?

R. Probabiliter: *Adhuc non teneri.* p. 203

101. An iter facientes equis; teneantur ad ieiunium?

R. *Probabiliter (quidquid alij sentiant) Non teneri, casu, quo iter sit plurium dierum; aut satis longum, etiamsi non sit plurium, sed solùm vnius diei.* pag. 205

DISPVTATIO IX.

De peccatis contra præceptum ieiunij.

DISPVTATIO X.

De Dispensatione in Ecclesiastico ieiunio.

Digitized by Google

16. An

16. An si ipsemet parochianus suas segetes, vineas &c. comburat, teneatur pro Decimis consumptis satisfacere Ecclesiæ?

R. *Probabilius: Teneri.* *p.243*

17. An qui, collectis iam fructibus, & positis in eo statu, in quo tenetur statim Decimam Ecclesiæ tribuere, illam non soluit, & interim fructus pereunt, teneatur Decimam persoluere?

R. *Vt longè probabilius: Teneri.* *p.243*

18. An etiam ille, qui in colligendis fructibus valdè negligens fuit, aut omnino noluit eos colligere, & ideo perierunt, teneatur decimam peremptam restituere?

R. *Probabilius*: Teneri. *p.243*

19. An qui non habuit sui prædij fructus, quia vel noluit seminare, vel vineam, aut oliueta, &c. colere, teneatur ad decimas soluendas?

R. *Vt longè probabiliùs: Non teneri.* *p.244*

20. An teneatur ad restitutionem decimarum (quibus priuat Ecclesiam) qui agros, & vineas in domos conuertit; præcipuè si id faciat malitiosè ob non soluendam decimam?

R. *Non teneri.* *p.244*

21. An Parochus possit propria authoritate accipere Decimas à suis Parochianis, iniustè illas detinentibus?

R. *Non posse.* *p.244*

22. An Parochus possit nolentibus soluere decimas, Sacramenta, propria authoritate denegare?

R. *Non posse, nisi aliàs peccatum sit notorium, & publicè per sententiam declaratum.* *p.244*

23. An Redecima (hoc est duplex decima) de vna, & eadem re, siue de vno aceruo, solui debeat?

R. *Non debere, nisi alias sit consuetudo.* *p.244*

24. An ius exigendi Decimas sit spirituale?

R. *Esse.* *p.244*

25. An Decima petenda sit coram Iudice Ecclesiastico: an vero coram Ciuili?

R. *Quòd coram Ecclesiastico.* *p.245*

26. An saltem possit quis petere decimas coram Tribunali Principis sæcularis, si illud ex Iudicibus Ecclesiasticis, simul, & sæcularibus constet?

R. Non *posse: Nisi aliàs Iudices Ecclesiastici à Romano Pontifice sint assignati.* *p.245*

27. An ad minus, possint iudices sæculares cognoscere de causa decimarum, quando Decimæ in feudum sunt datæ laicis, etiam Principibus, Rom. Ponsfificis concessu?

R. *Probabiliùs longè: Adhuc non posse, nisi aliàs id expresso priuilegio dictis Laicis concedat Pontifex.* *p.245*

28. An casu quo decimæ, authoritate Papæ, in Principes Laïcos, contractu permutationis translatæ fuerint; possit tunc causa de Decima, quæ Principi debetur, coram sæculari Tribunali cognosci?

R. *Posse.* *p.245*

29. An Decimarum causa, quando quæstio, aut lis, est iuris, non facti, ad iudices Ecclesiasticos pertineat?

R. T*anquam certum*: *Pertinere.* *p.246*

30. An adhuc quando lis super decimas est, vt si quæratur: *Solueritne Paulus decimam debitam, an non? Debeatne soluere ille, an alius, &c.* Tunc etiam debeat tractari coram Iudice Ecclesiastico?

R. *Probabiliùs: Etiam deberi coram Iudice Ecclesiastico tractari.* *p.246*

31. An quando Clerici decimas petunt à Laicis, qui præscriptione, vel consuetudine immemorabili illas nunquam soliti sunt persoluere, fas sit Laïcis eam causam coram ciuili Iudice agere, & authoritate illius contra Clericos se defendere?

R. *Probabiliùs: Non esse licitum.* *p.246*

32. An Laïcus conductor Decimarum, conueniri debeat coram Iudice Ecclesiastico, quando pretium conductæ, seu locatæ Decimæ, soluere non vult?

R. Probabilius: Quod sic. *p.247*

33. An causa, seu lis, super possessionem Decimarum, solùm coram Iudice Ecclesiastico tractari debeat?

R. T*anquam certissimum: Quod sic.* *p.247*

34. An causa seu lis, de fructibus solutis Decimarum, agi possit coram Iudice sæculari, & ciuili?

R. Vt quid certum: Posse. *p.248*

35. An qui decimas non soluunt, sint ipso iure excommunicati?

R. T*anquam certum: Non esse ipso iure excommunicatos; sed excommunicandos.* *p.248*

36. An antequam is, qui non soluit Decimas excommunicetur præmitti debeat admonitio?

R. T*anquam certum. Quod sic.* *p.248*

37. An remissio decimæ facta ad eo, cui debetur, sufficiat vt quis ad excommunicatione liberetur, & vt ab illa possit absolui?

R. Sufficere. *p.248*

38. An qui suâ culpâ non soluit Decimas; sed tamen, quando ad confessionem accedit; est impotens ad restituendum; possit ad excommunicatione incursa absolui?

R. *Tanquam certum:* Posse. *p.248*

39. An sufficiat dare aliquid pro Decima, vt quis ab excommunicatione sit immunis?

R. Vt quid verissimum: Non sufficere. Quia omnino debet dare integram decimam. *p.249*

40. An qui non soluit, aut restituit Decimas, debeat etiam Ecclesiastica sepultura priuari?

R. *Quod sic.* *p.249*

41. An excommunicentur Religiosi, qui decimas, ad ipsos non pertinentes, modo aliquo occupant, & vsurpant?

R. *Affirmatiuè.* *p.249*

DISPVTATIO III.

De Decimis personalibus, & de quibus rebus sint Ecclesiæ soluendæ. *pag 249*

Q. 1. AN de iure Canonico soluenda sit Ecclesiæ omnis decima Personalis, videlicet, Prædialis, & Mixta?

R. T*anquam certum: Quod sic.* *p.249*

2. Cur in lege veteri, solùm Prædiales, & mixtæ soluebantur Decimæ, nunc vero in lege gratiæ, etiam personales?

R. Quia in lege veteri, omnes habebant prædia ex quibus Decimas possent soluere, & ideo non fuit necessum ab eis decimas personales exigere: In lege verò gratia, non sic cùm multæ sint familiæ, & Vrbes, quæ prædiis carent, & ideo necessum fuit illis decimas personales imperare. *p.249*

3. An decimæ personales soluendæ sint, attento iure communi ex omnibus lucris iustè acquisitis?

R. *Tanquam certum: Quòd sic.* *p.250*

4. An vi iuris Canonici debeatur Decima de bonis immobilibus, quæ per donationem, vel per testamentum, vel hæreditariam successionem comparantur?

R. *Longè probabiliùs: Non deberi ex vi iuris Canonici.* *pag.250*

5. An saltem ex fructibus huiusmodi immobilium bonorum, per donationem legationem, &c. acquisitorum, debeantur decimæ?

R. T*anquam certum: Deberi.* *p.250*

6. An ad minus debeantur decima, ex vi iuris communis, de bonis mobilibus; nempe, vasis aureis, vel argenteis; vestibus, & similibus, quæ, per dona-

---

DISPVTATIO IV.

De Decimis Prædialibus, & de quibus rebus solui debeant? *pag.* 255

R. *Etiam*

R. *Etiam; Deberi.* p.258

26. An saltem ex consuetudine introducta, & præscripta, iam non debeat quis decimare de fœno, herbis, & oleo?

R. *Non deberi, vbi consuetudo non decimandi de his rebus præscripsit: Aliàs, maximè.* p.258

27. An de lignis nemorum, ex iure sit danda Decima.

R. *Esse dandam. p.258. vbi Quomodo.*

28. An ex Lino & Canape, danda sit decima ex iure?

R. *Dandam esse.* p.258

29. An si eadem terra plures fructus in eodem anno ferat, sit, ex iure, de omnibus decima soluenda?

R. *Quòd sit.* p.259

30. An de Aurifodinis, Argentifodinis, Lapidicinis & aliorum metallorum fodinis, sint soluendæ Decimæ ex rigore iuris?

R. *Esse soluendas, si ex illis lucrum prouenit: Aliàs non.* p. 259

31. An ex rigore iuris soluenda sit decima ex prouentibus Molendinorum, siue sint de aqua, siue de vento?

R. *Quòd sit.* p.259

32. An etiam, ex rigore iuris, soluenda sit decima ex prouentibus Molendinorum, quæ tractu hominum, mouentur, vt Athaone?

R. *Etiam esse soluendam.* p. 259

23. An ex iure soluenda sit decima, ex pensionibus domorum, quæ locantur; & ex prouentibus, qui ex Clibanis, siue Furnis, proueniunt?

R. *Quod sit.* p.259

24. An ex vi iuris, ex Sacchararo debeatur Decima?

R. *Affirmatiuè. p.260. An in Sacchararo iam confecto solui debeat.* *ibidem.*

25. An Decimæ, ex fructibus, & Prouentibus Molendinorum, Domorum, & Furnorum, soluendæ sint, absque deductione expensarum, quæ factæ sunt in reficiendis Molendinis, Domibus, & Furnis?

R. *Esse soluendas absque deductione expensarū.* p.260

26. An Decimæ ex fructibus prædiorum, soluendæ sint, absque aliqua impensarum deductione?

R. *Tanquam certum: Quod sint.* p.260

27. An saltem, ante decimationem tritici, hordei & aliorum fructuum similium, detrahendum sit semen, quod terræ mandatum fuit?

R. *Tanquam certum: Minimè detrahendum esse prius semen.* p. 260

28. An saltem in casu, quo non plures fructus nascantur, quàm fuerit quantitas seminis, possit tunc licitè extrahi, ante decimationem fructuum, semen?

R. *Tanquam certum: Quòd non.* p.261

29. An Decimæ soluendæ sint, priusquam ex fructibus deducantur tributa, & census, aut alia vlla debita?

R. *Tanquam certum: Quòd sic.* p.261

30. An Colonus partiarius, seu mediarius, dedeat soluere Decimas, ante deductionem expensarum?

R. *Affirmatiuè.* p. 261

31. An possit consuetudine introduci, vt ante decimationem fructuum, deducatur semen terræ mandatum, & aliæ expensæ?

R. *Vt quid verissimum: Posse.* p. 262

32. An sit licita consuetudo, in toto ferè orbe Christiano introducta, qua agricolæ eleemosynam ex cumulo tritici, ante decimationem elargiuntur?

R. *Esse licitam: Imo, & laudabilem.* p. 262

33. An Decimæ prædiales soluendæ sint statim, ac collecti sunt fructus?

R. *Quòd sic, ex iure: Licèt possit introduci consuetudo, vt non soluantur statim.* p.262

34. An sufficiat decimare fructus statim ac sunt percepti, etiamsi non sint perfectè collecti?

R. *Sufficere.* p.262

35. An peccent mortaliter, qui consuetas decimas tardiùs quàm par est, persoluunt?

R. *Peccare.* p.262

36. An etiam peccet mortaliter, qui ex tritico, vino, & aliis fructibus, decimæ partem peiorem?

R. *Tanquam certum: Etiam peccare mort. si id faciat in quantitate notabili.* p.262

37. An teneatur quis soluere decimas, quoad vsque à Parocho petantur?

R. *Tanquam certum: Teneri, ex vi iuris.* p.263

38. An Parochiani teneantur ex vi iuris communis, decimas tritici, hordei, & aliorum fructuum, in horrea Clericorum deferre?

R. *Non teneri ex vi iuris communi: Teneri tamen ex vi consuetudinis, si alicubi vigeat.* p.264

39. An Parochiani possint mittere in sua horrea fructus indecimatos, sine scientia, & consensu Parochorum.

R. *Non posse, ex vi iuris.* p.264

40. An possit Parochus ad excludendas fraudes, apponere custodes; aut prohibere, ne fructus ex area, aut agro recondantur, nisi soluta prius decima: vel quòd ipse, aut eius nuntius sit præsens?

R. *Posse apponere Custodes: Non verò prohibere suos Parochianos, ne fructus ex area recondant, nisi soluta priùs decima, &c.* p.264

DISPVTATIO V.

De Decimis Mixtis, & de quibus rebus soluendæ sint. p.266

Q. 1. An de fœtibus Ouium, & Boum, & Caprarum, soluenda sit, ex iure, decima?

R. *Tanquam certum: Esse soluendam.* p.266

2. An etiam be pullis Camelorum, Equorum, & Asinorum sit ex iure, danda decima?

R. *Tanquam certum: Esse, de illis, & de omnibus aliis animalibus mansuetis, dandam decimam.* p.266

3. An item, de fœtibus Porcorum, ex iure debeatur decima?

R. *Tanquam certissimum: Etiam deberi.* p.266

4. An de lana pecorum, danda sit ex iure decima?

R. *Tanquam certum: Quod sic.* p.266

5. An de lacte, & caseo, ex iure, sit danda Decima?

R. *Vt quid verissimum: Esse dandam.* p.266

6. An ex iure, sit danda decima de Adipe, vel Sepo, vnde candelæ fiunt?

R. *Vt quid verissimum: Quod non.* p.267

7. An ex iure, etiam ex animalibus domesticis, vt ex gallinis, aut anseribus; pulli, & oua debeantur decimæ?

R. *Deberi.* p.267

8. An de Melle, & Cera, ex iure, debeatur decima?

R. *Deberi ex iure.* p.267

9. An etiam, ex ipsismet Apibus, decima sit danda?

R. *Probabiliùs: Quòd non* p.267

10. An de pellibus ouium, boum, & aliorum pecudum, sit danda decima?

R. *Probabiliùs: Quòd non.* p.268

11. An Fœnium, aut filiorum animalium decima, soluenda sit statim post partum?

R. *Vt quid verissimum: Quod non sint decimandi tales fœtus, quoad vsque sine matre viuere commodè possint.* p.268

12. Quomodo solui debent de fœtibus animalium decimæ?

DISPVTATIO VI.

R.Tan

Digitized by Google

R. *Tanquam certum: Nec ex vi iuris, nec ex vi consuetudinis, teneri.* p.276

21. An saltem teneantur Clerici soluere decimas ex fructibus prædiorum, & aliarum possessionum quæ seculari iure, ac titulo; putà hæreditario, emptionis, donationis, vel alio quouis titulo, compararunt?

R. *Tanquam certum*: *Teneri*: p.277

22. An si huiusmodi prædia, ac possessiones, titulo sæculari à Clericis possessa sint sita intra territorium Ecclesiæ, cui inseruiunt, teneantur tunc Clerici ex dictis prædiis ac bonis soluere decimas?

R. *Probabilius longè: Etiam tunc teneri.* p.277

23. An Clericus teneatur soluere decimas de fructibus prædij, possessionis, aut terræ, ad cuius titulum fuit ordinatus?

R. *Longè probabilius: Teneri.* p.277

24. An clerici simplices teneantur ex vi iuris communis, ad decimas personales?

R. *Teneri ad soluendas decimas personales de actione lucratiua corporali: Non de spirituali.* p.278

25. An Pauperes, communi, ac tolerabili paupertate laborantes, teneantur ad soluendas decimas?

R. *Tanquam certum: Teneri.* p.278

26. An saltem, pauperes, qui extrema, vel quasi extrema necessitate laborant, à solutione decimarum eximantur?

R. *Tanquam certum: Eximi.* p.278

27. An pauperes, qui ob extremam, vel quasi extremam necessitatem, quam habebant, decimas Ecclesiæ non præstiterunt: teneantur postea si ad pinguiorem fortunam deuenerint, illas reddere, ac restituere?

R. *Probabilius: Non teneri.* p.278

28. An non solùm pauperes, qui sunt in extrema, vel quasi extrema necessitate; sed etiam illi, qui sunt in graui necessitate, hoc est, qui non habent necessaria ad suam, & suorum congruam sustentationem, eximantur à solutione decimarum?

R. *Tanquam æquè probabile: Eximi.* p.279

29. An in prædicto casu, in quo huiusmodi pauperes, propter grauem inopiam, & necessitatem non soluunt decimas: Teneantur, si ad meliorem fortunam deueniant, integrè illas reddere, & restituere?

R. *Tanquam omnino certum: Teneri.* p.279

30. An Religiosi, & Clerici in communi viuentes, ex antiquissimo iure, exempti fuerint à decimis illorum prædiorum, ac terrarum, quas ipsimet ad sui sustentationem colebant?

R. *Fuisse exemptos.* p.279

31. An ex iure moderniori, teneantur iam prædicti Monachi, aut Clerici in communi viuentes, soluere decimas de prædiis, etiam illis, quæ propriis manibus, aut expensis colunt?

R. *Teneri, de propriis terris, post Concilium Lateranense, acquisitis.* p.280

32. An Regulares, per priuilegium iure scriptum, in cap. Ex parte 1. de decimis, eximantur nunc post Concilium Lateranense, à solutione decimarum, de animalibus, quæ ipsi nutriunt?

R. *Eximi.* p.280

33. An Summ. Pontifex possit eximere aliquos à solutione omnium decimarum?

R. *Tanquam certum: Posse.* p.280

34. An Religiosi virtute suorum priuilegiorum, hunc de facto sint exempti à solutione decimarum prædiorum suorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt?

R. *Esse exemptos.* p.281

35. An item Religiosi, virtute suorum priuilegiorum, sint exempti à solutione decimarum, de omnibus prædiis, & possessionibus, etiam ab aliis conductis?

R. *Esse exemptos Fratres de Guadalupe; & alios, qui hanc exemptionem obtinuerunt.* p.281

36. An item Religiosi, virtute suorum priuilegiorum, sint nunc omnino exempti à solutione omnium decimarum, prædiorum, terrarum, possessionum, hortorum, etiamsi aliàs, essent debitæ Papæ?

R. *Tanquam certum: Esse exemptos quamplurimos Religiosos.* p.281

37. An saltem prædicti Religiosi, teneantur soluere decimas, de prædiis, terris, agris, aut possessionibus, quas aliis colendas tradunt?

R. *Non teneri.* p.282

38. An huiusmodi priuilegium exemptionis ab onere decimarum speciatim concessum fuerit olim terris, prædiis, ac possessionibus nostri Ordinis Sanctiss. Trinitatis?

R. *Quòd sic.* p.282

39. An etiam nouissimè concessum fuerit nobis dictum priuilegium non decimandi?

R. *Quòd sic.* p.283

40. An etiam omnes Moniales exemptæ omnino sint, à solutione decimarum, sicuti sunt Religiosi?

R. *Quòd sic.* p.283

41. An Pontifex possit etiam eximere populum aliquem à solutione decimarum?

R. *Posse: dummodo ex aliis bonis Clericis, & Parocho sit prouisum.* p.284

42. An in priuilegiis eximentibus à decimarum solutione, sit simpliciter necessaria expressa derogatio cap. Nuper. de Decimis?

R. *Quòd sic.* p.284

43. An quando Papa communicat priuilegia alicuius Religionis in quibus extat expressè exemptio à solutione decimarum, alteri Religioni: Censeatur etiam communicasse exemptionem à solutione decimarum, si de hac exemptione non fiat specialis mentio?

R. *Non censeri communicasse exemptionem decimarum, si Pontifex communicauit priuilegia, per clausulas generales, & communes: bene tamen si id fecit, per clausulas specificas, & particulares.* p.284

44. An priuilegium concessum de nō soluendis decimis ex propriis prædiis, extendatur ad noualia, quæ post concessum priuilegium, orta, & culta fuerint?

R. *Probabilius: Extendi.* p.285

45. An etiam dictum priuilegium Regularium, de non soluendis decimis ex prædiis propriis; extendatur ad prædia, quæ de nouo acquirūt, de quibus ante acquisitionem, decimæ Ecclesiæ soluebantur?

R. *Longè multò probabilius: Extendi.* p.285

46. An huiusmodi priuilegium Regularium, de non soluendis decimis, extendatur ad prædia conducta, quæ ipsi Religiosi, suis manibus, vel sumptibus, colunt?

R. *Extendi ad dicta prædia, priuilegia, quæ Religiosi extra corpus iuris habent: Non priuilegium in iure communi insertum.* p.286

47. An dictum priuilegium Religiosis concessum, de non soluendis decimis, extendatur ad hortos, quos colunt, & olera vendunt?

R. *Extendi ad illos, priuilegia, quæ Religiosis habent concessa, & non sunt in corpore iuris: Secus illa, quæ habent incerta in dicto corpore iuris.* p.286

48. An huiusmodi priuilegia non soluendi decimas, amittantur, casu quo incipiant esse enormiter læsiua Ecclesiæ, vel personæ, ad quas, secluso priuilegio, tales decimæ pertinerent?

R. *Tanquam certum: Amitti.* p.287

49. An in dicto casu, quo priuilegium cedat in enormem læsionem Ecclesiæ, amittant illud dicti Religiosi, ipso iure, an verò sit necessaria declaratio Superioris?

R. *Amit.*

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

De vi, & efficacia, quam consuetudo, præscriptio, compositio, & transactio, in decimas habeant. pag.288.

decimæ

decimæ vni Curato debitæ, alteri in posterum soluantur?

R. *Vt certum: Valere, si causa cognitio, & consensus Superioris interueniat.* p.297

29. An vt validæ sint hæ compositiones factæ inter personas Ecclesiasticas; vt scilicet, *vel de rebus minutis nulla soluatur decima: Vel, vt non soluatur integra decima de vino, oleo, frumento, &c. Sed loco decimæ soluatur vigesima, aut trigesima*, requiratur consensus, & approbatio Papæ?

R. *Vt certum: Non requiri: Sed sufficere consensum Episcopi.* p.297

30. An vt prædicta compositio inter personas Ecclesiasticas sit valida, sufficiat, etiam consensus Vicarij generalis Episcopi, vel Archiepiscopi?

R. *Probabilius: Sufficere.* p.297

31. An sufficiat item ad valorem dictarum compositionum, quòd fiant cum solo consensu Parochi, & Abbatis, seu Prioris?

R. *Quod nullo modo sufficiat.* p.298

32. An saltem, si fiat compositio prædicta inter solos Parochos, absque consensu Episcopi, valeat si non in perpetuum, per vitam ad minus componentium?

R. *Valere per eorum vitam.* p.298

33. An Curatus, non solùm validè, sed etiam licitè, possit facere compositionem, tam cum Ecclesiasticis personis, quàm cum laïcis, absque consensu Episcopi, super decimis præteritis?

R. *Vt quid certissimum: Posse.* p.298

34. An compositio facta inter Curatum, & laïcos, de non soluenda aliqua, vel nulla decima, sit valida, si accedat consensus, & authoritas Papæ?

R. *Tanquam certum: Esse validam.* p.298

35. An vt præfata compositio facta inter curatum, & laïcos, de non soluenda aliqua decima, sit valida, etiam sufficiat consensus Episcopi, vel Archiepiscopi?

R. *Vt quid certum: Non sufficere: Sed requiri consensum Papæ.* p.298

36 An saltem, authoritate Episcopi, possit validè fieri compositio cum laïcis, super tempus, & locum, & personas, quibus soluendæ sint decimæ?

R. *Tanquam certum: Posse.* p.299

37. An valeat compositio facta de consensu Papæ; vt laïci nomine proprio, & per se, habeant ius percipiendi in perpetuum decimas alicuius Parochiæ?

R. *Vt quid certum: Non valere.* p.299

38. An qui compositione validè facta se iuuare velit teneatur illam seruare?

R. *Quod sic.* p.299

39. An transactio super decimas facta, valeat?

R. *Non valere facta super ipso iure accipiendi fructus decimarum: Bene tamen facta pro receptione ipsa fructuum.* ibid.

40. An valeat transactio super decimis præteritis, etiam facta sine consensu Episcopi?

R. *Valere.* p.300

41. An valeat contractus transactionis super decimis futuris inter personas Ecclesiasticas factus?

R. *Valere, & in perpetuum, si fiat cum Papa, vel Episcopi consensu: Pro vita verò solùm Rectoris, vel Curati si fiat sine consensu Papæ, vel Episcopi.* p.300

DISPVTATIO VIII.

De Ecclesiis, & personis, quibus decimæ soluendæ sint?

Q. 1. An ius percipiendi decimas, ad solos Clericos spectet?

R. *Vt quid certum; Ad ipsos solos spectare.* p.300

2. An nunc, de iure communi, solis Parochis soluendi sint decimæ fructus?

R. *Tanquam certum: Quòd sic.* p.300

3. An etiam Episcopis solui debeant ex iure, saltem in aliquibus casibus, decimæ?

R. *Vt quid certum: Quòd in multis.* p.300

4. An debeant solui decimæ Parochis, qui opibus, & rebus temporariis abundant?

R. *Vt quid certum: Quòd sic.* p.301

5. An decimæ dandæ sint malis Parochis, & Beneficiatis?

R. *Vt quid certissimum: Quòd sic.* p.301

6. An etiam debeant dari decimæ Parochis, si ipsi in malos vsus illas conuertant?

R. *Etiam debere dari.* p.301

7. An etiam Canonicis, & Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum, necnon, & aliis Clericis habentibus Beneficia, debeant dari decimæ?

R. *Vt certum: Quòd sic.* p.301

8. An item simplicibus Clericis, nullumque habentibus Ecclesiasticum Beneficium, debeantur decimæ?

R. *Vt quid certum: Quòd non.* p.302

9. An Religiosis debeant dari decimæ ex iure communi?

R. *Vt certum: Quòd non.* p.302

10. An saltem Religiosis habentibus aliquod Beneficium Parochiale; vel priuilegium recipiendi, ex aliquibus locis, decimas, debeant necessariò decimæ conferri, & dari?

R. *Vt quid certum: Debere.* p.302

11. An laïci possint habere ius ad decimas?

R. *Tanquam certum: Quòd non.* p.302

12. An saltem possint laïci fructus decimarum percipere?

R. *Posse.* p.302

13. An laïci possint per locationem ad breue tempus, acquirere ius secundarium percipiendi fructus decimarum?

R. *Vt quid certum: Posse.* p.302

14. An valida sit locatio decimarum, si fiat ad quinquennium, vel quadriennium?

R. *Quòd non.* p.302

15. An saltem valida sit locatio decimarum, si fiat ad sexennium, vel nouennium, cum hac clausula; vt finito triennio cēseatur noua, & distincta locatio?

R. *Quòd non sit valida.* p.303

16. Quibus pœnis, & malis subiiciantur homines non soluentes decimas?

R. *Quod permultis.* p.303

17. Quibus bonis, decimas diligenter soluentes remunerentur?

R. *Quod permultis quoque.* p.303

DISPVTATIO IX.

De Primitiarum solutione.

Q. 1. Quid nomine Primitiarum in præsentiarum veniat?

R. *Quod primi fructus agrorum, & arborum, qui Deo offeruntur.* p.303

2. An ante legem scriptam fuerit præceptum diuinum naturale soluendi Primitias?

R. *Tanquam certum: Quòd non.* p.304

3. An in lege veteri fuerit latum præceptum diuinum, de Primitiis Deo offerendis?

R. *Vt omnino certum: Quòd sic.* p.304

4. An non solùm de omni frumento, vino, oleo, &c. verumetiam, de omnibus arborum fructibus, debeantur Primitiæ in lege veteri?

R. *Vt certum ferè: Quòd sic.* p.304

5. An

DISPVTATIO. X.

De Oblationum obligatione.

DE

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

TRACTATVS PRIMVS DE OBSERVATIONE FESTORVM.

QVIA de primo Ecclesiæ præcepto, quod datur de audienda, in diebus festis, Missa, non potest perfectè, & adæquatè tractari; quin simul de præcepto obseruandi ipsa festa tractetur; ideò æquum iudicauimus in hoc primo tractatu, de hoc præcepto, quod est tertium Decalogi, sermonem instituere; & postea in secundo, de primo Ecclesiæ.

Tractant ergo de præcepto sanctificandi, & obseruandi festa, Theologi cum S. Thoma 2. 2. *q.*122. *art.* 4. & ibi Caietanus, & in *summ. verb. festorum violatio* Catechismus Romanus *de 3. præcepto Decalogi*. Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*1. Azor. *tom.*2. *institut. Moral. à c.*1. Fagundez, *de quinque præcept. Eccles. lib.* 1. *& in 3. præcept. Decalogi.* Ioan. Ægidius Trullench, *in 3. præcept. Decal. lib.* 3. Castr. Palao, *tom.* 2. *operum moral. tract.* 9. Thom. Sanchez, *lib.* 5. *consil. Moral. c.* 2. Bonacina, *de 3. præcept. Decal.* Summistæ, *verb. Festum, & verb Feria*, vbi Angel. Syluest. Armilla, & alij.

DISPVTATIO PRIMA.

De Pertinentibus ad præceptum, de sanctificandis Festis, in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

An, In lege veteri, latum fuerit præceptum de sanctificando Sabbato?

RESPONDEO, tanquam de fide certum, affirmatiuè. Constat enim ex Exod. 20. Deut. 5. Leuit. 16. 19. & 23. Vbi Deus Hebraïco populo de colendo Sabbato præceptum, per hæc verba, dedit: *Memento vt diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera: septima autem dies, Sabbatum Domini Dei tui est.* Sic omnes Doctores. D. Thom. 2. 2. *quæst.*122. *art.*4. Caiet. *ibi:* Catechismus Romanus *de 3. præcepto Decalogi pag. mihi* 467. Suar. *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*1. Azor *tom.*2. *instit. moral. c.*1. Fagund. *de quinque præceptis Ecclesiæ lib.*1. *initio*, Castro Palao *tom.*2. *tract.*9. *punct.*1. Trullench *in 3. præcept. Decalogi lib.*3. *cap.*1. *dub.*1. & alij.

QVÆSTIO II.

Quid hoc præcepto, quod est tertium Decalogi, præcipiebatur Hebræis?

RESpondeo: quòd externus quidam cultus Dei præcipitur, sub signo communis beneficij creationis mundi, à qua requieuisse dicitur Deus septima die, in cuius signum, diem hanc ab Hebræis custodiendam, & sanctificandam, & deputandam ad vacandum ipsi Deo Creatori, mandauit. Sic omnes Doctores citati, præcipuè D. Thom. *loc. cit. art.*4. (*non* 5. vt illum citant Azor, & Trullench.) *in corp.* Sic dicens: In tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus, sub signo communis beneficij, quod, pertinet ad homines; scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, à quo requieuisse dicitur Deus septima die, in cuius signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

An, Dictum præceptum, solùm fuerit cerimoniale?

RESpondeo: Non solùm fuisse cerimoniale, sed etiam morale, seu naturale. Vnde abrogato,& extincto, quoad cerimonias, manet immutabile,secundum hoc quod habet ex iure naturali. Sic D.Th. *art.4.cit.ad* 1. per hæc verba: Ad 4.dicendùm,quòd præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, est partim morale,partim autem cerimoniale. Morale quidem,quantùm ad hoc,quòd homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum diuinis.Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quòd cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus,sicut corporali refectioni, somno,& aliis huiusmodi.Vnde etiam spirituali refectioni,qua mens hominis in Deo reficitur,secundùm dictamen naturalis rationis,aliquod tempus deputat homo:& sic habere aliquod tempus deputatum ad vocandum diuinis, cadit sub præcepto morali: sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi,sic est præceptum cerimoniale. Sic D.Thom. & ex illo Suar. *tom.*1. *Relig. lib.*2 *c.*1. *n.*2. Azor *tom.*2.*lib* 1.*c.*1.(non 2. vt inuenies apud Palao) *q.*2.Fagund.*in quinq. præcept.Eccles.lib.*1.*c.*1.*n.*1.*&* 3. Palao *tract.*9.*punct.*1.*n.*1. Sanchez *in consil.lib.*5.*c.*2. *dub.*1. *n.*2. Bonac. *disp.*5. *circa* 3.*præcept. Decalogi. punct.*1.Trullench *lib.*3.*in Decalog. c.*1. *dub.*1. *n.*1.& alij communiter apud ipsos.

QVÆSTIO IV.

An Præceptum de obseruatione Sabbati obligauerit homines,qui,ante legem Moysi datam, sub lege naturæ vixerunt?

AFfirmarunt Nonnulli,quos,suppressis nominibus, refert Eusebius *lib.*13. *de præparat. c.*7. & sequitur Catherinus *in c.*2. *Genes.* ex eo quòd ibi dicatur: *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum.* Et expressè,contra Angelum, docet Corduba *lib.*1.*quæstio.q.*5.*dub.*8.

Sed probabiliùs Respondeo:Non obligasse.Quia, vt constat, ante datam legem Moysi,nulla erat Sabbatorum obseruatio; etiam apud pios,& Deum colentes Hebræos; sed aliis modis ipsum colebant: signum ergo est,quòd ante legem Moysis præceptum de obseruatione Sabbati non obligabat homines, sicut cætera præcepta Decalogi obligabant. Sic Tertullianus,Eusebius, Damasc. Ireneus,quos referunt, & sequuntur Azor *tom.*2. *lib.*1. *c.*1. *q.*3. Suar. *loc. cit. n.*3. Fagundez *loc. cit. n.*3. *&* 4. & docet expressè Catechism. Rom. *super tertio Decalogi præcepto pag. mihi* 469. *n.*4.

QVÆSTIO V.

An,Præceptum de obseruatione Sabbati obliget, etiam nunc,Christianos,sicut obligat seruare diem Dominicam?

AFfirmarunt olim Hæretici Ebionitæ, quorum errorem alij hæretici,tempore Gregorij Magni (vt ipse *lib.*11. *Registri,c.*3. refert) excitarunt,cogentes Christianos ad seruandum Sabbatum.

Sed,de fide certò,Respondeo: Non obligare nunc dictum præceptum. Quia, quantùm ad totam illam determinationem,quam addit vltra moralem,ac naturalem obligationem, verè morte Christi, cessauit, sicut cessarunt alia veteris legis legalia. Vnde, qui hodie diem Sabbati voluerit obseruare,Iudæus merito reputabitur. Sic expressè D. August. *Serm.*251. *de tempore.* D. Ignatius *Epist.ad Colossens.* & habetur in cap. *peruenit. de consecr. dist.*3. & docent omnes Catholici. Legantur Suar. Azor,& Fagund. *loc.cit.*

QVÆSTIO VI.

An,Sicut conueniens fuit assignari certam diem pro festo, populo Iudaico; ita fuisset,assignari populo Christiano?

REspondeo dicendum,quòd non ita conuenienter assignari Christiano populo debuisset Ratio est:quia ideò populo Hebræo assignata est pro festo, certa dies,quoniam,cum esset rudis populus, minùs expediebat habere facultatem arbitratu suo deligendi dies,ne fortè Ægyptiorum sacra imitaretur. At à populo Christiano edocto à Sapientia Patris incarnata, & Spiritus sancti assistentia instructo, longè abest rudis ignorantia, longè errandi in mysteriis fidei periculum. Sic Catechis. Rom. *loc.cit. n.*14.*pag. mihi* 474.

QVÆSTIO VII.

An, Ecclesia conuenienter mutauerit obseruationem Sabbati,in diem Dominicam?

REspondeo, quòd omnino conuenienter. Quia hoc statuerunt Apostoli diuino ducti consilio, statim post mortem Christi,ob memoriam Resurrectionis eius,qui die Dominico resurrexit. Sic Catechism. Rom.*loc.cit. n.*7.*&* 19.vbi sic ait. Placuit autem Ecclesiæ Dei, vt diei Sabbati cultus, & celebritas,in Dominicum transferatur diem. Nam, vt eo die primùm lux Orbi terrarum illuxit:Sic Redemptoris nostri, qui ad vitam æternam nobis adinum patefecit resurrectione, quæ eo die fuit, è tenebris ad lucem vita nostra reuocata est: vnde,& Dominicum diem Apostoli dici voluerunt. Sic ibi Legantur Sayr. *in Claui Regia lib.*7. *c.* 1. *n.*6. *§.Tertio denique.* Fagund. *lib.*1. *c.*1. *n.*6. Castro Palao *punct.* 1. *n.*2. Azor. *lib.*1. *c.*2. *q.*3. Suar. *lib.*2. *cit. n.*11.

QVÆSTIO VIII.

An, Diei Dominici obseruatio, sit iuris diuini?

AFfirmant (apud Sanchez) Butrio, Anchar. & Panormit. *in c.*3. *de feriis.* Angel. *verb. Feria, n.*3 & Syluest.*verb. Dominica,q.*1. His addunt Suarez, Fagundez, & Castro Palao, Authorem supplementi, ad Summam Pisanam, *verb. Dominica, in addit.* Sed certè ex his Authoribus, quos præfati citant,nó omnino bene citantur Angelus, & Syluester. Nam in primis Angelus, *num.* 3. *cit.* clarè in principio illius numeri,dies Dominicos,inter festa,quæ in honorem Dei sunt introducta,enumerat:at sic est,quòd alia sunt introducta iure humano: ergo,& dies Dominicus. Deinde in fine dicti numeri tertij, solùm dicit,Dominicam diem, esse quasi iuris diuini; non absolutè iuris diuini,vt bene notauit Azor,vbi infrà. Deinde, licèt Syluester *loc.cit. q.*1. *vers* 7. apertè doceat,aliquos dies festos esse iuris diuini,vt dies Dominica, festum Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Epiphaniæ; at *n.*1. in principio,contrarium asseruit, sic dicens:Dominica, dicta est à Domino, & est Dominica dies illa, quæ in honorem Domini nostri Iesu Christi,propter Resurrectionem eius, per quem recreatus est mundus, cele

Digitized by Google

celebratur, *de conf. dist. 3 Sabbato*, succedens Sabbato, non diuina, sed Ecclesiastica constitutione. Sic ille. Et quidquid sit de horum Authorum mente.

Multò longè probabilius Respondeo, Obseruationem diei Dominici, non esse iuris diuini; sed Canonici, ab Apostolis primùm constitutam, & postea ab Ecclesia retentam. Quia nullibi inuenitur tale præceptum datum à Christo. Sic D. August. *Serm. 151. de tempore*, D. Thom. 2.2.q.122.art.4.ad 4. D. Bonauent. *in 3. dist. 37.* D. Anton. *2.p. tit. 9. c. 7.* Caiet. *in 2.2. loc. cit.* Maior. *in 3.d. 37. q. 19.* Sotus *lib. 2. de iust. q. 4. a. 4. ad 2.* Vbaldens. *de Sacramental. tit. 17. c. 140.* Turrecrem. *in c. 1. de consecr. dist. 3.* Nauarr. *in Man. c. 13. n. 1.* Tabiena, Rosella, & Armilla, verb. *Dominica*: Archidiaconus *in cap. Ieiunia de consecr. dist. 3.* Albertinus *lib. 6. de heresib.* Azor. *lib. 1. de tertio Decalogi præcept. c. 2. q. 2.* Catechism. Roman. *loc. cit. n. 7.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 4. num. 8.* Fagundez *de 5. Eccles. præcept. lib. 1. c. 2. num. 3.* Bonac. *disp. 5. de tertio Decalogi præcept. initio.* Castro Palao *tom. 2. tract. 9. puncl. 1. n. 4.* Couarr. *4. variar. cap. 19. n. 6. 7. & 8.* Corduba *lib. 1. q. 5. dub. 8. diffic. 2.* Sanchez *in consil. lib. 5. c. 2. dub. 1. num. 3.* Trullench. *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 1. num. 4.* Llamas *3. part. Method. cap. 5. §. 1.* Bassæus *verb. Festum, 1. num. 2.*

QVÆSTIO IX.

An Lex humana, vel consuetudo possit obseruationem Dominicæ diei abrogare?

NEgant omnes, qui affirmant huius diei obseruationem esse iuris diuini; & etiam nonnulli alij, *in cap. Licet, & cap. Conquestus de Feriis.*

Sed probabilius Respondeo: Posse simpliciter loquendo, & quasi de potentia absoluta Ecclesiæ, obseruationem Dominici mutari, aut tolli. Quia introducta est lege humana: at verò de facto nunquam abrogabitur ab Ecclesia aut consuetudine; eo quòd licèt Ecclesiasticum sit præceptum, est tamen tam propinquum diuino, & tam conforme legi naturali, vt simpliciter loquendo, secundùm potentiam ordinariam abrogari, aut omnino tolli non possit, quamuis bene in particulari dispensari. Sic Suarez *loc. cit. num. 9.* & ex eo omnino Fagundez *loc. cit num. 4.* Castro Palao *loc. cit. num. 4.* Bassæus *num. 2. cit.* & Azor. *loc. cit. quæst. 6.* Licèt hic Author solùm dicat, quòd dictum præceptum, quamuis sit iuris Canonici, & non diuini, nunquam consuetudine abrogabitur.

QVÆSTIO X.

An sit præceptum diuinum, vel naturale de instituendis aliquibus diebus festis?

NEgat Suarez, *lib. 2. cap. 2.* Vbi sic ait: In diuina enim Scriptura non habemus traditum, quòd Christus Dominus alicuius festi obseruationem instituerit, & infrà ostendemus, nullum de hac re Ecclesiæ suæ peculiare præceptum tradidisse, quia præter leges fidei, & Sacramentorum, nulla præcepta positiua tradidit, sed suis ministris commisit. Sic Suarez, ibi: quam rationem repetit *cap. 4. num. 8.* & illam amplectitur Fagundez *lib. 1. cap. 2. n. 3.* Imò & Castro Palao, licèt oppositam sententiam (vt statim videbimus) teneatur, & ideò non consequenter.

Sed probabilius Respondeo: Esse præceptum diuinum naturale de instituendis aliquibus diebus festis ad diuinum cultum: quamuis qui, & quot dies, & quomodo feriandi sint, id arbitrio Ecclesiæ sit relictum. Ratio est: quia præceptum diuinum veris

de sanctificandis festis, adhuc manet, quoad morale: sed morale est, quòd sit aliquis dies dicatus cultui diuino: Ergo, & aliquos dies festos instituere, quia malè posset seruari ab omnibus præceptum de colendo Deum, & sanctificatione diei, nisi vniuersaliter ad id, omnibus instituatur dies festus. Sic Couart. *lib. 4. var. c. 19. à num. 1.* Corduba *loc. cit. diffic. 2.* quos citat, & sequitur Sanchez *in consil. lib. 5. cap. 2. num. 4.* Castro Palao *loc. cit.* per hæc verba: Nec ex eo quòd hunc diem (*id est, Dominicum*) neque alium Christus signauerit, infertur Ecclesiæ suæ satis non prouidisse; prouidit namque; siquidem reliquit eius Vicario potestatem designandi dies, prout magis expedire iudicauerit, & insuper imperauit talem designationem. Sic Palao. Sed certè non consequenter ad suam doctrinam, vt suprà.

QVÆSTIO XI.

An Ecclesia possit dispensare, in hoc, quòd nullus sit dies festus?

REspondeo Negatiuè: Quia Ecclesia non habet potestatem dispensandi in præcepto diuino naturali, quale est præceptum, quod habet assignandi aliquos dies festos. Sic Sanch. *loc. cit.* & Corduba; addens, quòd si Ecclesia per magnum tempus omitteret assignare festa aliqua, peccaret contra ius diuinum, & naturale. Legatur Couarruu. *lib. 4. resolut. cap. 19. conclus. 4. & 5.*

QVÆSTIO XII.

An Præceptum sanctificandi festa, sit positiuum, an verò negatiuum?

NOnnulli, quos tacitis nominibus refert Suarez *lib. 1. cit. c. 1. n. 5.* existimarunt, dictum præceptum omninò fuisse negatiuum; quia nullum actum præcipiebat; sed tantùm cessationem ab actu. Huius sententiæ videtur fuisse Caietanus *2.2. q. 122. art. 4. in principio*, dum dixit: Colebatur siquidem Deus Sabbato in ipsa exteriori quiete ab operibus seruilibus, quia quiescebat ad repræsentandum diuinam quietem à creatione mundi. Sic Caiet.

Alij verò putarunt, præfatum præceptum formaliter; & in genere signi, ac cultus, esse positiuum, seu affirmatiuum, eo quòd præceperit diei sanctificationem positiuè: *Memento, vt diem Sabbati sanctifices*: at verò materialiter esse negatiuum; quia per negationem declaratur cessatio operum seruilium, *Non facies omne opus in eo.* In qua cessatione, sanctificatio dierum, & positiuus, & externus cultus Dei consistit. Sic Suarez *loc. cit. n. 7.* Fagund. *lib. 1. c. 3. n. 1.* Palao *to. 1. tract. 9. disp. 1. punct. 3. n. 2.* Qui, simul com Fagund. citat Azorium *tom. 1. lib. 1. c. 1.* Sed haud bene omnino; cùm de hac quæstione nihil expresè dicat. Sanchez *lib. 5. consil. c. 2. dub. 1. n. 1.* Qui etiam citat D. Thom. 2.2. *quæst. 122. art. 4.* & Sotum *lib. 2. de Iust. quæst. 4. art. 4.* Sed certè D. Thomas id expresè non docet. Vnde,

Clariùs Respondeo dicendum: Quòd loquendo de præcepto sanctificandi Sabbatum, quod olim Deus dedit Hebræis, veriùs multò est, quod ait secunda sententia, vt ex dictis in ea constat. Loquendo verò, de præcepto Ecclesiastico, asserendum est, esse omnino affirmatiuum ex modo præcipiendi; cùm hodie Ecclesia (sicut & olim) positiuè dedicationem quandam alicuius diei ad cultum Dei præcipiat, *Memento, vt diem Sabbati sanctifices.* Ex parte verò rei præceptæ, partim esse negatiuum, & partim positiuum. Nega-

Digitized by Google

tiuum, qua parte præcipit ab opere seruili cessare; positiuum verò, qua parte præcipit audire Missam; qui cultus positiuus est. Legatur Palao *loc. cit. num.* 1.

QVÆSTIO XIII.

An, De festorum obseruatione preceptum, conuenienter ab Ecclesia traditum sit?

NEgant hæretici Petrobrusiani, & Vuiclefistæ, vt refert Bellarm. *lib. 3. de cultu Sanctorum, c.* 10. quia existimant, festos dies ad cæremonias Iudæorum solùm pertinere.

Sed, de fide certissimè, Respondeo: Conuenienter fuisse traditum. Primò: quia id ex perpetua traditione, & communi consensu Ecclesiæ habetur. Secundò: quia obseruatio Sabbati (quæ præcipitur *Exod.* 20. & pertinet ad cultum Dei, & est præceptum ipsius, & primæ tabulæ: at illud præceptum est aliquo modo naturale, & consequenter ad nos pertinens (vt suprà *quæst.* 10. est habitum) ergo conuenienter nos debemus habere aliquos dies, quorum obseruatio ad cultum Dei pertineat. Sic omnes Catholici. Legantur Bellarm. *loc. cit* & Suarez *loc. cit. lib.* 2. *c.* 2.

QVÆSTIO XIV.

Quot & Quæ sunt Festa pro tota Ecclesia instituta?

REspondeo esse sequentia. Primò: ex Festis pertinentibus ad Christum Dominum, est dies Dominica, & habetur *in cap. Sabbatum, de consecr. dist.* 3. *c. quoniam, c. licèt, & c. Conquestus de Feriis.* Secundò: Dies Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus; in memoriam illius beneficij, quo Spiritus Sanctus in Apostolos descendit. Habetur *in c. Conquestus de Feriis, & c. Pronunciandum de consecrat dist* 3. Tertiò, est dies Natiuitatis Domini, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, cum duobus sequentibus diebus, *cap. Conquestus cit.* Festum Ascensionis Christi Domini. *Fed c. & c.* 1. *de consecr. dist.* 3 Festum Corporis Christi Domini. *Clement. vnica de Reliquiis, & vener. Sanctorum,* Inuentio Sanctæ Crucis, *cap. Crucis de consecrat. dist.* 3.

Ex Festis autem pertinentibus ad B. Mariam Virginem, sequentia. Ex præcepto in tota Ecclesia celebrantur, Natiuitas, Annunciatio, Purificatio, & Assumptio. Habetur in cap. *Conquestus de Feriis*, & cap. *Pronunciandam de consecrat. dist.* 3. Et in Hispania, ex concessione Innocentij X. Conceptio eiusdem beatissimæ Virginis.

Ex festiuitatibus Sanctorum, ex præcepto hæ sunt tantùm obseruandæ post Bullam restrictiuam festorum editam ab Vrbano VIII. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Transitus duodecim Apostorum, præcipuè Petri, & Pauli. Festa Sanctorum Stephani, Innocentium, & Syluestri. Festa Sanctorum Laurentij, & Iosephi Sponsi Genitricis Dei. Sanctæ Annæ matris V. Mariæ: & Dedicationis S. Michaëlis Archangeli. Festiuitas Omnium Sanctorum.

Ex deuotione solùm, coluntur vniuersaliter dies Conceptionis V. Mariæ, Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, Barnabæ, Lucæ, & Marci, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Festum S. Mariæ ad Niues. Item, dies Sanctorum Dominici, & Francisci Confessorum. Et alibi, alij dies peculiares. Legantur de omnibus his festiuitatibus, Suarez *lib.* 2. *cit. à cap.* 2. *vsque ad nonum,* & Azorius *à cap.* 2. *vsque ad* 16. Vbi latè, & doctè, vt de omni solent materia, tractant.

QVÆSTIO XV.

Quot sunt fines, ob quos hæc festa sunt instituta?

REspondeo: Quòd tres præcipui. *Primus* est, vt his saltem diebus, vacantes ab operibus seruilibus, fideles orationi, & deuotioni insistant. *Secundus*, vt ad æternam requiem aspiremus, in quo est festum perpetuum; & continuò alleluia cantatur. *Tertius* tandem, vt Sanctorum facta recolentes, ad eorum imitationem prouocemur. Sic omnes communiter. Legantur Fagund. *lib.* 1. *c.* 2. *num* 9. & Palao *punct.* 1. *num.* 7.

QVÆSTIO XVI.

An dies festi coli debeant, eo die in quem incidunt, casu, quo, quoad Ecclesiasticum officium, in alium transferantur?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia tunc præfati dies, solùm transferuntur, quoad officia, non quoad cessationem operum seruilium: & Missæ auditionem: aut etiam quoad susceptionem indulgentiæ ali die festo, à Rom. Pontifice, concessæ, vt ex praxi vniuersali Ecclesiæ constat. Sic D. Ant. 2. *p. tit.* 9. *c.* 7. *initio*, Tabiena *verb. Dominica, q.* 2. Sayrus *in claui Regia lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 10, quos citat, & sequitur Fagund. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *q.* 8. Suar. *lib.* 2. *cap.* 31 *num* 7.

QVÆSTIO XVII.

An dies festi, à media nocte, vsque ad alteram mediam, computari debeant.

NEgant Panormit. *in c.* 1. *de Feriis* Angel. *verb. Dies, in principio.* Syluest. & Supplem. *Verb Domin c.* & alij; docentes, quòd dies festi, quoad cessationem ab operibus seruilibus, incipiant, & finiantur, secundùm consuetudinem patriæ; alibi, videlicet, à vesp. era in vesperam; alibi, ab initio diei festi, &c.

Sed veriùs Respondeo, Quòd communiter & vniuersaliter loquendo, dies festi, iam vbique incipiant, & finiantur, à media nocte in mediam noctem. Sic expressè Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *c.* 28. *q.* 9. Vbi ita ait: vbique verò ferè vsu receptum est, vt dies festi à media nocte vsque ad mediam noctem proximè sequentem colantur. Sic etiam Suarez *lib.* 2. *cit. c.* 31. *n.* 4. Nauarr. *c.* 13. *n.* 5. *vers. ex quo infertur* Sayrus *in Claui Reg. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 13. Filliuc. *tract.* 27. *c.* 5. *num.* 78. *& c.* 11. *q.* 2. *num.* 206. Layman. *lib* 4 *tract.* 7. *c.* 2. *n.* 1. Rodriguez 1. *p. c.* 123. *num.* 1. Bonac. *in* 3. *precept. Decal. disput.* 5. *punct.* 1. *n.* 7. (qui per errorem Typographi malè citat Azorium semel, & iterum, nempè *c.* 18. *q.* 9. *& cap.* 27. *q.* 13. cùm hanc sententiam doceat, loco à nobis citato.) Sanchez *in consil. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 5. Qui benè notat, malè docuisse Pedraza *in Summa in* 3. *precepto, fol. mihi* 30. quòd in Hispania, ex generali consuetudine, incipiant festa à vespera diei præcedentis. Hoc enim falsissimum est, vt constat. Trullench. *in* 3. *precept. Decalogi, cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. Palao *tract.* 9. *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 3.

QVÆSTIO XVIII.

An possit institui dies festus colendus vsque ad meridiem tantum?

REspondeo: Posse. Quia nullum est ius diuinum, aut naturale, quod id prohibeat: optimè ergo pote

poterit Pontifex pro vniuersa Ecclesia præcipere festum dimidij diei, nempe, vel vsque ad meridiem, in quo casu eo die necessariò audiendum est Sacrum; vel à meridie vsque ad vesperam. Sic Nauarr. *loc. cit.* Suarez *lib. 2. cit. c. 11. n. 8.* Bonac. *loc. cit. n. 8.* Azor. *c. 26. q. 8.* Trullench *loc. cit.*

QVÆSTIO XIX.

An etiam, possit, potestate humana, minui spatium viginti quatuor horarum, quod diebus festis est assignatum?

NEgant Angel. Syluest. & Supplem. Locis *q. 27. citatis*, loquendo de festis Dominicis, Natalis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & Pentecostes, eò quòd existiment, esse iuris diuini, vt solemnitas harum festiuitatum per viginti quatuor horas integras celebretur.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Posse minui præfatum spatium temporis, etiam loquendo de festis Dominicis, Natalis, &c. Quia longè probabilius existimo, omnes dies festos, etiam Dominicos, &c. esse iuris canonici, & iure etiam canonico dispositum, vt viginti quatuor horarum spatio coli debeant: ergo longè probabilius est, prædictum spatium temporis, potestate humana minui posse. Sic Azor *2. p. c. 26. q. 13. & c. 28. q. 9. col. 121.* Suar. *lib. 2. c. 1. n. 9.* dicens, oppositum esse improbabile. *& c. 10. n. 2.* esse falsum, *& c. 31. n. 3.* esse ridiculum.

QVÆSTIO XX.

An obseruatio omnium festorum sit æqualis, & par?

REspondeo: Quòd omnes sint æquales, quoad temporis durationem: omnes enim durant à media nocte in mediam noctem. Rursus, sunt etiam æquales, quoad actiones exercendas, vel omittendas; nam in omnibus est audiendum Sacrum, & cessandum ab operibus seruilibus. Sunt tamen inæquales in solemnitate celebrandi diuina officia; & in difficultate relaxandi obseruationem. Nam maiori solemnitate celebrantur diuina officia in maioribus festiuitatibus; nempe in Natiuitate, Epiphania, & Ascensione Domini, Pascha, & Pentecostes, & in Festiuitate Corporis Christi, & Assumptionis Virginis, quam in minoribus, videlicet, in diebus Dominicis, & festis Sanctorum: & maiori facilitate relaxatur obseruatio minorum festiuitatum, quam maiorum, vt constat ex cap. *Licet, de feriis.* Sic Suarez *lib. 2. c. 10. per totum.* Filliuc. *tract. 27. c. 5. n. 78. 79. &* 80. Sanchez *in consil. lib. 5. c. 2. dub. 5.*

DISPVTATIO II.

De habentibus facultatem dies festos instituendi.

QVÆSTIO I.

An Summus Pontifex possit dies festos instituere, vniuerso in orbe colendos?

RESPONDEO certissimè: Posse. Quia Summus Pontifex est vniuersalis Pastor totius Orbis: ergo in toto Orbe potest leges spirituales ferre ergo; leges obligantes totum Orbem — R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

ad obseruationem festorum. Sic omnes Doctores, Suar. *lib. 2. c. 5.* Clauis reg. *lib. 7. c. 3. n. 16.* Bonac. *disp. 5. punct. 1. n. 1.* Filliuc. *tract. 27. c. 1. n. 14. & c. 6. q. 1. n. 81.* Fagund. *lib. 1. c. 3. n. 2.* (Qui tamen malè citat Azorium *lib. 1. c. 2. q. 1.* Nam ibi hic author nihil de hac re agit) Sanchez *in consil. lib. 5. c. 2. dub. 5. n. 6.* Trullench *lib. 3. in 3. precept. Decal. dub. 2. n. 1.* Castro Palao, *tom. 2. tract. 9. disp. vnica, punct. 2. n. 1.* Bassæus, *verb. Festum 2. num. 3.*

QVÆSTIO II.

An etiam Concilium generale possit dies festos in tota Ecclesia instituere?

REspondeo certissimè etiam posse, dummodo Pontifex cogat, & approbet Concilium; nam aliàs, nec Concilium valebit, nec leges ab eo latæ ligabunt. Ratio est. Quia Concilium generale ritè congregatum, & approbatum à Papa, etiam est supra totam Ecclesiam; ergo pro tota illa poterit ferre leges spirituales. Sic omnes Doctores, præcipuè citati.

QVÆSTIO III.

An item, Consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, possit dies festos, obligantes sub mortali, introducere?

REspondeo, etiam certissimè posse; dummodo Pontifex, vel expressè, vel tacitè, approbet talem consuetudinem. Sic etiam omnes Theologi, præcipuè Suarez, & Fagundez.

QVÆSTIO IV.

An Episcopus possit, iure communi, instituere in sua Diœcesi, aliquos dies festos?

REspondeo posse. Quia id apertè colligitur ex *c. Conquestus, de feriis, & c. Pronunciandum, de consecr. dist. 3.* & ex Glossa, ibi, *verbo, Non generaliter.* Et constat ex vsu antiquissimo Ecclesiæ: cùm semper hac, instituendi festa, potestate vsi sint Episcopi. Sic Azor *tom. 2. lib. 1. c. 26. q. 1.* Suar. *lib. 2. c. 11. n. 4. & 5.* Fagund. *lib. 1. c. 3. n. 3.* & penes ipsum, præter citatos, Syluest. D. Anton. Sanchez, & alij plures. Bonac. *loc. cit. n. 3.* Filliuc. *loc. cit. c. 6. q. 2. n. 38.* Trullench *lib. 3. cit. dub. 3. n. 2.* Palao *loc. cit. n. 2.* & omnes.

QVÆSTIO V.

An, Vt festa indicta ab Episcopis obligent, opus sit speciali facultate, aut confirmatione Pontificis?

REspondeo: Non esse opus tali facultate, aut confirmatione. Quia ad instituenda pro sua Diœcesi festa, habet ordinariam potestatem, vt constat ex *c. Conquestus, de feriis, & c. Pronunciandum, de consecr. dist. 3.* vbi hæc iura nullo modo requirunt consensum Papæ. Sic Suar. *loc. cit.* Fagund. *loc. cit. num. 4.* Trullench *loc. cit.*

QVÆSTIO VI.

An, Episcopi habeant ius instituendi dies festos, in honorem alicuius Sancti, qui nondum prius à Summo Pontifice in Sanctorum numerum, sit relatus?

AFfirmarunt, Vincentius, & alij quidam Veteres Canonistæ, teste Abbate in *c. Conquestus, n. 2.*

 Ea

Digitized by Google

Eo quòd in dicto cap. & in cap. *Pronunciandum cit.* abſolutè, & ſine limitatione habeatur, eos dies feſtos agi oportere, quos ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, vnà cum populo, & Clero duxerint colendos. Horum ſententiam eſſe probabilem innuit Azor. *vbi ſuprà* quatenus oppoſitam, ſolùm vocat veriorem.

Sed certiſſimè, Reſpondeo: quòd licèt olim potuerint: hodie nullo modo poſſint. Quia Alexand. III. *c.1. de reliq. & vener. Sanct.* expreſsè decreuit, & declarauit; quòd non liceat pro ſancto aliquem colere, aut venerari, abſque auctoritate Romani Pōtificis: ergo iam Epiſcopi nequeunt in honorem alicuius Sancti, nondum à Pontifice Romano canonizati, dies feſtos inſtituere; quia id eſſet virtualiter illum canonizare, aut ſaltem beatificare: quod munus hodie ad ſolum, (vt vidimus) Pontificem ſpectat. Sic Ioann. And. Abb. Innoc. & alij, quos refert, & ſequitur Azor *c.26. cit. q.4. col.*108. Sanchez *lib.2. in Decalog. c.43. n.9. & in conſil. lib.5. c.2. dub.5. num.6.* Suarez *loco cit. num.5.* Palao *loc. cit. num.2.* Fagund. *loc. cit. n.5.* & iam omnes.

Qvæstio VII.

An Saltem, de Sancto, à Pontifice duntaxat beatificato, poſſint Epiſcopi feſtum inſtituere?

Negat Diana 3. *part. tract.5. Reſol.9.* (non 2. *part. tract.5.* vt inuenies apud Trullench) citans pro ſe Thomam Sanch. *tom.1. ſum. lib.2. cap.43. num.9.* Azorium *tom.2. lib.1. cap.26. q.4.* Barboſam *in collectan. tom.1. lib.2. tit.9. c.5. num.24.* Villalobos *tom.1. ſumm. tract.32. dub.1. num.3.* & Lucam Caſtellinum *de canoniz. ſanct. c.1. punct.34. §. 7.* (non *c.1. punct.6. §.2. & ſequent.* vt citat Author ſummæ Dianæ, Verb. *Feſtum ſtatuere.*)

Sed probabiliùs, Reſpondeo. Poſſe: quia Beatificatio, nil aliud eſt, quàm quædam canonizatio, minori apparatu, & pompa celebrata: ſed ſic eſt, quòd Epiſcopi poſſunt inſtituere feſta illorum Sanctorum, qui iam ſunt canonizati: ergo id poterunt efficere in honorem illorum, qui iam ſunt beatificati. Sic Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. c.11. num.4. &* 5. Fagundez *lib.1. cap.3. num.15.* qui pro hac ſententia citat Bellarminum *lib.1. de Beatitud. Sanctor. cap.7. §. Primum enim* Sic etiam Caſtro Palao *tract.9. punct.2. num.5.* & Trullench *lib.3. cit. dub.2. num.2.* vbi ait, id practicari in Diœceſi Valentina, in qua celebratur feſtum de Beato Thoma de Villanoua Archiepiſcopo Valentino. Granados etiam 2. 2. *controu.* 1. *de fide tract.7. diſp.4. ſect.1. num.11.* & Rodrig. *tom.3. ſum. cap.*168. Pro hac etiam noſtra ſententia poſſunt citari Bonac. *diſp.5. punct.1. num.3.* Filliuc. *tract.27. cap.6. quæſt* 4. *num* 87. Imo, & Azor, Sanchez, & Barboſa, quos pro ſe citat Diana: nam hi Authores ſolùm docent, & bene, non poſſe Epiſcopos inſtituere feſtum, niſi de Sancto, in Sanctorum numerum à Papa relato, vel cooptato: at ſic eſt, quòd Beatus iam eſt relatus, & cooptatus in ſanctorum numerum: ergo, adhuc in ſententia dictorum, bene poſſunt Epiſcopi, de illis feſtum inſtituere. Addo, cum Fagund. *loc. cit.* quòd licèt aliqua iura, & multi Doctores, qui hanc poteſtatem Epiſcopis concedunt, loquantur ſolùm de Sanctis Canonizatis, id nihil faciat contra nos: quia, vt diximus, Beatificatio, etiam eſt canonizatio, licèt minori pompa, celebrata: Inſtituere igitur Epiſcopos feſtum de ſanctis Beatificatis, idem erit, ac inſtituere de ſanctis canonizatis, minori ritu, & pompa.

Qvæstio VIII.

An Epiſcopi poſſint de iure, feſtos dies inſtituere ſine Cleri conſenſu?

Affirmant Fagund. *lib.1. cap.3. num* 11. & Caſtro Palao *tract.9. punct.2. num.6.* licèt non abſolutè, ſed loquendo de inſtitutione feſti, pro vna, aut altera vice.

Sed abſolutè probabiliùs Reſpondeo: Nec pro vna, aut altera vice, de iure, id poſſe, quia id clarè habetur *in c. Conqueſtus, de Feriis & in c. Pronunciandum, de conſecr. diſt.3.* Et ita docent Angelus *verb. Feria, num.5.* Tabiena *ibi. num.*10. Siluest. *Verb Dominica num.5.* Azor *lib.1. cit. c.26. q.3. col. mihi* 108. Suarez *lib.2. cit. c.11. n.8.* D. Anton. & Abbas, quos omnes citat, & ſequitur Fagund. *lib.1. cap.3. num.8.* Bonac. *diſput.5. cit. punct.1. num.3.* & apud ipſum, Sanchez *in ſumm. lib.2. c.43. num.11.* Sa verb. *Feſtum num.2.* Layman *lib.4. tract.7. c.1. num.3.* Filliuc. *num.*83. Clauis regia *lib.7. c.3. num* 16. Sed ex his Authoribus, Sanchez nil docet, loco à Bonacina citato, bene tamen *in conſiliis, lib 5. cap.2 dub.5. num.6.* & Filliuc. non *num.*83. ſed 85. *quæſt.*3. Sic etiam Palao *tract.9. punct.2. num.5.* (licèt *num.6.* cum Fagundez *num.*11. limitet vt ſuprà eſt habitum) Diana 5. *part. tract.4. reſol.*178. Trullench *dub.2. cit. num.2.* & Couarruu. *lib.4. variar. c.19. n.9.* Auguſt. Barboſa 3. *part. de poteſt. Epiſc. alleg.*105. *num.*36. Baſſæus, *Feſtum* 1. *num.* 3.

Qvæstio IX.

An, Saltem poſſint Epiſcopi feſtos inſtituere, ex vi iuris, abſque vllo populi conſenſu?

Affirmauit Anton. Butrius *in c. Conqueſtus de Feriis,* (Licèt poſtea, vt ipſe ait, ſententiam mutauerit) cui fauet Abbas *in c. Conqueſtus, cit.* docens, non eſſe de iure ſemper neceſſarium populi conſenſum, vt Epiſcopi poſſint dies feſtos in perpetuum ſtatuere.

Sed certiſſimè, Reſpondeo: Quod non poſſint ex vi iuris. Ratio eſt: quia in duobus capitulis, ſuprà citatis, tam populi, quàm Cleri conſenſus requiritur: ergo de iure, nequeunt Epiſcopi dies feſtos inſtituere; ſine conſenſu populi. Sic communiter omnes DD. Legantur nuper citati. Præcipuè Fagundez *loc. cit. n.*10. *&* 11. 12. *&* 13.

Qvæstio X.

An, Ad minus, ex vi conſuetudinis, poſſint iam Epiſcopi dies feſtos inſtituere, abſque Cleri conſenſu?

Negant Azor *loc. cit. q.3.* ibi. *Nec puto conſuetudine contraria hactenus id iuris abrogatum.* Sic loquitur Azor (non ſic: *Nec puto conſuetudine quadam id hactenus abrogatum eſſe,* vt refert Fagund.) Caſtro Palao *punct.2. cit. n.6.* licèt concedat, optimè poſſe, Epiſcopos vna, vel altera vice, abſque conſenſu Cleri, aut Capituli, aliquod feſtum inſtituere. Trullench *lib.3. Decalog. dub.2. n.2.* Citat etiam Palao *punct.2. cit. n.6.* (tamen non omnino bene) Suarem, Azor. Fagund. Bonac. & Barboſam.

Affirmat vero è contra, Fagundez *lib.1. c.3. n.8.* per hæc verba: Credo tamen, abſolutè dicendum eſſe, de conſuetudine poſſe Epiſcopos abſque Cleri, & capituli conſenſu id facere: ſaltem ſi non in perpetuum, ſed pro vna, aut altera vice, dies feſtos inſti-

tuant,

Digitized by Google

tuant, vt citiùs negotia expediantur; vt insinuat Siluest. verb. *Consuetudo n.2.* ita Fagundez.

Sed probabiliùs Respondeo. Posse Episcopos, ex vi consuetudinis, dies festos pro sua Diœcesi instituere, absque sui Clerj, aut Capituli consensu, seu suffragio; non tamen absque eius consilio. Sic Fagund. *loc. cit. n.*11. Vbi sic ait. De consuetudine tamen iam receptum est, vt dies festi sola Episcopi auctoritate, adhibito consilio Clericorum, non tamen suffragio, statuantur. Ita docet Azor *tom 2. instit. moral. c.*26. *q.*2. *fine fol.*163. *col.*1. Suar. *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *de diebus festis, c.*11. *n.*9. *pag.*324. quæ planè consuetudo seruanda est, vbi introducta fuerit. Sic Fagundez, & bene. Sic etiam Bonac. *disp.*5. *cit. punct.*1. *n.*3. *pag. mihi* 396. Diana *part.*4. *tract.*4. *resol.*178. Bassæus, *Festum* 1. *n.*3.

QVÆSTIO XI.

An, Tandem iam possint Episcopi, ex vi consuetudinis, instituere dies festos, absque populi consensu, aut consilio?

NEgare videtur Villalob. 2. *part.*4. *summ. tract.*32. *diffic.*1. *n.*3. Vbi absolutè docet, esse necessarium consensum populi. Vnde malè citat illum Trullench, *vbi infrà*, pro opposito.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Posse Episcopos, ex vi consuetudinis, instituere festa absque consensu, aut consilio populi: quia sic mos habet. Sic Azor *loc. cit.* per hæc verba: Consuetudine tamen receptum est, vt nunc dies festi, populo minimè vocato, sola Episcopi auctoritate, adhibito Clericorum consilio, constituti indicantur. Sic ille. Fagund. *loc. cit. n.*11. Palao *loc. cit. n.*6. Bonac. *loc. cit.* Trullench *lib.*3. *in Decalog. dub.*2. *n.*2. Gauant. *in Enchiridio Episcop. part.*2. *alleg.*105. *num.*39. Diana 4. *part. loc. cit.* Filliuc. *tract.*27. *cap.*6. *quæst.*3. *num.*86. Suarez *num.*9. *cit.* Sic dicens: Intelliguntur etiam hæc, stando in iure communi, nam per consuetudinem videtur huic iuri derogatum: solent enim Episcopi cum consilio Cleri, vel aliquorum de Clero, hæc præcepta populo dare, illo non vocato, nec consulto; & similiter, solet populus talia præcepta tenere, & acceptare: quæ consuetudo seruanda est, vbi introducta fuerit, iuxta *c.*3. *de Consuet.* Sic Suarez. Ex quo addo etiam, quod vbi ius populi non est consuetudine abrogatum, & ideò consensus eius requiritur; tunc sufficienter haberetur, per hoc solum quòd non contradiceret.

QVÆSTIO XII.

An, Principes sæculares possint, absque auctoritate Episcopi, instituere dies festos, obligantes populum ad eorum obseruationem?

AFfirmant ex parte, (apud Fagund. & Palao, vbi infrà) D. Anton. 2. *part. tit.*9. *cap.*7. §.1. Syluest. verb. *Dominica*, *num.*2. & Sayrus *in Claui reg. lib.*7. *cap.*3. *n.*17. §. *Quinta propositio*, & Sà *verb. festum*, *num.*1. quatenus docent, quòd licèt non possint Principes laïci statuere dies festos obligantes sub mortali ad auditionem Sacri; possint tamen eos statuere obligantes ad cessationem operum seruilium sub mortali; & ad pœnam, sub qua præcipiuntur. Sic referunt horum sententiam, Fagundez *lib.*1. *c.*5. *num.*2. & Castro Palao *punct.*1. *num.*7. Sed certè omnes, non benè. Nam ad minus D. Anton. & Siluester, (vt rectè viderunt Suarez, & Sanchez, vbi infrà) solùm docent, posse Principem sæcularem statuere festum sub tali pœna, quam iustè à transgressoribus exigat, etiamsi illi culpam non incurrant, eo quòd ad Principem laïcum non spectet festum instituere. Sic enim ait Siluest. *loc. cit.* loquendo de diebus festis, de quibus agit cap. *Conquestus*; & nos in præsentiarum: Dominus enim, vel Ciuitas, si statuat festum sub certa pœna colendum, pœnam quidem à violatoribus posset exigere, sed culpam non incurrent; quia ad hos non pertinet festa præcipere. Sic ille.

Alij verò, mediâ viâ incedentes, tenent, non posse Principes sæculares festa statuere; at si de facto sub aliqua pœna id faciant, posse quidem à violatoribus pœnam exigere, etsi culpam non incurrant. Sic Sanchez *in Consil. lib.*5. *cap.*2. *dub.*5. *num.*7. qui citat pro se D. Anton. §.1. Armillam, *num.*2. Siluestrum *verb. Dominica.* Tabienam *verb. Feria.* Rosellam *verb. Statutum*, *num.*6. & Paëz *cap. Missas, de consecrat. dist.*1. *num.*29.

Sed probabiliùs, & clariùs, Respondeo: Nullo modo posse Principes sæculares dies festos, tanquam sacros, instituere, obligantes populum ad sui obseruantiam. Quod si de facto illos instituant, tale præceptum erit inualidum, ideoque in conscientia nec obligabit quoad culpam, nec quoad pœnam, & consequenter, nec Princeps, iustè poterit exigere illam à transgressoribus statuti à se impositi. Ratio est. Quia potestas laïca nequit aliquid spirituale, sacrum, aut Religiosum præcipere, vt constat, ex *cap. Cum laicis, de reb. Eccles. non alien. cap. decernimus de iudicib.* Et ex tota *dist.*96. at sic est, quòd festorum præceptio, aut obseruatio, est merè spiritualis; cum directè, & formaliter ad bonum animæ ordinetur: ergo potestas laïca nequit de nouo obseruationem festorum, de quibus in præsenti loquimur, propria auctoritate, statuere; non solùm, qua parte continet obligationem audiendi Sacrum, sed qua continet cessationem ab opere seruili; cum hæc etiam sit quid spirituale, nempè externus Dei cultus. Sic optimè Suarez *lib.*2. *cit. c.*12. *per totum*, Azor. *tom.*2. *lib.*1. *cap.*26. *quæst.*5. *col. mihi* 108. Bonacin. *de* 3. *præcept. Decalog. disput.*5. *punct.*1 Qui tamen falsò citat Emanuelem Sà, *verb. Festum*, cum oppositum ibi, *num.*1. per hæc verba dicat; Festum potest Princeps, & Ciuitas indicere, sed sine obligatione Missam audiendi. Ita ille. Vnde pro prima sententia rectè illum citat Palao. August. Barbosa 3. *part. de potest. Episcopi alleg.*105. *n.*38. qui & citat Abbatem *in c.*2. *de Feriis*, *num.*2. Castro Palao *disp. cit. punct.*2. *num.*9. Fagund. *lib.*1. *cap.*5. *n.*2. & 3. Filliuc. *tract.*27. *c.*6. *q.*7. *n.*94. Trullench *lib.*3. *in* 3. *Decalog. dub.*2. *num.*3. Villalob. *tract.*33. *diffic.*1. *n.*4. Ortiz *in summ. vbi de* 3. *præc.* §.3. *fol.*101. *pag.* 2.

QVÆSTIO XIII.

An saltem Principes sæculares possint prætextu, non religiosi cultus, sed ciuilis, aut politicè honoris, præcipere subditis, vt tali die à seruilibus operibus abstineant?

REspondeo: Posse quidem, dicta subditis præcipere, & sub graui pœna; ob aliquam tamen causam iustam, & honestam temporalem; nempè, vel propter diem natalitij sui, aut filij, vel ob partam victoriam, aut ob alterum felicem euentum. Ratio est. Quia in hoc casu, non excedit limites suæ potestatis: & ideo tenentur subditi Principi præcipienti obedire, sub pœna ab ipso imposita. Sic omnes Doctores nuper citati, præcipuè Suarez *num.*3. Fagundez *num. etiam* 3. Palao *num.*8. & 10. Filliuc. *num.*93. & alij.

An autem transgressores huius politici præcepti peccent ad minus venialiter? Negare videtur Fagundez *loc.cit.* Vbi sic ait. Tunc (*nempè, in casu proposito*) fortè lex obligabit ad pœnam, sub qua populi præcipiuntur ab operibus seruilibus abstinere, si fuerit iusta, non tamen ad peccatum, nisi fortè ex accidenti, si pœna fuerit grauis: Sic ille. Sed dicendum nobis est peccare venialiter; vt docent Suarez, *cap.12. num.7.* Azor. *cap.26. q.6.* & Palao *loc. cit. n.11.*

QVÆSTIO XIV.

An, Consuetudo legitimè introducta, possit inducere, & abrogare, dies festos?

RESpondeo: Posse. Quia designatio huius aut illius diei festi est de iure humano, vt suprà habitum est: at sic est, quòd consuetudo legitimè introducta optimè potest aliquos dies festos indicere, & aliquos abrogare, vt de facto nonnullos abrogasse constat ex cap. *Conquestus de Feriis*, ex cap. *pronunciandum de consecr. dist.3.* Sic Angel. *verb. Feria n.4.* Tabiena *eo verb.n.11.* Siluest. *V. Dominica q.1.* Nauar. *in man.cap.13.n.5.vers.9.* Philiar. *de offic. Sacerd. part.2. lib.5. cap.23. not.3.* Sayr. *lib.7. cap.3. num.14.* & Ludou. Lopez *1. part. cap.52.* Quos omnes sic refert, & sequitur Fagundez *lib.1. cap.6. num.1.* Suarez *lib.2. de festis, cap.12. num.5.* Bonac. *disput.5. in 3. præcept. Decalog. punct.1. num.6.* Filiuc. *tract.27. cap.6. à num.69.* Castro Palao *tom.1. tractatu de legib. disp.3.* & alij.

QVÆSTIO XV.

An, Laïcorum sola consuetudo, possit introducere, & abrogare dies festos?

RESpondeo: Non posse. Quia obseruatio festorum debet esse communis, tam Clericis, quàm laïcis: ergo non potest consuetudo laïcorum legem vniuersalem, & communem introducere, Clericosque obligare. Verumtamen est, quòd posset prædicta consuetudo obligare laïcos, ipsam introducentes, si Episcopus eam approbaret; aliter, nullo modo. Sic Suarez *loc. cit.* Fagundez *loc.cit. n.6.* Bonac. & Azor, *loc. cit.* & communis omnium.

QVÆSTIO XVI.

An saltem consuetudo, totius populi, & Cleri, habeat vim introducendi, & abrogandi dies festos?

AFfirmare videtur Bonac. *disp.5. cit. punct.1. n.5.* dum sic ait: Consuetudo verò mixta laïcorum, & Clericorum, sicut potest dies festos abrogare, ita etiam potest inducere. Ita ille.

Sed certissimè Respondeo: Non posse; nisi casu, quo consensus, ad minus implicitus, Episcopi accedat. Quia consuetudo, non potest habere vim inducendi, vel abrogandi aliquod festum, nisi quatenus habet vim legis: at sic est, quòd non potest habere vim legis, nisi includat consensum, aut voluntatem eius, qui potest legem ferre. ergo sine consensu, aut voluntate Episcopi vel Papæ, sine qua non potest ferri lex de obseruando festo aliquo, non potest consuetudo habere vim inducendi, vel abrogandi dies festos. Sic Suarez, Azor, Fagund. & alij *loc. cit.*

QVÆSTIO XVII.

An, Vt consuetudo dicta habeat vim legis, sufficiat, quòd Episcopus, tacitè approbet illam?

REspondeo: Sufficere. Ratio est: quia, vt consuetudo habeat vim legis, solùm requiritur, quòd consensus, aut voluntas Episcopi accedat: at sic est, quòd voluntas tacita, seu implicita, verè est voluntas: ergo hæc sufficiens erit ad approbandam consuetudinem introductam. Sic Baldell. *in Theologia morali lib.5. disp.46. n.2.* per hæc verba: Si potestas ferendi leges pertineat ad Principem, non nisi ex illius consensu, saltem tacito, vim talem habet. Qua eo ipso, quòd Princeps videt talem consuetudinem induci moribus populi, & cùm possit eam prohibere, non prohibet, rationabiliter censetur ipsemet præstare consensum de illa inducenda; vt notat Sayrus *lib.3. Clau. Reg. c.11. num.5.* Sic ille ibi, & latiùs *num.5. cit.* Fagundez *cap.6. cit. num.8.* Trullench. *lib.3. in 3. præcept. Decalog. dub.2. n.4.* Filliuc. *tract.27. c.6. q.8. n.98.* & alij.

QVÆSTIO XVIII.

An, vt præfata consuetudo induat rationem legis, & præcepti, requiratur, quòd inducta sit cum animo se obligandi, & quatenus sic introducta, approbetur à Superiori?

REspondeo, Tanquam certum: Id requiri. Vnde, si consuetudo seruandi aliquod festum audiendo, videlicèt, Missam, & abstinendo ab operibus seruilibus, introducta sit ex mera deuotione, tunc, licet Episcopus approbet illam consuetudinem, non sufficeit inducere obligationem præcepti. Requiritur ergo ad hoc, vt consuetudo habeat vim obligandi ad mortale, quòd introducta sit cum intentione se obligandi ad mortale, & quatenus introducta cum tali animo, sit approbata à Superiori. Sic Suarez, Fagund. Trullench. *loc. cit.* Sot. *de iust. lib.1. q.7. art.2.* Bonac. *disp.5. cit. punct.1. n.6. in noua edit.* Zacharias Pasqualig. *tract. de ieiun. decis.69.* & 271. Vbi multa tradit de consuetudine, quæ nos *tract. de ieiunio* examinabimus.

QVÆSTIO XIX.

An, Quòd consuetudo diei festi introducta sit cum animo se obligandi colligatur, tam ex eo, quòd communis populorum sic teneat; quàm ex eo, quòd Prælati puniant non seruantes talem consuetudinem.

NEgat vtrumque Pasqualigus, *tract. de ieiun. cit.* *Primum* enim, negat *decis.171. n.5.* Vbi clarè docet, non colligi, quod lex sit introducta ex animo se obligandi, ex eo quòd communis populorum sic teneat. *Secundum* autem. *decis.69. num.8.* vbi affirmat, quòd ex eo, quòd Prælati reprehendant, & puniant non seruantes consuetudinem, non debet colligi, consuetudinem habere vim præcepti.

Sed longè probabiliùs Respondeo: Ex quolibet capite, in titulo quæstionis proposito, sufficienter colligi, consuetudinem diei festi introductam esse cum obligatione. Sic tenet expressè Suar. *lib.2. de festis, c.12. num.5.* & *lib.7. de legibus c.17. num.5.* & ex illo Baldellus *lib.5. cit.* Sic dicens, & sic id probans: Et denique addit (*Suarez scilicet*) vim hanc interpre

terpretandi, non solùm competere consuetudini circa ius scriptum, siue humanum, siue diuinum; sed etiam, circa non scriptum, qualis est ipsa consuetudo: & ideo consuetudinem etiam posse interpretari se ipsam: siquidem ipse vsus & continuatio actuum bene potest declarare intentionem vtentium: & ex eo quòd faciunt, & intendunt facere vno tempore, bene potest colligi, quid fecerint, & intenderint alio tempore. Sic ex Suario, Baldell. & bene.

Secundum, etiam docet ipse Suar. *cap.* 12. *cit. n.* 5. & ex illo Fagundez *cap.*6.*cit.n* 8. per hæc verba. Difficile ergo erit scire, quando talis dies festus sit ex voto, aut ex consuetudine: Et certè, vt notat Suarius, hoc vix potest discerni, nisi interueniat expressa declaratio Episcopi, qua declaret, se approbare illam obligationem, vt ex consuetudine ortam, non vt ex deuotione: aut saltem, si non interueniat signum aliquod indicans talem voluntatem, vt si puniri faciat, eos, qui non seruant tale festum. Et certè dicendum est, etiam sufficere communem existimationem totius ciuitatis, aut Diœcesis, quam scit Episcopus, & non corrigit; sed tacitè approbat. Sic Fagundez, ex Soar. Trullench *dub.*2. *cit.num.*4 Villal. *tract.*32. *diffic.*1. *num.*7. Azor 2. *part. lib.*1. *cap.*26. *quæst.*10. *col.*110. & alij.

QVÆSTIO XX.

An, In vno, eodémque loco, possit validè introduci consuetudo haec nempe, vt certum genus Artificum non seruet festum, cætero populo illud obseruante?

NEgat, Rosella *verb. Feriæ, num.*5. eo quòd, hæc consuetudo repugnaret iuri communi, præcipienti dies festos ab omnibus obseruari; vt constat ex cap. *Omnes dies, de feriis.*

Sed, probabiliùs longè, Respondeo: Posse: dummodo ea consuetudo expressè, vel tacitè approbata sit à locorum Ordinariis. Ratio est: quia (vt suprà est habitum) designatio diei festi, est de iure humano: ergo potest cõsuetudine abrogari, minui, aut mutari: & consequenter, licitè introduci, vt certum genus artificum v. g. Sartorum, aut Sutorum, non seruent festum, quando cæteri omnes, pro populi consuetudine, obseruent illud Ex quo constat ad fundamentum Rosellæ. Dicendum enim, quòd, cùm consuetudo possit præualere contra ius humanum commune, possit consequenter contra legem de obseruandis festis. Sic Azor. *lib.*1. *cit.c.*26. *q.*10. *col.*110. citans Caietanum *in summ. verb. Festorum violatio.* Syluest. *verb. Dominica q.*1. *vers. septimum*, & Anton. 2 *p. tit* 9. *c.*7 §.1. Fagundez, etiam *lib.*1. *cit.c.*6.*n.*11. qui vltra citatos, citat Tabienam *verb. Feria, n.*14. Sayrum, *in Claui Reg. lib.*7.*c.*3.*n.*13 & Philiarcum *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib* 3. *c.*23. *notab.*3. Sed certè ex his Authoribus, in primis Caietanus id non docet expressè, sed aliud quid simile; ait enim *ver. cit* sic: Circa principium, & finem festorum, patriæ consuetudo seruetur; ita vt licèt communiter festum celebretur de vespera in vesperam: si tamen ars aliqua (puta sutoria, aut tonsoria) consueuit à media nocte in mediam noctem celebrare, seruari potest huiusmodi consuetudo: habetur enim pro approbata patriæ consuetudine quantùm ad illas artes, quæ sic consueuerunt absque Prælatorum reprehensione celebrare festa. Hucusque Caiet. Non ergo omnino benè citantur à dictis Doctoribus. Rursus, minùs benè citatur Syluester, nam loco ab Azorio citato, nil dicit ad propositam quæstionem, sicut nec *v.*3. *vers. Quintum*, in quo citatur à Fagundez.

QVÆSTIO XXI.

An, Ciuitas, vel communitas laïcorum, possit se voto obligare ad colendum aliquod festum?

REspondeo, Tanquam certum: Posse; quia nulla est in hoc repugnantia, cùm actus Religionis verè sit materia voti. Non poterit tamen hæc obligatio transmitti in posteros, quia est personalis; & ideò tantùm obligabit vouentes, vel consentientes ipsis, nisi aliàs fiat de consensu Episcopi aliquod statutum, vel inducatur consuetudo legitima, & approbata à Prælato. Sic omnes. Suar. *lib.*2. *de festis c.*12. *num* 4. Azor *c.*26. *cit. q.*7. *col.*109. Filliuc. *tract.*27. *c.*6 *q* 9. *n.*99. Trullench *dub.*3. *cit.n.*5. Legantur Sanch. *lib.*4. *summ. c.*15. *à n* 14.

DISPVTATIO III.

De his, qui ad festos dies obseruandos tenentur.

QVÆSTIO I.

An, Omnes fideles teneantur ad colendos dies festos, generaliter in tota Ecclesia indictos?

RESPONDEO tanquam certum: Teneri Quia festa generalia, omnes personas fideles comprehendunt dummodo habeant vsum rationis & alioquin excusati non sint: vt ampliùs in sequentibus declarabimus. Sic omnes Doctores.

QVÆSTIO II.

An, Pueri, ante vsum rationis, qui regulariter habetur completo septennio, teneantur ad colendos dies festos?

REspondeo, etiam tanquam certum: Non teneri. Quia ante vsum rationis, nemo legibus Ecclesiasticis tenetur; cùm harum obligationum fundamentum, vsus rationis sit Nam præceptum, seu lex, est vinculum rationis, vt docet D.Thom. *q* 1. *de verit. art.*3. ergo solùm potest ligare eos, qui habent. Ante vsum ergo rationis, non tenentur. Pueri audire Missam; sicut neque abstinere à carnibus, aut lacticiniis, in diebus vetitis; aut ab ingressu in claustra Monialium, &c. Sic omnes DD Salas *disp.*4. *de legib. lib.*7. Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. art. disp.*40. *sect.*2. Azor *tom.* 1. *lib.*7. *c.*40. *q.*6. Sayrus *in Claui Reg. lib.*6. *c.*8. *n.*21. Castro Palao *tom.*1. *tract.*3. *disput.*1. *punct.*24. §.2. Sanchez *lib.*1. *summ. c.*12. *n.*2. & apud ipsum, Sotus *lib.*1. *de iust. q.*3. *art* 9. Medina 1.2. *q.*94. *art.*1. *col.*2. & alij ex præcitatis Bonac. *de legib. disp.*1. *q.*1. *punct.*6. *n.*6. Baldell. *lib.*3. *disp.*30 *n.*1. Filliuc. *tract.*27. *c.*7. *q.*1. *n.*101. Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*3. *n.*1. Sanchez *in selectis disp.*51. *n.*31. & plures penes ipsum. Ausonius *in summ Diana verb. Puer n.*1. Ioseph. Rocafull. 3. *part. praxis moral. lib.*1. *de leg. c.*4. *n.*72. & alij.

QVÆSTIO III.

An, Pueri, statim cum ad vsum rationis peruenerint, teneantur ad colendos dies festos?

NEgat Corduba in summa, q.60. (non 40. vt inuenies citatum apud Salas) fol. *mihi* 152. per hæc verba: [Lo quarto, a quanto pecado, y descomunion digo, que aunque teniendo vso de razon, y edad de discrecion para discerner entre el bien, y el mal, que comunmente es la edad de siete años, pueden los niños pecar: venialmente, y aun en algunas materias, y pecados, mortalmente, &c. Empero que comunmente no le tiene sino desde passados siete años, el hombre hasta los diez, ò onze, y la muger hasta los 9. ò diez comiençan a tener vso de razon bastante para pecar mortalmente regularmente: y assi hasta la edad de onze, o doze años no les obliga la Iglesia comunmente, so pena de pecado mortal, ni descomunion, a guardar sus Leyes, y Mandamientos de confessar, y comulgar la Quaresma, y oyr Missa las fiestas de guardar, y de ayunar, y no comer carne, ni hueuos la Quaresma, Viernes, y Vigilias, &c. Assi lo dize Florentino 2. *p. art. summ. tit. 9. c.* 18. §. 2. Segun Hostiense, Domingo, Antonio, Anchar. y Soto, *in 4. dist.* 18. *q.* 1. *art.* 4. *fol.* 805. *B. & dist.* 12. *q.* 1. *art.* 11. *fol.* 574. *B. & de iust. & iure lib.* 8. *q.* 3. *art.* 2. *fol.* 662.] Hucusque Corduba. His Authoribus addendus est Henriquez, *lib.* 8. *de Euchar. c.* 42. *n.* 4. vbi censet, Ecclesiæ præceptis non obligari pueros, statim ac vsum rationis habent.

Sed tanquam verissimum Respondeo. Teneri: quia, certè; verissimum est, pueros, cùm ad vsum rationis peruenerint (qui regulariter accidit, septennio completo, vt etiam fatentur contrariæ sententiæ Authores) obligari omnibus Ecclesiæ legibus, quæ expressè tempus non determinant, sicut determinant in præcepto ieiunij vt docent Sanchez *in summ. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 6. & alij penes ipsum, Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 8. Baldell. *lib.* 5. *disp.* 30. *n.* 8. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. *n.* 5. & communis, & constat, quia cum dicti pueri sint rationis capaces, legis etiam quæ in ratione fundatur, capaces sunt: ergo consequenter, & obligantur præcepto obseruandi dies festos. Sic præfati Doctores, Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 1. dicens, hanc esse communem, & certam sententiam, Iosephus de Rocafull. 3. *p. praxis moralis, lib.* 1. *cit. c.* 4. *n.* 73. & alij communiter.

QVÆSTIO IV.

An, Pueri, qui ante septennium plenè vsum rationis sunt adepti, teneantur ad dies festos seruandos?

NEgat Ausonius in summa Dianæ *verb. Puer n.* 1. vbi generaliter docet, quòd pueri non obligentur ad humanas leges ante septennium, etiamsi discurrant. Idem docet Sancius *in selectis disp.* 51. *n.* 35. vbi id affirmat per hæc verba: Imò quamuis ante septennium, puer doli capax sit, nullo præcepto positiuo obligari reor: cum leges positiui iuris, ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare: & per accidens sit in vno vel alio puero rationis vsum accelerari: in quo absque discordia puto consentire Doctores, nam ad ea, quæ frequenter accidunt, leges adaptantur, *l. nam ad ea. ff. de legib.* Hucvsque Sancius, quem citat, & sequitur Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. *n.* 3. Diana 4. *p. tract.* 3. *resol.* 52. Et pro hac sententia citari possunt aliqui DD. docentes pueros ante septennium, etiamsi perfectum vsum rationis habeant, non teneri præcepto abstinendi à carnibus, de quo *tract. de ieiunio disp.* 2. *q.* 41.

Sed probabilius Respondeo: Teneri. Quia omnis vtriusque sexus fidelis, statim cum ad annos discretionis peruenit, obligatur de facto illis præceptis Ecclesiæ, vt ad confitendum semel in anno, ad abstinentiam carnis in diebus prohibitis, vt diximus, 1. *p. tract.* 5. *disp.* 3. *q.* 28. ergo, & præcepto obseruandi dies festos obligari, necesse est. Sic tenent omnes Doctores, qui docent, pueros teneri præcepto audiendi Missam, statim ac habere incipiunt vsum rationis sufficienter ad peccandum saltem mortaliter; hi autem sunt Suarez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 4. Nauarr. *in Man. c.* 21. *num.* 1. quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. dicens, hanc eandem sententiam debere asserere, qui docent, pueros teneri ad præceptum annuæ confessionis, cùm incipiunt iudicium rationis habere, in quacumque contingat ætate, sunt autem plures, quos citauimus 1. *p. loc. cit.* Et in terminis, sic etiam docent Ægidius *de Sacram. q.* 83. *art.* 5. *num.* 286. Præpositus *in* 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *num.* 197. Mercer. *de Sacr. q.* 83. *art.* 4. *dub.* 4. Hurtadus *de Sacrif. Missæ disp.* 5. *diff.* 1. quos citat & sequitur Diana sibi contrarius, 5. *part. tract.* 13. *resol.* 77. Addendi etiam sunt Azor *c.* 17. *de tertio præcept. Decal. c.* 17. *fol. mihi* 60. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 4. *dub.* 2. *n.* 11. & alij.

QVÆSTIO V.

An, etiam pueri, de quibus dubitatur, an vsum rationis habeant, teneantur ad festa seruanda?

AFfirmant, teneri hac, & aliis legibus Ecclesiasticis, casu, quo pueri, de quibus dubitatur, an vsu rationis gaudeant, septennes sint; secus si nondum sunt septennes; eo quòd, cùm vsus rationis septennio completo communiter accidat, non præsumitur adesse ante id tempus; secus post; Sanchez *in summ. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 13. Bonac. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *n.* 9. Diana 4. *part. tract.* 3. *resol.* 52. Vbi sic ait: Certum est tamen, vt dixi, ante septennium in dubio an puer habeat vsum rationis, præsumi non habere, & sic non tenetur confiteri, ieiunare, &c. Vt cum aliis tradit Alphonsus de Leone *tract. de offic. & potest. Confess. tom.* 1. *recoll.* 17. *n.* 41. Ita Diana, quem sequitur Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 4. *dub.* 2. *n.* 11. Licèt statim sibi contrarietur, *vt infrà*. Addit tamen Sanchez *loc. cit.* teneri prædictos pueros, iure diuino, in mortis articulo fateri, ob æternæ damnationis periculum, si fortè rationis vsum habeant, & peccato lethali infecti sunt.

Alij ergo, absolutè affirmant, teneri; etiamsi ante septennium de vsu rationis dubitetur. Sic Trullench *loc. cit.* vbi postquam retulit sententiam Dianæ, à nobis nuper relatam, sic ait: quæ omnia probabiliter sustineri possunt propter rationem, & authoritatem Doctorum; etsi oppositum existimem probabilius, & securius. Ita ille: Sed certè minùs consequenter. Sic etiam Petrus Ledesma *in summ. vbi de Sacram. Pœnit. c.* 8. Quatenus docet (in æstimationem Thomæ Sancij *loc. cit.*) pueros etiam non septennes, in dubio vsus rationis teneri ex Ecclesiæ præcepto fateri. Sic etiam Villalob. *tom.* 1. *tr.* 9. *diff.* 28. *n.* 3. quem citat, & sequitur Diana *tract.* 3. *resol.* 53. Quatenus docet, quòd quando est dubium de pueri capacitate, tunc puer non solùm in mortis articulo, sed extra illũ teneatur ad confessionem, & debeat absolui sub conditione.

Sed

Digitized by Google

Sed mihi probabiliùs, respondeo, Dicendum: quòd pueri, de quibus est dubium, num rationis vsu gaudeant; vel non teneantur præcepto Ecclesiastico ad confessionem, vt volunt secundæ sententiæ Authores; vel si hoc præcepto teneantur, teneantur etiam & præcepto obseruandi festa. Quia vt bene Fagund. *lib.2.cap.2.num.6.* eadem omnino est ratio de præcepto auditionis Missæ, seu obseruationis festorum; ac de præcepto confessionis; cùm vtrumque præceptum sit Ecclesiasticum, & annos discretionis requirat: ergo dicti pueri, vel ad vtrumque, vel ad nullum præceptum, ex dictis, tenentur. Vnde quidquid sentias de his opinionibus, probabiliter senties. Certum tamen debes sentire prædictos pueros in articulo mortis fateri debere, vel iure diuino, vt vult Sanchez; vel iure charitatis erga seipsos, quo, ad euitandum damnationis propriæ periculum, tenentur.

QVÆSTIO VI.

An, Existentes extra suum territorium, per modum transitûs; teneantur ad dies festos, ieiunia, & alias consuetudines particulares suæ patriæ?

AFfirmant Syluest. *verb. ieiunium. q.2. dicto* 2. Rosella *num.* 17. D. Anton. 2. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Palud. *in 4. dist.* 15. *q.4. art.* 3. *num.* 26. Ioann. Andræas *in Additio. ad Speculator. tit. de instrum. editione, §. Compendiosè, num.* 16. & alij, quos citant Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.* 18. *num.* 17. & Salas *de legibus disput.* 14. *sect.* 5. *num.* 59. Idem docentes, de præceptis ieiunij, de legibus, & consuetudinibus patriæ. Fundamentum præcipuum eorum est: quia huiusmodi peregrini verè sunt subditi sui Episcopi: ergo tenentur obedire præcepto illius, de festis, ieiuniis, aut aliis legibus, obseruandis.

Sed probabiliùs Respondeo. Non teneri ad prædictos dies festos, sicut nec ad ieiunia, aut consuetudines patriæ suæ (saltem quando ea festa, aut ieiunia, in loco in quo sunt, non obligant.) Sic colligitur ex cap. *Vt animarum, de constitutio. in* 6. vbi Bonifac. VIII. declarat: Quod subditi non incurrunt censuram per Episcopi statutum latam, qui extra territorium Episcopi agit contra statutum. Cuius decisionis ratio est: quia lex intantum obligat, in quantum reperit iurisdictionem; at iurisdictio non extenditur extra territorium ius dicentis: ergo nec obligatio legis ab eo latæ: ergo ciuis extra territorium proprium ab ipsa deobligabitur.

Nec obstat, quòd huiusmodi peregrini, sint subditi Episcopi proprij territorij, vt ideò teneantur obseruare festa, & ieiunia, aut censuras, à suo Episcopo per statutum latas, quia vt diximus, leges non obligant extra intentionem ferentis; huiusmodi autem leges non diriguntur ad subditos absolutè, sed ad subditos præsentes, & existentes in proprio territorio, & ideò eos extra illud non obligant. Sic innuunt illi versus relati à Glossa *in cap. Illa* statim citando: *Cum fueris Romæ, Romano viuito more; Et cùm fis alibi, viuito sicut ibi.* Et D. August. *Epist.* 118. & refertur *in cap. Illa, dist.* 12. Sic loquens *in Sabbato si sum Romæ, ieiuno; si Mediolani, non ieiuno.* Et tenent communiter DD. penes Pasqualigum, Nauarr. *in Man. cap.* 13. *num.* 5. *vers. infertur tertiò, & cap.* 23. *num.* 120. *lat. & Hispanè* 128. Henriquez *lib.9. summ. cap.* 25. *num.* 2. *in fine.* Azor. 1. *part. lib.* 5. *cap.* 18. *quæst.* 14 Lopez 1. *p. instruct. cap.* 52. §. *Vnaquaque Ciuitas* Philiarc. *tom.* 1. *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. *not.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *summ. cap.* 122. *num.* 1. Graffis *decis. aurear. c.* 7. *num.* 37. & 39. Vgolinus *tab.* 1. *de cens. cap.* 9. §. 3. *n.* 1. & 3. Pedraza *precept.* 3. §. 14. Armilla *v. excommunicatio, num.* 30. Rosella *eo v.* 7. *num.* 3. & 7. Sà *eod. verb. num.* 12. Maior *in 4. dist.* 5. *q.* 3. Lessius *lib.4. de iustitia, & iure, cap.* 2. *dub.* 8. Sayrus *in Clau. Reg. lib.* 7. *c.* 3. *num.* 11. Petr. de Ledesma *de matrimon. q.* 45. *punct.* 3. *dub. vlt.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.* 18. *n.* 18. Suarez *in* 3. *p. tom.* 5. *de cens. disp.* 5. *sect.* 4. & 5. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 25. & *lib.3. de legib. cap.* 32. *num.* 3. Acuña *in* 1. *part. decreti in cap. Illa, num.* 5. *dist.* 12. Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 62. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 108. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 136. Villalob. *tom.* 1. *summ. tract.* 2. *diffic.* 34. *num.* 1. Granad. 1. 2. *controu.* 7. *part.* 1. *disp.* 6. *sect.* 4. Pontius *lib.7. de Matrim. cap.* 8. *num.* 1. Bonac. *tom.* 2. *disput.* 1. *de leg. q.* 1. *punct.* 6. *num.* 59. Layman *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. Rebell. *p.* 2. *lib.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. Diana 1. *p. tract.* 9. *resol.* 18. & *tract.* 10. *resol.* 14. Merolla *tom.* 2. *Theolog. Moral. disput.* 4. *c.* 3. *dub.* 41. *num.* 473. & *sequent.* Fagundez *lib.* 1. *c* 7. *n.* 3. Palaus *part.* 1. *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 25. §. 5. *num.* 1. Malder. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. §. *de Peregrinis.* Bossius *sect.* 4. *de Iubil. casu* 18. *num.* 39. Sancius *in selectis disp.* 54. *num.* 27. Gnilinus *in summ. verb. Ieiunium, num.* 21. *litt. G.* Driedo *de libert. Christ. lib.* 1. *cap.* 17. *aliàs c.* 2. *part.* 3. *art.* 2 *mem. vltim.* Gordonus *lib.6. Theolog. Moral. q.* 18. *c.* 7. *quæstione.* 2. Trullench. *cap.* 2. *cit. dub.* 6. *num.* 5. Et ex Iuristis, Abbas, Felinus, Cardin. Imola, Bonifacius, Curtius, Alexand. Parisius, Conarruu. Bertachin. Zabarel. Crotus, Baldus, & Iason. Quos omnes refert, & sequitur Zacharias Pasqualigus *tract. de Ieiunio, decis.* 211.

Sed ex his Authoribus, quos hic Author citat nonnulli citantur mendosè, & Rosellam pro vtraque citat parte. Citari etiam potest pro nostra sententia Iosephus de Rocafull. 3. *part. praxis Moral. lib.* 1. *de legib. c.* 4. *num.* 82.

QVÆSTIO VII.

An, Licitum sit recedere à proprio loco, in quo celebratur festum, ad alium, vbi non celebratur, ad opera seruilia exercenda?

NEgatiuam sententiam esse probabilem innuit Lessius vbi infrà.

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Esse licitum: quia præceptum de obseruando festo, non vetat exitum à loco, in quo festum obligat: at extra illum non obligat, vt diximus: ergo integrum est cuilibet recedere à proprio loco, in quo est festum, ad exercenda opera seruilia ad locum in quo talis dies festiua non est. Imò idem dicendum est, quando festum est in vna oppidi Parochia, & in altera non; possunt enim Parochiani Parochiæ in qua est festum, in altera Parochia, vbi non est, laborare. Sic Suarez *tom.* 1. *de Relig. cap.* 13. *n.* 6. Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 55. Clauis Reg. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 12. & Sà *verb. Festum, num.* 9. Quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *summ. cap.* 12. *num.* 31. Nauarr. *in Man. cap.* 13. *num.* 5. Lud. Lopez 1. *p. instruct. cap.* 52. & Rodriguez 1. *tom. summ. cap.* 122. *num.* 1. Quos refert idem, & sequitur *lib.3. de matrimon. disput.* 18. *numero* 21. Castro Palao *Vbi infrà numero* 4. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 3. *numero* 4. & communis. Legantur dicta à nobis 2. *part. tract.* 9. *disputat.* 7. *quæst.* 11.

QVÆST.

QVÆSTIO VIII.

An, Quando in proprio loco vrget præceptum feſti vel ieiunij, licitum ſit etiam ex intentione non ſeruandi feſtum, vel ieiunium, tranſire ad alium locum, vbi non vrget tale præceptum?

NEgant Syluester, *verb. Ieiunium, q. 2. in fine,* Ledeſma, *quæſt. 45. de Matrimon. art. 5. pun. 3. dub. vlt. concluſ.* 1. Rodrig. *tom. 2. ſum. cap.* 122. *num.* 1. Rebellus *de iuſtit. & iure part. 2. lib. 2. quæſt. 7. ſect. 5. num.* 16. Sayrus *lib. 7. Clauis Reg. cap. 7. num. 12. in fine.* Salas *de leg. diſp. 14. ſect. 5. num. 63. in fine,* Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 2. dub. 8. num. 60. in fine,* Layman *lib. 1. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 11. num. 9. verſ. Secundò dixi.* Barthol. de Ledeſm. *de matr. d. 21 fol.* 1332. Quos omnes referunt Sanchez *loc. cit.* & Paſqualigus *infrà:* quibus addi poſſunt Henriquez, & Cornejo, quos retulimus in ſimili *p. 2. diſp. 7. cit. quæſt.* 12.

Sed probabiliùs reſpondeo, Etiam eſſe licitum. *Primò,* Quia quando quis diuertitur à loco ſuo, vbi eſt dies feſti, aut ieiunij, ad alium vbi horum aliquod præceptum non eſt, vtitur iure ſuo: at qui hoc vtitur, non facit in fraudem legis, etiamſi ſe ſubtrahat ab obligatione ipſius: ergo *Secundò,* Quia in noſtro caſu, nullo modo interuenit propria fraus, & dolus legis (vt contrarij exiſtimant) ſed ſolùm fuga mera præcepti: at hæc, non eſt contra præceptum, vt diximus: ergo eſt licita per ſe; aut indifferens, ita vt eſſe poſſit bona, vel mala ex fine adiuncto. *Tertiò,* Quia ſi illa fuga præcepti eſſet illicita, ideò eſſet, quia fit cum intentione non ſeruandi præceptum: at ex hac parte non eſt illicita; cùm illa intentio non tendat formaliter ad non ſeruandum præceptum vbi viget, ſed ad fugiendum præceptum, transferendo ſe quis ad locum ibi non viget; & ibi dum eſt, poteſt pluries comedere, laborare, &c. Ergo: Sic Suar. *loc. cit. num.* 6. Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 18. num. 29. & in ſum. loc. cit.* Bonac. *tom. 2. diſput. 1. de leg. q. 1. pun. 6. num. 64.* verſ. *Ad 10.* Qui tamen malè citat Leſſium pro hac parte, cùm oppoſitum *num. 60. cit.* clarè per hæc verba inſinuet. Hæc ſententia (*nempe, quæſt. 7. relata*) videtur ſatis probabilis, ſi loquamur de iis, qui non in fraudem ieiunij, ſed bona fide negotiorum cauſâ locum mutant. Sic ille Baſilius *lib. 5. de matrim. cap. 9. num. 4.* Hurtado *de matrim. diſput. 5. diffic. 5. num. 14.* Ægidius *diſput. 27. dub. 1. num. 14.* & Ochagau. *tract. 3. q. 8. n. 5.* Quos citaui *2. p. tract. 9. diſput. 7. quæſt. 11. & 12.* Fagundez *lib. 1. cap. 7. num. 7.* quem citat, & ſequitur Diana *1. par. tract. 9. reſol. 9. & tract. 10. reſol.* 16. Caſtro Palao *tract. 3. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num.* 4. Ioan. Sancius *in ſelectis diſp. 54. num.* 20. (Qui tamen malè citat Rebellum pro hac parte, cùm oppoſitam expreſsè teneat, vt meliùs vidit Sanchez *in ſum.* & nos *2. par. loc. citatis*) Merolla *tom. 2. Theol. mor. diſput. 4. cap. 3. num.* 503. Chilinus *in ſum. ver. Ieiunium, num. 21. litt. F.* Paſqualigus *tract. de Ieiunio deciſ. 214. num. 3.* (qui etiam citat pro hac parte Henricum de Villalobos *tom. 1. ſum. tract. 1. diffic. 34. num.* 2. Sed non bene, nam non in caſu præſentis, ſed ſuperioris quæſtionis loquitur) Trullench. *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 3. num.* 4. Filliuc. *tract. 27. cap. 7. num.* 113. D. Ioan. Eſcobar *tom. 1. tract. de vtroque foro, art. 4. num. 203. pag.* 158. Ioſephus de Rocafull. *3. part. praxis moral. lib. 6. de legib. cap.* 13. Quintanaduenas *de Iub. cap. 8. num.* 13. & alij.

QVÆSTIO IX.

An, Quando quis manè egreditur de loco proprio vbi eſt dies feſtiua, ad laborandum, ad locum, vbi non eſt, teneatur, priuſquam exeat, Miſſam audire?

NEgant teneri audire Miſſam in hoc caſu; dummodo in loco à quo exire intendit, à mane vſque ad meridiem ſint plures Miſſæ celebrandæ. Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 18. n. 21.* & *in ſum. lib. 1. c. 12. num.* 32. Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 5. num.* 66. Sancius *in ſelectis diſp. 54. num.* 29. Quos omnes citat, & ſequitur Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num.* 8. Qui etiam poterat citare Leſſium, eodem fundamento, quos citat Salas, nam hîc ad vnguem refert verba illius, *ex lib. 4. cap. 2. dub. 8. n.* 56. Vterque autem ſolùm dicit, hanc ſententiam eſſe valdè probabilem; ſed oppoſitam, tutiorem. Citat etiam Sancius *loc. cit.* pro hac ſententia Suarium *t. 10. de Relig. lib. 2. cap. 13. n. 2. & to. de cenſur. diſp. 3. ſect.* 4. Nauarr. *in ſum. cap. 13. num. 5. & cap. 23. num.* 120. Couarruu. *4. variar. c. 20. num.* 8. Sed certè omninò malè citat, Suarium, & Nauarrum, vt infrà, imò, & Couarruuiam: quia *loc. cit.* nil ad propoſitum dicit. Tenet tamen hanc ſententiam Bonacina *tom. 1. diſp. 4. q. vltima, pun. 12. num.* 5. (vbi refert pro ſe etiam Suarium, *lib. 2. cit. cap. 14. num.* 21. Naldum *verb. Miſſa, num.* 15. & Henriquez *cap. 25. num.* 2. (Sed an bene, ex infrà dicendis videbitur) & *tom. 2. diſp. 5. q. vnica, pun. 3. num.* 18. vbi pro oppoſita ſententia citat Suarium, & Nauarrum, & certè bene. In hanc eandem ſententiam inclinat Baldell. *in ſua Theolog. Moral. lib. 5. diſp. 31. num. 1.* verſ. *Et quamuis*: dicens, eam eſſe valde probabilem, & ſufficienter tutam. Tenent etiam Barboſa *lib. 1. de iure vniuerſo cap. 20. num.* 52. & Ballæus *verb. Feſtum, 5. num. 6. & verb. Miſſa 8. n.* 10. Diana *1. par. tract. 10. reſol.* 14. Horum vnicum fundamentum eſt: quia dum quis adeſt in loco vbi eſt dies feſtus, & ſunt plures Miſſæ celebrandæ, quibus poteſt ſatisfacere præcepto, non illum vrget præcepti obligatio: at neque præceptum obligat illum non exire à loco: ergo non obligat illum audire Sacrum, ſi vult exire: patet, quia exiens à loco, iam exemptus eſt ab obligatione. Sic Caſtro.

Sed probabiliùs reſpondeo: Teneri priuſquam exeat, audire Miſſam. *Primò,* Quia, dum quis eſt in proprio loco, afficitur præcepto feſti: ergo, & obligatione audiendi Sacrum: ergo illam neceſſariò debet adimplere quàm primùm poteſt, ſi poſtea non ſit via eam adimplendi: patet conſequentia, quia præceptum audiendi in feſto Miſſam, eſt affirmatiuum, & præcisè obligat ad vnum actum: ergo debet adpleri cùm poteſt, ſi poſtea ceſſaturum eſt.

Secundò, Quia, ſi ſolùm eſt vnum Sacrum, & celebratur in loco proprio, tenetur ſine dubio, antequam quis ex illo exeat, audire illud; quia obligatur præcepto, & eſt commoditas adimplendi; nec apparet ratio vnde excuſetur, vt iiſdemmet verbis fatetur Caſtro: addens, in hoc etiam conuenire Sanchez, Salas, & Sancium: ergo etiam ſi ſint plura Sacra celebranda: patet, quia in hoc caſu, non ſolùm obligatur præcepto; verùm etiam eſt maior commoditas illud adimplendi: ergo, hîc minor apparet ratio, vnde excuſari poſſit.

Confirmatur etiam ex dictis *par. 2. tract. 9. diſp. 7. q.* 12. ex quibus omnibus, ſolummanet fundamentum contrarium. Sic Nauarr. *in Man. cap. 13. num.* 5. Ludou. Lopez *1. part. inſtruct. cap. 52. §. nec peccant.* Rodriguez *tom. 1. ſum. a. edit. cap. 222. num.* 1.

Quos

Quos pro hac parte refert Sanchez *lib.3. de matrim. disp.18. n.21.* Sayrus *in Claui Reg. lib.7. c.3. num.12.* Sà, *verb. Festum, n.9.* quos idem Sanchez refert *in summ. lib.1. c.12. n.31. & 32.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. c.13. n.7. & c.15. n.10.* Fagundez *lib.1. cap.7. n.17. & 18.* Trullench *in 3. prac. Decal. lib.3. c.1. dub.3. n.4.* Basilius *lib.5. de matrim. c.7. §.2. num.14. & c.8. num.6.* Ortyz *in summ. vbi de 3. precept. §.5. fol.3.* Lublinus *in summ. verb. Festum, n.3.* Filliuc. *tract.27. c.9. num.111. & tract.5. c.7. q.10. num.226.* Grassius *1. p. lib.2. c.35. n.25.* Naldus *verb. Festum, n.8.* Moure *in Examine Theolog. Moral. p.1. c.7. §.1. num.14.*

Limitant tamen hanc sententiam, quidam ex præcitatis Doctoribus, vt scilicet, locum habeat, quando qui exiturus est à loco in quo est dies festiua, possit commodè, nempe horâ matutinâ, Missam audire, priusquam ad laborandum in alium locum discedat, non enim tenetur expectare vsquead meridiem pro Missa audienda. Sic Suarez *loc. cit. n.11.* & Trullench *loc. cit.* & in hoc conuenire Doctores, ait Castro *loc. cit. n.6.*

QVÆSTIO X.

An, Peregrini teneantur ad obseruandu festu, & ieiunia propria loci, in quo versantur, casu, quo, non perpetuò habitandi ibi accedant animo?

NEgant Glossa *in cap. Quæ contra, dist.8. verb. aut. Peregrinis.* Speculator. *rubr. de constitutio. num.7.* Archidiacon, *in cap. Illa, dist.12. verb. Serua.* Turrecremata *in d. cap. Quæ contra. & in cap. Illa. cit. sup.* Paludan, *in 4 dist.15. q.4. art.3. num.14.* & *ib* Palacios *disp.8. §. At verò.* Ledesma *2. part. 4. q.17. art.3. §. Tertiò dico.* Rosella *verb. Ieiunium, num.19. alias 16.* Sylvest. *eo v. q.2. dicto 1.* Medina *C. de Ieiunio, quæst. Quando necesse est ieiunare.* Angles *florib. 1. part. q.4. de ieiun. ante dub.1. diffic. 2.* & Margarita Confess. *q. moralibus, fol.165.* Quos omnes refert Sanchez *lib.3. de matrim. disp.18. num.9.* existimantes, tunc solùm teneri peregrinos, & aduenas ad dies festos, ad ieiunia, & ad alias leges loci, in quo reperiuntur; quando animo illic perpetuò habitandi accedunt. His Authoribus accedit nouissimè Zacharias Pasqualigus, *tract. de ieiunio decis.201. 202. & 203.* vbi *n.2.* pro se præter citatos Authores, citat Bal. *in l. Et l verum 3. C. de Incolis.* Angel. *in l. Nec ipsi, eod. C.* Bar. *in l. Cornelia, §. Si tamen num.1. ff. de iniur. & fam. lib.* Boër. *in l. Consentaneum n.107. C. Quomodo, & quando Index.* Vbi docet, nec per mille annos contrahi domicilium ab illo, qui habitat cum animo recedendi. Aciat. *Respons.55. n.9.* Menoch. *libro 2. de arbitr. Centur.1. num.7.* Ludouicus Peius *dec.16. n.1.* Riccius *Resol.263. n.3.* Bernardus Barallis *de potest. leg. Municip. disquis.1. §. 4. num.30.* Fundamentum huius sententiæ præcipuum est: quòd aduenæ, qui morantur in aliquo loco, absque animo contrahendi domicilium, non subiiciuntur iurisdictioni speciali illius loci, cùm non intendant, se incorporare tali communitati; ergo quantumuis diù morentur, prædicto modo in illo, non tenebuntur ad festa, ieiunia, & alias leges particulares illius loci.

Sed, longè multò probabilius, imò vt mihi certum, Respondeo: Teneri. Quia longè probabilius est, & mihi certum, quòd aduenæ, qui per notabile tempus morantur in aliquo loco contrahunt, ibi, quasi domicilium sufficiens ad hoc, vt ipsi teneantur ad obseruanda festa, & ieiunia propria loci. Sic *R. P. Leand. in V. Precept. Eccles.*

Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. cap.14. num.2.* dicens, contrariam sententiam non esse practicè probabilem, & esse contra communem sensum, & contra omnem bonam gubernationem, & etiam contra rationem. Fagund. *lib.1. cap.8. num.6.* Vocans eodem modo, contrariam sententiam, practicè improbabilem, & contra bonos mores. (Quamuis hic Author statim, *num.9.* oblitus sui, esse probabilem dicit) Sanch. *lib.3. de matrim. disp.18. n.9.* appellans oppositam sententiam, valde dissonam rationi. Baldellus *in Theol. Moral. lib.5. disp.32. n.4.* dicens, sententiam contrariam, tanquam improbabilem esse reiiciendam. Filliuc. *tract.27. n.114* dicens, non esse practicè probabilem. Basilius *lib.5. de matrim. cap.7. §.1. num.5.* dicens, esse contra rationem, & communem sensum. Castro Palao *1. p. tract.3. disp.1. punct.24. §.3. num.2.* affirmans, contrariam sententiam nullo modo esse admittendam. Sic alij innumeri inf. à *q.19.* citandi.

QVÆSTIO XI.

An, Lectores, & Scholares Vniuersitatum, v. g. Salmanticensis Complutensis, &c. in quibus studiis vacant congregati sub vno Rectore, teneantur ad festa, ieiunia, & alias leges, & consuetudines proprias horum oppidorum?

NEgant omnes Authores, nuper pro prima sententia relati; & consequenter certè: quia existimant, Lectores, Scholares, & alios qui sunt de Vniuersitate, licèt diu habitent in oppidis, vbi ratione studiorum morantur; nunquam contrahere domicilium, sed semper se habere tanquam aduenas. Sic specificè loquendo, docet Pasqualigus *tract. de Ieiun. decis.188.* Idem docens, de Ciue, casu, quo fiat membrum Vniuersitatis, vel quia vacat studijs, vel quia Cathedram habet. Hanc eamdem sententiam docet Thom. Sanchez, *lib.5. consil. moral. cap.1. dub.3. num.1.* Vbi sic ait: Conuentus Religiosorum non tenetur stare præceptis, aut consuetudinibus particularibus oppidi, vbi resident, sed tantùm generalibus præceptis, & consuetudinibus. Sic Docti Iuniores. Ad idem sunt Metina, *C. de Ieiunio, q. Quando necesse est ieiunare in princ.* Ledesma *2. 4. q.17. artic.3. fol.204. vers. Tertiò dico.* Angles *florib. quæst. Theolog. 1. part. mat. de Ieiun. q.4. dub.2.* D. Anton. *2. part. tit.6. cap.2. §.2.* Syluest. *V. ieiunium q.2.* vbi dicunt, quòd consuetudo sæcularium non ligat Clericos, nec Clericorum consuetudo Religiosos, nec consuetudo loci Vniuersitatem, nec è contra; quia sunt diuersi statûs, & diuersis statutis, & consuetudinibus gubernantur. Imò Compluti non comedunt aliquando carnes Ciues, & Scholastici comedunt, vt refert quidam Doctus neotericus. Hucusque Sanchez.

Sed longè multò probabilius, Respondeo: Teneri ad festa, ad ieiunia, ad auditionem Sacri, & ad alias leges proprias oppidorum, in quibus sunt. Quia licèt non acquirant domicilium loco studij, defectu animi perpetuò habitandi, sortiuntur tamen forum, & quasi domicilium, eo quòd maiori anni parte ibi habitent; quod quidem est sufficiens, vt aliquis teneatur legibus, & consuetudinibus loci. Sic Sanchez *lib.3. de matrim. disp.18. num.9.* Vbi sic ait: Valde enim rationi dissonat, Scholares qui triennio in loco studij habitant, non teneri illius legibus, & consuetudinibus. Idem docet *in summ. lib.1. c.12. n.41. & 42.* Vnde dicendum est, Sanchez sibi esse contrarium (quod referens illum pro vtraque

sententia, non notat Pasqualigus) Suarez *lib.2. cit. c.14. n.2.* Vbi sic ait: Quis enim dicat, Scholares Conimbricenses, qui per magnam anni partem ibi morantur, non teneri ad audiendam Missam in diebus festis propriis illius Episcopatus, profectò est contra communem sensum, & contra omnem bonam gubernationem, &c. Sic ille. Fagundez *lib.1. c.8. n.6. & 7.* Basil. *lib.5. de matrim. c.7. §.1. num.5.* & apud ipsos, Dominicus, & Felinus, Villalob. *tract.2. diffic.33. num.6.* per hæc verba: [Lo mismo digo quando se va a morar por la mayor parte del año: como el estudiante, que viene a oyr a Salamanca seis meses, porque esto basta para que tenga alli quasi domicilio, para recibir los Sacramentos necessarios. Esta dotrina tengo por muy cierta, laqual tiene Sanchez con otros, contra algunos que tienen lo contrario, sin bastante fundamento, que no se como se podia dezir, que vn estudiante en Salamanca no estuuiesse obligado a las fiestas, y ayunos, que los demas de la Ciudad.] Sic ille, & alij omnes, qui defendunt, teneri aduenas, & Peregrinos ad obseruanda festa, & ieiunia locorum, in quibus, per maiorem saltem partem anni, reperiuntur, de quo statum. Solùm hic notandum contra Sanchez, falsissimum esse illud, quod doctus ille neotericus de Scholasticis complutensibus refert; nempe, illos comedere aliquando carnes; quando Ciues non comedunt. Nam ego oppositum, per experientiam viginti annorum, agnoui.

QVÆSTIO XII.

An, Præfecti, Prætores, & cæteri Officiales, qui ratione officij morantur in aliqua vrbe, vel oppido; teneantur ad festa, & ieiunia, quæ sunt propria illius loci?

NEgat Pasqualigus *tract. de Ieiun. decis.189.* & apud ipsum, Speculator, *Rubr. de Constitu. n.7.* Turrecremata *c. Quo iure. §. Dignit. dist.8. art.4. n.8.* Angles *in florib. q.4. de Ieiun. diffic.2. ante dub.1.* & Bernardus Barilis *de post. leg. Municip. Disquis.1. n.37. & 40.* Fundamentum eius est. Quia præfati Præfecti, & Officiales, qui, officij tantùm causâ, in oppido morantur, nullo modo acquirunt domicilium, cùm illis deficiat animus ibi commorandi: ergo non tenentur ad festa, & ieiunia, quæ sunt propria oppidi, vbi morantur. Additque Pasqualigus *ibid. n.5.* idem dicendum etiam esse de familia Officialium, cùm non accedant animo habitandi; sed solùm vt præstent seruitium Dominis.

Sed longè multò veriùs, longéque probabiliùs, Respondeo: Teneri. *Primò.* Quia præfati Vrbis Prætores, & Officiales, dato, quòd non acquirant domicilium, ob rationem à contrariis datam; acquirunt quasi domicilium, vt omnes concedunt: at hoc sufficit ad hoc, quòd prædicti teneantur ad festa, & ieiunia peculiaria oppidorum, in quibus habitant, vt rectè probant Suarez, Sanchez, & Baldell. *loc. cit.* ergo.

Secundò. Quia cùm Præfecti, & Officiales vrbium, exerceant regimen illarum, necesse est, vt se subditis conforment; si velint hos obseruatores legum, & consuetudinum Vrbium: *Qualis enim Rector Ciuitatis, ita & populus. Tertiò:* quia absurdum est, quòd capita non se conforment membris; vt habetur *c. Non decet. dist.12. & c. Nolite, dist.11. & alibi:* sed sic est, quòd Præfecti, & Prætores ciuitatum, sunt capita suæ communitatis: ergo eisdem obligationibus, debent subesse, ac ipsa subest. Sic tenent, generaliter loquendo, omnes Authores pro nostra sententia, superiori quæst. citati, & infrà citandi. Nec oppositum in specie docet Angles (vt ait Pasqualigus) nam loco à se, & pro se citato, solùm generaliter loquendo id docet, affirmando, (per hæc verba) quòd Peregrini transeuntes, & reliqui, qui non animo habitandi, in illum locum veniunt, non tenentur illud ieiunium obseruare; quia sicut non ligantur legibus illius loci, neque eiusdem consuetudinibus astringuntur, demptâ tamen scandali occasione, vel aliâ vrgente necessitate: nam, eâ interueniente, obligarentur tales ad ieiunium. Hæc Angles: Nunc ergo sed sic est quòd (vt nuper est habitum) & est maximè necessarium ad bonum regimen subditorum, vt capita illis, in bonis moribus se conforment; & rursus, quòd non leuis daretur occasio scandali contrarium faciendo, vt constat: ergo Angles non pugnat pro Pasqualigo, sed pro nobis.

QVÆSTIO XIII.

An, Milites, qui stant in præsidiis, aut fortalitiis, teneantur ad festa, & ieiunia introducta à consuetudine loci, vel indicta ab Episcopo eiusdem?

NEgat Pasqualigus, *decis.190. & 198.* & penes ipsum Bernard. Barilis *de potest. leg. Municip. disquis.1. §.4. n.37. & 40.* & alij ab ipso, pro prima sententia, nuper citati: eo quòd, nulli horum militum, etiamsi diù in locis præsidiorum, aut fortalitiorum, permaneant, acquirunt domicilium.

Sed longè multò probabiliùs, Respondeo: Omnes præfatos Milites, tàm ad festa, & ieiunia inducta à consuetudine loci, quàm indicta ab Episcopo, teneri: quia huiusmodi Milites, vel acquirunt domicilium, vel saltem quasi domicilium, in dictis locis, vbi communiter per plures annos permanent: at hoc sufficit, ad hoc vt teneantur legibus, aut consuetudinibus inductis ab ipsis, vel indictis ab Episcopis, vt suprà est habitum: ergo. Sic expressè tenet Cespedes *in dubiis Militarib. dub.98.* & alij à nobis superioribus quæstionibus, citati, & alij infrà citandi.

QVÆSTIO XIV.

An, Peregrini, seu Aduenæ, diù degentes Romæ, teneantur ad festa, & ieiunia, & alias leges proprias vrbis Romæ?

NEgat Pasqualig. *decis.203. n.8.* (Nisi aliàs, leges propriæ, Romæ, pro Aduenis positæ sint.)

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Teneri. *Tum,* ob rationem sæpè repetitam. *Tum,* quia in præsenti casu, concurrit Authoritas Summi Pontificis, qui super omnes habet vniuersalem iurisdictionem, & potest suis legibus, & statutis ligare omnes diù Romæ degentes, & domicilium, vel quasi domicilium habentes; quódque de facto id intendat, constat ex eo quòd bonum regimen exigat festa, & ieiunia à diù Romæ habitantibus obseruari. Sic Doctores pro nobis citati, & citandi, præcipuè Filliuc. *tract.27. c.7. n.114.* vbi ait, contrarium esse contra communem sensum, & bonam gubernationem.

QVÆSTIO XV.

An, Regulares exempti, teneantur ad obseruanda festa, & ieiunia indicta ab Episcopo?

AFfirmant, Teneri ad vtrumque, Peyrinus, *q.1. de Prælat. Relig. c.8. n.22.* Lezana *1. part. quæst.*

Digitized by Google

quæst. Regul. cap. 11. *num.* 13. & Villaloh. *tract.* 23. *difffic.* 5. *n.* 6. sic dicens: [Tanbien tengo por cierto que si el Obispo diesse vn dia de ayuno en vn lugar, tendrian los Religiosos, que alli viuen, obligacion de guardarle: Porque aunque el Obispo nos es superior, *Quoad vim coactiuam*, tienen obligacion de conformase con los de mas.] Ita ille. His Authoribus addendi sunt Vasquez 1. 2. *disp.* 167. *n.* 34. Sanch. *in sum. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 22. & alij, qui tenent, Religiosos obligari ad seruandas Constitutiones Synodales Episcopi.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri ad seruanda ieiunia indicta ab Episcopo; bene tamen festa. Hæc secunda pars nostræ responsionis, est certa apud omnes: quia Tridentinum *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 12. præcipit, quòd omnes Regulares, etiam exempti teneantur obseruare festa ab Episcopis indicta; (seruatis tamen ritibus, quoad Missas, & officia celebranda, qui à Regularibus obseruantur.) Sic tenent specialiter Sanchez *loc. cit.* Fuscus, Riccius, & Rodriguez, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi, alleg.* 105. *à n.* 42. vbi adducit quandam declarationem Cardinal. sic dicentem: Congregatio Concilij censuit, decretum *c.* 12. *vers. dies etiam festi, sess.* 25. *de Regul.* ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneant, quoad Missas celebrandas, & cætera diuina officia, tam publicè quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda; nec circa hæc ab ipsis quoquo modo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse, quòd si de facto præceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Legantur Peyrinus *tom.* 1. *constit.* 27. *Leonis X.* & Diana *part.* 1. *tract.* 3. *Resol.* 108.

Prima verò pars, quæ communior est apud Authores, & probabilior. Probatur. Quia Regulares sunt à iurisdictione Episcoporum omnino exempti: ergo nequeunt astringi ieiuniis, ab ipsis, indictis: nisi fortè, ratione scandali, ne alios offendant. Nec est eadem ratio de diebus festis; nam de his, Tridentini decreto, est sancitum; vt religiosi teneantur obseruare dies festos (sicut & interdicta) Episcoporum authoritate indictos, de ieiuniis verò minimè id in iure adhuc constitutum est aut declaratum. Sic Azor *part.* 1. *instit. mo. al. lib.* 7. *cap.* 19. *q.* 2. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 20. *num.* 8. Fagundez *precept.* 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 4. Rodriguez *part.* 4. *summ. c.* 110. *num.* 4. Bossius *sect.* 4. *de Iubil. cas.* 18. *n.* 32. Marchin. *de peste, p.* 5. *c.* 5. Bonac. *disp. vlt. de prec. Eccles. q.* 1. *punct.* 6. *num.* 5. Portel. *in dub. Regul. verb. Festi dies, n.* 3. Hieron. Rodriguez *in Compend. q. regul. resol.* 75. *n.* 18. Llamas 3. *p. Method. c.* 5. §. 28. *in fine.* Diana 1. *p. tract.* 9. *resol.* 36. *& tract.* 10. *resol.* 11. Ghilinus *verb. Ieiunium n.* 25. Gordonus *in Consil. Regul. Resol.* 18. *n.* 5. Pasqualigus *tract. de Ieiun. decis.* 196. dicens, hanc sententiam esse omnino certam. Tamburin. *tom.* 2. *de Iure Abbat. disp.* 12. *q.* 3. *num.* 4. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. *&* *dub.* 6. *num.* 7. Citari etiam potest Sanchez *in Consiliis lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 14. (non 34. vt inuenies citatum, apud Pasqualigum) *n.* 9. vbi docet; Regulares, non teneri obseruare Constitutionem Synodalem, licèt sit Consilij Prouincialis approbati à Papa. Quia Ordinarius (inquit) Author illius constitutionis, non habet Iurisdictionem in tales Religiosos, & confirmatio simplex Papæ, nihil addit, vt bene Syluest. *verb. Irregularitas*, *q.* 4. & docti Iuniores. Sic Sanchez ibi omninò sibi contrarius, vt constat ex loco cit. pro prima sententia. Citari denique eodem modo possunt omnes, qui cum Sanchez docent, Regulares non teneri obseruare præcepta Synodalia. Hi sunt Merolla, & Bariola, apud Dianam *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 36.

R. P. Leand. in V. Precept. Eccles.

Qvæstio XVI.

An, Regulares teneantur obseruare festa, introducta consuetudine?

NEgatiuam sententiam posse defendi, ait Pasqualig. *tract. de Ieiun. decis.* 186. *num.* 8. per hæc verba: Quamuis dici posset, quòd, cùm Concilium loquatur de festis, quæ seruanda præcipiuntur ab Episcopis, non teneantur Regulares ad ea, quæ sunt de consuetudine; quia non sunt propria præcepta ab Episcopo; cùm enim decretum Concilij sit contra exemptionem Regularium, strictè accipiendum est, tanquam odiosum, iuxta regulam, *Odia, de Regul. iuris in* 6. Ita ille.

Sed probabiliùs longè, imo vt mihi certum Respondeo: Teneri. Quia (vt suprà est habitum) Regulares tenentur obseruare omnia festa indicta, seu præcepta ab Episcopo: at festa quæ ex consuetudine obligant, ideò obligant, quia interuenit præceptum, vel saltem consensus Episcopi: ergo ad festa ex consuetudine, Regulares tenentur. Hanc sententiam videtur amplecti Pasqualigus *loc. cit.* Legatur Sanchez *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 2.

Qvæstio XVII.

An, Episcopus teneatur seruare festa, & ieiunia, quæ ipse populo imponit?

NEgant Duual. 1. 2. *tract. de legib. q.* 5. *art.* 5. *vers. Quarta difficultas.* Ioan. Andreas *in c. Qui licet, de Regul. iuris in* 6. Azor 1. *p. lib.* 5. *c.* 11. *q.* 2. *vers. In hac controuersia.* Salas de legib. *disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 3. vers. *Secunda & vera opinio*, quos omnes refert, & sequitur, specialiter loquens de ieiunio Pasqualigus *tractat. cit. decis.* 199. docens, Episcopos non teneri ad seruandas leges à se datas. Sed ex his Authoribus, haud bene citat Azorium, & Salas, *vt infrà.*

Sed probabiliùs Respondeo; Teneri ad prædicta festa, & ieiunia obseruanda; non propriè, & immediatè ex lege ipsa, qua cæteros astringit; sed ex lege ipsa naturali dictante legislatorem debere verbo, & exemplo subditos ad virtutem promouere, & bonum commune consulere. Ratio est. Quia quando leges respiciunt materiam communem, & accommodatam subditis & legislatoribus, indecens est omninò, legislatorem, non se conformare suis subditis, & aliud prædicare verbo, & aliud docere exemplo. Iuxta illud ad Rom. 2. *Qui alios doces, te ipsum non doces: qui prædicas non mœchandum, mœcharis &c. Existimas autem qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* & in cap. *cum omnes, de constitut.* dicitur; *Quòd quis quæ iuris in alterum statuit, ipse eodem vti debet, & cap. Quæ contra mores, distinct.* 8. *Turpis est pars suo vniuerso non congruens, &* in cap. *Cum omnes, de constitut. cit. Patere legem, quam ipse tuleris*: ergo ex lege naturali, quisquis sit Princeps, tenetur obseruare legem, quam ipse fert; ac proinde Episcopus festa, & ieiunia, quæ ipse populo imponit. Sic S. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. Caiet. Medina, & alij Thomistæ *ibidem.* Syluest. *verb. lex, c.* 14. Couarruu. *in cap. Alma mater.* 1. *p.* §. 1. *n.* 5. Nauar. *in cap. Si quando, de rescriptis, except.* 1. *& de redd. Eccles. q.* 1. *num.* 42. *&* *consil.* 18. *de pœnit. & remiss.* Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 35. *num.* 4. Sayrus *lib.* 3. *Clauis R. g. cap.* 4. *num.* 10. Vasquez 1. 2. *disput.* 167.

*cap.*3. Leſſius *lib.*2.*c.*35.*num.*23. Sotus *de Iuſt. & iure lib.*1.*q.*6.*art.*7. Bonac. *diſp.*1. *de legib. q.*1.*punct.*6. *n.*19. & 20. Salas *de legib. diſp.*14.*ſect.*2. *à num.*8. & clariùs ad intentum noſtræ quæſtionis, *ſect.*3.*n.*33. (non 3. vt citat, omni ex parte, malè, Paſqualigus, cum hæc ſectio à *num.*31. incipiat) vbi ſic ait. Secunda, & vera opinio eſt Ioannis Andreæ ſuprà, Azorij *tom.*1.*lib.*5.*cap.*11.*q.*2. & communis, non obligari (*Epiſcopum, intellige*) directè ſuis ſtatutis: quia ſicut Princeps ſupremus ſuis legibus eſt ſolutus, eo quòd nemo ſibi ipſi, vel pari poſſit imperare, ita Epiſcopus; maximè, cùm nullo præcepto ſuperioris teneatur ſua ſtatuta ſeruare, nullibi enim extat tale præceptum, quamuis ex quadam rationis naturalis æquitate & honeſtate, ſeruare illa debeat; non ita tamen vt ſi non ſeruet, graue peccatum contrahat, vt docet Azor ſuprà, & conſtat ex iis, quæ de ſupremo Principe ſect. præcedenti dictum eſt. Huc vſque Salas. Tenetur ergo Epiſcopus, ſaltem ſub peccato veniali, ſeruare præcepta, quæ imponit populo, vt expreſsè fatetur ipſe Salas *diſp.*20.*ſect.*12. *num.*4. Sic etiam Caſtro Palao *tom.*1.*tract.*3.*de leg. diſp.*1.*punct.*24. §.1.*num.*2. & 3. Baldell. *in Theol. Morali lib.*5.*diſp* 29. *à num.*3. Qui vterque etiam citat Azorium, & Salas pro hac parte. Tenent rurſus hanc noſtram ſententiam Diana 1.*p. tract.*10.*reſol.*10. Granados 1.2.*controu.*7.*tract.*3. 1.*p. diſp.*6.*ſect.*1.*n.*6. Layman *tract.*4. *cap.*9. *num.*3. Moure *par.*2.*examin. Theol. Moral. cap.*6. §.2. Becanus *in Sum.p.*1.*tract.*3. *cap.*6.*q.*12. Franciſcus Amicus *tom.*5. *de iuſt. & iure diſp.*5. *ſect.*14. & alij plures Doctores ab eiſdem relati; & credo eſſe certam. Solùm ergo poteſt dubitari qua ſub obligatione, graui, anve leui, teneatur Epiſcopus ſeruare feſta, ieiunia, & alia huiuſmodi præcepta, quæ ab aliis obſeruari præcipit. Pro quo ſit

QVÆSTIO XVIII.

An Epiſcopus teneatur ſub mortali peccato obſeruare feſta, & ieiunia, quæ à populo obſeruari præcipit?

NEgant Azor, & Salas, locis nuper citatis. Leſſius *c.*35.*cit. dub.*5.*n.*34. Bonac. *loc. cit. n.*13. Vivald. *in candelab. aur. part.*2.*c.*12. Filliuc. *tract.*21.*cap. vlt. n.*426. Diana *loc. cit.* Caſtro Palao *loc. cit. n.*5. & alij; exiſtimantes, ſolùm teneri ad dicta, ſub peccato veniali, ſecluſo ſcandalo.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Teneri ſub mortali (niſi aliàs ſecum in lege diſpenſet.) Quia, Epiſcopus tenetur obſeruare feſta, & ieiunia, à ſe populo impoſita, ex obligatione legis naturalis: ergo cum hæc obligatio reſpiciat materiam grauem, vt de ſe conſtat, neceſſariò debet eſſe grauis. Sic Syluester *verſ. lex*, *q.*14. Couarr. *in cap. Alma mater.* 1. *part. num.*5. & 7. Sayrus *in Claui regia lib.*11.*c.*9.*n.*2. Vaſquez 1.2. *diſp.*167.*c.*3. & penes ipſum S. Thom. 1.2.*q.*96.*art.*5. Caiet. & Conrad. *ibidem.* Sotus *lib.*1.*de Iuſt. q.*6.*art.*7. Anton. 1.*p. tit.*17.§.5. & Victoria *in relectio. de poteſt. ciuili, n.*21. Granado *loc. cit. controu.*7.*tract.*3.*part.*2. *diſp.*1.*ſect.*3.*num.*14. Suar. *de legib. lib.*3.*c.*35.*num.*8. & 10. Malder. *p.*2.*q.*96.*art.*5. & alij. Et debent tenere hanc ſententiam, qui affirmant obligari Pontificem annuæ confeſſionis præcepto, & ſub mortali; ſunt autem, præter citatos pro noſtra ſententia, Fagundez, Lugo, Azor, Reginald. Henriquez, Hurtado, Molfeſ. Inſuper Bonacina, & Filliuc. (licèt hi non conſequenter, vt conſtat) & alij, quos retuli 1.*part. tract.*5.*diſp.*3.*q.*17. & *tract.*7.*diſp.*3.*q.*34.

QVÆSTIO XIX.

An, Peregrini, vel Aduenæ morantes in aliquo loco, maiori anni parte, teneantur ad feſta, ieiunia, & ad alias leges proprias illius loci?

NEgant Gloſſa, Archidiaconus, & alij plures Doctores, quos citauimus ſuprà *q.*10. exiſtimantes, non teneri, niſi caſu, quo ibi perpetuò habitandi accedant animo.

Sed, longè multò probabiliùs, Reſpondeo: Teneri. Quia hoc temporis ſpatium ſufficit ad contrahendum quaſi domicilium, vt omnes concedunt: at ſic eſt, quòd, contrahentes quaſi domicilium in aliquo loco tenentur ad feſta, ieiunia, & ad alias leges, & conſuetudines proprias illius, vt loco citato eſt habitum: ergo. Sic Sancius *lib.*3. *de Matrim. diſp.*18.*num.*9. & *in ſumm. lib.*1.*c.*12.*num.*41. Baſilius *lib.*5. *de Matrim. c.*7. §.1. *num.*4. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2.*cap.*14.*num.*2.5. & 8. & *lib.*5. *de legibus c.*33. Fagundez *præcept.*1. *lib.*2.*c.*8.*n.*7. & *præcept.*4. *lib.*1.*cap.*7.*num.*6. Bonacina *diſput.*1. *de legibus, q.*1. *punct.*6.*num.*36. & 43. Ioſeph. de Rocafull. 3. *part. praxis moral. lib.*6. *de legib. c.*13. *verſ. Dico* 4. Leſſius *lib.*4. *de Iuſt. & iure c.*2. *dub.*7. *num.*47, non (*lib.*2. *c.* 34. *num.* 27. *dub.* 19. vt malè citat Bonacina) Layman *lib.*1. *tract.*4.*c.*11.*num.*14 Caſtro Palao 1.*p. tract.*3. *diſput.*1. *punct.*24. §. 3. *num.*2. Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*3. *num.*9. & *lib.*3. *cap.*2. *dub.*6. *num.*3. Filliuc. *tract.*27. *c.*7. *num.*16. & *eod. tract. part.*2. *cap.*6. *num.*166. Diana 1.*part. tract.*9. *reſol.*2. Reginald. *lib.*13.*num.*141. Baldellus *in Theolog. Morali lib.*5.*diſp.*32. *num.*1. & 4. Sancius *in ſelectis diſp.*54. (*non* 44. vt apud Dianam inueni) *num.*51. & *ſequent.* & alij infrà citandi. Ex quibus nonnulli, cum Suario, bene ad propoſitum notant, non oportere quòd aliquis priùs, in loco aliquo per maiorem partem anni habitet, vt teneatur legibus, aut conſuetudinibus propriis loci; ſed ſatis eſſe, ſi ad eum locum accedat animo ibi commorandi per maiorem partem anni.

QVÆSTIO XX.

An, Peregrini accedentes ad aliquem locum, animo ibi habitandi, per minorem partem anni, v.g. per quatuor, tres, aut duos menſes: teneantur ad feſta, ieiunia, & alias leges proprias illius loci?

NEgant teneri, niſi caſu, quo ea feſta, ieiunia &c. etiam in ſua patria ſeruentur. Palud. *in* 4. *diſt.* 15.*q.*4.*art.*3. *num.*24. D. Anton. 2. *part. tit.*6. *c.*2. §.2. Medina *C. de Ieiunio, q. Quando neceſſe eſt ieiunare*, Ledeſma 2.4.*q.*17. *art.*3. *fol.*204. §. *Secundò dico.* Margarita Confeſſ. *quæſt. Moral. fol.*134. *col.*1. §. *vtrum teneamur.* Tolet. *lib.*6. *c.*5. *num. vltimo.* Vega 1.*tom. ſumm. c.*14.*caſu* 11. & *part.*2. *caſu* 315. Azor 1.*part. lib.*7. *c.*30. *q. vltim.* Sayrus *in Claui reg. lib.*3.*c.*4.*n.*15. Sanchez *lib.*3.*de matrim. diſp.*18. *num.*6. & 9. & *in ſumm. lib.*1. *c.*12. *num.*38. Palacios *in* 4. *diſt.*15. *diſp.*8. *poſt* 6. *concl.* Granados 1.2. *controuerſ.*7. *tract.*3. *part.* 1. *diſp.*6. *ſect.*4. *num.*15. Layman 1. *tom. tract.*4. *c.*11. *num.*7. Diana 1.*part. tract.*9. *reſol.*2. (*non* 3. vt inuenies apud Paſqualigum) *verſ. Imò ego puto*, & *tract.*10. *de legib. reſol.*13. *verſ. At ego.* Hurtado *de Sacrif. Miſſæ diſp.*5. *diff.*1. Fagundez 4.*præcept. lib.*1. *c.*7.*n.*10. & 11. Medina 1.2.*q.*96.*art.*5. *in fine.* Angles 1.*part. q.*4. *de ieiunio, diff.*2. Lopez 2.*part. inſtruct. c.*122.*fol.*117. Nider 6. *præcept. c.*7. *num.*10. & Lorca 1. 2. *tom.*2.*diſp.*25.

in

in fine. Quos omnes citat, & sequitur Sancius *in selectis disp.54. num.31. & 32.* (sed an bene omnes citet, infrà videbimus,) Quibus possunt addi Syluester *verb. Ieiunium. num.7* Bonac. *disp.1. de leg. q.1. pun.6. n.36.* Filliuc. *tract.27. par.2. c.6. n.106.* Bossius *de Iubilaeo sect.4. casu 18. n.49.* Quos citat, & sequitur, Pasqualigus *tract. de Ieiun. decis.202. n.3.*

Sed, probabiliùs longè, Respondeo. Teneri, si ibi per quatuor, tres aut duos menses, imo & per vnum, habitandi animo accedant. Quia, ad minus, hoc tempus sufficientissimum est ad inducendam obligationem festorum, Ieiuniorum &c. Vt bene probat Suarez, Fagundez, & alij infrà citandi. Sic ipsi. Suarius *tom.1. de Religione lib.2. c.14. num.8. & seq.* & Fagundez *praecep.1. lib.1. c.8. & praecep.4. cap.7. num.6.* vnde malè citatur à Ioanne Sancio, *in vltima editione* pro opposita sententia, vt ex eius verbis statim patebit. Rodriguez *tom.1. quaest. regul. q.68. art.4.* Azor *par.1. lib.7. c.19. q.4.* & Palac. *lo.* pro opposita sententia ab eodem Ioanne Sancio *citato*. Vnde etiam hos Auctores non bene refert pro se; meliùs enim pro nobis, adducit Pasqualigus *loc. cit.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.3. num.5. & c.2. dub.6, num.3.* Gordonus *lib.6. Theol. moral. q.18. c.6. vers. Quaeritur tertiò.* Baldellus *in Theolog. Morali lib.5. cap.32. num 25.* Vasquez *tom.3. in 3. part. disp.184. c.3. num.28.* (vbi oppositum, nec aliquam speciem habere probabilitatis putat.) Et alij statim citandi.

Qvaestio XXI.

An, Peregrini teneantur seruare festa, & ieiunia propria locorum, ad quae solùm perueniunt, vt ibi, per duos, tres, aut quatuor dies, negotiationis, vel recreationis causâ morentur?

Negant (& à fortiori) omnes Authores citati suprà *q.10. 11. 12. 13. 14. & 20.* & praecipuè apud Pasqualigum, Palud. *in 4. dist.13. quaest.4. art.3. num.24.* Palac. *disput.8. post 6. concl. vers. At vero.* Syluest. *verb. Ieiunium num 7. vers. si autem transeat solum.* Medina *1.2. q.96. art.5. §. Dubitatur praeterea.* Ioan. Medina *C. de ieiunio, q.10. initio.* Tolet. *lib.6. cap.5. num.3.* Rosella *verb. Ieiunium, num.16.* Ledesma *2. p.4. q.17. art.3. ver. Tertiò dico.* Rodrig. *tom.1. quaest. regul. q.68. art.4.* Angles *q.4. de Ieiun. diff.2. vers. Hinc peregrini.* Azor. *par.1. lib.7. cap.19. q.4.* Sayrus *lib. 3. Clauis reg. cap.4. num. 5.* Auila *de censur. par.2. c.3. disp.2. dub.3. concl.3. vers. circa Corollarium.* Vega *tom.1. Summ. c.14. de ieiun. casu 11.* Sanchez *lib.3. de matrim. disputat.18. num.6. vers. Quarta quia & lib.1. summ. c.12. num.38.* Layman. *lib.1. Theol. moral. tract.4. c.12. num.4.* Coninch. *3. part. tom.1. q.74. art.4. dub.2.* Bonac. *disp.1. de leg. q.1. punct.6. num.36. vers. Hoc supposito.* Reginald. *tom.1. lib.4 c.12. num.136.* Filliuc. *tract.27. par.2. c.6. num.106.* Granadus *1. 2. controu.7. tract.3. p.11. 1. disput.6. sect.4. num.25.* Diana *par.1. tract.9. resol.2. vers. sed non minus.* Fagundez *praec p.4. Eccl. lib.1. c.7 num.10.* Bossius *sect.4. de Iubilaeo, casu 18. num.49.* Sancius *in selectis disp.54. num.31.* Gasp. Hurtado *disp.5. de sacrif. Missae, diff.1. vers. Addimus.* Gordonus *lib.6. Theol. Moral. q.18. c.7. in fine.* Trullench. *libro 3. in Decalog. cap.2. dub.6. num.3.* Acuña *in 1. part. decreti.* in cap. *Illa. num.4. dict.12.* Quos omnes, sic relatos, sequitur Zacharias Pasqualig. *tom. de Ieiun. decis.201. num.3.* sed an omnes bene referat, statim, videbis. Praedictis tamen adhuc possunt addi alij Canonistae, quos tradit Sanchez *loc.*

R.P. Leand. in V. Praecept. Eccles.

cit. & Baldell. *in Theol. Morali, lib.5. cap.32. à n.25.* Amicus *tom.5. de Iust. & iure disp.26. n.356.*

Sed adhuc probabiliùs, Respondeo; Teneri. Quia dicti Aduenae, & Peregrini tenentur ad seruandas leges locales: ergo si morantur in locis huiusmodi, tempore proportionato pro seruando praecepto, nulla ex causa excusari à dictis praeceptis possunt: at sic est, quòd, qui per duos, tres, vel quatuor dies in aliquo loco morantur, morantur tempore proportionato pro seruandis festis, & ieiuniis: ergo. Sic Suarez quem citat, & sequitur Fagundez *praecep.1. Eccl. lib.1. cap.8. num.14. & 15.* Ita dicens, Adhuc enim possumus distinguere alios duos modos. Vnus est, quando quis peruenit ad aliquem locum, vt ibi per aliquot dies moretur, vel recreetur, aut negotietur. V.c. duos, tres, quatuor, vel quinque dies. Aliud est, quando praesentia in tali loco solùm est in transitu, tanquam in hospitio viae, prandendo, vel pernoctando, & statim sine alia mora discedendo. Quando praesentia solum est prioris modi, existimat Suarez (& bene) dicto *tom.1. de Religio. lib.2. cap.14. num.8.* sufficere, vt quis teneatur ad festum, & ieiunium, & ad consuetudinem loci de non edendis intestinis animalium in diebus veneris. Et ita docere videntur omnes illi Doctores, qui indifferenter docent; peregrinos, & aduenas obligari legibus, & consuetudinibus loci, in quo sunt; & hi sunt Nauar. *in Man. Latino cap.13. num.5.* Maior *in 4. dist.15. q.5.* Driedo *lib.1. de libert. Christi. cap.17. §. vna est.* Ledesma *1. part.4. q.15. art.2. dub.2.* Lopez *1. part. instruct. consc. c.52. §. vna quaeque Ciuitas.* Couarr. *lib.4. var. c.20. num.8. Circa finem.* Hucusque ibi Fagundez. Vbi expressè nostram sententiam tuetur; & eam repetit *num.20. in fine.* verum est, quòd *praecept.4. lib.1. c.7. à num.8. vsque ad 10.* vbi à Pasqualiguo pro contraria sententia citatur, sibi, oblitus sui, omnino est contrarius, & sic bene ab illo pro se adducitur, quamuis id, quod nos aduertimus, non aduertat. Tenent etiam nostram sententiam Trullench, eodem libro, capite, dubio, & numero; quo pro se citat Pasqualigum, sic enim ait, *num.3.* Quod si non habeat animum ibi commorandi per maiorem anni partem, sed tantùm per aliquos dies, V.g. duos, aut tres. Sanchez *lib.3. de matrim. disp.18. num.6. & lib.1. in Decalog. cap.12. num.38.* Sayrus *in Claui Reg. lib.3. cap.4. num.15.* & alij, apud Castro, vbi suprà *num.10.* & Fagundez *suprà num.8. & 10.* existimant, adhuc non teneri consuetudine, & lege illius loci, quod existimat probabile Lessius, vbi suprà, *num.49.* Verius tamen est, si habet animum ibi per aliquos dies manendi v.g. per hebdomadam, imo per duos, aut tres dies, consuetudine loci teneri. Huc vsque Trullench. Tenet etiam Filliuc. eodem *tract.27. cap.7. num.116. & seq.* (non *cap.6. num. 106.* quia ibi nil ad rem) vbi expressè hanc nostram sententiam ex Suario docet. Malè ergo citatur hic Author à Pasqualigo pro se. Vt clariùs statim videbimus. Sic etiam Lessius *lib.4. cap.2. dub.7. num.50. & 51.* Grassius *lib.2. decis. c.36. num.30.* (non vt citat Pasqualigus *37. num.34*) Salas *disp.14. de legib. sect.4. n.41. vers. Alia opinio.* Malder. *1. 2. q.96. art.5. §. de peregrinis.* Molfesius *1. part. sum. tract.10. c.4. n.17.* Ortiz, *in summ. c.16. num.72. & c.10. num.12.* Vasquez *3. part. tom.3. disp.184. c.3. num.28.* Basil. *lib.5. de matrim. c.7. §.1. num.6. & §.2. num.14.* Henriquez *lib.7. c.13. num.8.* Castro Palao *tract 3. disp.1. pun.24. num.11.* & alij plures statim citandi. Tenent etiam hanc nostram sententiam Authores citati pro opposita sententia, in casu, quo Aduenae praedictas leges locales non possent violare sine scandalo, aut offensione aliorum, quod acci-

deret, ſi prædicti publicè tempore feſti laborarent ſeruiliter, aut tempore ieiunij, publicè carnes comederent. Legantur Azor, Sanchez, Baſilius, Bonacina, & Baldellus locis citatis.

QVÆSTIO XXII.

An Aduenæ teneantur ſeruare feſta, & ieiunia propria locorum, etiamſi tantùm per vnicum diem ibi commorentur?

NEgant teneri (ſecluſo ſcandalo) omnes Authores, nuper pro contraria ſententia nobis adducti, ex eo quòd, qui tranſit, vel breui tempore eſt in aliquo loco, non dicitur moraliter in eo eſſe. *l. Quæſitum.76. §. fin. ff. de legatis 3. & l. ſi ita 84. ff. eod.*

Sed probabiliùs Reſpondeo: teneri. Quia, hæc eſt conſuetudo, hic vſus, hoc ius. Sic Salas *diſp.*14. (non 16. vt citatum inuenies apud Baſilium vbi infrà) *num.*49. Vbi ſic ait: Tertiò amplia, vt vera ſit noſtra concluſio, etiam ſi vno tantum die quis exiſtat in territorio alieno, vt dixit Sà, *ſuprà*, & hic eſt vſus: neque refert, quòd habeat animum diutius ibi manendi, vel alio die recedendi, aut ſuſpenſum, ſeu neutrum. Nec enim eſt, cur, vel ſtatuta particularia, vel leges generales Eccleſiæ de ſeruandis ieiunijs, abſtinentijs; & ſolemnitatibus regionis, in qua quis eſt, reſtringamus ad exiſtentes ibi, cum domicilio, vel per maiorem partem anni, aut per aliud determinatum tempus, aut cum certo animo. Sic Salas. Et ſic Sà, *verb. Ieiunium, n.* 1. his verbis: Ad ieiunium loci, & feſta tenetur, qui illic eo die manet, non qui tranſit. Sic etiam Suarez *loc. cit.* Imò Fagundez, locis pro noſtra ſententia ſup. citatis, cùm ſolùm id neget de peregrino tranſeunte, Baſilius *locis nuper citatis*, Caſtro Palao *tract.*3. *cit. diſp.*1. *punct.*24. §. 3. *n.* 11. (Qui etiam citat Salas *diſp.*16. ſicut Baſilius) Henriquez *lib.*7. *c.*13. *n.*8. Ioan. de Cruce *in ſumm. præcep.* 3. *art.*4. *dub.*9. *concl.*3. Sic dicens. Et ad iſta loci ieiunia, etiam tenentur, qui illic eo die manent, ſicut, & ad feſta illius loci, non qui tranſit. Graffius *lib.*2. *deciſ. c.*36. *num.*30. Vbi abſolutè ait, quòd viator teneatur ſeruare vigilias loci vbi reperitur. Villalob. 1. *part. ſumm. tract.*2. *diff.*33. *n.*7. *in fine*; Vbi hanc opinionem, multò probabiliorem vocat, Fillucius *tract.*27. *c.*7. *num.*120. & 123. Leſſius *lib.*4. *cap.*2. *dub.*7. *num.*50. & 51. *verſ. Non tamen.* Philiarc. *de offic. Sacerd. part.*2. *lib.*3. *cap.*23. §. *Eſt tertiò notandum.* Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*3. *n.*5. Lublinus 1. *part. ſumm. verb. feſtum num.*2. Vaſquez *tom.*3. *in* 3. *p. diſp.*184. *c.*3. *num.*28. Nauar. *in Man. c.*13. *n.*5. *ver. Tertiò infertur*, & clariùs *c.*23. *n.*120. *verſ. Sextò peccat.*

QVÆSTIO XXIII.

An Tandem, teneantur Aduenæ, ſeu Peregrini; ſeruare feſta, & ieiunia propria locorum, per quæ tranſeunt, ibi tantùm prandendo, cœnando, aut pernoctando, craſtino diſceſſuri?

NEgant (& à fortiori) omnes Doctores quæſtionibus præcedentibus, pro contrariis ſententiis, relati, Quibus ex relatis pro noſtris, addendi ſunt Fagundez *præcep.*1. *lib.*1. *c.*8. *n.*20. Vbi ſic ait: Dicendum ergo eſt in tanta varietate ſententiarum, quando præſentia eſt in tranſitu, aut per modum hoſpitij, prandendo, cœnando, aut pernoctando, & ſtatim diſcedendo, non teneri huiuſmodi aduenas, & peregrinos, nec ad dies feſtos, nec ad Miſſam, aut ieiunia loci per quem tranſeunt. Sic ille. Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*3. *n.*6. & *c.*1. *dub.*6. *n.*3. Leſſius *loc. cit. num.*50. (non 47. vt inuenies apud Palaum.) Citat etiam pro hac ſententia Caſtro Palao, vbi infrà, Emanuelem Sà *verb. Miſſæ auditio n.*7. Nauarrum *c.*13. *num.*5. & Lopezium 1. *p. inſtruct. c.*52. §. *Nec peccant.* Sed an bene, infrà conſtabit. Poteſt etiam citari Henriquez *lib.*9. *de Miſſa, c.*25. *num.*2. Vbi iuncto commento, *lit. R.* docet: Non teneri peregrinum ad ieiunium, & abſtinentiam carnium priuati ſtatuti, priuatæque conſuetudinis oppidi, per quod tranſit obiter, nec teneri audire Sacrum, licèt pridie illic dormierit, vt ſequenti die proficiſcatur. Ita ille.

Sed probabiliùs adhuc, Reſpondeo. Teneri ſeruare feſta, & ieiunia particularia locorum, per quæ tranſeunt; ſi tempore, quo in eis moram faciunt, occurrat tempus obligationis adimplendi dicta præcepta, & commodè id poſſint. Vnde ſi occaſio fuerit comedendi, tenentur à carnibus abſtinere toto eo tempore, quo ſunt in oppido, aut in eius limitibus, vbi à carnibus abſtinetur. Si eſt dies feſtus tenentur audire Sacrum, antequam egrediantur, caſu, quo in eo oppido dormierint, vel per notabile tempus in eo detineantur, vt toto manè, aut magna illius parte (ſecus, ſi ſolo eo tempore, quod ſatis eſt ad cibos ſumendos, vel caſu, quo id commodè non poſſent, eo quòd oporteret multum tempus expectare.) Ratio eſt. Quia in his caſibus, commodè poſſunt peregrini adimplere dicta præcepta localia: ergo cùm aliàs illis ligentur, ſicut ligantur cæteri peregrini, diu in illis commorantes, vt optimè probat Suarez: tenentur illa adimplere. Confirmo hanc rationem. Nam viatores, aut Peregrini, tranſeuntes etiam ſolùm per modum hoſpitij, gaudent priuilegiis, gratiis, & conſuetudinibus fauorabilibus, ac gaudent incolæ oppidorum per quæ tranſeunt; vnde viatores tranſeuntes per loca vbi carnes de more comeduntur, poſſunt in eis, carnibus veſci, quamuis eo tempore in ſua patria carnium eſus eſſet interdictus: ergo etiam tenentur ſeruare alia præcepta ſpecialia, quæ in oppidis, per quæ tranſeunt, Incolas ligant; patet; Quia qui ſentit commodũ, debet & ſentire incommodum, iuxta regul. iuris *in* 6. *cap. Qui ſentit.* Sic Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*14. *à n.*18. (Vnde nec ex aliorum ſententia, oppoſitum docet hic Doctor, vt malè ait Fagundez *loc. cit.* Baſilius *loc. cit. à n.*14. Salas *tract.*14. *de leg. diſp.*14. *ſect.*4. *num.*49. *à verſu Tertia ampliatio*, Caſtro Palao *de legib. tract.*3. *diſp.*1. *punct.*24. *n.*11. & 12. Villalob. *tom.*1. *ſum. tr.*2. *diff.*33. *n.*7. Filliuc. *tract.*27. *c.*7. *num.*120. Sic etiam (ſaltem ex parte) Luiſius Turrian. *in ſumm.*1. *p. c.*230. *dub.*21. *concluſ.*3. & 7. & ſic etiam Sà *verb. Auditio Miſſæ n.*6. nam hæc ibi habet: Tranſiens per locum, vbi eſt feſtum particulare non tenetur audire Sacrum: ſecus eſt, ſi inde recedat, aut eò accedat. Sic Sà: Ergo abſolutè noſtram ſententiam docet; nec illam limitat, vt vult Palao. Solùm namque in primis verbis intendit, quòd qui tranſit per locum vbi feſta celebrantur, non obligatur ad permanendum, vt audiat Miſſam. Et in hoc benè, nec contra nos. Sic etiam Nauarrus *cap.*23. *num.*120. *verſ. Sextò peccat.* Nec oppoſitum docet loco citato à Palao; nam ibi *n.*5. *verſ. Infertur tertiò.* Idem quod loco à nobis nunc citato, docet, affirmat. Sic tandem Trullench *c.*1. *dub.*3. *citato* (ſibi aliqualiter contrarius) *num.*9. Vbi, ſaltem ex parte, hanc ſententiam docet, his verbis: Vt autem reddatur in ordine ad obligationem legum localium, ſatis eſt etiam breuior mora, imo ſola præſentia cum tempore habili ad ſeruandum feſtum locale, iuxta ſuperiùs dicta, & latè proſequitur Caſtro Palao *tract.*3. *de legib. diſp.*1. *punct.*24. §. 3.

§. 3. à num. 11. vbi cum Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de festis, cap. 14. & lib. 3. de legib. cap. 33. à num. 33.* Couarr. Salas, Henriquez, & alijs, tenet esse multò probabilius, Peregrinos, & forenses teneri legibus loci, quò transeunt, dum tempore obligationis in illo persistunt. Sic ille.

QVÆSTIO XXIV.

An Religiosi, qui ex diuersis Prouincijs, aut domibus, ad alias prouincias, aut domos, tanquam hospites accedunt: teneantur seruare festa, & alia præcepta particularia Monasterij, seu loci, quæ eiusdem domus conuentuales tenentur seruare?

NEgant Rodriguez *tom. 1. q. regul. q. 68. art. 4.* Bonacina *tom. 2. disputat. 1. de legib. q. 1. puncto 6. num. 37.* (Quamuis hic subdat, contrarium esse vsu receptum, & in praxi consulendum, propter scandali periculum) & Pasqualigus *tract. de ieiun. decis. 205. num. 4.* Baldellus *lib. 5. disput. 32. num. 29.* Vbi implicitè insinuat hoc ipsum docere Salas. Sed malè: vt infrà.

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri. Quia eadem est ratio de his, ac de aduenis sæcularibus: at hi tenentur seruare festa, & alia præcepta particularia loci ad quem tanquam hospites accedunt, vt suprà est habitum: ergo, & illi. Salas *loc. cit. num. 56. pag. mihi 329.* Basilius *lib. 5. cit. cap. 7. n. 14. in fine.* Portel *in dub. regular. ver. statutum,* Peirinus *q. 1. de Prælat. Relig. c. 8. n. 20. & 21.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 13. n. 5.* Bossius *de Iubilæo sect. 4. casu 18. n. 6.* Vbi ait (sed malè) nihil de hac re agere Suarez.

QVÆSTIO XXV.

An Aduenæ teneantur seruare festa, & ieiunia, & alia præcepta iuris communis: quando hæc, consuetudine præscripta, in proprio loco sunt legitimè abrogata?

NEgant Sanchez *lib. 1. de Matrim. disput. 18. n. 7.* & Fagundez *præcept. 4. lib. 1. cap. 7. num. 11.* Vbi pro se citat Panormitanum, Cardinalem, Imolam, Medinam, & Ledesmam, quatenus docent posse Castellanos, per Lusitaniam transeuntes, more suæ patriæ, secretò vesci intestinis. Citat etiam Pasqualigus pro hac parte, quam ipse sequitur, *loc. cit. decis. 207. num. 3.* Palaeos *in 4. dist. 15. disp. 8. post 6. conclusionem,* & Merollam *tom. 2. Theol. Moral. disp. 4. cap. 3. num. 396.*

Sed probabiliùs longè Respondeo: Teneri. Ratio constat ea dictis. Nam aduenæ tenentur seruare festa, & ieiunia propria, & particularia oppidorum per quæ transeunt: ergo à fortiori, si hæc sint iuris communis, & generalia. Vnde incolæ loci, in quo præceptum generale, v.g. festum SS. Innocentium, vel Inuentionis Crucis, est abrogatum, si sint in transitu oppidi in quo seruentur, tenebuntur ad illud similiter, & Castellanus in cuius patria vsu est introductum, contra ius commune, vesci intestinis animalium die Sabbati, nequaquam poterit transiens per Nauarram, aut Lusitaniam, apud quos ius commune obligat, illis vesci, *vt infrà q. 29.* Sic omnes Doctores pro nostra sententia quæst. superioribus citati. Præcipuè Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 14. n. 27. & 28.* dicens, contrariam sententiam non esse practicè securam. Nauarr. *cap. 23. n. 120.* Salas *disput. 14. cit. sect. 4. num. 8. vers. Tertiò infertes,* Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 12. num. 39.* vbi retractat sententiam, quam tenuerat *de matrim. loc. cit.* Bonacina *tom. 2. disp. 1. de legib. q. 1. punct. 6. num. 55. & 56.* vbi hanc sententiam certam, & veram appellat. Castro Palao *loc. cit. §. 5. num. 8.* Vbi hæc dicit. Seatò ferè omnes conueniunt, te obligatum esse seruare leges oppidi, quo transis, si leges sint iuris communis, & vbique obligantes, etiamsi in loco tui domicilij vigorem non habeant, ex contraria consuetudine. Sic etiam tenet Medina *1. 2. q. 96. art. 5. in fine.* Vbi expressè dicit, teneri peregrinum legibus Regni communibus, alioqui reipublicæ non benè esset consultum. Vndè malè dicit Pasqualigus *loc. cit.* nihil de hoc Medinam habere; habet enim prædicta verba, & sic benè citat illum pro nostra sententia, Sanchez. Sic etiam Basilius *lib. 5. de matrim. cap. 8. num. 2.* Vbi cum Suario ait, oppositam sententiam, nec esse probabilem, neque securam in praxi. Filliuc. *tract. 27. c. 7. num. 121.* Henriquez, Rodriguez, Vega, & Layman, penes Pasqualigum, *loc. cit.*

QVÆSTIO XXVI.

An Aduena accedentes ad locum, vbi ius commune de aliquo festo, aut ieiunio, est abrogatum: teneantur seruare illud, casu, quo tale ius non sit abrogatum in proprio loco, aut domicilio?

REspondeo; Non teneri. Sic Filliuc. *loc. cit.* Ita dicens: Contrà verò, peregrinus non tenebitur ad festum generale Ecclesiæ, si reperiatur in loco, vbi legitimè non celebratur ex consuetudine iam præscripta, tale enim priuilegium locale est, & extenditur ad omnes, qui sunt in tali loco. Idem dicendum esset de præcepto ieiunij, vel alio locali, esset enim eadem ratio. Sic ille, & omnes. Suarez *loc. cit. numer. 29.* Vbi ait: id esse communiter receptum. Nauarr. *cap. 23. num. 120.* Couarruu. *lib. 4. var. cap. 20. num. 20. num. 8.* Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 18. num. 19. & in summ. lib. 1. cap. 12. num. 28. & 29.* dicens, esse veram sententiam, Basilius, *cap. 8. citato, num. 2.* Henriquez, Pedraza, Ledesma, Salas, Lessius, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus *tract. de ieiun. decis. 208.* Hinc omnes deducentes, posse Nauarros, & Lusitanos, aut alios, apud quos commune jus abstinendi ab intestinis animalium diebus Sabbati viget, transeuntes per Castellam, in qua vsu est abolitum, illis vesci. Idemque (ait Basilius) dicendum est de alijs cibis prohibitis, secundum ius commune in vno loco, quorum vsus est ex consuetudine in alio; vt de carne suilla die Sabbati in Diœcesi Saguntina, & de ceruicibus arietum die Sabbati in nonnullis locis Archiepiscopatus Toletani. Quod idem nouissimè docent Iosephus de Rocafull. *3. par. praxu moral. lib. 6. de legib. cap. 4. num. 28.* Amicus *de iust. & iure disput. 5. sect. 16. numero 359.* & est communis.

QVÆSTIO XXVII.

An Parochianus duplicis Parochiæ, teneatur obseruare festa, & alias leges Parochiæ, in qua, etiam pro breui, vt in hospitio, reperitur?

NEgat Sanchez *lib. 1. summ. cap. 12. num. 40.* teneri casu, quo in dictam Parochiam, non ad habitandum, sed tanquam hospes, & ad breue tempus veniret. Huius Sancij sententiam amplecti debent omnes Authores, quos suprà *quæst. 20. 21. 22. & 23.*

Digitized by Google

Pro sententiis citauimus contrariis. Quia, vt bene Sanchez *vbi suprà*, eodem modo iudicandum est, quando in diuersis Parochiis sunt diuersæ consuetudines, ac quando in diuersis territoriis. Ideo.

Probabiliùs ego, juxta supra dicta, Respondeo: Teneri, non solùm pro eo tempore, quo dictus Parochianus est incola illius Parochiæ, verum etiam pro eo tempore, quo in illa, vt hospes morari contingat. Quia sicut in nostra sententia, hospes tenetur ad obseruandas leges oppidorum, per quæ etiam obiter transit, dummodo id commodè possit, juxtà quod suprà *q.* 23. est habitum. Ita eodem modo teneri debet hospes Parochianus, dum etiam vt hospes habitat in altera Parochia. Sic expresè Filliuc. *loc. cit. num.* 122. & Trullench. *lib.* 3. *cit. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 8. Qui tamen malè citat Thom. Sancium pro hac sententia. Sic etiam omnes DD. suprà *q.* 20. *& seq.* pro nobis citati.

QVÆSTIO XXVIII.

An Vagi, vel, (quod idem est) qui nullibi habent domicilium, teneantur ad festa, ieiunia, & alias proprias consuetudines locorum, per quæ transeunt?

NEgant Pasqualigus *tom. de Ieiun. decis.* 200. *n.* 3. & 4. & penes ipsum Medina 1.2. *q.* 96. *art.* 5. *in fine.* Sayrus *in Claui Regia lib.* 3 *cap.* 4. *num.* 15. Lessius *lib.* 4. *de iust. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 40. Layman *lib.* 1. *Theol. Moral. tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 7. *vers. Nihilominus.* Bossius *sect.* 4. *de Iubilæo, cas.* 18. *num.* 58. & Sancius *in selectis disp.* 54. *n.* 34. Qui etiam citat Paludanum, Antonin. Syluestrum, & Sayrum.

Sed longè probabiliùs Respondeo: Teneri. Quia cum huiusmodi vagi nullum habeant domicilium; illud debent sortiri, quoad omnia, vbicumque reperiuntur; aliàs isti essent exempti ab omnibus legibus, statutis, & consuetudinibus localibus, & Episcoporum, quod videtur absurdum. Sic Suarez *cap.* 14. *citato, num.* 20. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *n.* 15. *& lib.* 1. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 23. Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 40. *&* 55. Sotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *& dist.* 18. *q.* 4. *art.* 2. (non 20. vt inuenies citatum apud Baldellum) *vers. Est hic tamen adnotandum.* Lorca 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 25. *de legib. memb.* 4. *in fine.* Fagundez *præcept.* 4. *Eccles. cap.* 7. *num* 13. Reginald. *tom.* 1. *summ. lib.* 13. *num.* 172. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 10. *pag.* 534. *& cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 9. (non *lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 9. vt citat Pasqualigus, nam liber sextus, nec habet caput 2. neque quid de hac re agit) Basilius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 7. *num.* 4. Bonacina *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *punct.* 6. *n.* 54. qui malè citat Layman (vt notat Pasqualigus) pro hac parte. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *de legib. punct.* 24. §. 4. *num.* 5. Baldellus *lib.* 5. *Theol. Moral. disp.* 32. *num.* 1. *vers. Si tamen sint vagi.* vbi etiam citat malè pro hac sententia Sayrum. Villalob. 1. *part. summ. tract.* 2. *diffic.* 33. *num.* 1. dicens, id esse certum. Filliuc. *loc. cit. num.* 105. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 2. *vers. Notandum verò est*, Amicus *tom.* 5. *de iustit. & iure disp.* 5. *sect.* 16. *num.* 357. Citant etiam Bonacina, Palao, Diana, Baldellus, & Salas pro hac sententia Azorium 1. *part. lib.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 13. Sed omnes haud benè. *Primò*, quia illud caput non habet nisi septem quæstiones. *Secundò*, quia solùm, *quæst.* 3. *col. mihi* 400. docet, quòd vagantes hùc & illùc, qui nullibi domicilium habent, ob crimina commissa, in quolibet loco vbi inueniuntur, puniri possunt. Sunt verba Azorij.

QVÆSTIO XXIX.

An Castellani, quibus in sua patria licitum est in Sabbato intestina, & extremitates animalium edere, possint etiam licitè ea comedere, transeuntes per Nauarram, aut Lusitaniam, quibus in Regnis non licet prædicta mandacare?

AFfirmant Sanchez, Fagundez, & Palat. *locis sup. quæst.* 25. *cit.* Petr. Ledesma *quæst.* 45. *de Matrim. art.* 5. *pun.* 3. *dub. vltimo*, §. 2. Quos pro hac parte citat Pasqualigus *tom. de Ieiunio, decis.* 62. dicitque, esse probabilem, nitique optimo fundamento. Quia nimirum peregrinus sicut non fit pars communitatis illius loci, per quem transit, cùm ibi se habeat tanquam exterus, & aduena, ita non desinit esse pars communitatis sui domicilij: & proinde habet ius, vt viuat secundùm leges, & consuetudines eiusdem communitatis. Ita ille. Sed certè hoc fundamentum, needum bonum mihi videtur: Ex illo namque planè sequitur, quòd non liceat Nauarris, aut Lusitanis transeuntibus, per Castellam vesci intestinis, &c. diebus Sabbati; patet, quia etiam sunt exteri, & aduenæ: ergo si non fiunt pars communitatis illius loci per quem transeunt, planè nec desinent esse pars communitatis sui domicilij: ergo vt talis, tenerentur viuere secundùm leges sui domicilij; ac proinde non possent vesci intestinis, dictis diebus Sabbati, quod est contra communem omnium ferè sententiam; & contra ipsimmet Pasqualigum, vt ex retrò dictis constat. Tenet etiam hanc sententiam Amicus *de iust. & iure disp.* 5. *sect.* 16. *num.* 359.

Vnde probabiliùs, veriùsque longè Respondeo Negatiuè. *Primò*, Quia probabiliùs, veriùsque longè est, quòd Peregrini obligentur legibus in quo degunt, tanquam exteri, vel aduenæ: ergo cum in Nauarra, & Lusitania vigeat prohibitio intestinorum, & extremitatum animalium, pro diebus Sabbati, planè tenebuntur dictam legem seruare (maximè cùm sit lex juris communis) omnes etiam aduenæ, aut Peregrini, vt tales in dictis Regnis degentes, aut per illa transeuntes.

Secundò. Quia certissimum mihi est (quidquid renuat Pasqualigus.) Quòd comestio intestinorum die Sabbati in Castella, facta, sit licita, vel priuilegio, vel consuetudine, posteà priuilegio confirmata; sed sic est, quòd talis consuetudo, seu priuilegium est locale, & non personale, cùm sit concessum intuitu loci, nempe ob penuriam piscium; ergo non sequitur personas extra locum.

Ad fundamentum Pasqualigi: Negandum est, quòd Peregrinus non fiat aliquo modo, & ratione, pars illius loci per quem transit, fit namque, tam ad gaudendum fauoribus; quam subiiciendum se oneribus illius, vt ex dictis satis constat. Et ideò hanc nostram sententiam, vt probabiliorem docet ipsemet Pasqualigus *decis. cit. in fine*, & penes illum Rodriguez *in Bullam Cruciata*, §. 1. *num.* 8. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 2. *& in gloss. litt. S.* Vega *tom.* 1. *summ. cap.* 14. *casu* 18. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 12. *n.* 39. Layman *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 3. & Bossius *sect.* 4. *de Iubil. casu* 18. *num.* 64. Quibus addendi sunt Nauarr. *in Man. cap.* 23. *num.* 120. Vbi sic ait: Sextò peccat qui vescitur carnibus, vel alio cibo vetito in aliqua regione, etiam eo tempore, quo liceret vesci eis in sua, sicut è contrario non peccat vescendo eis in regione, quà transit, vel in qua moratur, licèt in sua eis non liceret. Nauarrus enim, & Lusitanus vescentes in Castella die Sabbato externis,

vel

ve l interiotibus partibus animalium, non peccant: Licèt in suis terris id eis non liceat. Castellanus autem idem faciens in Lusitania, vel Nauarra peccaret, per *cap. illa*, 12. *dist.* per quod eius gloss. probat illud vulgatum: *Si fueris Romæ, Romano viuito more; Et, si fis alibi, viuito sicut ibi.* Huc vsque (& ampliùs) meus Nauarrus, Basilius, Filliuc. Salas, & alij citati suprà *q.* 25.

DISPVTATIO IV.

De operibus in diebus festis prohibitis.

QVÆSTIO I.

An Opera seruilia prohibeantur in diebus festis?

RESPONDEO, Tanquam certum: Prohiberi. Quia Ecclesia prohibuit, in diebus festis, opera corporalia, & externa, instar præcepti legis antiquæ: at lex antiqua prohibebat in die festo opera seruilia, vt patet ex illo Leuit. 23. *omne opus seruile non facietis in eo*: ergò, & Ecclesia. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. D. Anton. 2 *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *Quantum ad tertium*, Alens. 3. *part. q.* 32. *mem.* 4. *art.* 4. Ricard. *in* 3. *dist.* 37. *art.* 2. *q.* 4. Angel. *verb. Feria*, §. 9. Syluest. *verb. Dominica*, *q.* 3. Tabiena *verb. Feriæ*, *vers.* 15. Tolet. *lib.* 4. *summ. cap.* 24. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Religion. lib.* 2. *cap.* 17. & 20. Fagundez *de primo præcept. Eccles. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 8. Bonacina *in* 3. *præcept. Decalog. disp.* 5. *q. vnica*, *punct.* 2. *num.* 23. Sanchez *in consil. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 6. Castro Palao *tom.* 2. *operum moral. disputat.* 2. *punct.* 5. *num.* 1. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 1. Layman *tom.* 2. *Theolog. Moralis lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. & omnes.

QVÆSTIO II.

An omnia opera corporalia externa sint prohibita Christianis in diebus festis?

AFfirmandum videtur. Nam Ecclesia tulit præceptum de sanctificatione festorum; ad imitationem præcepti antiquæ legis; Sed in hoc prohibebantur omnia opera externa, vt colligitur ex illo Exodi 20. *Non facies omne opus in eo*, & Leuit. 23. *omne opus non facietis in eo*: ergo etiam prohibentur per præceptum Ecclesiæ.

Sed tanquam certum Respondeo: Non omnia opera corporalia externa esse prohibita Christianis in diebus festis, sicut olim prohibita erant Iudæis. Sic docent omnes Patres, quatenus cauendum præcipiunt Christianis, ne more Iudæorum in die Dominico otientur. Sic cauetur in Concil. Aurelian. 3. *c.* 27. & in Concil. Laodicen. *cap.* 29. & contrarium damnat Gregor. *lib.* 11. *Epist. in* 3. Et constat ex praxi Ecclesiæ. Sic omnes. Legatur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 17. *à num.* 4. vsque *ad* 10. Vbi ad rationem dubitandi respondet; quòd, licèt præceptum Ecclesiæ, de abstinendo ab operibus seruilibus, datum sit ad imitationem præcepti legis antiquæ, non verò ad eius æqualitatem. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 12. Layman *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO III.

An opera seruilia, quæ in festis prohibentur Christianis, sint tantùm illa, quæ propria sunt seruorum?

REspondeo affirmatiuè. Sic namque clarè colligitur ex verbis Exodi 20. & Leuitici 23. nuper adductis. Et ex Ecclesiæ vsu, & Doctorum omnium consensu. Qui declarantes, quid sit opus seruile, in festis prohibitum, aiunt, illud esse propriè, quod ex se habet quendam famulatum, & ab illis solis communiter exercetur, qui aliis inseruiunt. Sic ferè D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. & *in* 3. *sent. dist.* 37. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2. Vbi adducens descriptionem operis seruilis, ait: *opera seruilia propriè esse illa ad quorum exercitium seruos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ à liberalibus distinguuntur.* Sic Angelicus Doctor. Et sic ex illo, Suarez *lib.* 2. *cit. cap.* 17. *num.* 3. & 4. Caietan. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Nauar. *cap.* 13. *num.* 3. Tolet. *cap.* 24. *num.* 8. Reginald. *lib.* 19. *num.* 4. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 5. *q. vnica*, *pun.* 2. *num.* 4. & 23. Castro Palao *tom.* 2. *disp.* 2. *pun.* 5. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 2. Layman *cap.* 2. *cit. num.* 2. Fagundez *de* 1. *præcepto Eccles. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 6. & *c.* 11. *per totum.* Villalob. *tom.* 2. *tr.* 32. *diff.* 2. *n.* 2. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 1.

QVÆSTIO IV.

An etiam prohibeantur in festis, opera quæ sunt communia liberis, & seruis, vt sunt venari, piscari, &c.

AFfirmant aliqui esse prohibita prædicta opera, si fiant à seruis, non verò si fiant à liberis. Quorum opinionem dicunt esse probabilem, Filliuc. *to.* 2. *tract.* 27. *c.* 9. *q.* 8. *num.* 160. & Machado *lib.* 2. *summ. part.* 3. *tract.* 15. *docum.* 5. *num.* 5. Vbi sic ait [A cerca de las obras que son comunes à esclauos, y libres; como es el caminar à pie, pescar, caçar, &c. Digo que es prouable opinion que son medias de suyo, y tales, que hechas por oficio, o por esclauos, y gente seruil, son tambien ellas seruiles, è ilicitas; y hechas por personas libres, no lo son. Sic Machado.

Sed probabilius longè Respondeo; Non prohiberi in festis exerceri prædicta opera, etiam à seruis. Quia in festis sola opera seruilia sunt prohibita; sed ea, quæ sunt communia liberis, & seruis, non sunt seruilia: ergo. Sic Caietan. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Bonac. *num.* 24. *cit.* Sanchez *dub.* 6. *cit. num.* 10. Castro Palao *punct.* 5. *cit. num.* 1. Pedraza *præcept.* 3. *fol.* 27. *pag.* 2. Filliuc. *loc. cit. num.* 161. Machado ex illo, his verbis. [Si bien es mas prouable opinion, que en ninguna manera se dan obras medias, sino que forçosamente han de ser ò seruiles, ò libres, porque de la misma manera, que entre hombre libre, y esclauo, no se dà medio, tan poco entre las obras comunes. Sic ille.

QVÆSTIO V.

An sit licitum in die festo studere?

NEgauit absolutè Abulens. Exodi 12 *q.* 26. vbi docet, quòd si quis toto die festo studeat, etiam Theologiæ, & causâ pietatis, & non lucri, non careat culpâ. Quia præferri debet vacatio ad Deum studio. Negarunt etiam alij Canonistæ, non loquendo, tam latè de omni studio; sed de studio, quod non est in materia spirituali. Sic Anton. de Butr. *in c.* 1. *de feriis*, Angel. *verb. Feria*, *numero* 29. & Syluest. *verb.*

Domi

BIBLIOTECA NAZ.

Dominica, quæſt. 5. verſ. *Quinta.* Vbi expreſsè docent, quòd ſtudere ad lucrum non liceat, licèt non ſit mortale.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Licitum eſſe ſtudere in die feſto, etiam tota die, & non ſolùm Theologiæ, verùm etiam aliis ſcientiis, vt Philoſophiæ, Mathematicæ, & ſimilibus, quacumque intentione id fiat; dummodo ſuo tempore audiatur Miſſa. Ratio eſt: Quia ſtudere, non eſt opus ſeruile, ſed liberale: at hoc non eſt prohibitum in die feſto, (vt *quæſt.* 3. eſt habitum:) ergo non erit peccatum contra obſeruationem feſti, in eo conſumere totum diem (modò Miſſà audiatur) etiamſi lucri causâ id fiat. Sic D.Thom. 2.2. *q.*122. *art.*4. Panorm. Petr. de Ancar. Andr. Barbat. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*2. *cap.*22. *à num.*3. Bonac. *tom.*2. *diſp.*5. *q. vnica, punct.*2. *num.*7. Fagundez *de* 1. *præcept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. *&* 3. Caſtro Palao *tom.*1. *tract.*9. *punct.*5. *num.*2. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*8. *n.*4. Ballæus *verſ. Feſti m* 2. *n.*7. Graſſius 1. *part. deciſ. lib.*2. *cap.*33. *n.*16. *&* 2. *p. lib.*2. *c.*13. *n.*8. *&* 23. & alij.

QVÆSTIO VI.

An licitum ſit alicui in die feſto, docere alios, aut legere lucri gratiâ?

NEgant Syluest, & Abulen. *loc. cit.* Qui aexiſtimant eſſe peccatum, exercere prædictos actus, propter lucrum; eo quòd ex fine fiant ſeruiles.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Licitum eſſe in die feſto, legere, aut docere quamcumque ſcientiam, aut artem, ſiue voce, ſiue ſcripto fiat: non ſolùm causâ pietatis, ſed etiam lucri gratiâ. Quia totum hoc eſt exercere actus liberales; qui nequaquam ſunt in feſtis prohibiti. Neque, quod fiant ob lucrum, extrahunt illos à ſua conditione. Sic Suarez *loc. cit. n.*6. Fagundez, Palao, Trullench. *loc. cit.* Nauar. *cap.*13. *n.*12. *verſ. Octauo.* ex Caiet. 2.2. *q.*122. *a.*4. *& in ſum. Feſtos dies.* Paſqualig. *in deciſ. moral. deciſ.*138. *num.*4. Graff. 2. *p. deciſ. lib.*2. *cap.*13. *num.*8. *&* 23. Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.*2. *dub.*6. *num.*4. *&* 11. & alij.

QVÆSTIO VII.

An licitum ſit cantare in feſto, aut pulſare organa, ſeu alia inſtrumenta, ex conuentione aliquarum pecuniarum?

NEgant Abulenſ. *loc. cit. q.*27. Angel. *v. Feriæ, n.*27. & Syluest. *v. Dominica, q.*7. *verſ. Quinta.*

Sed tanquam certum ferè Reſpondeo: Licitum omnino eſſe, non ſolùm, ſi id fiat principaliter ob diuinum cultum, aut ob honeſtam animi recreationem, ſiue ob aliquem alium finem pium, in quo omnes conueniunt; ſed etiam, ſi principaliter ob pecunias, aut aliam mercedem fiat. Quia prædicta non ſunt opera ſeruilia; nec talia ex fine lucrandi efficiuntur, vt nuper eſt habitum: ergo. Sic Nauarr. *cap.*13. *n.*14. *verſ. Ex quo ſequitur.* Graſſius 1. *p. deciſ. aur. lib.*2. *c.*33. *n.*12. Pedraza *in ſumm.* vbi de 3. *præcept. fol.* 27. *pag.* 2. & alij.

QVÆSTIO VIII.

An licitum ſit conſulere in feſto, etiam principaliter propter lucrum?

NEgant Syluester, *v. Dominica, q.* 5. *verſ. Tertia:* ſentiens, peccare mortaliter Doctorem, qui dat conſilium, etiam illi, qui è longinquo venit, principaliter ob quæſtum. Cuius ſententiam eſſe communem, ait Nauarrus, *vbi infrà.* Et illam docent Moditius *in §. Prudentum reſponſa, dub.*9. *num.*2. & alij.

Affirmat verò, non abſolutè, ſed limitatè, Angelus, *v. Feriæ, n.* 25. concedens id ſolum Doctori, qui, vt expediat illum, qui de longè venit, conſilium facit.

Sed tanquam ferè certum, abſolutè, & ſine limitatione Reſpondeo: Licitum eſſe facere conſilium, etiam principaliter propter lucrum. Quia hoc non eſt opus ſeruile; nec aliud ex quinque prohibitis, de quibus infrà; ergo licitè fieri poteſt in die feſto. Sic Nauarr. *cap.*21. *num.*12. *verſ. Octauo,* Bonac. *diſput.*5. *punct.*2. *num.*8. Palao *tom.*2. *tract.*3. *diſput.*2. *punct.*5. *numero* 2. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*8. *numero* 4. Paſqualig. *deciſ.*138. *num.*2. Fagundez *de* 1. *præcept. lib.*11. *cap.*11. *à num.*2. & Graſſius 1. *part. deciſ. lib.*2. *cap.*33. *num.*16. *&* 2. *part. lib.*2. *cap.*13. *n.*23. & alij.

QVÆSTIO IX.

An ſit licitum in die feſto ſcribere, ſi id non fiat ob lucrum?

NEgat Guillel. quem citat, & ſequitur Abulenſ. *in cap.*12. *Exod. q.*37. docens, peccare, qui in die feſto magnam ſcripturam faceret pro ſe, adhuc abſque ſpe lucri.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Eſſe licitum. Quia ſcribere, præſertim gratis, & abſque lucro, non eſt opus ſeruile, ſed liberale; ergo cùm aliàs non ſit ex quinque aliis prohibitis, licitè poteſt in die feſto fieri. Sic D.Thom. *art.*4. *cit.* vbi expreſsè docet, quòd *Docere tam verbo, quàm ſcripto, ſit opus ſpirituale.* Suarez *lib.*2. *cit. cap.*24. *num.*1. vbi ait, in hoc omnes Doctores conuenire. Sanchez *lib.*5. *conſil. c.*2. *dub.*8. *num.*2. & penes ipſum, Nauarr. Lopez, Soto, Medina, Syluest. & Caiet. Layman. *to.*2. *lib.*4. *tract.*7. *c.*2. *numero* 3. & alij.

QVÆSTIO X.

An licitum etiam ſit in feſto ob lucrum ſcribere?

NEgant Summ. Confeſſ. *lib.*1. *tit.*12. *q.*9. Angel. *v. Feriæ, num.*9. *&* 31. Tabiena *num.*39. *&* 40. Roſella *num.*12. Piſanel. *ibidem.* Syluest. *v. Dominica, q.* 5. verſ. *Sexta.* Aſtenſ. *lib.*1. *tit.*22. *art.*4. *& tit.*23. *art.*3. *q.*5. Ricard. *in* 3. *d.*37. *art.*2. *q.*4. Sot. *lib.*2. *de Iuſt. q.*4. *art.*4. *ad* 3. & Azor. *p.*2. *lib.*1. *cap.*27. *q.*4. Quos omnes citat pro hac parte Paſqualig. *deciſ.* 139. *numero* 1. Addens, eandem ſententiam tenere etiam omnes Authores, quos ipſe *deciſ.*140. citat pro prima ſententia, inter quos ſunt Nauarr. Caietan. & Tolet. quos tamen pro contraria (in hac quæſtione) ſententia, citat, & benè. Addi tamen his Doctoribus poſſunt Guillelm. & Abulenſ. *loc. cit.*

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe licitum in feſto ſcribere, etiam ob mercedem, aut lucrum, quocumque modo ſcribatur. Nam triplici modo poteſt quis ſcribere; vno, per ſeſe, proprios conceptus exprimendo; alio modo, vt diſcipulus, alterius dictata excipiendo; & tertiò, vt inſtrumentum alteri miniſtrans, & illi ſcribens; quocumque ergo modo ex his ſcribatur, licitum eſt. Ratio eſt. Quia ſcribere non eſt opus ſeruile, ſed liberale; cùm ſit opus mentis; hoc eſt, opus exprimens conceptus proprios, vel dictantis: ergo, quamuis fiat ob lucrum, licitum erit ſcribere in feſtis. Patet conſequentia: quia inter

ſcri

Digitized by Google

ſcriptionem factam ob lucrum, vel ſine lucro, nulla differentia aſſignari poteſt, vt benè probat Suarez, vbi infrà: ergo ſi vna non eſt ſeruilis, nec alia erit. Sic docent Caiet. 2.2. *q.*122. *art.*4. Nauar. *in Man. c.*13. *num.*14. Sayrus *in Claui Regia lib.*7. *c.*2. *num.*13. Lopez 1.2. *inſtruct. conſc. c.* 52. Medina *lib.* 1. *inſtruct. c.*14. §.8. Tolet. *lib.*14. *c.* 24. *num.*6. (*non* 3. vt citat Paſqualig.) Fagundez *lib.*1. *de* 1. *prec. Eccleſ. c.*11. *n.*3. & 4. Layman *lib.*4 *tr.*7. *c.*2. *n.*3 Suarez *to.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*24. Bonac. *de* 3. *prec. Decal. q. vnica, pun.*2. *n.*25. (Qui malè citat pro hac parte Azorium; quod non notauit Paſqualigus) Caſtro Palao *to.*2. *tract.*3. *de obſeru. feſtorum, diſp.*2. *punct.*5. *num.*3. Gordon. *lib.*6. *Theol. Moral. q.* 7. *c.*6. *per. Dubium*. Quos omnes citat, & ſequitur Paſqualigus *deciſ.* 139. His addi poſſunt Baſſæus *v. Feſtum*, 2. *num.*8. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*8. *n.*4 Sanchez *in Conciliis p.*2. *lib* 5. *dub.*8. *n.* 5. & 6. Filliuc. *tract.*27. *c.*9. *n.*163. Villalob. 2. *p. tract.* 32. *diff.* 2. *n.*5. Luiſius *in ſumma p.*1. *c.*230. *dub.*11. *adiuncto dub.*8. & alij.

Qvæstio XI.

An etiam ſit licitum transſcribere in die feſto, ſine pretio?

NEgant apud Suarez Caiet. 2.2. *q.*122. *art.*4. & Nauar. *cap* 13. *num.*14. & (apud Sanchez *infrà*) Syluest. *verb. Dominica, quæſt.*5. *concluſ.* 5. Margarita Confeſſor. 3. *prec. fol.*70. & Pedraza 3. *precept. fol.*27. *pag.*2.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Eſſe licitum. Quia tranſcribere abſolutè, nil aliud eſt quàm tali modo ſcribere: at hoc eſt licitum fieri in die feſto, vt ſuprà eſt habitum: ergo & illud erit. Sic Suarez *lib.*2. *cit. cap.*25. *n.*1. Qui citat pro hac parte Syluestrum, Angelum, & Roſellam. Sed ex his Sylueſter, & Angel. (quos ſolos pro nunc videre potui) oppoſitum docent; Syluest. loco à Sanch. cit. concl.6. (non 5.) & Angel. *verb. Feriæ*, *num.*31. Sic etiam Sanchez *lib.*5. *conſil. c.*2. *dub.*9. *num.*3. & 4. & Layman. *tom.*2 *lib.*4. *tract.*7 *cap.*2. *num.*3. *verſu Dico ſecundo*. Lublinus *verb. Feſtum, n.*4.

Qvæstio XII.

An item ſit licitum tranſcribere in feſto, ob lucrum, aut pretium?

NEgant (& à fortiori) Caiet. & Nauarr. *loc. cit.* Siluius etiam 2.2. *q.*122. *art.*4. Tolet. *lib.*4. *cap.* 24. *num.*11. D. Anton. *p.*2. *tit.*9. *cap.*7. §. *Quantum*. Fernandez *p.*1. *Examen Theol. cap.*7. §.1. *num.* 10. Vega *tom.*1. *ſumm. cap.*114. *caſu* 3. Comitol. *lib.* 4. *reſponſ. q.*58. *num.*3. Azor. *p.*2. *lib.*2. *cap.*27. *q.*5. Anton. de litteratis *p.*2. *ſumm. cap.*17. *num.*21. Reginald. *lib.*19. *cap.* 3. *num.* 40. & ex parte Sanchez *tom.* 2. *opuſcul. lib.*5. *cap.*2. *dub* 9. *num.*4. Quos omnes pro hac parte ſic refert Paſqualigus *deciſ.*140. Sed ex his, malè Toletum; quia nec *num.* 11. *cit.* nec alibi de hac agit quæſtione.

His tamen Doctoribus pro hac ſententia adductis, addi adhuc poſſunt Iodocus *tom.* 1. *Theſauri, v. Feſtorum obſeruatio*, §. 7. *verſ. Tranſcribere* Ioannes Henriquez *in ſumm. cap.*7. *num.*21. Syluest. Angel. & Roſella *loc. cit.*

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam eſſe licitum. Quia tranſcribere idem eſt eſſentialiter, ac ſcribere: ſed ſcribere, eſt licitum in die feſto: ergo & tranſcribere. Maior patet. Quia tranſcriptio ſolùm differt à ſcriptione in hoc, quòd tranſcribens, ſcribit conceptus dictatos, non per verba, ſed per ſcripturam; ſcribens verò, ſcribit conceptus dictantis ex ore ipſius; at ſic eſt, quòd per accidens ſe habet ad actionem, quòd quis excipiat conceptus, vel per verba, vel per ſcripturam: ergo. Nec refert quidquam, quòd id fiat ob lucrum, aut pretium; quia ſi actio tranſcribendi, ex ſe eſt liberalis, & non ſeruilis, nullo modo fiet ſeruilis intentione operantis, nempe, quòd hoc faciat ob lucrum; quia id valdè accidentarium eſt illi. Sic Medina *in inſtruct. lib.*1. *cap.*14. §.8. Lopez *c.* 52. *cit.* Fagundez *lib.*1. *de* 1. *precept. Eccleſ. cap.*11. *num.*3. & 4. Sayrus *lib.*7. *cit. cap.*2. *num.* 15. Margarita caſuum conſcient. *v. Feſta*. Suar. *lib.*2. *cit. c.*25. Molfeſ. *tom.* 1. *ſumm. tract.* 11. *cap.*17. *num.*42. Sà *v. Feſtum, num.*5. Layman *lib.*4. *tract.*7. *cap.*2. *num.*3. Rodriguez *in ſumm. tom.*3. *cap.*168. *num.*3. Naldus *v. Feſtum, n.*5. Bonac. *q. vnica, cit. punct.* 2. *num.*25. Palao *p.*2. *tract.*3. *diſp.* 2. *punct.* 5. *num.*4. Diana *p.*1. *tract.* 15. *reſol.*35. Ioan. de Cruce *p.*1. *ſumm. precept.*3. *art.*1. *num.* 2. & Gordonus *lib.*6. *cit. q.*7. *cap.*6. *verſ. Ad quid ſaltem*. Quos omnes citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.*140. Quibus addi, poſſunt, Baſſæus *Feſtum* 2. *num.*8. *verſ. tranſcribere*. (vbi etiam citat malè Toletum *lib.*4. *cap.* 24. *num.* 14. pro contraria ſententia ſicut citat Paſqualig. *num.* 11. Quia Tolet. nil habet de hac quæſtione; nec caput 24. habet niſi numeros 11.) Filliuc. *tract.*27. *cit. num.*164. Trullench. *dub.* 8. *cit. num.* 5. Lublinus *v. Feſtum*, *num.*4. Machado *lib.*2. *p.*3. *tract.*15. *docum.*5. *num.*7. Luyſius Turrian. *in ſumm loc. cit.* Auſonius *in ſumm. Dianæ, verſ. Feſtum ſeruare, num.*4. & alij.

Qvæstio XIII.

An ſit licitum in die feſto tranſcribere, ex officio, aut pro mercede, libros cum Notis ad cantum deſeruientes, Priuilegia, & ſimilia?

NEgant Azor. *loc. cit. cap.*17. *q.*4. Sanchez *tom.*2. *conſil. lib.*5. *c.*2. *dub.*10. *n.*5. & 6. & alij.

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe licitum; Quia totum hoc continetur intra limites operis liberalis, & non ſeruilis. Sic Bonac. *q. vnica, cit. punct.* 2. *num.* 25. Trullench. *dub.*8. *cit. n.*5. & penes illum Diana 1. *p. loc. cit.* ſed certè id ſolùm docet, loquendo de Notariis, aut officialibus Curiæ, non de ſcribentibus libros cum Notis; Qui & citat Sayrum *in Claui Reg. lib.*7. *cap.*2. *num.*15. Molfeſſium, Lopez, Suarium, & alios.

Qvæstio XIV.

An ſit licitum in die feſto illuminare libros, aut litteras?

AFfirmare debent Authores, qui affirmant, licitum eſſe in diebus feſtis depingere: de quo infrà. Quia vtriuſque eadem eſt ratio.

Sed probabilius Reſpondeo: Non eſſe licitum. Quia probabilius eſt, nec actum pingendi eſſe licitum in feſto, vt infrà. Sic Sanchez *loc. cit. dub.*9. & Trullench. *num.*5. *cit.*

Qvæstio XV.

An ſit licitum Tabellionibus, ſeu Notariis, facere ſcripturas in diebus feſtis?

NEgant Syluest. *v. Dominica*, *q.*3. (vt referunt Paſqualig. & Sanchez) & Anton. 2. *part. tit.* 9. *cap.*7.

cap.7. §.vltimo, niſi aliàs ſit conſuetudo legi derogans. Ita etiam Lublinus *verb.Feſtum, n.4.*

Sed probabiliùs Reſpondeo: Licitum eſſe facere ſcripturas, & alia inſtrumenta publica, continentia illos actus, qui in feſtis non ſunt prohibiti; v.g. teſtamenta, ſcripturas donationis, & renunciationis, debiti ſoluti, &c. ſecus verò ſcripturas, quæ continent actus prohibitos fieri in diebus feſtis; vt ſcripturam, quæ continet examinationem teſtium, &c. Quia *Primum*, nullo modo eſt jure prohibitum, velut eſt: *Secundum*, nec eſt opus ſeruile: ergo erit licitum. Sic Nauarr. *cap.13. num.14.* verſ. *Ex quo ſequitur* Lopez *lib.1. inſtruct. cap.52.* verſ. *licèt etiam conſcribere.* Sanchez *tom.2. conſil. lib.5. cap.2. dub.10. num.2. & 3.* Paſqualig. *deciſ.152.* Trullench. *loc.cit. num.4.* Iodocus *to.1. Theſauri, ver. Feſtorum obſeruatio, §.7.* verſ. *Secundi generis.* Medina *in ſumm. lib.1. c.14. §.8.* Villalob. *2. part. tract.32. diff.2. num.5.* & alij, id docentes ſecundùm regulam communem.

QVÆSTIO XVI.

An ſit licitum in die feſto rationem facere. Hiſpane, Dar y tomar cuentas, *ſaltem, quando id nec ex officio, nec pro mercede fit?*

NEgant Syluest. *v. Dominica, q.3.* Angel. *v. Feria, num.31.* Tabiena *eo verbo, num.39.* Abulenſ. *q.26. in cap.12. Exodi* & D. Anton. *2. part. tit.9. cap.7. §. vltimo.* Quos omnes citat Paſqualig. *deciſ.150.* Sed ex his Authoribus, Angelus nihil habet de hac quæſtione *num.31.* nec alibi. Negant etiam apud Sanchez, *vbi infra.* Margarita *3. præc. fol.7.* Medina *lib.1. ſumma.16. §.9.* & Henriquez.

Sed probabiliùs Reſpondeo: licitum eſſe. Quia deſcriptio dati, & accepti, & tranſcriptio de vno in alium librum, in quo actio reddendi rationem rei datæ, & acceptæ, aut reddituum conſiſtit, non eſt opus ſeruile, ſed omnino liberale; ergo & licitum in feſto. Sic Paſqualigus *loc.cit.* & Sanchez *tom.4. poſt. lib.5. cap.2. dub.11. num.22.* dicens, ita ſentire doctos Recentiores, addentes, id practicari, ſine ſcrupulo, inter Religioſos timoratos.

QVÆSTIO XVII.

An etiam ſit licitum rationem facere in feſtis, illis, qui pro mercede, aut ex officio, id faciunt?

NEgat Sanchez *loc. cit. num.3.* Docens, id nullo modo eſſe licitum illis, qui vel in Republica id habent ex officio, aut pacta mercede; aut illis, qui id ex officio præſtarent: quia hoc pacto (inquit) id opus redditur ſeruile.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Etiam eſſe licitum eis. Quia ſi rationem facere vt ſic, ex ſe eſt opus liberale, ac proinde licitum in feſto; etiam tale erit, quantumuis fiat ex officio, aut mercede; quia hæc nullo modo variant naturam actus, aut operis, vt ſæpè eſt dictum: ergo. Sic Paſqualig. *deciſ.150. citata.*

QVÆSTIO XVIII.

An licitum ſit Typographis ordinare, & componere characteres, aut litteras in feſtis?

NEgant apud Paſqualigum, eo quòd ſentiant, eſſe opus ſeruile, Suarez *lib.2. cit. cap.25. num.8.* Victorell. *in addit. ad Tolet. lib.4. cap.25. ver. Transcriptionem,* Palaus *p.2. tract.3. diſp.2. punct.5. num.5.* & Gordonus *lib.6. Theolog. Moral. q.7. cap.6. ver. At quid ſaltem.* Quos omnes citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.149. num.4. & 5.* Sed ex his, quos hic Author citat Authores, Victorell. malè. Quia *loc. cit.* ſaltem apud me, nec habet verſ. *Tranſcriptionem*, nec verbum de hac quæſtione habet. Addi tamen loco illius poſſunt Baſſæus *v. Feſtum 2. num.8. ver. Imprimere autem,* Trullench. *lib.5. in Decalog. cap.1. dub 8. num.5.* Filliuc. *tract.27. cap.9. num.164. & ſequenti.* Fagund. *de 1. præcept. Eccleſ. lib.1. cap.11. num.7.* Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia illa ordinatio characterum non eſt ex ſe expreſſio conceptuum, aut tranſcriptio expreſſionis conceptuum: ſed eſt fabricatio quædam inſtrumenti mechanici, quod inſeruire debet ad opus mechanicum: dum enim componunt characteres, fabricant illas, quas vocant, formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas litteras, non ad exprimendos, aut percipiendos conceptus. Ita Paſqualigus. Et licet hæc ſententia ſit valdè probabilis, & in praxi conſulenda.

Tamen probabilius certè Reſpondeo: Licitum eſſe Typographis in diebus feſtis characteres componere, ſeu ordinare. Quia huiuſmodi ordinatio characterum, etiam in ordine ad impreſſionem, non eſt opus ſeruile: ergo nec prohibitum in diebus feſtis. Conſequentia liquet. Antecedens probo. *Primò*, Quia per illam compoſitionem characterum, manifeſtantur, & exprimuntur conceptus mentis: ergo opus eſt mentale, & non ſeruile. *Secundò*, Quia tranſcriptio eſt licita in feſtis (vt ſuprà eſt habitum). ergo & ordinatio litterarum, ſeu characterum, erit etiam licita; patet, quia hæc nihil aliud eſt, quàm quædam tranſcriptio ex quaternione, aut originali libro, in dictas formas, vt poſtea in papyro cudantur.

Reſpondet Paſqualigus, negando, quòd illa ordinatio characterum ſit manifeſtatio conceptuum, quia (inquit) dicti characteres ponuntur inuerſo modo, ac ponuntur in ſcriptura; quod ſatis indicat, non ordinari ad lectionem, aut manifeſtandos conceptus; ſed diſponi, vt ſint congruum inſtrumentum ad cudendas litteras.

Sed hæc reſponſio nullo modo euacuat vim argumenti. Nam *Primò* inquiro à Paſqualigo: ſi illa ordinatio characterum poneretur, non inuerſo, ſed eodem modo, ac ponitur in ſcriptura, eſſet-ne opus ſeruile, aut liberale, & mentale? Si dicat primum: ergo impertinenter recurrit, vt ſoluat argumentum, ad poſitionem inuerſam litterarum. Si dicat ſecundum, nempe, quod tunc eſſet opus liberale, & mentale; quia tunc, re vera, dicta compoſitio litterarum, eſſet manifeſtatio conceptuum mentis, ſicut eſt ſcriptio, aut tranſcriptio: tunc ſic ego: ſed ſic eſt; quòd etiam compoſitio litterarum, inuerſo modo poſitarum, clarè & diſtinctè manifeſtant conceptus mentis, vt conſtat legenti dictas formas, vt ſæpe ego legi, & intellexi: ergo etiam erit opus liberale, ſeu mentale, & non ſeruile.

Secundò arguo contra eundem Authorem: Si quis inuerſo modo ſcriberet, manifeſtando, & exprimendo alicui ſuos conceptus, verè exerceret operationem liberalem, vtpotè mentis, & non ſeruilem, vt conſtat, ac proinde non prohibitam in feſtis: ergo eandem exercet Typographus ordinando characteres inuerſo modo; ſiquidem eodem, aut ſimili modo manifeſtat ſuos, aut alterius conceptus. Propter hæc, hanc noſtram ſententiam tenent Homobonus *volum.1. p.2. reſponſ.34.* Layman *lib.4. Theolog. Moral. tract.7. cap.2. num.3. verſ. dico 3. in fine.* Diana *part.4. tract.4. Reſol.62.* & nouiſſimè *p.8. tract.7. Reſol.36.* Et, ni fallor, Machado *tom.2. lib.6. part.8. tract.8. documn.4. num.1.* & dicunt probabile, Trullench. & Paſqualigus,

qualigus, vt notat ipse Diana *resol.56.cit.* Ita dicens: Sed an dicti Typographi possint in diebus festiuis characteres componere, nominatim contra me, negatiuè respondet P.Pasqualigus *decis.149.n.5.* sed nostram sententiam tanquam probabilem admittit Machadus vbi *sup.num.1.* & Trullench *in Decalog.tom.1. lib.3.c.1. dub.8. n.5. & 6.* Hucusque Diana, & Ausonius in summa Dianæ, *verb.Festum seruare,n.5.* sic dicens: Similiter Typographi characteres in die festo ordinantes non peccant mortaliter: quia hoc etiam est opus de se mentale, non seruile. Ita ille.

Ad fundamentum Pasqualigi, Negandum est, quòd illa ordinatio characterum non sit ex se expressio, seu expressiua conceptuum. Est namque, licèt ex parte componentium aliud intendatur; nempe, fabricare dictas formas, ad cudendas litteras. Quia finis operantis non extrahit à sua conditione operationem ipsam. Vnde si hæc est ex se expressiua conceptuum, semper erit talis, quidquid aliud velit operans. Vnde omni capite, tam scilicet ex authoritate, quàm ratione constat, hanc nostram sententiam esse probabilem, quicquid ille Theologus Neothericus dixerit. Nolo tamen, vt illam ante factum, consulas; bene tamen, vt illam post factum teneas; vt non temerè condemnes eos, qui eam amplexati sunt.

QVÆSTIO XIX.

An etiam ipsismet Impressoribus librorum, vulgò, Batidores, y Tiradores, *sit licitum in festis Prælo incumbere?*

RESpondeo, tanquam quid certum: Non esse licitum. Quia horum actio verè & totaliter est mechanica, & seruilis, cùm pertineat ad artem sigillatiuam; nam nil aliud de se dicit, quàm intinctionem litterarum, & earum impressionem super papyrum. Sic tanquam certum docent omnes Doctores citati, tam pro prima, quàm pro secunda nostra sententia. Legantur.

QVÆSTIO XX.

An sit licitum pingere in festo, lucri gratiâ?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Sayrus *lib.7.Clauis Reg.cap.2.n.13.* Lopez *1.part.instruct.cap.52.* Medina *lib.1.instruct. c.14. §.8.in fine,* Ioan.à Cruce *2.part.director.precept.3.art.1.num.2.* Layman *lib.4. tract.7.cap.2.num.3.vers.Dico tertiò.* Quos omnes, si pro hac parte citat, & sequitur Pasqualig. *decis.142. num.3. & 4.* Sed ex his Authoribus, Lopez contrarium docet expresè cum Nauarro, & Caiet. *cap.52. citato,* vers. *Licèt scribere.* Quamuis versu sequenti dicat, quòd Medina affirmet posse contrarium practicari. Citat etiam pro hac parte Machado *tom.2. p.8.tract.8.docum.6.num.4.* Dianam *4.part.tract.4.resolut.62.* & bene. Ipse verò non resoluit hanc difficultatem; sed solùm refert, vt solet, quamuis in hanc videatur inclinare sententiam, eo quòd illam in vltimo referat loco.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse licitum. Quia probabilius est, quòd actus pingendi sit seruilis: ergo prohibitus in festis. Sic latè Suarez *lib.2. cit.cap.26. à num.4.* Sà *ver.Festum, num.5.* Pedraza *in summ.præcep.3.fol.27.pag.2.* Bonac.*disputat.5.punct.2. n.25.vers.Quintò.* Vbi pro hac parte citat Sayrum *loc. cit.num.16.* Sed malè, nam oppositum expresè docet. Azorius *tom.2.lib.2.c.27.q.6.* Fagundez *de 1.præcept. cap.11.num.10.* Palao *tom.2.de obseruat.fest.tract.3. disput.2.punct.5.num.7.* Molfes.*tract.11.cap.17.n.45.*

Naldus *ver.Festum, num.6.* Gordon.*lib.6.Theolog.Moral.q.6.cap.6.* Sanchez *tom.2.consil.lib.5.c.2.dub.12.& 16.* Bassæus *v.Festum, 2.n.9.* Filliuc.*tr.27.c.9.n.167.& seq.* Trullench *lib.3.in Decalog.cap.1.dub.8.n.7.* Luysius Turrian. *in select.centur.4.dub.59.& in sum.p.1.c.230. dub.12.* Tenent etiam Angel. Tabiena, Rosella, Syluest.& Armilla, statim citandi. Et est communis sententia, vt fatetur ipsemet Layman, qui etiam citat malè pro se Lopezium.

QVÆSTIO XXI.

An saltem sit licitum in festis pingere, recreationis gratiâ?

AFfirmant (à fortiori) omnes Authores nuper pro prima sententia adducti; & ex adductis pro nostra, Angel.*v.Feria, num.31.* Syluest. *v.Dominica, q.5.§.sexta:* (non §. *Quinta,* vt citat Suarez) Armilla *v.Festum, num.21.* Rosella v.*Feria, n.13.* Azor. Reginald. Clauis Reg. (apud Bonacinam) & Bassæus *loc. cit.num.9.* Ita etiam Layman *tract.7.cit.cap.2.num.3. vers.Dico 1.11.* & penes illum Sà, *numero 5.* Ioann.à S.Thoma *in explicatione Doctrina Christiana, vbi de 3.præcepto Decalog.fol.mihi 40.* his verbis: [Si es mucha la obra, y por mucho raro, es mortal. Si es solo por recreacion, aunque trayga consigo algun trabaxo, no son pecado; sino estoruan la Missa, ó den escandalo.] Ita ille. De omnibus operibus prohibitis, absolutè loquendo, & alij. Quorum fundamentum est. Quia pingere recreationis gratiâ, non est artem exercere, sed animum reficere: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Neque esse licitum. Quia probabilius est, vt diximus, quòd opus pingendi sit simpliciter seruile: ergo, quacumque intentione fiat, semper est illicitum in festo fieri; quia intentio, aut finis operantis, non variat rationem operis. Sic Suarez *c.36.cit.n.5.* vbi sic ait: Item, licèt quis depingat imaginem animo illam donandi Ecclesiæ, non licet, in festo id facere, sine licentia Prælati, quia non licet seruile opus facere in festo, etiam causâ pietatis, sine necessitate excusante, vt suprà dictum est. Quapropter multò minùs licebit id facere voluptatis causâ; sicut non liceret, vas argenteum, aut aureum, facere, etiamsi quis in eo delectetur, & ea ratione id faciat. Sic Suarez *n.4.cit.* Caiet.*2.2.q.122.art.4.§.Ad 2.* Bonac. *loc.cit.num.25.vers.Quintò.* Filliuc. *tract.27. cap.9. à n.167.* Fagundez *loc.cit.n.16.& 13.* Sanchez *dub.12.cit.* Palao *punct.5.cit.n.7.* Trullench *loc.cit.n.7.* Et alij. Et certè loquendo absolutè de operibus seruilibus, id mihi plusquam certum videtur; (quidquid senserit R.P.Ioan.à S.Thoma) vt ex dictis Suarij constat. Lege ipsummet Suarium *loc.cit.* vbi optimè id probat, eique consentiunt omnes Recentiores.

QVÆSTIO XXII.

An ad minus licitum sit Iuuenibus, pingere in festis, intentione addiscendi artem?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Syluest. Rosella, Armilla, Tabiena, Angel. Naldus, Medina, Lopez, & Layman, *locis nuper citatis.* Sà *verb. Festum, num.5.* Sanchez *tom.2.opusc.lib.5.cap.2.dub.6.num.8.* Quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.141.num.2.* Quibus addi possunt Bassæus, Diana, *loc.cit.* & Llamas *3.part.Method.c.5.§.6.in fine.* Layman *loco nuper cit.* Fundamentum eorum est; quia pingere saltem addiscendi gratiâ, non est opus seruile, sed liberale; cùm sit exercitium disciplinæ perficiens animam: ergo licitum in festo.

Sed probabiliùs Respondeo: Nec licitum esse. Quia probabiliùs est, vt sæpè est habitum, quòd actus pingendi sit seruilis; & rursus, quòd intentio operantis non prodest quidquam, vt desinat esse talis: ergo neque intentio addiscendi. Confirmo hanc rationem. Quia actus pingendi, addiscendi gratiâ, non differt ab intrinseco, & essentialiter, à quocunque alio actu pingendi, facto diuersa intentione, v.g. ob lucrum: at hic verè est actus seruilis: ergo & ille. Nec obest si dicas, quòd actus pingendi elicitus gratiâ addiscendi, perficit animam; ac proinde sit liberalis. Quia hæc ratio nulla est profectò: Nam etiam actus alij pingendi, quacumque intentione fiant, perficiunt eodem modo animam, imò & perfectiùs, cùm sint etiam perfectius disciplinæ exercitium; & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles, cùm ex se sint actus tales. Ex quo solutum manet fundamentum contrarium. Et ideo, hanc nostram sententiam tenent Suarez *cap.26.cit.num.4.& 6.* Fagundez *libro 1. de primo præcepto Eccles. cap.11.n.10.* Bonac. *disput.5.cit.punct.2.num.25.vers. Quarto.* Palao *loc.cit num.7.* Trullench *num.7.cit.* Filliuc. *loc.cit.n.169.* & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An liceat iuuenibus transsumere picturas ex peritorum exemplaribus, in diebus festis?

Affirmant omnes Authores nuper, *quæst. 22.* citati pro prima sententia, videlicet, Angel. Syluest. Armilla, Rosella, Tabiena *loc.cit. q.21.* Sanchez *loc.cit.dub.6.num.9.* Sà *verb. Festum, num.5.* sic dicens: Licet quidem exemplum aliquod delineare, quod vulgò dicitur *Ritrar*, vt fit passim etiam Romæ: & acu pingere linteum, quod vulgò *Ricamar* discendi causâ. Sic ille, & alij supra citati. Quorum fundamentum est, *Tum*, quia hoc non est opus seruile; *Tum* etiam, quia id docet approbata consuetudo.

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere, seclusâ consuetudine, aut leuitate materiæ. Quia probabilius est tale opus esse seruile; ergo & illicitum in festis, quacumque intentione fiat; cùm hæc non exuat illud à sua conditione, vt suprà est habitum. Vnde si passim etiam Romæ id permittitur, est ad modicum tempus, propter leuitatem materiæ, qua permissione supposita, excusantur etiam à culpa veniali. Sic Suarez *lib.2.cit.cap.26.num 5.& 6.* Vbi ita ait: Non enim licet in die festo imaginem ab alio pictam pingendo transferre, quia non minùs seruile est pingere ad imitationem sensibilis exemplaris propositi coram oculis, quàm ex propria mente, & imagine interna; imò hoc videtur minùs seruile; quia magis mentale, & internum, sicut magis liberale censetur scribere, quàm transcribere. Sic ille. Filliuc. *loc.cit.num.169.* Bonacina *loc.cit.n.25.* Trullench *loc. cit.n.7.* & alij. Ad fundamentum contrarium ex dictis constat. Addo tamen, quòd id, quod Romæ permittitur passim in festo, non est pingere propriè, sed solùm delineare imaginem, vt postea possit illam perfectè pingere Pictor, quod (vt notat Suarez) ad liberalem disciplinam videtur accedere.

QVÆSTIO XXIV.

An liceat Archimagistris, seu Architectis, in festo assignare in chartis, quod postea executioni est mandandum?

Respondeo Affirmatiuè. Quia hoc opus non est seruile, sed liberale. *Tum*, quia non est aliud, quàm quædam instructio, ac virtualis scriptura, qua Magistri instruunt inferiores, quæ ab illis sunt executioni mandanda. *Tum* etiam, quia dictæ delineationes non sunt aliud, quàm expressio quædam internæ ideæ, quam Magister proponit imitandam artificibus; vnde finis intrinsecus ipsius est, edocere, quo modo res sit facienda; non autem rem facere. Quod non contingit in eo, qui pingit adhuc addiscendi gratiâ; quia hic, quod addiscit, operatur, & facit: non verò Architectus. Et ideo non mirum, quòd his liceat in festis suam artem exercere; illis verò minimè. Sic Caietan. *in sum. verb. Festorum violatio.* Armilla *verb. Festum, num.21.* Ioan. de Cruce *in summ. 1. part. præcept. 3. art. 1. num. 2.* Sanchez *tom.2. op.c. lib. 5. cap.2. dub 6. num.7.* Palao *loc.cit. num.6.* Pasqualig. *decis.147.* & innuunt Suarez, & Bonacina *loc.cit.* Llamas *3.part. Methodi cap.5.§.6. in fine*, per hæc verba: Possunt & Architecti exemplaria facere ædificiorum, quæ nostri *traças*, siue *plantas*, vocant.

QVÆSTIO XXV.

An liceat puellis, in diebus festis, acu pingere, seu recamaturas facere, vulgò, Recamar?

Affirmant eis licere, si id faciant discendi causâ. Armilla *verb. Festum num.21.* & Sà *eo.v. num.5.* cuius verba retulimus, *q.23.* Et absolutè, & absque vlla limitatione, id affirmant, Ioan de Cruce *in sum.1. part.præc.3.art.1.num.2.* citans pro se Armillam *loc.cit.* Sed non ita bene, cùm id non absolutè, sed cum limitatione, vt vidimus, doceat Azor. *tom.2.lib.2.c.27.* & probabile iudicat Trullench *loc.cit.num.6.* & docet Pasqualigus *decis. 148.* quamuis cum timore aliquo probat. Quia acu pingere, non est opus seruile: ergo licitum in festis. Antecedens probatur. Nam acu pingere, est proprium ingenuarum fœminarum. Et rursus, est opus ostentatiuum ingenij: ergo non est opus seruile, sed liberum.

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere absolutè, & secundùm se. Quia probabiliùs est, esse opus seruile; sicut est actus pingendi penicillo: ergo prohibitum in festis fieri. Dixi *absolutè, & secundùm se*, quia si alicubi detur approbata consuetudo, licebit, ratione illius, acu pingere. Sic Bonac. *disp.5.punct.2.n.25. vers. Sextò addit*, ea Suario *cap.36.n.5.& 6.*

Ad fundamentum Pasqualigi Respondeo: Negando antecedens, nempe, quòd acu pingere non sit opus seruile: *Et ad primam* probationem dicendum, etiam esse falsam; nam acu pingere potiùs pertinet ad mulieres conditionis seruilis, quàm ad mulieres nobiliores, & ingenuas. Quòd si interdum hæ huic exercitio incumbunt, est communiter ad modicum tempus, & ob quandam honestam occupationem. *Ad secundam* verò probationem, dicendum est, quòd licèt tale opus sit ostentatiuum ingenij, non ideò est liberale; quia etiam ars pingendi ostentat ingenium, & multæ aliæ artes mechanicæ, & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles: Quia medium est seruile.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem liceat puellis laborare in festis, ad vitandum otium?

Affirmant Syluest. *verb. Dominica, quæst.5. vers. Quarta.* Margarita *præcept. 3.* Sà *verb. Festum, n.6.* Ioan. à Cruce *in sum.part.1.præcept.3.art.1. dub.1. concl.4.* Villalob. *tract.32.diffic.4.num.10.* Marchantius

Digitized by Google

in resol. Doct. super Decalog. cap.3. quæst.2. Ghilin. *in summ. v. Festum, num.2.* Quos omnes pro hac parte refert Pasqualig. *decis.299.* Quibus addi possunt Diana *3.p. tract.5. resolut.8. vers. Notandum est.* vbi licèt ibi, an sit verum, non iudicet; fecit tamen postea, approbando hanc partem, *4.part.tract.4.resolut.62.* Homobonus *volum.1.part.2.respons.35.* Ioan. Henriquez *in summ. cap.7. num.18.* Vbi sic ait: [Licito es a las muchachas labrar en dia de fiesta, por huir de la ociosidad; porque esto mas es jugar, que trabajar: como lo dize Sà, *ver. Festum, num.6.*] Ita ille Machado *tomo 1. summ. lib.2. part.3. tractatu 16. documento 1. numero 5.* & Ausonius *in summa Dianæ, verb. Festum seruare, num.13.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere ex se; seclusa (vbi adsit) consuetudine approbata à Prælatis. Ratio est. Quia otium illud in festis est ordinatum ab Ecclesia, & à Deo, ad vacandum ipsimet Deo, quod fit audiendo Missam, & cessando ab operibus seruilibus: ergo contra hunc finem expressè facit, qui vt euitet illud otium, exercitatur in operibus seruilibus. Sic penes Pasqualigum, Castro Palao *tom.2. tract. de obseru. festor. disput. vnica, punct.10. n.3.* Sanchez *lib.5. consil. cap.2. dub.18.* Bonac. *disputat.5. de tertio præcepto Decalogi, punct.3. num.7.* iunctis ijs, quæ tradit *punct.2. num.25.* Quos citat, & sequitur Pasqualigus *loc. cit. num.4.* Sed ex his Bonac. nihil expressè de hac quæstione dicit. Addi tamen possunt pro hac parte, Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.8. num.6.* Suarez *lib.2. cap.26. num.5. in fine* (non *lib.1. cap.26. num.4.* vt citatum apud Dianam inuenies) vbi loquendo de pictoribus, solùm concedit eis, vt per breue tempus ad vitandum otium, occupentur in sua arte pingendi. Comitolus *lib.4. Resp. quæst.37.* Trullench *libro 3. in Decalog. cap.1. dub.8. num.6.*

QVÆSTIO XXVII.

An ad minus ad vitandam occasionem proximam peccati, ortam ex otiositate, aut quauis alia re, sit licitum in festis laborare?

AFfirmabunt (à fortiori) Authores pro prima sententia adducti, & expressè id affirmat Naldus *verb. Festum, num.7.* & penes ipsum Philiarchus *de offic. Sacerd. lib.5. cap.23. in fine, part.2.* & Sà *loc. cit.* & etiam Palao *numero 3. citat.* licèt hic Author addat, raró accidere posse, quòd opus seruile, sit medium necessarium ad vitandum periculum peccandi.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse licitum. Quia existimo, quòd opus seruile, nunquam possit esse medium vnicum, & necessarium ad vitandum peccatum, ortum ex otiositate. Nam dantur plura alia media, & remedia non prohibita ad otiositatem vitandam; vt sunt honestæ recreationes, lectioni, vel orationi vacare, & similia. Dato tamen, quòd nullum aliud remedium ad vitandum peccatum adesset, nisi exercitium operis seruilis; tunc dico, quòd esset licitum; quia tūc desinit esse prohibitum. Et in hoc casu habet verum id quod dixit D. August. *lib. de decem chordis, cap.3.* videlicet: *Quòd meliùs faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret; & meliùs fœminæ eorum in die Sabbati lanam facerent, quàm si tota die in neomeniis impudicè saltarent.* Sic D. August. & bene. Et sic Pasqualig. *decis.299. citata, num.3.*

QVÆSTIO XXVIII.

An sit licitum venari, aut aucupari in die festo, recreationis gratiâ?

NEgat Abulens. *q.24. in 12. Exodi*, casu quo quis eat ad venationem, vnam vel duas leucas.

Sed tanquam certum ferè Respondeo: Esse licitum. Ratio est. Quia, vel hæ actiones non sunt seruiles (vt aliqui volunt) vel si sunt (vt alij intendunt) consuetudine sunt admissæ. Sic omnes Doctores, & præcipuè penes Pasqualigum, Angel. *verb. Feria, n.26.* Armilla *eo v. num.11.* Syluest. *ver. Dominica, q.5. vers. Sexta.* Tolet. *lib.4. summ. c.24. num.7.* (non 3. vt inuenies apud Pasqualig.) & Gordon. *lib.6. Theol. Moral. q.7. c.6. ver. Quæres quid.* Sic etiam Bassæus *v. Festum, num.12.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.8. num.8.* Filliuc. *tract.27. c.9. q.12. n.174* & alij statim citandi. Sed ex his malè citatur Armilla, quia nec *num.11.* nec alibi, agit de venatione.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam sit licitum in festis venari, aut aucupari ex officio, aut lucri gratiâ?

NEgant (apud Pasqualigum) Angel. Rosella, Syluest. Tolet. & Gordonus, locis nuper citatis. Sed ex his Authoribus malè citantur Rosella, vt diximus quæst. præcedenti, & Tolet. Nam hic, oppositum expressè docet, eod. loco citato, per hæc verba: Tamen aduerte cùm venatio & iter ex officio fit, ex se non licet, vt dicit Syluest. *v. Venatio*; & tamen consuetudo iam obtinet, ista non esse illicita: & ita tenet Nauar. *loc. cit.* quamuis pecuniâ fiant. Sic Toletus. Malè ergo illum citat Pasqualigus. Negant tamen Bassæus, & etiam secundùm aliquos, Filliucius vbi infrà. Sed hic Author, licèt in principio dicat, venari, & aucupari ex officio, esse opus seruile; in fine tamen addit, iam ex consuetudine licere.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam esse licitum. Quia actio venandi, vel aucupandi, aut non est seruile opus, vt tenent Nauarr. *c.13. n.11. vers. Sextò.* Medina *in summ. lib.1. c.14. §.8. in fine*, Lopez *lib.1. instr. conscient. cap.52. §. Qui venatur, pag.269.* Sà *v. Festum, n.5.* Bonacina *disp.5. cit. punct.2. n.25.* Palat. *in summ. Caietani, v. Festorum violatio.* Sanchez *tom.2. opusc. lib.5. c.2. dub.14. n.2.* Layman *lib.4. tract.7. c.2. n.4. vers. Dico septimò.* Ioan. à Cruce *in summ. præc.3. art.1. n.2.* Rodrig. *in summ. c.122. n.2.* Pasqualig. *decis.143.* Ioan. Henriquez *in sum. c.7. n.6.* (licèt malè citet Toletum *c.25.*) Binsfeldius *in Enchirid. Theolog. Pastoralis, p.3. c.10. §.3. pag.292.* Granad. *2.2. contr.3. tr.12. disp.4. sect.7. n.65.* & alij. Aut si seruile opus est, & ex hoc capite non sit per se licitum; est tamen iam ratione consuetudinis receptæ, & toleratæ à Pastoribus Ecclesiæ. Sic Suar. *tom.1. de Relig. lib.2. cap.28. n.3. & 5.* Fagundez *de 1. Eccles. præc. lib.1. c.11. n.16.* Palao *p.2. tract.3. disp.2. punct.5. n.8. & 9.* Trullench *lib.3. in Decal. cap.1. dub.8. num.8.* Filliuc. *tract.27. c.9. q.12. n.173.* Villalob. *tr.32. diff.2. n.8.* & ni fallor, idem sentit Machado *p.2. lib.6. p.8. tr.9. doc.10.* Diana *p.4. tr.4. res.222.* Luys. Turcian. *in summ. p.1. c.230. dub.14.* & alij.

QVÆSTIO XXX.

An sit licitum in festo piscari in fluminibus, arundine, voluptatis, recreationisve causâ?

REspondeo: Esse licitum, saltem ex consuetudine recepta. Sic communiter omnes Doctores, præsertim

ſertim Suarez *tom.1. de Relig. libro 2. cap.28. num.6.* (non 3. vt inuenies apud Paſqualigum) Fagundez *num.16. cit.* Palao *num.9. cit.* Sanchez *in conſil. lib.5. cap.2. dub.15. num.2.* Layman *tract.7. cit. cap.2. num.6.* Filliuc. *loc. cit. num.174.* & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An etiam ſit licitum in feſtis piſcari in mari, retibus, & nauigijs, cum magno labore, tam recreationis, quàm lucri gratiâ?

NEgant Syluest. *v. Dominica, quæſt.4. verſ. Sexta, & v. Piſcari, quæſt.2.* & ibi Tabiena, & Armilla, *v. Piſcari, num.1. & v. Feſtum, n.20.* Gordon. *lib.6. cit. q.7. c.6.* Layman *loc. cit.* & alij, docentes piſcationem non eſſe licitam in feſtis, ſi fiat lucri gratiâ; benè tamen ſi recreationis, aut voluptatis.

Affirmant verò abſolutè alij, docentes, eſſe licitum piſcari in feſtis in nauigiis, remigando, iaciendo, & trahendo retia, &c. non ſolùm causâ recreationis, ſed lucri causâ. Quia exiſtimant piſcationem de ſe eſſe opus indifferens, & non ſeruile; & ideò non prohibitum in feſto. Sic Paſqualig. *deciſ.144. à n.4.* & penes ipſum Medina *in ſumm. c.12. §.8.* Lopez *1. p. ſumm. cap.52.* Nauarr. *cap.13. num.11. verſ. Sextò.* Bonacina *diſput.5. de 3. præcept. Decalog. punct.2. num.25.* Palat. *in ſumm. v. Feſtor. violat.* Ioan. à Cruce *in ſumm. præc.3. art.1. num.2.* Sed ex his Doctoribus, quos Paſqualigus citat pro hac parte; imprimis, Medina nil agit de piſcatione in toto illo §. 8. Sed ſolùm de venatione, vt ſuprà vidimus. Nec Lopez hoc concedit abſolutè; ſed in caſu neceſſitatis, vt infrà videbimus. Nec rurſus, Nauar. agit *loc. cit.* niſi de venatione. Nec Bonac. agit de hac piſcatione, ſed de illa, quæ fit in flumine recreationis gratiâ. Vnde, ad minus, hos omnes Authores malè citat prædictus Author. Citari tamen poterat, pro hac parte Sà *verb. Feſtum, num.5.* quem non pro illa, ſed pro oppoſita citat Paſqualigus, ſed malè, vt infrà.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Non eſſe licitum; etiamſi talis piſcatio, fiat ſolùm recreationis, aut voluptatis gratiâ. Quia probabiliùs eſt, quòd prædictus modus piſcandi ſit opus ſeruile; & ideò vt tale, ſupponitur prohibitum *in cap. licèt, de Ferijs.* Vbi Pontifex concedit ex indulgentia, piſcationem diebus feſtis, quoad Halecias, *vt infrà*, quia certis diebus ſolent apparere; ex quo conſtat, quòd ſi ex diſpenſatione conceditur piſcatio in feſtis, iam ſupponitur ex natura ſua prohibita: & conſequenter illicita: nam ex conſuetudine, cùm non detur (vt fatentur omnes) honeſtari nequit.

Nec ſatisfacit quod reſpondet Paſqualig. *loc. cit. n.12.* nempè, quòd Pontifex non declarat piſcationem eſſe opus ſeruile; ſed ex ſuppoſitione, quòd ſit, indulget, & diſpenſat, vt concurrentibus circumſtantiis, In dicto cap. explicatis, poſſit exerceri die feſto. Quia, licèt verum ſit, quòd expreſsè non declaret Pontifex, piſcationem eſſe opus ſeruile (nam ſi id faceret, nihil probabilitatis haberet oppoſita pars) tamen negari non poteſt, quòd id, diſpenſando, ſupponat, ſaltem tanquam probabilius, quod eſt noſtrum intentum; nam ſi contrarium ſentiret, haud difficulter dicere poſſet non indigere ad piſcandum diſpenſatione, eo quòd tale opus, & exercitium non eſſet ſeruile, aut prohibitum. Et ideò hanc noſtram ſententiam tuentur Suarez *tom.1. de Religion. lib.2. cap.28. num.6.* (non 3. vt offendes apud Paſqualig.) Fagundez *lib.1. in quinque præcept. Eccleſ. cap.11. n.16.* Palao *part.2. tract.3. cit. diſp.2. punct.5. num.9.* Baſſæus *verb. Feſtum, n.12.* Qui tamen malè citat pro ſe Nauarrum. Medinam, Lopez, & Toletum. Sicut etiam Paſqualigus citat malè pro hac parte, Emanuëlem Sà *verb. Feſtum, num.5.* cùm oppoſitum his verbis ſignificet: ait enim: In feſto licet docere, piſcari, venari, etiam lucri causâ. Ita Sà. Hic ergo Author pro contrario citari debet, vt nos fecimus. Nobiſcum etiam ſentiunt Filliuc. *tr.27. cap.9. num.172. & 173.* Granad. *2. 2. controuerſ. 3. tract.12. diſp.4. ſect.7. num.65.* Sanchez *tom.2. opuſc. lib.5. cap.2. dub.15. num.2.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.8. n.8. in fine.* Citat etiam Auſonius, pro hac parte Dianam *4. part. tract.4. reſolut.222.* Et citari etiam poteſt Machado *tom.1. lib.6. p.8. tract.9. docum.10. à n.2.* Quamuis neuter horum definiat quid ſentiat. Luyſius *in ſumm. 1. part.230. dub.14. concl.2.* Villalobos *tom.1. tract.32. diff.2. n.8.* & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An ſaltem ſit licitum piſcari in feſtis, Halecias, Sardas, Thunnos, & alia genera piſcium, quæ ſolùm certo tempore piſcari poſſunt?

REſpondeo tanquam certum; Eſſe licitum. *Tum*, Quia (vt nuper eſt habitum) ex indulgentia Pontificis, hæc piſcatio permiſſa eſt, cap. *licet de Ferijs.* *Tum* etiam; quia cum prædicti piſces, certis diebus veniant, & illicò aufugiant, magnam lucri occaſionem perderent piſcatores, quæ verè reputatur pro damno. Sic omnes Doctores. Nauar. *cap.13. n.9.* & penes ipſum, Panormit. Angel. & Caiet. Bonacio. *diſput.5. in 3. præcept. Decalog. punct.3. num.15.* Suar. *loc. cit. n.6.* (licèt non ita expreſsè.) Lopez *c.52. cit. verſ. Non peccant.* Binsfeld. *in Enchir. p.3. c.10. §.2. in fine.* Sanch. *lib.5. cit. c.2. dub.20.* Iodocus *v. Feſt. obſeru.* Luyſius *in ſum. p.1. c.230. dub.19. concl.7.* Trullench *loc. cit.* Caſtro Palao *punct.5. n.15.* Fagundez *c.11. cit. n.13.* Et alij omnes præcipuè citati nuper. Addentes, quòd, qui vtuntur facultate dicti capitis, debent facere aliquam eleemoſynam ex lucro, pauperioribus Eccleſiis propinquis. Quod onus eſſe de præcepto, ait Luyſius; alij verò eſſe de conſilio affirmant, vt Lopez, Sanchez, & alij penes ipſum.

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam in feſtiuitatibus maioribus ſit licita huiuſmodi Haleciarum, Sardarum, & Thunnorum piſcatio?

AFfirmabunt conſequenter omnes Authores citati *q.31.* pro 2. ſententia, cùm exiſtiment, piſcationem ex ſe eſſe licitam.

Sed probabiliùs, & conſequenter etiam loquendo Reſpondeo: Quòd non ſit licita ex ſe; & abſolutè; benè tamen, vbi introducta fuerit conſuetudo piſcandi, etiam in dictis feſtiuitatibus. *Prima pars* huius reſponſionis conſtat. Quia Pontifex diſpenſans cum piſcatoribus ad hoc, vt poſſint diebus feſtis piſcari Halecias, expreſsè excludit, dies maioris ſolemnitatis, quales ſunt (vt ibi explicat Gloſſa *verb. Maioribus*) dies Natiuitatis Domini, dies Epiphaniarum, Paſchatis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes: ergo in his diebus non erit licita abſolutè talis piſcatio. *Secunda* etiam patet; quia conſuetudo legi derogat. Sic Fagundez *lib.1. de præcept. Eccleſ. cap.14. num.13.* Sanchez *dub.20. cit. n.3. & 4.* Vbi aduertit, quòd ſecluſo ſcandalo, non eſſet mortale piſcari halecias in maioribus ſolemnitatibus. Machado *tom.1. lib.2. part.3. tract.16. docum.2. n.3.* & alij.

QVÆST.

Si dicas cum Pasqualigo, quod in molendinis pistrinorum, aut (quod idem est) in molendinis, quæ molunt bestiarum operâ, vltra dictum laborem, datur alius labor, & occupatio alia, nempe assistentia, & cura continua iumentorum ducentium molendinum; Respondeo *Primò*, quòd etiam in aliis molendinis, aquæ, videlicet, & venti, vltra impositionem tritici, & extractionem farinæ, datur alius similis, aut maior labor, ac est assistentia ad bestiam ducentem molendinum; nempe cura, & assistentia ad aquam, vel ventum, ne excedat quantitatem requisitam, aut proportionatam ad regulariter molendum. *Addo* 2. quòd, cùm molendinum, aquæ (imo, & venti) velociùs molat, frequentiùs debeat molitor, aut molinarius, imponere triticum, & extrahere farinam, & consequenter, subire maiorem laborem, in hac parte, quàm subire potest molitor pistrinorum, siue athaonæ: cùm hæc, non ad motum aquæ, vel venti velocissimè totam girantis; sed ad motum pigræ bestiæ, molat. *Tertiò*. Quia ridiculum videtur dicere, quòd sola assistentia molitoris ad bestiam ducentem molendinum, faciat, quod hoc officium sit seruile, si aliàs non esset secundum se. Absolutè ergo dicendum est, quod etiam liceat ita in festo molere, sicut in molendinis aquæ & venti; ita in molendino, quod mouetur operâ bestiarum. Et ita, hanc sententiam videntur docere Sà *v. Festum, num.* 5. & Ioan. à Cruce 1. *p. sum. prec.* 3. *art.* 1. *concl.* 4. quatenus absolutè, & sine limitatione docent, licitum esse in festis molere. Nec credo quòd Nauar., Lopez, & alij, quos Pasqualigus citat pro opposito, oppositum sentiant, nam debent intelligi de molendinis, quæ operâ seruorum molunt, de quo iam dicam.

QVÆSTIO XLIV.

An etiam sit licitum in festo, molere in pistrinis, Hispanè Athaona, *si operâ seruorum moueatur?*

Respondeo: Non esse licitum, excepta magna necessitate. Quia hoc opus, verè ex vna parte est seruile, & labor continuus, qui in eo interuenit, notabilis, & magnæ considerationis; vt constat; & ideo, prohibitum sub mortali. Sic omnes. Et in hoc sensu intelligo Nauarrum, Lopez, & alios Doctores, absolutè docentes, non esse licitum in festos molituram pistrinorum, excepta magna necessitate; loquuntur enim de molitura pistrinorum, quæ fit operè seruorum; quia hæc est, quæ magnam occupationem, & laborem requirit: non verò de molitura, quæ operâ bestiarum fit. Non enim inueniri potest ratio, cur de hac, non de illa, intellegi debeant dicti Doctores, vt videre apud illos est. Nec pro contraria parte possunt citari Sa, & Cruz, vt nos nuper fecimus eo quòd sine limitatione doceant licitum esse in festis molere; quia nulli fuit dubium, hoc genus molituræ esse illicitum in festis.

QVÆSTIO XLV.

An sit licitum in festis, iter longum facere?

Negat expressè Abulens. in 12. *Exodi, q.* 24. *in fine, & q.* 25. existimans, esse mortale iter facere per vnam, aut duas leucas.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Esse licitum. Quia sic praxis, & sic omnes Doctores docent. Quamuis dubitent, an ex se, an verò, solùm ratione consuetudinis, itinerari in festo liceat; de quo iam dico.

QVÆSTIO XLVI.

An itinerari in festo, non solùm ratione consuetudinis, verùm etiam de se liceat?

Negant Caiet. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. §. *In eodem articulo, & §. Hic igitur, & Sotus de Iust. & Iure, q.* 4. *art.* 4. §. *Tertium genus* docentes, id solùm esse licitum ratione consuetudinis, non de se. Eandem sententiam docere Abulensem *Exodi* 12. *q.* 21. ait Suarez: & idem ait Pasqualigus, citans Abulensem *Exodi* 10. *quæst.* 25. Sed certe vterque malè; quia Abulens. absolute docet itinerationem longam esse mortalem; nec vllo modo ex consuetudine honestat illam, loco citato à Suario, nec minùs loco citato à Pasqualigo, cùm in *cap.* 10. *Exodi*, nihil de hac re agat Abulens. nec habeat nisi octo quæstiones.

Respondeo ergo, tanquam certum, quòd non solùm ex consuetudine; sed etiam de se sit, licitum itinerari, siue id pedibus, siue equo, fiat. Quia certum est, quod iter facere, etiam pedibus, non sit opus seruile, sed mere naturalis motus, tam seruis, quàm ingenuis communis. Rursus etiam est certum, id etiam ex consuetudine licere; ergo. Sic Maior *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 23. *concl.* 2. Nauarrus *cap.* 13. *num.* 6. (apud Suarium 7.) Angel. *v. Feria, num.* 15. Rosella *num.* 20. *&* 26. Armilla *v. Festum, num.* 13. *&* 14. Alcoçer *in summ. cap.* 17. Azor *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 8. Sà *v. Festum, num.* 5. (non 15. vt inuenies apud Pasqualigum, non enim habet nisi decem) Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 2. Palao *p.* 2. *tract.* 3. *cit. disputat.* 2. *punct.* 5. *num.* 12. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 4. & Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. Quos omnes citat: & sequitur Pasqualig. *decis.* 146. Quibus addi possunt Bonacina *disp.* 5. *cit. punct.* 2. *num.* 25. *vers. Propterea.* Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Fagundez *de* 1. *precept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 9. Villalobos 2. *part. tract.* 32. *diff.* 2. *num.* 9. Reginald. *lib.* 19. *num.* 38. Diana 2. *p. tract.* 1. *miscel. Resol.* 36. *&* 4. *p. tract.* 4. *Resol.* 222. Baliæus *verb. Festum,* 2. *n.* 10. & communis.

QVÆSTIO LXVII.

An etiam sit licitum iter, casu, quo magna tum fatigatione fiat?

Negat Angel. *num.* 15. *citato*, per hæc verba: Itineratio tamen, non sic strictè prohibetur; quia potest quis, etiam itinerando intendere Deo: & ideo, nisi sit vsque ad vltimam fatigationem, non credo esse prohibitam, vel cum omissione diuinorum. Ita Angel. Cui adde Syluestrum *v. Dominica*, [illegible] Tabienam *v. Feria, num.* 23. & Margaritam Confess. *prec.* 3. *fol.* 70.

Sed, tanquam ferè certum, Respondeo: Etiam esse licitum. Quia si modica itineratio non est actio seruilis; neque continuata per totum diem, erit; quia opus, quod non est seruile in paruo tempore, vel paruo labore factum; non fiet seruile, propter durationem, & laborem; quia semper est eiusdem rationis: ergo. Sic optimè Suarez *loc. cit. n.* 2. Machado *to.* 2. *lib.* 6. *part.* 8. *tract.* 6. *docum.* 4. *n.* 1. Pasqualig. *loc. cit. n.* 3. Sanch. *dub.* 7. *cit. n.* 5. & alij. Qui rectè inde colligunt, licitum esse Cursoribus, iter habere in festis, siue id habeant pedestres, siue equestres; quia quòd fiat iter currendo, non variat rationem actionis.

Pro sententiis citauimus contrariis. Quia, vt bene Sanchez *vbi suprà*, eodem modo iudicandum est, quando in diuersis Parochiis sunt diuersæ consuetudines, ac quando in diuersis territoriis. Ideo.

Probabiliùs ego, juxta supra dicta, Respondeo: Teneri, non solùm pro eo tempore, quo dictus Parochianus est incola illius Parochiæ, verum etiam pro eo tempore, quo in illa, vt hospes morari contingat. Quia sicut in nostra sententia, hospes tenetur ad obseruandas leges oppidorum, per quæ etiam obiter transit, dummodo id commodè possit, juxtà quod suprà *q. 23.* est habitum. Ita eodem modo teneri debet hospes Parochianus, dum etiam vt hospes habitat in altera Parochia. Sic expressè Filliuc. *loc. cit. num. 122.* & Trullench. *lib. 3. cit. cap. 1. dub. 3. num. 8.* Qui tamen malè citat Thom. Sancium pro hac sententia. Sic etiam omnes DD. suprà *q. 20. & seq.* pro nobis citati.

QVÆSTIO XXVIII.

An Vagi, vel, (quod idem est) qui nullibi habent domicilium, teneantur ad festa, ieiunia, & alias proprias consuetudines locorum, per quæ transeunt?

NEgant Pasqualigus *tom. de Ieiun. decis. 200. n. 3. & 4.* & penes ipsum Medina *1. 2. q. 96. art. 5. in fine.* Sayrus *in Claui Regia lib. 3 cap. 4. num. 15.* Lessius *lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 7. num. 40.* Layman *lib. 1. Theol. Moral. tract. 4. cap. 12. num. 7. vers. Nihilominus.* Bossius *sect. 4. de Iubilæo, cas. 18. num. 58.* & Sancius *in selectis disp. 54. n. 34.* Qui etiam citat Paludanum, Antonin. Syluestrum, & Sayrum.

Sed longè probabiliùs Respondeo: Teneri. Quia cum huiusmodi vagi nullum habeant domicilium; illud debent sortiri, quoad omnia, vbicumque reperiuntur; aliàs isti essent exempti ab omnibus legibus, statutis, & consuetudinibus localibus, & Episcoporum, quod videtur absurdum. Sic Suarez *cap. 14. citato, num. 20.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 15. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 23.* Salas *de legib. disp. 24. sect. 4. num. 40. & 55.* Sotus *in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. & dist. 18. q. 4. art. 2.* (non 20. vt inuenies citatum apud Baldellum) *vers. Est hic tamen adnotandum.* Lorca *1. 2. tom. 2. disp. 25. de legib. memb. 4. in fine.* Fagundez *præcept. 4. Eccles. cap. 7. num. 13.* Reginald. *tom. 1. summ. lib. 13. num. 172.* Trullench. *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 3. num. 10. pag. 534. & cap. 2. dub. 6. num. 9.* (non *lib. 6. cap. 2. dub. 6. num. 9.* vt citat Pasqualigus, nam liber sextus, nec habet caput 2. neque quid de hac re agit) Basilius *lib. 5. de matrim. cap. 7. num. 4.* Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 6. n. 54.* qui malè citat Layman (vt notat Pasqualigus) pro hac parte. Castro Palao *tom. 1. tract. 3. de legib. punct. 24. §. 4. num. 3.* Baldellus *lib. 5. Theol. Moral. disp. 32. num. 1. vers. Si tamen sint vagi.* vbi etiam citat malè pro hac sententia Sayrum. Villalob. *1. part. summ. tract. 2. diffic. 33. num. 1.* dicens, id esse certum. Filliuc. *loc. cit. num. 105.* Diana *part. 1. tract. 9. resol. 2. vers. Notandum verò est,* Amicus *tom. 5. de iustit. & iure disp. 5. sect. 16. num. 357.* Citant etiam Bonacina, Palao, Diana, Baldellus, & Salas pro hac sententia Azorium *1. part. lib. 5. cap. 11. quæst. 13.* Sed omnes haud benè. *Primò*, quia illud caput non habet nisi septem quæstiones. *Secundò*, quia solùm, *quæst. 3. col. mihi 400.* docet, quòd vagantes hùc & illùc, qui nullibi domicilium habent, ob crimina commissa, in quolibet loco vbi inueniuntur, puniri possunt. Sunt verba Azorij.

QVÆSTIO XXIX.

An Castellani, quibus in sua patria licitum est in Sabbato intestina, & extremitates animalium edere, possint etiam licitè ea comedere, transeuntes per Nauarram, aut Lusitaniam, quibus in Regnis non licet prædicta manducare?

AFfirmant Sanchez, Fagundez, & Palat. *locis sup. quæst. 25. cit.* Petr. Ledesma *quæst. 45. de Matrim. art. 5. pun. 3. dub. vltimo, §. 2.* Quos pro hac parte citat Pasqualigus *tom. de Ieiunio, decis. 62.* dicitque, esse probabilem, nitique optimo fundamento. Quia nimirum peregrinus sicut non fit pars communitatis illius loci, per quem transit, cùm ibi se habeat tanquam exterus, & aduena, ita non desinit esse pars communitatis sui domicilij: & proinde habet ius, vt viuat secundùm leges, & consuetudines eiusdem communitatis. Ita ille. Sed certè hoc fundamentum, necdum bonum mihi videtur: Ex illo nemque planè sequitur, quòd non liceat Nauarris, aut Lusitanis transeuntibus, per Castellam vesci intestinis, &c. diebus Sabbati; patet, quia etiam sunt exteri, & aduenæ: ergo si non fiunt pars communitatis illius loci per quem transeunt, planè nec desinent esse pars communitatis sui domicilij: ergo vt talis, tenerentur viuere secundùm leges sui domicilij; ac proinde non possent vesci intestinis, dictis diebus Sabbati, quod est contra communem omnium ferè sententiam; & contra ipsummet Pasqualigum, vt ex retrò dictis constat. Tenet etiam hanc sententiam Amicus *de iust. & iure disp. 5. sect. 16. num. 359.*

Vnde probabiliùs, veriúsque longè Respondeo Negatiuè. *Primò*, Quia probabiliùs, veriúsque longè est, quòd Peregrini obligentur legibus in quo degunt, tanquam exteri, vel aduenæ: ergo cum in Nauarra, & Lusitania vigeat prohibitio intestinorum, & extremitatum animalium, pro diebus Sabbati, planè tenebuntur dictam legem seruare (maximè cùm sit lex juris communis) omnes etiam aduenæ, aut Peregrini, vt tales in dictis Regnis degentes, aut per illa transeuntes.

Secundò. Quia certissimum mihi est (quidquid renuat Pasqualigus.) Quòd comestio intestinorum die Sabbati in Castella, facta, sit licita, vel priuilegio, vel consuetudine, posteà priuilegio confirmata; sed sic est, quòd talis consuetudo, seu priuilegium est locale, & non personale, cùm sit concessum intuitu loci, nempe ob penuriam piscium; ergo non sequitur personas extra locum.

Ad fundamentum Pasqualigi: Negandum est, quòd Peregrinus non fiat aliquo modo, & ratione, pars illius loci per quem transit, fit namque, tam ad gaudendum fauoribus; quàm subiiciendum se oneribus illius, vt ex dictis satis constat. Et ideò hanc nostram sententiam, vt probabiliorem docet ipsemet Pasqualigus *decis. cit. in fine*, & penes illum Rodriguez *in Bullam Cruciata, §. 1. num. 8.* Henriquez *lib. 7. cap. 25. num. 2. & in gloss. litt. S.* Vega *tom. 1. summ. cap. 14. casu 28.* Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 12. n. 39.* Layman *lib. 1. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 12. num. 3.* & Bossius *sect. 4. de Iubil. casu 18. num. 64.* Quibus addendi sunt Nauarr. *in Man. cap. 23. num. 120.* Vbi sic ait: Sextò peccat qui vescitur carnibus, vel alio cibo vetito in aliqua regione, etiam eo tempore, quo liceret vesci eis in sua, sicut è contrario non peccat vescendo eis in regione, quà transit, vel in qua moratur, licèt in sua eis non liceret. Nauarrus enim, & Lusitanus vescentes in Castella die Sabbato externis,

vel

vel interioribus partibus animalium, non peccant: Licèt in suis terris id eis non liceat. Castellanus autem idem faciens in Lusitania, vel Nauarra peccaret, per *cap. Illa, 12. dist.* per quod eius gloss. probat illud vulgatum: *Si fueris Romæ, Romano viuito more; Et, si sis alibi, viuito sicut ibi.* Huc vsque (& ampliùs) meus Nauarrus, Basilius, Filliuc. Salas, & alij citati suprà *q. 25.*

DISPVTATIO IV.

De operibus in diebus festis prohibitis.

QVÆSTIO I.

An Opera seruilia prohibeantur in diebus festis?

RESPONDEO, Tanquam certum: Prohiberi. Quia Ecclesia prohibuit, in diebus festis, opera corporalia, & externa, instar præcepti legis antiquæ: at lex antiqua prohibebat in die festo opera seruilia, vt patet ex illo Leuit. 23. *omne opus seruile non facietis in eo*: ergo, & Ecclesia. Sic D.Thom. 2.2.*q.*122. *art.*4.*ad* 3. D.Anton. 2.*p.tit.* 9.*cap.* 7.§. *Quantum ad tertium*, Alens. 3.*part. q.*32.*mem.* 4. *art.*4. Ricard. *in* 3.*dist.*37. *art.*2. *q.*4. Angel. *verb. Feria*, §.9. Syluest. *verb. Dominica*, *q.*3. Tabiena *verb. Feria*, *vers.*15. Tolet. *lib.* 4. *summ. cap.* 24. Sayrus *in Claui Reg. lib.*7. *cap.*2. *num.*2. Suarez *tom.* 1. *de Religion. lib.*2. *cap.*17. & 20. Fagundez *de primo præcept. Eccles. lib.*1. *c.*11. *num.* 8. Bonacina *in* 3.*præcept. Decalog. disp.*5. *q. vnica, punct.* 2. *num.*23. Sanchez *in consil. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.*6. Castro Palao *tom.*2. *operum moral. disput.*2. *punct.*5. *num.*1. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. *dub.*8. *num.* 1. Layman *tom.*2. *Theolog. Moralis lib.*4. *tract.*7. *cap.*2. *num.*2. & omnes.

QVÆSTIO II.

An omnia opera corporalia externa sint prohibita Christianis in diebus festis?

AFfirmandum videtur. Nam Ecclesia tulit præceptum de sanctificatione festorum; ad imitationem præcepti antiquæ legis; Sed in hoc prohibebantur omnia opera externa, vt colligitur ex illo Exodi 20. *Non facies omne opus in eo*, & Leuit. 23. *omne opus non facietis in eo*: ergo etiam prohibentur per præceptum Ecclesiæ.

Sed tanquam certum Respondeo: Non omnia opera corporalia externa esse prohibita Christianis in diebus festis, sicut olim prohibita erant Iudæis. Sic docent omnes Patres, quatenus cauendum præcipiunt Christianis, ne more Iudæorum in die Dominico otientur. Sic cauetur in Concil. Aurelian. 3. *c.*27. & in Concil. Laodicen. *cap.* 29. & contrarium damnat Gregor. *lib.*11. *Epist. in* 3. Et constat ex praxi Ecclesiæ. Sic omnes. Legatur Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *cap.*17. *à num.*4. vsque *ad* 10. Vbi ad rationem dubitandi respondet; quòd, licèt præceptum Ecclesiæ, de abstinendo ab operibus seruilibus, datum sit ad imitationem præcepti legis antiquæ, non verò ad eius æqualitatem. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*2. *dub.*6. *num.*12. Layman *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO III.

An opera seruilia, quæ in festis prohibentur Christianis, sint tantùm illa, quæ propria sunt seruorum?

REspondeo affirmatiuè. Sic namque clarè colligitur ex verbis Exodi 20. & Leuitici 23. nuper adductis. Et ex Ecclesiæ vsu, & Doctorum omnium consensu. Qui declarantes, quid sit opus seruile, in festis prohibitum, aiunt, illud esse propriè, quod ex se habet quendam famulatum, & ab illis solis communiter exercetur, qui aliis inseruiunt. Sic ferè D. Thom. 2.2.*q.*122. *art.*4. & *in* 3.*sent. dist.*37. *art.*5. *q.*2. *ad* 2. Vbi adducens descriptionem operis seruilis, ait: *opera seruilia propriè esse illa ad quorum exercitium seruos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ à liberalibus distinguuntur.* Sic Angelicus Doctor. Et sic ex illo, Suarez *lib.*2. *cit. cap.*17. *num.*3. & 4. Caietan. 2.2.*q.*122. *art.*4. Nauar. *cap.*13. *num.*3. Tolet. *cap.*24. *num.*8. Reginald. *lib.*19. *num.*4. Bonacina *tom.*2. *disp.*5. *q. vnica, pun.*2. *num.* 4. & 23. Castro Palao *tom.*2. *disp.*2. *pun.*5. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*2. *dub.*6. *num.*2. Layman *cap.*2. *cit. num.*2. Fagundez *de 1. præcepto Eccles. lib.*1. *c.*10. *n.*6. & *c.*11. *per totum.* Villalob. *tom.*2. *tr.*32. *diff.*2. *n.*2. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*8. *num.*2.

QVÆSTIO IV.

An etiam prohibeantur in festis, opera quæ sunt communia liberis, & seruis, vt sunt venari, piscari, &c.

AFfirmant aliqui esse prohibita prædicta opera, si fiant à seruis, non verò si fiant à liberis. Quorum opinionem dicunt esse probabilem, Filliuc. *to.*2. *tract.*27. *c.*9. *q.*8. *num.* 160. & Machado *lib.*2. *summ. part.*3. *tract.*15. *docum.*5. *num.*5. Vbi sic ait [A cerca de las obras que son comunes à esclauos, y libres; como es el caminar à pie, pescar, caçar, &c. Digo que es prouable opinion que son medias de suyo, y tales, que hechas por oficio, o por esclauos, y gente seruil, son tambien ellas seruiles, è ilicitas; y hechas por personas libres, no lo son. Sic Machado.

Sed probabilius longè Respondeo; Non prohiberi in festis exercere prædicta opera, etiam à seruis. Quia in festis sola opera seruilia sunt prohibita; sed ea, quæ sunt communia liberis, & seruis, non sunt seruilia: ergo. Sic Caietan. 2.2. *q.*122. *art.*4. Bonac. *num.*24. *cit.* Sanchez *dub.*6. *cit. num.*10. Castro Palao *punct.*5. *cit. num.*1. Pedraza *præcept.*3. *fol.* 77. *pag.* 2. Filliuc. *loc. cit. num.*161. Machado ex illo, his verbis. [Si bien es mas prouable opinion, que en ninguna manera se dan obras medias, sino que forçosamente han de ser ò seruiles, ò libres, porque de la misma manera, que entre hombre libre, y esclauo, no se dà medio, tan poco entre las obras comunes. Sic ille.

QVÆSTIO V.

An sit licitum in die festo studere?

NEgauit absolutè Abulens. Exodi 12 *q.* 26. vbi docet, quòd si quis toto die festo studeat, etiam Theologiæ, & causâ pietatis, & non lucri, non careat culpâ. Quia præferri debet vacatio ad Deum studio. Negarunt etiam alij Canonistæ, non loquendo, tam latè de omni studio; sed de studio, quod non est in materia spirituali. Sic Anton. de Butr. *in c.*1. *de feriis*, Angel. *verb. Feria, numero* 29. & Syluest. *verb.*

Domi-

BIBLIOTECA NAZ.

Dominica, *quæst.* 5. verſ. *Quinta.* Vbi expreſsè docent, quòd ſtudere ad lucrum non liceat, licèt non ſit mortale.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Licitum eſſe ſtudere in die feſto, etiam tota die, & non ſolùm Theologiæ, verùm etiam aliis ſcientiis, vt Philoſophiæ, Mathematicæ, & ſimilibus, quacumque intentione id fiat; dummodo ſuo tempore audiatur Miſſa. Ratio eſt: Quia ſtudere, non eſt opus ſeruile, ſed liberale: at hoc non eſt prohibitum in die feſto, (vt *quæſt.* 3. eſt habitum:) ergo non erit peccatum contra obſeruationem feſti, in eo conſumere totum diem (modò Miſſa audiatur) etiamſi lucri causâ id fiat. Sic D.Thom. 2.2. *q.*122. *art.*4. Panorm. Petr. de Ancar. Andr. Barbat. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*2. *cap.*22. *à num.*3. Bonac. *tom.*2.*diſp.*5.*q.vnica,punct.*2.*num.*7. Fagundez *de* 1.*præcept.Eccleſ. lib.*1. *cap.*11.*num.* 2. *&* 3. Caſtro Palao *tom.*1.*tract.*9.*punct.*5.*num.*2. Trullench. *lib.*3.*in Decalog.cap.*1.*dub.*8.*n.*4. Baſſæus *verſ.Feſtum* 2.*n.*7. Graſſius 1.*part. deciſ.lib.*2.*cap.*33.*n.*16. *&* 2.*p.lib.*2.*c.*13.*n.*8. *&* 23. & alij.

Qvæstio VI.

An licitum ſit alicui in die feſto, docere alios, aut legere lucri gratiâ?

NEgant Syluest. & Abulen. *loc.cit.* Quia exiſtimant eſſe peccatum, exercere prædictos actus, propter lucrum; eo quòd ex fine fiant ſeruiles.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Licitum eſſe in die feſto, legere, aut docere quamcumque ſcientiam, aut artem, ſiue voce, ſiue ſcripto fiat: non ſolùm causâ pietatis, ſed etiam lucri gratiâ. Quia totum hoc eſt exercere actus liberales; qui nequaquam ſunt in feſtis prohibiti. Neque, quod fiant ob lucrum, extrahunt illos à ſua conditione. Sic Suarez *loc.cit.n.*6. Fagundez, Palao, Trullench. *loc.cit.* Nauar. *cap.*13.*n.*12. *verſ.Octauo.* ex Caiet. 2.2. *q.*122. *a.*4. *& in ſum.Feſtos dies.* Paſqualig. *in deciſ.moral.deciſ.*138.*num.*4. Graſſ. 2.*p.deciſ.lib.*1.*cap.*13. *num.*8. *&* 23. Sanchez *lib.* 5. *conſil.cap.*2.*dub.*6.*num.*4. *&* 11. & alij.

Qvæstio VII.

An licitum ſit cantare in feſto, aut pulſare organa, ſeu alia inſtrumenta, ex conuentione aliquarum pecuniarum?

NEgant Abulenſ. *loc.cit.q.*27. Angel. *v.Feriæ,n.*27. & Syluest. *v.Dominica,q.*7.*verſ.Quinta.*

Sed tanquam certum ferè Reſpondeo: Licitum omnino eſſe, non ſolùm, ſi id fiat principaliter ob diuinum cultum, aut ob honeſtam animi recreationem, ſiue ob aliquem alium finem pium, in quo omnes conueniunt; ſed etiam, ſi principaliter ob pecunias, aut aliam mercedem fiat. Quia prædicta non ſunt opera ſeruilia; nec talia ex fine lucrandi, efficiuntur, vt nuper eſt habitum: ergo. Sic Nauarr. *cap.*13.*n.*14. *verſ.Ex quo ſequitur.* Graſſius 1.*p. deciſ.aur. lib.*2.*c.*33. *n.*12. Pedraza *in ſumm.*vbi *de* 3.*præcept.fol.*27.*pag.*2.& alij.

Qvæstio VIII.

An licitum ſit conſulere in feſto, etiam principaliter propter lucrum?

NEgant Syluester, *v.Dominica, q.* 5. *verſ.Tertia:* ſentiens, peccare mortaliter Doctorem, qui dat conſilium, etiam illi, qui è longinquo venit, principaliter ob quæſtum. Cuius ſententiam eſſe communem, ait Nauarrus, *vbi infrà.* Et illam docent Moditius *in* 5. *Prudentum reſponſa, dub.*9.*num.*2. & alij.

Affirmat verò, non abſolutè, ſed limitate, Angelus, *v.Feriæ,n.*25. concedens id ſolùm Doctori, qui, vt expediat illum, qui de longè venit, conſilium facit.

Sed tanquam ferè certum, abſolutè, & ſine limitatione Reſpondeo: Licitum eſſe facere conſilium, etiam principaliter propter lucrum. Quia hoc non eſt opus ſeruile; nec aliud ex quinque prohibitis, de quibus infrà; ergo licitè fieri poteſt in die feſto. Sic Nauarr. *cap.*21.*num.*12.*verſ.Octauo,* Bonac. *diſput.*5. *punct.*2.*num.*8. Palao *tom.*2.*tract.*3.*diſput.*2.*punct.*5.*numero* 2. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*8. *numero* 4. Paſqualig. *deciſ.*138. *num.*2. Fagundez *de* 1. *præcept. lib.*11. *cap.*11. *à num.*2. & Graſſius 1.*part.deciſ.lib.*2.*cap.*33.*num.*16. *&* 2.*part.lib.*2.*cap.*13.*n.*23. & alij.

Qvæstio IX.

An ſit licitum in die feſto ſcribere, ſi id non fiat ob lucrum?

NEgat Guillel. quem citat, & ſequitur Abulenſ. *in cap.*12.*Exod. q.*37. docens, peccare, qui in die feſto magnam ſcripturam faceret pro ſe, adhuc abſque ſpe lucri.

Sed tanquam certum Reſpondeo: Eſſe licitum. Quia ſcribere, præſertim gratis, & abſque lucro, non eſt opus ſeruile, ſed liberale; ergo cùm aliàs non ſit ex quinque aliis prohibitis, licitè poteſt in die feſto fieri. Sic D.Thom. *art.*4.*cit.* vbi expreſsè docet, quòd *Docere tam verbo, quàm ſcripto, ſit opus ſpirituale.* Suarez *lib.*2.*cit.cap.*24.*num.*1. vbi ait, in hoc omnes Doctores conuenire. Sanchez *lib.*5.*conſil.c.*2.*dub.*8.*num.*1. & penes ipſum, Nauarr. Lopez, Soto, Medina, Syluest. & Caiet. Layman. *to.*2.*lib.*4.*tract.*7.*c.*2.*numero* 3. & alij.

Qvæstio X.

An licitum etiam ſit in feſto ob lucrum ſcribere?

NEgant Summ. Confeſſ. *lib.*1. *tit.*12.*q.*9. Angel. *v.Feriæ, num.*9. *&* 31. Tabiena *num.*39. *&* 40. Roſella *num.*12. Pitanel. *ibidem.* Syluest. *v.Dominica.* *q.* 5. verſ. *Sexta.* Aſtenſ. *lib.*1. *tit.*22. *art.*4. *& tit.*23. *art.*3.*q.*5. Ricard. *in* 3. *d.*37. *art.*2. *q.*4. Sot. *lib.*2. *de Iuſt.q.*4.*art.*4.*ad* 3. & Azor.*p.*2.*lib.*1.*cap.*27.*q.*4. Quos omnes citat pro hac parte Paſqualig. *deciſ.* 139. *numero* 1. Addens, eandem ſententiam tenere etiam omnes Authores, quos ipſe *deciſ.*140. citat pro prima ſententia, inter quos ſunt Nauarr. Caietan. & Tolet. quos tamen pro contraria (in hac quæſtione) ſententia, citat, & benè. Addi tamen his Doctoribus poſſunt Guillelm. & Abulenſ. *loc.cit.*

Sed probabiliùs Reſpondeo: Eſſe licitum in feſto ſcribere, etiam ob mercedem, aut lucrum, quocumque modo ſcribatur. Nam triplici modo poteſt quis ſcribere; vno, per ſeſe, proprios conceptus exprimendo; alio modo, vt diſcipulus, alterius dictata excipiendo; & tertiò, vt inſtrumentum alteri miniſtrans, & illa ſcribens; quocumque ergo modo ex his ſcribantur, licitum eſt. Ratio eſt. Quia ſcribere non eſt opus ſeruile, ſed liberale; cùm ſit opus mentis; hoc eſt, opus exprimens conceptus proprios, vel dictantis: ergo, quamuis fiat ob lucrum, licitum erit ſcribere in feſtis. Patet conſequentia: quia inter

scriptionem factam ob lucrum, vel sine lucro, nulla differentia assignari potest, vt benè probat Suarez, vbi infrà : ergo si vna non est seruilis, nec alia erit. Sic docent Caiet. 2.2. q.122. art.4. Nauar. *in Man. c.13. num.14.* Saytus *in Claui Regia lib.7. c.2. num.13.* Lopez 1.2. *instruct. consc. c.52.* Medina *lib. 1. instruct. c.14.* §.8. Tolet. *lib.14. c.24. num.6.* (*non 3.* vt citat Pasqualig.) Fagundez *lib.1. de 1. prac. Eccles. c.11. n.3. & 4.* Layman *lib.4 tr.7. c.2. n.3* Suarez *to.1. de Relig. lib.2. c.24.* Bonac. *de 3. prac. Decal. q. vnica, pun.2. n.25.* (Qui malè citat pro hac parte Azorium ; quod non notauit Pasqualigus) Castro Palao *to.2. tract.3. de obseru. festorum, disp.2. punct.5 num.3.* Gordon. *lib.6. Theol. Moral. q.7. c.6. per Dubium.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus *decis.139.* His addi possunt Bassaeus *v. Festum, 2 num.8* Trullench. *lib.3. in Decalog. c.1. dub.8. n.4* Sanchez *in Concilius p.2. lib 5. dub.8. n.5. & 6.* Filliuc. *tract.27. c.9. n.163.* Villalob. *2. p. tract. 32. diff.2. n.5.* Luisius *in summa p.1. c.230. dub.11. aduertit dub.8.* & alij.

QVÆSTIO XI.

An etiam sit licitum transcribere in die festo, sine pretio?

NEgant apud Suarez Caiet. 2.2. q.122. art.4. & Nauar. *cap 13. num.14.* &(apud Sanchez *infrà*) Syluest. *verb. Dominica, quæst.3, conclus. 5.* Margarita Confessor. *3. prac. fol.70.* & Pedraza *3. pracept. fol.27. pag.2.*

Sed longè multò probabiliùs Respondeo : Esse licitum. Quia transcribere absolutè, nil aliud est quàm tali modo scribere : at hoc est licitum fieri in die festo, vt suprà est habitum : ergo & illud erit. Sic Suarez *lib.2. cit. cap.25. n.1.* Qui citat pro hac parte Syluestrum, Angelum, & Rosellam. Sed ex his Sylnester, & Angel. (quos solos pro nunc videre potui) oppositum docent, Syluest. loco à Sanch. cit. concl.6. (non 5.) & Angel. *verb. Feria, num.31.* Sic etiam Sanchez *lib.5. consil. c.2. dub.9. num.3. & 4.* & Layman. *num.2 lib.4. tract.7 cap.2. num.3. versu Dico secundo.* Lublinus *verb. Festum, n.4.*

QVÆSTIO XII.

An item sit licitum transcribere in festo, ob lucrum, aut pretium?

NEgant (& à fortiori) Caiet. & Nauarr. *loc. cit.* Siluios etiam 2.2. q.122. *art.4.* Tolet. *lib.4. cap.24. num.11.* D. Anton. *p.2. tit.9. cap.7. §. Quantum.* Fernandez *p.1. Examen Theol. cap.7. §.1. num.10.* Vega *tom.1. summ. cap.114. casu 3.* Comitol. *lib. 4. respons. q.58. num.3.* Azor. *p.2. lib.2. cap.27. q.5.* Anton. de litteratis *p.2. summ. cap.17. num.21.* Reginald. *lib.19. cap.3. num.40.* & ex parte, Sanchez *tom.2. opuscul. lib.5. cap.2. dub 9. num.4.* Quos omnes pro hac parte sic refert Pasqualigus *decis.140.* Sed ex his, malè Toletum ; quia nec *num.11. cit.* nec alibi de hac agit quæstione.

His tamen Doctoribus pro hac sententia adductis, addi adhuc possunt Iodocus *tom.1. Thesauri, v. Festorum obseruatio, §.7. vers. Transcribere.* Ioannes Henriquez *in summ. cap.7. num.21.* Syluest. Angel. & Rosella *loc. cit.*

Sed probabiliùs Respondeo : Etiam esse licitum. Quia transcribere idem est essentialiter, ac scribere : sed scribere, est licitum in die festo : ergo & transcribere. Maior patet. Quia transcriptio solùm differt à scriptione in hoc, quod transcribens, scribit conceptus dictatos, non per verba, sed per scripturam ; scribens verò, scribit conceptus dictantis ex ore ipsius ; at sic est, quòd per accidens se habet ad actionem, quòd quis excipiat conceptus, vel per verba, vel per scripturam : ergo. Nec refert quidquam, quòd id fiat ob lucrum, aut pretium ; quia si actio transcribendi, ex se est liberalis, & non seruilis, nullo modo fiet seruilis intentione operantis, nempe, quòd hoc faciat ob lucrum ; quia id valdè accidentarium est illi. Sic Medina *in instruct. lib.1. cap.14.* §.8. Lopez *c.52. cit.* Fagundez *lib.1. de 1. pracept. Eccles. cap.11. num.3. & 4.* Sayrus *lib.7. cit. cap.2. num.15.* Margarita casuum conscient. *v. Festa.* Suar. *lib.2. cit. c.25.* Molfes. *tom.1. summ. tract.11. cap.17. num.42.* Sà *v. Festum, num.5.* Layman *lib.4. tract.7. cap.2. num.3.* Rodriguez *in summ. tom.3. cap.168. num.3.* Naldus *v. Festum, n.5.* Bonac. *q. vnica, cit. punct.2. num.25.* Palao *p.2. tract.3. disp.2. punct.5. num.4.* Diana *p.1. tract.15. resol.35.* Ioan. de Cruce *p.1. summ. pracept.3. art.1. num.2. &* Gordonus *lib.6. cit. q.7. cap.6, vers. Ad quid saltem.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqualig. *decis.140.* Quibus addi, possunt, Bassæus *Festum 2. num.8. vers. transcribere.* (vbi etiam citat malè Toletum *lib.4. cap.24. num.14.* pro contraria sententia sicut citat Pasqualig. *num.11.* Quia Tolet. nil habet de hac quæstione ; nec caput 24. habet nisi numeros 11.) Filliuc. *tract.27. cit. num.164.* Trullench. *dub.8. cit. num.3.* Lublinus *v. Festum, num.4.* Machado *lib.2. p.3. tract.15. docum.5. num.7.* Luysius Turrian. *in summ. loc. cit.* Ausonius *in summ. Diana, vers. Festum seruare, num.4.* & alij.

QVÆSTIO XIII.

An sit licitum in die festo transcribere, ex officio, aut pro mercede, libros cum Notis ad cantum deseruientes, Priuilegia, & similia?

NEgant Azor. *loc. cit. cap.17. q.4.* Sanchez *tom.2. consil. lib.5. c.2. dub.10. n.5. & 6.* & alij.

Sed probabiliùs Respondeo : Esse licitum ; Quia totum hoc continetur intra limites operis liberalis, & non seruilis. Sic Bonac. *q. vnica, cit. punct.2. num.25.* Trullench. *dub.8. cit. n.5.* & penes illum Diana *1. p. loc. cit.* sed certè id solùm docet, loquendo de Notariis, aut officialibus Curiæ, non de scribentibus libros cum Notis ; Qui & citat Sayrum *in Claui Reg. lib.7. cap.2. num.15.* Molfesium, Lopez, Suarium, & alios.

QVÆSTIO XIV.

An sit licitum in die festo illuminare libros, aut litteras?

AFfirmare debent Authores, qui affirmant, licitum esse in diebus festis depingere : de quo infrà. Quia vtriusque eadem est ratio.

Sed probabiliùs Respondeo : Non esse licitum. Quia probabiliùs est, nec actum pingendi esse licitum in festo, vt infrà. Sic Sanchez *loc. cit. dub.9.* & Trullench. *num.5. cit.*

QVÆSTIO XV.

An sit licitum Tabellionibus, seu Notariis, facere scripturas in diebus festis?

NEgant Syluest. *v. Dominica, q.3.* (vt referunt Pasqualig. & Sanchez) & Anton. *2. part. tit.9. cap.7.*

cap.7. §.vltimo, nisi aliàs sit consuetudo legi derogans. Ita etiam Lublinus *verb.Festum, n.4.*

Sed probabiliùs Respondeo: Licitum esse facere scripturas, & alia instrumenta publica, continentia illos actus, qui in festis non sunt prohibiti; v.g. testamenta, scripturas donationis, & renunciationis, debiti, soluti, &c. secus verò scripturas, quæ continent actus prohibitos fieri in diebus festis; vt scripturam, quæ continet examinationem testium, &c. Quia *Primum*, nullo modo est jure prohibitum, veluti est: *Secundum*, nec est opus seruile: ergo erit licitum. Sic Nauarr. *cap.13. num.14.* vers. *Ex quo sequitur* Lopez *lib.1. instruct. cap.52.* vers. *licet etiam conscribere.* Sanchez *tom.2. consil. lib.5. cap.2. dub.10. num.2. & 3.* Pasqualig. *decis.152.* Trullench *loc.cit. num.4.* Iodocus *to.1. Thesauri, ver. Festorum obseruatio, §.7.* vers. *Secundi generis.* Medina *in summ. lib.1. c.14 §.8.* Villalob. *2. part. tract.32. diff.2. num.5.* & alij, id docentes secundùm regulam communem.

Qvæstio XVI.

An sit licitum in die festo rationem facere. Hispanè, Dar y tomar cuentas, *saltem, quando id nec ex officio, nec pro mercede fit?*

NEgant Syluest. *v. Dominica, q.3.* Angel. *v. Feria, num.31.* Tabiena *eo verbo, num.39.* Abulens. *q.26. in cap.12. Exodi* & D. Anton. *2. part. tit.9. cap.7. §. vltimo.* Quos omnes citat Pasqualig. *decis.150.* Sed ex his Authoribus, Angelus nihil habet de hac quæstione *num.31.* nec alibi. Negant etiam apud Sanchez, *vbi infrà,* Margarita *3. prac. fol.7.* Medina *lib.1. summ. c.16. §.9.* & Henriquez.

Sed probabiliùs Respondeo: licitum esse. Quia descriptio dati, & accepti, & transcriptio de vno in alium librum, in quo actio reddendi rationem rei datæ, & acceptæ, aut reddituum consistit, non est opus seruile, sed omnino liberale; ergo & licitum in festo. Sic Pasqualigus *loc.cit.* & Sanchez *tom.2. posc. lib.5. cap.2 dub.11. num.22.* dicens, ita sentire doctos Recentiores, addentes, id practicari, sine scrupulo, inter Religiosos timoratos.

Qvæstio XVII.

An etiam sit licitum rationem facere in festis, illis, qui pro mercede, aut ex officio, id faciunt?

NEgat Sanchez *loc. cit. num.3.* Docens, id nullo modo esse licitum illis, qui vel in Republica id habent ex officio, aut pacta mercede; aut illis, qui id ex officio præstarent: quia hoc pacto (inquit) id opus redditur seruile.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam esse licitum eis. Quia si rationem facere vt sic, ex se est opus liberale, ac proinde licitum in festo; etiam tale erit, quantumuis fiat ex officio, aut mercede; quia hæc nullo modo variant naturam actus, aut operis, vt sæpè est dictum: ergo. Sic Pasqualig. *decis.150. citata.*

Qvæstio XVIII.

An licitum sit Typographis ordinare, & componere characteres, aut litteras in festis?

NEgant apud Pasqualigum, eo quòd sentiant, esse opus seruile, Suarez *lib.2. cit. cap.25. num.8.* Victorell. *in addit. ad Tolet. lib.4. cap.25. ver. Transcriptionem,* Palaus *p.2. tract.3. disp.2. punct.5. num.5.* & Gordonus *lib.6. Theolog. Moral. q.7. cap.6. ver. At quid saltem.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqualig. *decis.149. num.4. & 5.* Sed ex his, quos hic Author citat Authores, Victorell. malè. Quia *loc. cit.* saltem apud me, nec habet vers. *Transcriptionem,* nec verbum de hac quæstione habet. Addi tamen loco illius possunt Bassæus *v. Festum 2. num.8. ver. Imprimere autem,* Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.8. num.5.* Filliuc. *tract.27. cap.9. num.164. & sequenti.* Fagund. *de 1. præcept. Eccles. lib.1. cap.11. num.7.* Fundamentum huius sententiæ est. Quia illa ordinatio characterum non est ex se expressio conceptuum, aut transcriptio expressionis conceptuum: sed est fabricatio quædam instrumenti mechanici, quod inseruire debet ad opus mechanicum: dum enim componunt characteres, fabricant illas, quas vocant, formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas litteras, non ad exprimendos, aut percipiendos conceptus. Ita Pasqualigus. Et licèt hæc sententia sit valdè probabilis, & in praxi consulenda.

Tamen probabiliter certè Respondeo: Licitum esse Typographis in diebus festis characteres componere, seu ordinare. Quia huiusmodi ordinatio characterum, etiam in ordine ad impressionem, non est opus seruile: ergo nec prohibitum in diebus festis. Consequentia liquet. Antecedens probo. *Primò,* Quia per illam compositionem characterum, manifestantur, & exprimuntur conceptus mentis: ergo opus est mentale, & non seruile. *Secundò,* Quia transcriptio est licita in festis (vt suprà est habitum) ergo & ordinatio litterarum, seu characterum, erit etiam licita; patet, quia hæc nihil aliud est, quàm quædam transcriptio ex quaternione, aut originali libro, in dictas formas; vt postea in papyro cudantur.

Respondet Pasqualigus, negando, quòd illa ordinatio characterum sit manifestatio conceptuum, quia (inquit) dicti characteres ponuntur inuerso modo, ac ponuntur in scriptura; quod satis indicat, non ordinari ad lectionem, aut manifestandos conceptus; sed disponi, vt sint congruum instrumentum ad cudendas litteras.

Sed hæc responsio nullo modo euacuat vim argumenti. Nam *Primò* inquiro à Pasqualigo: si illa ordinatio characterum poneretur, non inuerso, sed eodem modo, ac ponitur in scriptura, esset-ne opus seruile, aut liberale, & mentale? Si dicat primum: ergo impertinenter recurrit, vt soluat argumentum, ad positionem inuersam litterarum. Si dicat secundum, nempè, quòd tunc esset opus liberale, & mentale; quia tunc, re vera, dicta compositio litterarum, esset manifestatiua conceptuum mentis, sicut est scriptio, aut transcriptio: tunc sic ego: sed sic est; quòd etiam compositio litterarum, inuerso modo positarum, clarè & distinctè manifestant conceptus mentis, vt constat legenti dictas formas, vt sæpè ego legi, & intellexi: ergo etiam erit opus liberale, seu mentale, & non seruile.

Secundò arguo contra eundem Authorem: Si quis inuerso modo scriberet, manifestando, & exprimendo alicui suos conceptus, verè exerceret operationem liberalem, vtpotè mentis, & non seruilem, vt constat, ac proinde non prohibitam in festis: ergo eandem exercet Typographus ordinando characteres inuerso modo; siquidem eodem, aut simili modo manifestat suos, aut alterius conceptus. Propter hæc, hanc nostram sententiam tenent Homobonus *volum.1. p.2. respons.34.* Layman *lib.4. Theolog. Moral. tract.7. cap.2. num.3. vers. dico 3. in fine.* Diana *part.4. tract.4. Resol.62.* & nouissimè *p.8. tract.7. Resol.56.* Et, ni fallor, Machado *tom.2. lib.6. part.8. tract.8. docum.4. num.1.* & dicunt probabile, Trullench. & Pasqualigus,

qualigus, vt notat ipse Diana *resol.56.cit.* Ita dicens: Sed an dicti Typographi possint in diebus festiuis characteres componere, nominatim contra me, negatiuè respondet P.Pasqualigus *decis.*149.*n.*5.sed nostram sententiam tanquam probabilem admittit Machadus vbi *sup.num.*1.& Trullench *in Decalog.tom.*1.*lib.*3.*c.*1.*dub.*8.*n.*5.*&* 6. Hucusque Diana, & Ausonius in summa Dianæ, *verb.Festum seruare,n.*5. sic dicens: Similiter Typographi characteres in die festo ordinantes non peccant mortaliter: quia hoc etiam est opus de se mentale, non seruile. Ita ille.

Ad fundamentum Pasqualigi, Negandum est, quòd illa ordinatio characterum non sit ex se expressio, seu expressiua conceptuum. Est namque, licèt ex parte componentium aliud intendatur; nempe, fabricare dictas formas, ad cudendas litteras. Quia finis operantis non extrahit à sua conditione operationem ipsam. Vnde si hæc est ex se expressiua conceptuum, semper erit talis, quidquid aliud velit operans. Vnde omni capite, tam scilicet ex authoritate, quàm ratione constat, hanc nostram sententiam esse probabilem, quicquid ille Theologus Neothericus dixerit. Nolo tamen, vt illam ante factum, consulas; bene tamen, vt illam post factum teneas; vt non temerè condemnes eos, qui eam amplexati sunt.

QVÆSTIO XIX.

An etiam ipsismet Impressoribus librorum, vulgò, Batidores, y Tiradores, *sit licitum in festis Prælo incumbere?*

RESpondeo, tanquam quid certum: Non esse licitum. Quia horum actio verè & totaliter est mechanica, & seruilis, cùm pertineat ad artem sigillatiuam; nam nil aliud de se dicit, quàm intinctionem litterarum, & earum impressionem super papyrum. Sic tanquam certum docent omnes Doctores citati, tam pro prima, quàm pro secunda nostra sententia. Legantur.

QVÆSTIO XX.

An sit licitum pingere in festo, lucri gratiâ?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Sayrus *lib.*7.*Clauis Reg.cap.*2.*n.*13.Lopez 1.*part.instruct.cap.*52. Medina *lib.*1.*instruct. c.*14.§.8.*in fine*, Ioan.à Cruce 2.*part.director.pracept.*3.*art.*1.*num.*2. Layman *lib.*4.*tract.*7.*cap.*2.*num.*3.*vers.Dico tertiò.* Quos omnes, si pro hac parte citat, & sequitur Pasqualig. *decis.*142.*num.*3.*&* 4. Sed ex his Authoribus, Lopez contrarium docet expresè cum Nauarro, & Caiet. *cap.*5 a. *citato*, vers. *Licèt scribere.* Quamuis versu sequenti dicat, quòd Medina affirmet posse contrarium practicari. Citat etiam pro hac parte Machado *tom.*2.*p.*8.*tract.*8.*docum.*6.*num.*4. Dianam 4.*part.tract.*4.*resolut.*62.& bene. Ipse verò non resoluit hanc difficultatem; sed solùm refert, vt solet, quamuis in hanc videatur inclinare sententiam, eo quòd illam in vltimo referat loco.

Sed probabiliùs Respondeo; Non esse licitum. Quia probabilius est, quòd actus pingendi sit seruilis: ergo prohibitus in festis. Sic latè Suarez *lib.*2.*cit.cap.*26.*à num.*4. Sà *ver.Festum, num.*5. Pedraza *in summ.pracep.*3.*fol.*27.*pag.*2. Bonac.*disputat.*5.*punct.*2.*n.*25.*vers.Quintò.* Vbi pro hac parte citat Sayrum *loc.cit.num.*16 Sed malè, nam oppositum expresè docet. Azorius *tom.*2.*lib.*2.*c.*27.*q.*6. Fagundez *de* 1.*pracept.cap.*11.*num.*10. Palao *tom.*2.*de obseruat.fest.tract.*3.*disput.*2.*punct.*5.*num.*7. Molfes.*tract.*11.*cap.*17.*n.*45.

Naldus *ver.Festum, num.*6. Gordon.*lib.*6.*Theolog.Moral.q.*6.*cap.*6.Sanchez *tom.*2.*consil.lib.*5.*c.*2.*dub.*12.*&* 16. Bassæus *v.Festum*, 2.*n.*9. Filliuc.*tr.*27.*c.*9.*n.*167.*& seq.*Trullench *lib.*3.*in Decalog.cap.*1.*dub.*8.*n.*7.Luysius Turrian. *in select.centur.*4.*dub.*59.*& in sum.p.*1.*c.*230.*dub.*12. Tenent etiam Angel. Tabiena, Rosella, Syluest.& Armilla, statim citandi. Et est communis sententia, vt fatetur ipsemet Layman, qui etiam citat malè pro se Lopezium.

QVÆSTIO XXI.

An saltem sit licitum in festis pingere, recreationis gratiâ?

AFfirmant (à fortiori) omnes Authores nuper pro prima sententia adducti; & ex adductis pro nostra, Angel.*v.Feria, num.*31. Syluest. *v.Dominica, q.*5.§.*sexta.* (non §. *Quinta*, vt citat Suarez) Armilla *v.Festum, num.*21. Rosella v.*Feria, n.*13. Azor. Reginald. Clauis Reg. (apud Bonacinam) & Bassæus *loc.cit.num.*9. Ita etiam Layman *tract.*7.*cit.cap.*2.*num.*3.*vers.Dico* 1.11.& penes illum Sà, *numero* 5. Ioann.à S.Thoma *in explicatione Doctrina Christiana, vbi de* 3.*precepto Decalog.fol.mihi* 40.his verbis: [Si es mucha la obra, y por mucho raro, es mortal. Si es solo por recreacion, aunque trayga consigo algun trabaxo, no son pecado; sino estoruan la Missa, ò den escandalo.] Ita ille. De omnibus operibus prohibitis, absolutè loquendo, & alij. Quorum fundamentum est. Quia pingere recreationis gratiâ, non est artem exercere, sed animum reficere: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Neque esse licitum. Quia probabilius est, vt diximus, quòd opus pingendi sit simpliciter seruile: ergo, quacumque intentione fiat, semper est illicitum in festo fieri; quia intentio, aut finis operantis, non variat rationem operis. Sic Suarez c.36.*cit.n.*5. vbi sic ait: Item, licèt quis depingat imaginem animo illam donandi Ecclesiæ, non licet, in festo id facere, sine licentia Prælati, quia non licet seruile opus facere in festo, etiam causâ pietatis, sine necessitate excusante, vt suprà dictum est. Quapropter multò minùs licebit id facere voluptatis causâ; sicut non liceret, vas argenteum, aut aureum, facere, etiamsi quis in eo delectetur, & ea ratione id faciat. Sic Suarez *n.*4.*cit.* Caiet.2.2.*q.*122.*art.*4.§.*Ad* 2. Bonac. *loc.cit.num.*25.*vers.Quintò.* Fillinc. *tract.*27.*cap.*9.*à n.*167. Fagundez *loc.cit.n.*16.*&* 13. Sanchez *dub.*12.*cit.* Palao *punct.*5.*cit.n.*7. Trullench.*loc.cit.n.*7. Et alij. Et certè loquendo absolutè de operibus seruilibus, id mihi plusquam certum videtur; (quidquid senserit R.P.Ioan.à S.Thoma) vt ex dictis Suarij constat. Lege ipsummet Suarium *loc.cit.* vbi optimè id probat; eique consentiunt omnes Recentiores.

QVÆSTIO XXII.

An ad minus licitum sit Iuuenibus, pingere in festis, intentione addiscendi artem?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Syluest. Rosella, Armilla, Tabiena, Angel. Naldus, Medina, Lopez, & Layman, *locis nuper citatis.* Sà *verb.Festum, num.*5. Sanchez *tom.*2.*opusc.lib.*5.*cap.*2.*dub.*6.*num.*8. Quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.*141.*num.*2. Quibus addi possunt Bassæus, Diana, *loc.cit.* & Llamas 3.*part.Method.c.*5.§.6.*in fine.* Layman *loco nuper cit.* Fundamentum eorum est; quia pingere saltem addiscendi gratiâ, non est opus seruile, sed liberale; cùm sit exercitium disciplinæ perficiens animam: ergo licitum in festo.

Digitized by Google

Sed probabiliùs Respondeo: Nec licitum esse. Quia probabiliùs est, vt sæpè est habitum, quòd actus pingendi sit seruilis; & rursus, quòd intentio operanos non prodest quidquam, vt desinat esse talis: ergo neque intentio addiscendi. Confirmo hanc rationem. Quia actus pingendi, addiscendi gratiâ, non differt ab intrinseco, & essentialiter, à quocumque alio actu pingendi, facto diuersa intentione, v.g. ob lucrum: at hic verè est actus seruilis: ergo & ille. Nec obest si dicas, quòd actus pingendi elicitus gratiâ addiscendi, perficit animam; ac proinde sit liberalis. Quia hæc ratio nulla est profectò: Nam etiam actus alij pingendi, quacumque intentione fiant, perficiunt eodem modo animam, imò & perfectiùs, cùm sint etiam perfectius disciplinæ exercitium; & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles, cùm ex se sint actus tales. Ex quò solutum manet fundamentum contrarium. Et ideo hanc nostram sententiam tenent Suarez *cap. 26. cit. num. 4. & 6.* Fagundez *libro 1. de primo præcepto Eccles. cap. 11. n. 10.* Bonac. *disput. 5. cit. punct. 2. num. 21. vers. Quarto.* Palao *loc. cit. num. 7.* Trullench *num. 7. cit.* Filliuc. *loc. cit. n. 169.* & alij.

Quæstio XXIII.

An liceat iuuenibus transsumere picturas ex peritorum exemplaribus, in diebus festis?

Affirmant omnes Authores nuper, *quæst. 22.* citati pro prima sententia, videlicet, Angel. Syluest. Armilla, Rosella, Tabiena *loc. cit. q. 21.* Sanchez *loc. cit. dub. 6. num. 9.* Sà *verb. Festum, num. 5.* sic dicens: Licet quidem exemplum aliquod delineare, quod vulgò dicitur *Sitrar*, vt fit passim etiam Romæ: & acu pingere linteum, quod vulgò *Ricamar* discendi causâ. Sic ille, & alij suprà citati. Quorum fundamentum est, *Tum*, quia hoc non est opus seruile; *Tum* etiam, quia id docet approbata consuetudo.

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere, seclusâ consuetudine, aut leuitate materiæ. Quia probabiliùs est tale opus esse seruile; ergo & illicitum in festis, quacumque intentione fiat; cùm hæc non exuat illud à sua conditione, vt suprà est habitum. Vnde si passim etiam Romæ id permittitur, est ad modicum tempus, propter leuitatem materiæ, qua permissione supposita, excusantur etiam à culpa veniali. Sic Suarez *lib. 2. cit. cap. 26. num 5. & 6.* Vbi ita ait: Non enim licet in die festo imaginem ab alio pictam pingendo transferre, quia non minùs seruile est pingere ad imitationem sensibilis exemplaris propositi coram oculis, quàm ex propria mente, & imagine interna; imò hoc videtur minùs seruile; quia magis mentale, & internum, sicut magis liberale censetur scribere, quàm transcribere. Sic ille. Filliuc. *loc. cit. num. 169.* Bonacina *loc. cit. n. 25.* Trullench *loc. cit. n. 7.* & alij. Ad fundamentum contrarium ex dictis constat. Addo tamen, quòd id, quod Romæ permittitur passim in festo, non est pingere propriè, sed solùm delineare imaginem, vt postea possit illam perfectè pingere Pictor, quod (vt notat Suarez) ad liberalem disciplinam videtur accedere.

Quæstio XXIV.

An liceat Archimagistris, seu Architectis, in festo assignare in chartis, quod postea executioni est mandandum?

Respondeo Affirmatiuè. Quia hoc opus non est seruile, sed liberale. *Tum*, quia non est aliud, quàm quædam instructio, ac virtualis scriptura, qua Magistri instruunt inferiores, quæ ab illis sunt executioni mandanda. *Tum* etiam, quia dictæ delineationes non sunt aliud, quàm expressio quædam internæ ideæ, quam Magister proponit imitandam artificibus; vnde finis intrinsecus ipsius est, edocere, quo modo res sit facienda; non autem rem facere. Quod non contingit in eo, qui pingit adhuc addiscendi gratiâ; quia hic, quod addiscit, operatur, & facit: non vero Architectus. Et ideo non mirum, quòd his liceat in festis suam artem exercere; illis verò minimè. Sic Caietan. *in sum. verb. Festorum violatio.* Armilla *verb. Festum, num. 21.* Ioan. de Cruce *in summ. 1. part. præcept. 3. art. 1. num. 2.* Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 7.* Palao *loc. cit. num. 6.* Pasqualig. *decis. 147.* & innuunt Suarez, & Bonacina *loc. cit.* Llamas *3. part. Method. cap. 5. §. 6. in fine*, per hæc verba: Possunt & Architecti exemplaria facere ædificiorum, quæ nostri *trazas*, siue *plantas*, vocant.

Quæstio XXV.

An liceat puellis, in diebus festis, acu pingere, seu recamaturas facere, vulgò, Recamar?

Affirmant eis licere, si id faciant discendi causâ. Armilla *verb. Festum, num. 21.* & Sà *eo. v. num. 5.* cuius verba retulimus, *q. 23.* Et absolutè, & absque vlla limitatione, id affirmant, Ioan de Cruce *in sum. 1. part. præc. 3. art. 1. num. 2.* citans pro se Armillam *loc. cit.* Sed non ita bene, cùm id non absolutè, sed cum limitatione, vt vidimus, doceat Azor. *tom. 2. lib. 2. c. 27.* & probabile iudicat Trullench *loc. cit. num. 6.* & docet Pasqualigus *decis. 148.* quamuis cum timore aliquo probat. Quia acu pingere, non est opus seruile: ergo licitum in festis. Antecedens probatur. Nam acu pingere, est proprium ingenuarum fœminarum. Et rursus, est opus ostentatiuum ingenij: ergo non est opus seruile, sed liberum.

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere absolutè, & secundùm se. Quia probabiliùs est, esse opus seruile; sicut est actus pingendi penicillo: ergo prohibitum in festis fieri. Dixi *absolutè, & secundùm se*; quia si alicubi datur approbata consuetudo, licebit, ratione illius, acu pingere. Sic Bonac. *disp. 5. punct. 2. n. 25. vers. Sextò addit*, ex Suario *cap. 36. n. 5. & 6.*

Ad fundamentum Pasqualigi Respondeo: Negando antecedens, nempe, quòd acu pingere non sit opus seruile: *Et ad primam* probationem dicendum, etiam esse falsam; nam acu pingere potiùs pertinet ad mulieres conditionis seruilis, quàm ad mulieres nobiliores, & ingenuas. Quòd si interdum hæ huic exercitio incumbunt, est communiter ad modicum tempus, & ob quandam honestam occupationem. *Ad secundam* verò probationem, dicendum est, quòd licèt tale opus sit ostentatiuum ingenij, non ideò est liberale; quia etiam ars pingendi ostentat ingenium, & multæ aliæ artes mechanicæ, & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles: Quia medium est seruile.

Quæstio XXVI.

An saltem liceat puellis laborare in festis, ad vitandam otium?

Affirmant Syluest. *verb. Dominica, quæst. 5. vers. Quarta.* Margarita *præcept. 3.* Sà *verb. Festum, n. 6.* Ioan à Cruce *in sum. part. 1. præcept. 3. art. 1. dub. 1. concl. 4.* Villalub. *tract. 32. diffic. 4. num. 10.* Marchantius

in

in resol. Doct. super Decalog. cap. 3. quæst. 2. Ghilin. *in summ. v. Festum, num. 2.* Quos omnes pro hac parte refert Pasqualig. *decis.* 299. Quibus addi possunt Diana 3. p. *tract.* 5. *resolut.* 8. *vers. Notandum est.* vbi licèt ibi, an sit verum, non iudicet; fecit tamen postea, approbando hanc partem, 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 62. Homobonus *volum.* 1. *part.* 2. *respons.* 35. Ioan. Henriquez *in summ. cap.* 7. *num.* 18. Vbi sic ait: [Licito es a las muchachas labrar en dia de fiesta, por huir de la ociosidad; porque esto mas es jugar, que trabajar: como lo dize Sà, *ver. Festum, num.* 6.] Ita ille Machado *tomo* 1. *summ. lib.* 2. *part.* 4. *tractatu* 16. *documento* 1. *numero* 5. & Ausonius *in summa Dianæ, verb. Festum seruare, num.* 13.

Sed probabiliùs Respondeo: Non licere ex se; seclusa (vbi adsit) consuetudine approbata à Prælatis. Ratio est. Quia otium illud in festis est ordinatum ab Ecclesia, & à Deo, ad vacandum ipsimet Deo, quod fit audiendo Missam, & cessando ab operibus seruilibus: ergo contra hunc finem expressè facit, qui vt euitet illud otium, exercitatur in operibus seruilibus. Sic penes Pasqualigum, Castro Palao *tom.* 2. *tract. de obseru. fest. er. disput. vnica, punct.* 10. *n.* 3. Sanchez *lib.* 5. *cons. cap.* 2. *dub.* 18. Bonac. *disputat.* 5. *de tertio præcepto Decalogi, punct.* 3. *num.* 7. iunctis ijs, quæ tradit *punct.* 2. *num.* 25. Quos citat, & sequitur Pasqualigus *loc. cit. num.* 4. Sed ex his Bonac. nihil expressè de hac quæstione dicit. Addi tamen possunt pro hac parte, Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. Suarez *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. *in fine* (non *lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 4. vt citatum apud Dianam inuenies) vbi loquendo de pictoribus, solùm concedit eis, vt per breue tempus ad vitandum otium, occupentur in sua arte pingendi. Comitolus *lib.* 4. *Resp. quæst.* 37. Trullench *libro* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6.

QVÆSTIO XXVII.

An ad minus ad vitandam occasionem proximam peccati, ortam ex otiositate, aut quauis alia re, sit licitum in festis laborare?

Affirmabunt (à fortiori) Authores pro prima sententia adducti, & expressè id affirmat Naldus *verb. Festum, num.* 7. & penes ipsum Philiarchus *de offic. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 23. *in fine, part.* 2. & Sà *loc. cit.* & etiam Palao *numero* 3. *citat.* licèt hic Author addat, rarò accidere posse, quòd opus seruile, sit medium necessarium ad vitandum periculum peccandi.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse licitum. Quia existimo, quòd opus seruile, nunquam possit esse medium vnicum, & necessarium ad vitandum peccatum, otium ex otiositate. Nam dantur plura alia media, & remedia non prohibita ad otiositatem vitandam; vt sunt honestæ recreationes, lectioni, vel orationi vacare, & similia. Dato tamen, quòd nullum aliud remedium ad vitandum peccatum adesset, nisi exercitium operis seruilis; tunc dico, quòd esset licitum; quia tùc desinit esse prohibitum. Et in hoc casu habet verum id quod dixit D. August. *lib. de decem chordis, cap.* 3. videlicet: *Quòd meliùs faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret; & meliùs fœmina eorum in die Sabbati lanam facerent, quàm si tota die in neomeniis impudicè saltarent.* Sic D. August. & bene. Et sic Pasqualig. *decis.* 299. *citata, num.* 3.

QVÆSTIO XXVIII.

An sit licitum venari, aut aucupari in die festo, recreationis gratiâ?

Negat Abulens. *q.* 24. *in* 12. *Exodi*, casu quo quis eat ad venationem, vnam vel duas leucas.

Sed tanquam certum ferè Respondeo: Esse licitum. Ratio est. Quia, vel hæ actiones non sunt seruiles (vt aliqui volunt) vel si sunt (vt alij intendunt) consuetudine sunt admissæ. Sic omnes Doctores, & præcipuè penes Pasqualigum, Angel. *verb. Feriæ, n.* 26. Armilla *eo v. num.* 11. Syluest. *ver. Dominica, q.* 5. *vers. Sexta.* Tolet. *lib.* 4. *summ. c.* 24. *num.* 7. (non 3. vt inuenies apud Pasqualig.) & Gordon. *lib.* 6. *Theol. Moral. q.* 7. *c.* 6. *ver. Quæres quid.* Sic etiam Bassæus *v. Festum, num.* 12. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 8. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 27. *c.* 9. *q.* 12. *n.* 174 & alij statim citandi. Sed ex his malè citatur Armilla, quia nec *num.* 11. nec alibi, agit de venatione.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam sit licitum in festis venari, aut aucupari ex officio, aut lucri gratiâ?

Negant (apud Pasqualigum) Angel. Rosella, Syluest. Tolet. & Gordonus, locis nuper citatis. Sed ex his Authoribus malè citantur Rosella, vt diximus quæst. præcedenti, & Tolet. Nam hic, oppositum expressè docet; eod. loco citato, per hæc verba: Tamen aduerte cùm venatio & iter ex officio fit, ex se non licet, vt dicit Syluest. *v. Venatio*; & tamen consuetudo iam obtinet, ista non esse illicita: & ita tenet Nauar. *loc. cit.* quamuis pecuniâ fiant. Sic Toletus. Malè ergo illum citat Pasqualigus. Negant tamen Bassæus, & etiam secundùm aliquos, Filliucius vbi infrà. Sed hic Author, licèt in principio dicat, venari, & aucupari ex officio; esse opus seruile; in fine tamen addit, iam ex consuetudine licere.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam esse licitum. Quia actio venandi, vel aucupandi, iam non est seruile opus, vt tenent Nauarr. *c.* 13. *n.* 11. *vers. Sextò.* Medina *in summ. lib.* 1. *c.* 14. §. 8. *in fine*, Lopez *lib.* 1. *instr. conscient. cap.* 52. §. *Qui venatur, pag.* 269. Sà *v. Festum, n.* 5. Bonacina *disp.* 5. *cit. punct.* 2. *n.* 25. Palat. *in summ. Caietani, v. Festorum violatio.* Sanchez *tom.* 2. *opusc. lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 14. *n.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 2. *n.* 4. *vers. Dico septimò.* Ioan. à Cruce *in summ. prac.* 3. *art.* 1. *n.* 2. Rodrig. *in summ. c.* 122. *n.* 2. Pasqualig. *decis.* 143. Ioan. Henriquez *in sum. c.* 7. *n.* 6. (licèt malè citet Toletum *c.* 25.) Binsfeldius *in Enchirid. Theolog. Pastoralis, p.* 3. *c.* 10. §. 3. *pag.* 292. Granad. 2. 2. *contr.* 3. *tr.* 12. *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 65. & alij. Aut si seruile opus est, & ex hoc capite non sit per se licitum; est tamen iam ratione consuetudinis receptæ, & toleratæ à Pastoribus Ecclesiæ. Sic Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 3. & 5. Fagundez *de* 1. *Eccles. prae. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 16. Palao *p.* 2. *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 8. & 9. Trullench *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 27. *c.* 9. *q.* 12. *n.* 173. Villalob. *tr.* 32. *diff.* 2. *n.* 8. & ni fallor, idem sentit Machado *p.* 2. *lib.* 6. *p.* 8. *tr.* 9. *doc.* 10. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 222. Luys. Turrian. *in summ. p.* 1. *c.* 230. *dub.* 14. & alij.

QVÆSTIO XXX.

An sit licitum in festo piscari in fluminibus, arundine, voluptatis, recreationisve causâ?

Respondeo: Esse licitum, saltem ex consuetudine recepta. Sic communiter omnes Doctores, præsertim

Si dicas cum Pasqualigo, quod in molendinis pistrinorum, aut (quod idem est) in moledinis, quæ molunt bestiarum opera, vltra dictum laborem, datur alius labor, & occupatio alia, nempe assistentia, & cura continua iumentorum ducentium molendinum; Respondeo *Primò*, quòd etiam in aliis molendinis, aquæ, videlicet, & venti, vltra impositionem tritici, & extractionem farinæ, datur alius similis, aut maior labor, ac est assistentia ad bestiam ducentem molendinum; nempe cura, & assistentia ad aquam, vel ventum, ne excedat quantitatem requisitam, aut proportionatam ad regulariter molendum. *Addo* 2. quòd, cùm molendinum, aquæ (imo, & venti) velociùs molat, frequentiùs debeat molitor, aut molinarius, imponere triticum, & extrahere farinam, & consequenter, subire maiorem laborem, in hac parte, quàm subire potest molitor pistrinorum, siue athaonæ: cùm hæc, non ad motum aquæ, vel venti velocissimè rotam girantis; sed ad motum pigræ bestiæ, molat. *Tertiò*. Quia ridiculum videtur dicere, quòd sola assistentia molitoris ad bestiam ducentem molendinum, faciat, quod hoc officium sit seruile, si aliàs non esset secundùm se. Absolutè ergo dicendum est, quòd etiam liceat ita in festo molere, sicut in molendino aquæ & venti; ita in molendino, quod mouetur operâ bestiarum. Et ita, hanc sententiam videntur docere Sà *v. Festum, num.* 5. & Ioan. à Cruce 1. *p. sum. prac.* 3. *art.* 1. *concl.* 4. quatenus absolutè, & sine limitatione docent, licitum esse in festis molere. Nec credo quòd Nauar., Lopez, & alij, quos Pasqualigus citat pro opposito, oppositum sentiant, nam debent intelligi de molendinis, quæ operâ seruorum molunt, de quo iam dicam.

Qvæstio XLIV.

An etiam sit licitum in festo, molere in pistrinis, Hispanè Athaona, *si operâ seruorum moueatur?*

RE spondeo: Non esse licitum, excepta magna necessitate. Quia hoc opus, verè ex vna parte est seruile, & labor continuus, qui in eo interuenit, notabilis, & magnæ considerationis; vt constat; & ideo, prohibitum sub mortali. Sic omnes. Et in hoc sensu intelligo Nauarrum, Lopez, & alios Doctores, absolutè docentes, non esse licitam in festos molituram pistrinorum, excepta magna necessitate; loquuntur enim de molitura pistrinorum, quæ fit operè seruorum; quia hæc est, quæ magnam occupationem, & laborum requirit: non verò de molitura, quæ operâ bestiarum fit. Non enim inueniri potest ratio, cur de hac, non de illa, intellegi debeant dicti Doctores, vt videre apud illos est. Nec pro contraria parte possunt citari Sà, & Cruz, vt nos nuper fecimus eo quòd sine limitatione doceant licitum esse in festis molere; quia nulli fuit dubium, hoc genus molituræ esse illicitum in festis.

Qvæstio XLV.

An sit licitum in festis, iter longum facere?

NEgat expressè Abulens. in 12. *Exodi, q.* 24. *in fine, & q.* 25. existimans, esse mortale iter facere per vnam, aut duas leucas.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Esse licitum. Quia sic praxis, & sic omnes Doctores docent. Quamuis dubitent, an ex se, an verò, solùm ratione consuetudinis, itinerari in festo liceat; de quo iam dico.

Qvæstio XLVI.

An itinerari in festo, non solùm ratione consuetudinis, verùm etiam de se liceat?

NEgant Caiet. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. §. *In eodem articulo, &* §. *His igitur, &* Sotus *de Iust. & iure, q.* 4. *art.* 4. §. *Tertium genus* docentes, id solùm esse licitum ratione consuetudinis, non de se. Eandem sententiam docere Abulensem *Exodi* 12. *q.* 21. ait Suarez: & idem ait Pasqualigus, citans Abulensem *Exodi* 10. *quæst.* 25. Sed certe vterque malè; quia Abulens. absolute docet itinerationem longam esse mortalem; nec vllo modo ex consuetudine honestat illam, loco citato à Suario, nec minùs loco citato à Pasqualigo, cùm in *cap.* 10. *Exodi*, nihil de hac re agat Abulens. nec habeat nisi octo quæstiones.

Respondeo ergo, tanquam certum, quòd non solùm ex consuetudine; sed etiam de se sit, licitum itinerari, siue id pedibus, siue equo, fiat. Quia certum est, quod iter facere, etiam pedibus, non sit opus seruile, sed merè naturalis motus, tam seruis, quàm ingenuis communis. Rursus etiam est certum, id etiam ex consuetudine licere; ergo. Sic Maior *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 23. *concl.* 2. Nauarrus *cap.* 13. *num.* 6. (apud Suarium 7.) Angel. *v. Feria, num.* 15. Rosella *num.* 20. & 26. Armilla *v. Festum, num.* 13. & 14. Alcoçer *in summ. cap.* 17. Azor *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 8. Sà *v. Festum, num.* 5. (non 15. vt inuenies apud Pasqualigum, non enim habet nisi decem) Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 2. Palao *p.* 2. *tract.* 3. *cit. disputat.* 2. *punct.* 5. *num.* 12. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 4. & Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. Quos omnes citat: & sequitur Pasqualig. *decis.* 146. Quibus addi possunt Bonacina *disp.* 5. *cit. punct.* 2. *num.* 25. *vers. Propterea.* Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Fagundez *de* 1. *præcept. Eccles. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. Villalobos 2. *part. tract.* 32. *diff.* 2. *num.* 9. Reginald. *lib.* 19. *num.* 38. Diana 2. *p. tract.* 1. *miscel. Resol.* 36. & 4. *p. tract.* 4. *Resol.* 222. Basilæus *verb. Festum,* 2. *n.* 10. & communis.

Qvæstio LXVII.

An etiam sit licitum iter, casu, quo magna cum fatigatione fiat?

NEgat Angel. *num.* 15. *citato*, per hæc verba. Itineratio tamen, non sic strictè prohibetur; quia potest quis, etiam itinerando intendere Deo: & ideo, nisi sit vsque ad vltimam fatigationem, non credo esse prohibitam, vel cum omissione diuinorum. Ita Angel. Cui adde Syluestrum *v. Dominica, n.* 1. Tabienam *v. Feria, num.* 23. & Margaritam Confess. *prac.* 3. *fol.* 70.

Sed, tanquam ferè certum, Respondeo: Etiam esse licitum. Quia si modica itineratio non est actio seruilis; neque continuata per totum diem, erit: quia opus, quod non est seruile in paruo tempore, vel paruo labore factum; non fiet seruile, propter durationem, & laborem; quia semper est eiusdem rationis: ergo. Sic optimè Suarez *loc. cit. n.* 2. Machado *to.* 2. *lib.* 6. *part.* 8. *tract.* 6. *docum.* 4. *n.* 1. Pasqualig. *loc. cit. n.* 3. Sanch. *dub.* 7. *cit. n.* 5. & alij. Qui rectè inde colligunt, licitum esse Cursoribus, iter habere in festis, siue id habeant pedestres, siue equestres; quia quòd fiat iter currendo, non variat rationem actionis.

Si dicas cum Pasqualigo, quod in molendinis pistrinorum, aut (quod idem est) in moledinis, quæ moluut bestiarum opera, vltra dictum laborem, datur alius labor, & occupatio alia, nempe assistentia, & cura continua iumentorum ducentium molendinum; Respondeo *Primò*, quòd etiam in alus molendinis, aquæ, videlicet, & venti, vltra impositionem tritici, & extractionem farinæ, datur alius similis, aut maior labor, ac est assistentia ad bestiam ducentem molendinum; nempe cura, & assistentia ad aquam, vel ventum, ne excedat quantitatem requisitam, aut proportionatam ad regulariter molendum. *Addo* 2. quòd, cùm molendinum, aquæ (imo, & venti) velociùs molat, frequentiùs debeat molitor, aut molinarius, imponere triticum, & extrahere farinam, & consequenter, subire maiorem laborem, in hac parte, quàm subire potest molitor pistrinorum, siue athaonæ: cùm hæc, non ad motum aquæ, vel venti velocissimè rotam girantis; sed ad motum pigræ bestiæ, molat. *Tertiò*. Quia ridiculum videtur dicere, quòd sola assistentia molitoris ad bestiam ducentem molendinum, faciat, quod hoc officium sit seruile, si alias non esset secundum se. Absolutè ergo dicendum est, quòd etiam liceat ita in festo molere, sicut in molendino aquæ & venti; ita in molendino, quod mouetur operâ bestiarum. Et ita, hanc sententiam videntur docere Sa *v. Festum, num.* 5. & Ioan. à Cruce 1. *p. sum. prec.* 3. *art.* 1. *concl.* 4. quatenus absolutè, & sine limitatione docent, licitum esse in festis molere. Nec credo quòd Nauar. Lopez, & alij, quos Pasqualigus citat pro opposito, oppositum sentiant, nam debent intelligi de molendinis, quæ operâ seruorum molunt, de quo iam dicam.

Qvæstio XLIV.

An etiam sit licitum in festo, molere in pistrinis, Hispanè Athaona, *si operâ seruorum moueatur?*

REspondeo: Non esse licitum, excepta magna necessitate. Quia hoc opus, verè ex vna parte est seruile, & labor continuus, qui in eo interuenit, notabilis, & magnæ considerationis, vt constat; & ideo, prohibitum sub mortali. Sic omnes. Et in hoc sensu intelligo Nauarrum, Lopez, & alios Doctores, absolutè docentes, non esse licitum in festos molituram pistrinorum, excepta magna necessitate; loquuntur enim de molitura pistrinorum, quæ fit operè seruorum; quia hæc est, quæ magnam occupationem, & laborum requirit: non verò de molitura, quæ operâ bestiarum fit. Non enim inueniri potest ratio, cur de hac, non de illa, intelligi debeant dicti Doctores, vt videre apud illos est. Nec pro contraria parte possunt citari Sa, & Cruz, vt nos nuper fecimus eo quòd sine limitatione doceant licitum esse in festis molere; quia nulli fuit dubium, hoc genus molituræ esse illicitum in festis.

Qvæstio XLV.

An sit licitum in festis, iter longum facere?

NEgat expressè Abulens. in 12. *Exodi, q.* 24. *in fine,* & *q.* 25. existimans, esse mortale iter facere per vnam, aut duas leucas.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Esse licitum. Quia sic praxis, & sic omnes Doctores docent. Quamuis dubitent, an ex se, an verò, solùm ratione consuetudinis, itinerari in festo liceat; de quo iam dico.

Qvæstio XLVI.

An itinerari in festo, non solùm ratione consuetudinis, verùm etiam de se liceat?

NEgant Caiet. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. §. *In eodem articulo, &* §. *His igitur*, & Sotus *de Iust. & iure, q.* 4. *art.* 4. §. *Tertium genus* docentes, id solùm esse licitum ratione consuetudinis, non de se. Eandem sententiam docere Abulensem *Exodi* 12. *q.* 25. ait Suarez: & idem ait Pasqualigus, citans Abulensem *Exodi* 10. *quæst.* 25. Sed certe vterque malè; quia Abulens. absolutè docet itinerationem longam esse mortalem; nec vllo modo ex consuetudine honestat illam, loco citato à Suario, nec minùs loco citato à Pasqualigo, cùm in *cap.* 10. *Exodi*, nihil de hac re agat Abulens. nec habeat nisi octo quæstiones.

Respondeo ergo, tanquam certum, quòd non solùm ex consuetudine; sed etiam de se sit, licitum itinerari, siue id pedibus, siue equo, fiat. Quia certum est, quod iter facere, etiam pedibus, non sit opus seruile, sed merè naturalis motus, tam seruis, quàm ingenuis communis. Rursus etiam est certum, id etiam ex consuetudine licere; ergo. Sic Maior *in* 3. *dist.* 37. *quæst.* 23. *concl.* 2. Nauarrus *cap.* 13. *num.* 6. (apud Suarium 7.) Angel. *v. Feria, num.* 15. Rosella *num.* 20. & 26. Armilla *v. Festum, num.* 13. & 14. Alcozer *in summ. cap.* 17. Azor *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 8. Sà *v. Festum, num.* 5. (non 15. vt inuenies apud Pasqualigum, non enim habet nisi decem) Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 2. Palao *p.* 2. *tract.* 3. *cit. disputat.* 2. *punct.* 5. *num.* 12. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 4. & Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. Quos omnes citat: & sequitur Pasqualig. *decis.* 146. Quibus addi possunt Bonacina *disp.* 5. *cit. punct.* 2. *num.* 25. *vers. Propterea.* Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Fagundez *de* 1. *præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 9. Villalobos 2. *part. tract.* 32. *diff.* 2. *num.* 9. Reginald. *lib.* 19. *num.* 38. Diana 2. *p. tract.* 1. *miscel. Resol.* 36. & 4. *p. tract.* 4. *Resol.* 222. Bassæus *verb. Festum,* 2. *n.* 10. & communis.

Qvæstio LXVII.

An etiam sit licitum iter, casu, quo magna cum fatigatione fiat?

NEgat Angel. *num.* 15. *citato*, per hæc verba. Itineratio tamen, non sic strictè prohibetur: quia potest quis, etiam itinerando intendere Deo: & ideo, nisi sit vsque ad vltimam fatigationem, non credo esse prohibitam, vel cum omissione diuinorum. Ita Angel. Cui adde Syluestrum *v. Dominica, q.* 3. Tabienam *v. Feria, num.* 23. & Margaritam Confess. *prac.* 3. *fol.* 70.

Sed, tanquam ferè certum, Respondeo: Etiam esse licitum. Quia si modica itineratio non est actio seruilis; neque continuata per totum diem, erit: quia opus, quod non est seruile in paruo tempore, vel paruo labore factum; non fiet seruile, propter durationem, & laborem; quia semper est eiusdem rationis: ergo. Sic optimè Suarez *loc. cit. n.* 2. Machado *to.* 2. *lib.* 6. *part.* 8. *tract.* 6. *docum.* 4. *n.* 1. Pasqualig. *loc. cit. n.* 3. Sanch. *dub.* 7. *cit. n.* 5. & alij. Qui rectè inde colligunt, licitum esse Cursoribus, iter habere in festis, siue id habeant pedestres, siue equestres; quia quòd fiat iter currendo, non variat rationem actionis.

non sint prohibita. Sic Layman *lib.1. Theol. Moral. tract.4.cap.10. num.3.* Ita dicens: Quare idem, eadem ratione, dicendum arbitror de operibus seruilibus, quæ Festis diebus ab Ecclesia interdicuntur, non infantibus, & perpetuò amentibus; sed his, qui rationis vsum consecuti, eiusmodi præceptum, modo humano, & vtiliter, exequi possunt: ideoque nihil obstat, quò minùs iis seruilia onera die festo imponantur; modò id fiat sine ope illorum qui lege Ecclesiastica obligati sunt. Errabit verò aliquis, si ex hac doctrina inferat licitum esse, perpetuò amentes ad iram concitare, vt blasphement, alios verberent &c. Quia talia, quæ suaptè naturâ deformitatem habent, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis operâ, veluti instrumento vtitur. Hucusque Layman. Ex quo constat ad rationem dubitandi. Sic etiam Pasqualigus, *decis.309.* & Diana *p.5. tract.14. Resol.7. vers. verum ego.*

QVÆSTIO LIV.

An etiam, sit licitum, imponere seruo infideli opera seruilia, in die festo exercenda?

NEgat Moure *3.part. instruct. confess. præcept.3. n.16.* Quia Dominus (inquit) nequit præcipere seruis, vt exerceant hæc seruilia opera, licet serui ab his abstinere non obligentur; sicut nec possunt facere, quod exerceantur à iumentis: ergo.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Etiam esse licitum. Quia ex vna parte, opera seruilia non sunt prohibita infideli; cùm non teneatur Ecclesiæ legibus: ex alia verò, imponendo illa Dominus seruo non exercet opus seruile, quod impediat sanctificationem festi, vt supponimus; ergo ex nulla parte est prohibitum id fieri. Ex quo constat ad rationem factam pro opposito, & ampliùs ex mox dicendis constabit. Sic Diana *loc. cit.* & Pasqualig. *decis.310.*

QVÆSTIO LV.

An tandem, licitum sit homini, facere, vt opera seruilia exerceantur, in die festo, à iumentis?

NEgat Moure, *loc. cit.* vt vidimus.

Sed tanquam certum Respondeo: Etiam esse licitum, si aliàs id exercere possint iumenta, sine vllo, aut ferè nullo opere seruili hominis regentis: secus verò, si iumenta nō possent sine opere magno seruili hominis prædicta seruilia opera exercere; quia tunc, illicitum esset eadem iumentis imponere, ratione operis seruilis hominis. Sic Pasqualig. *loc. cit. n.5.*

DISPVTATIO V.

De operibus non seruilibus, speciali tamen iure, prohibitis, in festo.

QVÆSTIO I.

An actiones non seruiles, quæ exerceri in festo, speciali iure prohibentur, sint tantùm quatuor?

AFfirmant Bonac. *disp.5. de 3. præcept. Decal. q. vnic. punct.2. num.10.* Tolet. *lib.4. cap.24. num.* mihi, 8. aliis, 12. Filliuc. *tract.27. c.10. num.177.* Bassæus, *v. Festum, 2. num.15.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.9. n.1.* & alij, dicentes, esse huiusmodi: videlicet, Mercatum, Placitum, iudicium criminale, vel ciuile, & Iuramentum.

Sed clariùs Respondeo: Esse quinque actiones; nempe quatuor nuper assignatas, quæ prohibentur *in c.1. de Feriis*, & aliam quintam, quæ prohibetur *in cap. finali de feriis*, & est omnis processus, & strepitus Iudicialis. Quæ actiones, etsi seruiles non sint, iure tamen prohibentur; quia ex iis oriri solent iurgia, contentiones, discordiæ, & distractiones, quibus maximè impeditur vacatio ad res diuinas, & quies intenta ab Ecclesia in diebus festis. Sic Nauar. *c.13. n.3. vers. Sextò dicimus.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. c.29. n.1.* Iodocus *v. Festum, n.8. vers. Secundò.* Lublinus *eo v. Festum, n.9.* Villalob. *tom.2. tract.32. diff.3. num.1.* & alij.

QVÆSTIO II.

An Nomine* Mercatûs, *veniant Nundinæ, quæ semel, aut bis, in anno fiunt; & etiam, quæ semel in hebdomada celebrantur, & vulgò dicuntur* Mercados, *& tandem, omnis contractus emptionis, & venditionis, &c.

REspondeo. Hæc omnia nomine *Mercatûs* venire, & prohiberi, iure citato. Sic omnes Doctores. Suar. *loc. cit. n.2.* Trullench *loc. cit.* Sanch. *tom.2. opusc. lib.5. c.2. dub.24.* Bassæus, *v. Festū, 2. n.15.* Villalob. *tom.2. tract.32. diff.3. num.2.* & alij. Qui aduertunt, & benè, hæc omnia in die festo prohiberi, nisi aliàs alicubi consuetudo contrarium obtinuerit, de qua iam dicemus.

QVÆSTIO III.

An saltem ex consuetudine, licitum sit, Nundinas publicas, quæ semel, aut bis, in anno fiunt, in diebus festis celebrare?

NEgant Hostiens. & Abbas *in cap.1. de Feriis.* Existimantes, nullam consuetudinem excusare posse, vt Mercatus in festis fieri liceat. Quia est (inquiunt) iniqua, praua, & irrationalis consuetudo. His fauet Rodriguez *1. part. summ. cap.* mihi 121. *num.3.* Quatenus absolutè docet, Nundinas, & Mercatum fieri in festis, esse vetitum.

Sed, Tanquam certum, Respondeo: Esse licitum, vbi adest consuetudo legitimè introducta, quæ iam vbique ferè introducta, & recepta est. Quia tota hæc festorum obseruatio, est de lege humana; cui potest consuetudo derogare, ergo vbi adest talis consuetudo, licitum erit Nundinas publicas fieri, modò Missa audiatur. Sic Caiet. *2. 2. q.122. art.4. & in summ. Festorum violatio.* Nauarr. *cap.13. num.8.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. cap.29. num.3.* Bonac. *disp.5. in 3. præcept. Decalog. punct.2. num.9.* Sanchez *loc. cit. num.6.* Palao *loc. cit. num.5.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.9. num.2.* Layman *lib.4. tract.7. cap.2. num.6. vers. Dico octauò.* Lublinus *loc. cit.* Iodoc. *v. Festum, num. 8. vers. Quartò.* Bassæus *num.15. cit.* Sà *ver. Festum, num.5.* Tolet. *lib.4. cap.24. num.9.* Ioan. Henriquez *in summ. cap.7. num.14.* Filliuc. *tract.27. num.180.* Villalob. *loc. cit.* Fagund. *de 1. Eccles. præcept. lib.1. cap.12. num.4.* Hurtado *de iust. & iure, disp.2. de emptione & vend. diff.17. vers. Rursus,* & communis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An etiam ſit licitum, ratione conſuetudinis, Mercatus, qui ſemel in hebdomada fieri ſolent, in feſtis celebrari?

NEgabunt (à fortiori) Hoſtienſ. & Abbas, eo quòd facilè transferri poſſunt in alterum diem, aut anticipari, vt fit Valentiæ.

Sed clariùs cum diſtinctione, Reſpondeo: Licitum etiam eſſe, vbi conſuetudo recepta, & approbata eſt: Secùs aliàs. Ratio conſtat ex dictis. Quia conſuetudo, quæ poteſt derogare legi prohibenti Nundinas publicas fieri: Ita eodem modo poteſt derogare prohibenti fieri Mercatum; vti derogauit de facto reſpectu aliquarum Ciuitatum, vbi introducta eſt conſuetudo celebrandi Mercatus in die etiam feſti. Sic ſentiunt Sanchez *p.2.opuſc. lib.5.cap.2.dub.25.num.7.* vbi teſtatur Salmanticæ eſſe in vſu, vt tales mercatus celebrentur die Iouis, etiamſi in illo incidat feſtum Aſcenſionis, & Corporis Chriſti; (In quo caſu, ipſomet die licet deferre merces, & alia, ad loca vbi mercatus fiunt.) Suarez *loc. cit. n.5.* Layman, Trullench, Tolet. Filliuc. Baſſæus, Bonac. Hurtado, Villalob. & Fagundez *loc. cit.* Machado *lib.1.p.3.tract.15.docum.6. num. 3.* & alij.

QVÆSTIO V.

An emere, & vendere in diebus feſtis, ſit de ſe mortale?

AFfirmat Hurtado *de iuſt. & iure, diſp.2. de emption. & vend. diff.17. verſ. Rurſus.* caſu, quo emptio, & venditio, fiat in Dominicis, non verò in aliis feſtis. Alij verò abſolutè negant eſſe mortale, ſecluſo ſcandalo. Sic Sotus *de Iuſt. & iure lib.6. q.2. art.2. concl.5.* & Valent. *2.2. diſp.5.q.20.punct.3.in 5. modo.*

Sed probabiliùs abſolutè Reſpondeo: Eſſe mortale, ſi in prædictis actionibus emendi, & vendendi conſumatur tota dies feſti, etiamſi non ſit Dominicus, aut notabilis eius pars. Quia prædictæ actiones ſunt prohibitæ fieri in feſtis, eo quòd ſint opera ſeruilia: at ſic eſt, quòd exercere opera ſeruilia in feſtis, eſt (iuxta omnes) mortale, ergo. Sic Syluest. *v. Dominica, q.5.concl.2.* & Caiet. *in ſum. verb. feſtorum violatio,* vbi hoc excuſat à mortali, quando modicum tempus conſumitur. Hos citat & ſequitur. Sanchez *lib.5. conſil. cap.25. numero 3.* Qui benè *num.4.* aduertit, quòd vbi fuerit conſuetudo legitima emendi, & vendendi in feſtis, ea ab omni peccato excuſat.

QVÆSTIO VI.

An licitum ſit in diebus feſtis, emere, & vendere panem, vinum, carnes, fructus, & alia neceſſaria ad quotidianum victum?

REſpondeo, Tanquam certum: Eſſe licitum; vel, quia in iure non intelliguntur prohibitæ huiuſmodi res, vt ſentit Caiet. *2.2.q.122. art.4.* quem refert Fagundez *loc.cit.num.8.* vel, ſi fuerunt prohibitæ, iam vſu, & conſuetudine licitæ factæ ſunt. Sic omnes. Caiet. *loc.cit. & in ſumm. v. Feſtos dies.* Angel. *v. Feria, num.13.* Bonac. *loc. cit. num.10. verſ. Nomine Mercatûs,* Trullench, Baſſæus, Fagundez, & Machado *loc. cit.* Iodocus *verb. Feſtorum violatio, num.8. verſ. Domeſticis verò.* Sanch. *to.2. opuſc. lib.5.c.2.dub.25.n.9. & 10.* Llamas *3.p. Method. c.5.§.6.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An licitum ſit Carnificibus, Tabernariis, & ſimilibus; vendere in die feſto, carnes, vinum, &c.

NEgat ex parte Angel. *v. Feria, num.11. & 12.* Quatenus hæc ait: Secunda, (*intellige, quæſtio,*) de carnificibus, qui per notabile tempus occupantur: quia ſi faciunt propter neceſſitatem, quam nec præuenire poſſunt, puta quia æſtas eſt, vel ſunt plura feſta, excuſantur; aliàs, non. Tertia, de tabernariis, qui ſi faciunt propter neceſſitatem, excuſantur: ſecus, ſi ad ebrietatem, ad ludum, & huiuſmodi. Et idem dic de Hoſpitibus. Ita ille. Et etiam Tabiena apud Sanch. *vbi infrà.*

Sed abſolutè tanquam certum, Reſpondeo: licitum eſſe, vel ex neceſſitate ementium, vel ex conſuetudine introducta. Nec intentio ementis, aut vendentis obeſt, vt venditores vini, aut carnis, non vendant, abſque violatione feſti, huiuſmodi res. Sic omnes Doctores citati, præcipuè Trullench *loc. cit. n.2.* & expreſſiùs Nauarrus, contra Angelum, *cap.13. num.6.* Sanchez *dub.25.cit.num.1*e. & Syluester, penes ipſum.

QVÆSTIO VIII.

An licitum ſit in feſto, bona defunctorum, voce præconis, vendere, Hiſpanè. hazer almoneda?

REſpondeo: Eſſe licitum; tam propter conſuetudinem; quàm propter commodum venditoris, qui alio die non poſſet dicta bona vendere ex defectu ementium. Sic Azor *tom.2. lib.1. cap.27.q.10.* Fagundez *lib.1. de 1.præcept.cap.12. & 13.* Sanch. *loc. cit.num.12.* Trullench. *loc.cit.num.2.* Qui idem dicunt, de venditione redditûum beneficiorum, qui de more in die feſto locantur; & de aliis venditionibus, quæ communiter in feſtis fiunt, præſertim in paruis oppidis; quia, aliàs, pauci eſſent emptores, & res viliſſimè venderentur; vt aiunt Suar. *cap.29.cit.n.5.* Filliuc. *tract.27.c.10.n.182.* Villalob. *tom.2. tract.32. diffic.3. num.2.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An etiam ſit licitum, priuatas venditiones, aut emptiones, in feſtis fieri?

REſpondeo: Etiam eſſe licitum; interueniente, vel conſuetudine: vel aliquâ iuſtâ causâ. Et propterea, ſecluſa adhuc conſuetudine, poſſunt fieri in feſto particulares venditiones, ob commodum ruſticorum; qui in die feſto commodiùs ad emendum res, quibus indigent, accedunt. Sic Suarez, Filliuc. Trullench, Azor, & Fagundez *loc. cit.* Sanchez *lib.5, cit.cap.2.dub.25.num.12. & 13.* Palao *loc. cit. punct.6. num. 5.*

QVÆSTIO X.

An licitum ſit in feſtis, locationes, conductiones, & ſimiles contractus celebrare?

NEgant Syluester, *verb. Dominica, q.5. concl.2.* Angel. *ver. Feria, n.20.* & Tabiena, *num.29.*

Sed probabiliùs Reſpondeo: Eſſe licitum. Quia ita habet conſuetudo, vt conſtat, cùm paſſim fiat à timoratis viris, conſumendo totam veſperam feſti in

incu-

incunda venditione domûs, vel hæreditatis, & in conueniendo de pretio; & tamen id à nemine damnatur: ergo. Sic Sanchez, *tom.2. cit. lib.5. c.2. dub.25. numero 17. & dub.29. num.2.* Palaus, *tom.2. tract.9. disp.2. punct.6. num.5.* Trullench, *dub.9. cit. num.2. in fine.*

QVÆSTIO XI.

An licitum sit habentibus veteres vestes, (vulgò Ropauejeros,*) in die festo, eas, etiam apertis ianuis, vèndere?*

RÉspondeo: Esse licitum (& ideo, nec in hoc committi veniale; vt innuit Sanchez *infrà*) dummodo id non faciant, tempore, quo celebratur Missa maior: Quia, consuetudo ex vna parte, & ex altera, necessitas venientium ad emendas dictas vestes, quibus, alijs diebus venire non licet, propter suas occupationes, hanc actionem licitam reddunt. Sic colligo ex Synodo Granatensi, sub Domino Petro Guerrero coacta *anno* 1571. *lib.2. tit.3. de ferijs.* vbi sic dicitur: [Mandamos à los oficiales, que tienẽ tienda de merceria, y zapateros Sastres, Calceteros, que las tiendas no esten abiertas las fiestas, a los menos mientras la Missa mayor.] Sic Synodus: ergo iuxta illam, extra tempus, quo celebratur Missa maior, permissum est vendere in festis, ianuâ apertâ. Legatur Sanchez, *dub.25. cit. num.14. 15.*

QVÆSTIO XII.

An Licitum sit Sutoribus, calceos in festis vendere?

REspondeo: Esse licitum; tam propter consuetudinem receptam, quàm propter paruitatem materiæ, hoc est, propter parum temporis, quod in hoc consumitur. Sic Nauar. *lib.2. consil. tit. de feriis, consil.1. vers. Sutores, & vers. ad Secundum.* Vbi sic ait: Sutores etiam diebus festis resident in suis tabernis, vt calceos vendant tam Rusticis venientibus, quàm & habitantibus Romæ, & dictis diebus plures calcei venduntur, quàm alijs diebus, & si cæteris vendentibus, vnus vellet tabernam claudere, maximum damnum pateretur. Tempus, quod insumitur in præparando vno pare calceorum, dum venduntur calcei, est modicum, &c. *Et infrà.* Respondeo, nõn peccare, saltem mortaliter, huiusmodi Sutores, propter causas in propositione quæstionis tactas, & per ea quæ diximus, *in man. cap.13. num.6.* Sic ille. Et ex illo Rodriguez, *in summ. 1.p. c.121. num.4.* Sanchez, *dub.25. cit. num.14. & 15.* Vbi ait, id esse declaratum in Regno Granatæ per quandam executoriam factam anno 1518. per hæc verba; [Puedan todos los çapateros, y los otros oficiales vender todas las fiestas, con tal que donde tienen dos puertas, la vna estè cerrada, y no vendan mientras en Missa mayor. Porque en tiempo de los Reyes don Fernando, y dõña Isabel, por su mandado se juntaron Iuez es Ecclesiastico, y seglares, y la mayor parte votò, que se podia vender, porque se prouò; ser costumbre de Castilla, y Andaluzia.] Sic ibi.

QVÆSTIO XIII.

An licitum sit in festis, candelas vendere?

REspondeo: Esse licitum: Propter rationes nuper, quæstione præcedenti, assignatas. Sic idem Nauar. *in Man. cap.13. num.8.* per hæc verba. Secundò peccat, qui vendit, aut emit, die festo, multùm temporis in eo consumendo, *cap.1. de ferijs*; non tamen si parum, vt fieri solet in emendis, aut vendendis candelis, & aliis similibus, in quibus de pretio non est conueniendum, quia iam æstimata sunt, aut citò fit, iuxta omnium sententiam. Sic ille. Et ex illo Sanchez, *lib.5. consil. cap.2. dub.25. num.16.* & penès illum, Angel. *verb. Feriæ, num.1*3. Tabiena, 22. Syluest. *verb. Dominica, quæst.5. concl.2.* Qui idem dicunt de emptione, & venditione aliarum rerum similium, in quibus, non est magna occupatio.

QVÆSTIO XIV.

An Licitum sit in festis, adire ad oppida, ad exigenda debita?

REspondeo: Licitum esse, dummodo ista non exigantur in iudicio, hoc enim prohibitum est; sed priuatim: quia hæc actio, nec est seruilis, nec iudicialis: & ideo, nec prohibita in festo. Sic Trullench, *dub.9. cit. num.4.* Azor, *tom.2. lib.1. cap.27. quæst.11.* Sanchez, *lib.5. cit. cap.2. dub.26. num.4.* Addens tamen, id esse verum, nisi aliàs id quod exigendum est, sit triticum, quod mensurandum est, & ad aliumlocum transferendum; quia tunc non licet, nisi ex necessitate, scilicet, quia alia die, rustici inueniri nequeunt absque incommoditate.

QVÆSTIO XV.

Quid nomine Placiti, *quod est prohibitum in festis, intelligatur?*

REspondeo: Quòd intelligitur, lis, aut causa fori, quæ agitur in iudicio; seu ipsum iudicium ciuile; seu quæcumque pertinent intrinsecè ad acta iudicij; vt citatio partis, formatio processûs, cognitio causæ, & prolatio sententiæ. Vnde prohiberi à iure in die festo, *Placitum*, nil aliud est, quàm prohiberi strepitum iudicialem. Sic Suarez, *tom.1. de Relig. lib.2. cap.29. à num.6.* Bonac. *disp.5. in 3. precept. Decalogi, punct.2. num.10. vers. Nomine Placiti.* Palao, *tom.2. tract.9. disp.2. punct.6. num.6.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.9. num.3.* Sanchez, *tom.2. opusc. lib.5. cap.2. dub.27.* Fagundez, *lib.1. cit. c.13.* & alij.

QVÆSTIO XVI.

An citatio facta in festo, seclusa necessitate, non solùm sit illicita, verum etiam inualida?

NEgat Cynus, apud Panormitanum, *cap. vlt. de ferijs, num.19.* existimans, talem citationem, licet illicitam; esse tamen validam.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Et illicitam, & inualidam esse. Quia citatio pertinet intrinsecè ad iudicialem strepitum, qui totus prohibitus, & irritatus est, vt constat ex vltimo *cap. de ferijs*, vbi expressè habetur, quòd, nec processus habitus in die festo, nec sententia teneat. Sic omnes Doctores communiter, Panormitan. Bartol. & alij Canonistæ, *in cap. vltim. de feriis.* Suarez, *lib.2. cit. cap.30. num.5.* Bonac. *loc. cit. num.14.* Azor, *tom.2. lib.1. cap.27. quæst.15.* Fagundez, *lib.1. cit. cap.13. num.1. & 11.* Palao, *tom.2. tract.9. disput.2. punct.7. num.1.* Trullench, *lib 3. in Decalog. cap.1. dub.9. num.11.* Filliuc. *tract.27. c.10. num.191.* & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An etiam, sit illicita, & inualida citatio facta in die profesto, pro die festo?

RESpondeo: Etiam esse illicitam, & inualidam. Quia illa citatio continet præceptum iniquum, & iniustum. Quia pars non potest vocari ad respondendum in die festo, vt constat, *ex cap. vltim. de ferijs*: ergo apertè est inualida, & nulla. Sic communiter omnes Doctores, docentes absolutè, esse illicitum, & inualidum, decretum Iudicis citantis partem, factum in die non festo, si fiat vt pars compareat in die festo. Sic Suarez, *loc. cit. num.*3. Sanchez, *tom.*2. *lib.*5. *cap.*2. *dub.*27. *num.*8. & 10. Palaus, *loc. cit. num.*2. Bonacin. Trullench, & alij, tam Theologi, quàm Canonistæ.

QVÆSTIO XVIII.

An Saltem, citatio illa facta pro die festo, obligabit partem ad comparendum die proximo sequenti diem festum?

AFfirmant Innocent. Anton. & alij Canonistæ, apud Suarez. Quia (inquiunt) in citatione dicta, duo continentur; vnum, comparendi, & aliud, tali die (nempe, festo) comparendi: at sic est, quòd potest impleri primum, vtpotè iustum; ergo ad illud tenetur: ergo ad comparendum, die proximo sequenti festum.

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Non obligari, nec teneri vi citationis factæ pro die festo comparendi; ad comparendum in die non festo proximo diei festo. Quia decretum comparendi in die festo, fuit irritum, & nullum, vt nuper est habitum: ergo nullam potest inducere obligationem. Sic Abbas, *in cap. vltim. de ferijs.* Cynus, Calderinus, & alij, penes ipsum; Suarez, *lib.*2. *cit. cap.*30. *num.*3. Bonacina, *loc. cit. num.*15. Azor, *cap.*27. *cit. quæst.*16. Fagundez, *loc. cit. cap.*13. *cit.* Trullench, *num.*11. *cit.* & alij.

QVÆSTIO XIX.

An ad minus, valida sit citatio, si non fiat directè, & formaliter, pro die festo, v. g. pro Dominica; sed pro tali die mensis, in quem fortè incidit dies festus?

AFfirmant, tunc esse validam; & sic teneri reum ad comparendum alio die proximè sequenti festum, Innoc. & Anton. quos in hoc casu sequuntur Suarez, & Fagundez *loc. cit.* & vt probabile defendunt Filliuc. *num.*191. *cit.* Bassæus, *verb. Festum*, 2. *num.* 19.

Sed probabiliùs Respondeo: Nec esse validam dictam citationem, neque vi illius, teneri reum ad comparendum. Quia talis citatio, licèt non ex intentione Iudicis, re vera fuit facta ad diem festum: ergo fuit nulla omninò, ex vi *cap. vltimi de ferijs*: ergo pro nullo tempore inducere potest obligationem. Sic Abbas, Cynus, & Azorius, quos citat, & sequitur Bonac. *disp.*5. *cit. punct.*2. *n.*16. Trullench. *n.*11. *citato.*

QVÆSTIO XX.

An mandatum factum, ad hoc, vt reus compareat intra octo dies, sit validum, si intra illos octo dies, vnus, vel plures dies festi incidant, aut medient?

REspondeo: Esse validum; & consequenter, teneri reum ad comparendum, intra terminum præfixum. Quia sufficiens tempus datur reo ad comparendum, nec obligatur à Iudice, vt compareat die festo, sed tempore habili, quod intra illos octo dies assignatos, intercedit, relicta reo libertate comparendi die habili, quo voluerit. Sic Suarez, *loc. cit. n.*4. Bonac. *n.*17. Palaus *loc. cit. n.*13. Sanchez, *lib.*5. *cit. c.*2. *dub.*27. *n.*9. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*9. *n.*11. & communis.

QVÆSTIO XXI.

An etiam sit validum mandatum citationis factum, vt reus intra octo dies compareat, si octauus dies sit festus?

REspondeo: Etiam esse validum; & consequenter, teneri reum ad comparendum vel ante vltimum diem festum, vt vult Palao *loc. cit. n.*3. Vel saltem, die immediatè non feriato sequenti, octauum diem festum: vt admittit etiam Suarez *num.*4. ibi: *Ergo multò magis erit licita, & valida in priori sensu, implendi, videlicet, illam proximè post diem festum designatum pro termino.* Sic ille. Et penes ipsum, Ioann. Andr. Abbas, & alij Canonistæ. Trullench, *loc. cit. num* 11. *in fine.* Fagundez *loc. cit. num.*3. & 6. Filliuc. *tract.*17. *num.*191. Sanchez, *num.*9. *citato*, & alij.

QVÆSTIO XXII.

An reus citatus in die festo, possit iterum in die profesto, aut non feriato, citari; & teneatur ex vi huius vltima citationis, & ad comparendum?

REspondeo: Posse iterum citari in die profesto; vel nouo mandato, aut decreto Iudicis, dato in die non feriato, & pro die non feriato: vel virtute prioris decreti citantis; si datum fuit in die profesto, & pro die profesto; quia hoc decretum non exspirauit, ex eo quòd intimatum fuerit in die festo: & ideo potest iterum virtute illius citari reus, & tenebitur ad comparendum. Sic Suarez, *cap.*30. *cit. n.*6. Fagundez *loc. cit. num.*12. Castro Palao, *loc. cit. num.*1. Trullench, *cap.*9. *cit. n.*12. & Bonac. *punct.*2. *cit. n.*18.

QVÆSTIO XXIII.

An reus validè citari possit, dum existit in loco, vbi dies festus non seruatur; si vbi est iudex, celebretur?

REspondeo: Posse validè citari; modò præceptum citationis datum fuerit in die habili, aut non festiuo. Quia hac citatione non violatur vllo modo dies festus, vt constat. Sic Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*29. (non 9. vt inuenies apud Trullench.) *num.*7. Bonac. *disp.*5. *de* 3. *præcept. Decalog. punct.*2. *num.*19. *vers. Octauò*, Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*9. *num.*13. Fagundez, *lib.*1. *de primo Eccles. præcept. cap.*13. *num.*9. & 10.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam citari validè possit reus, existens in loco, vbi festus dies seruatur, si in loco iudicis, non seruetur?

AFfirmare, etiam videtur Suarez, *loc. citat.* ibi: *Non verò tenetur indulgere partibus, vt suorum locorum feriis, seu festiuitatibus vtantur, quia hæc esset nimia iudiciorum dilatio.* & Fagundez, *loc. citat. num. 9.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non posse validè citari. Quia citatio est prohibita, & nulla, si fiat io die festo: sed ibi, vbi fit citatio, est dies festus: ergo. Sic Castro Palao, *tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 7. num. 4.* Bonac. *loc. cit. vers. Nona difficultas,* & Trullench, *loc. cit. num. 13. in fine.*

QVÆSTIO XXV.

An possint testes recipi, & examinari in die festo, si in ipso die festo ab ipsis exigatur iuramentum?

REspondeo, tanquam certum: Nec posse licitè, nec validè. *Tum,* quia in festo, non potest exigi iuridicum iuramentum, vt cauetur *c. 1. de feriis. Tum etiam,* quia examen testium est actus iodicialis prohibitus, etiam in festis, *eod. cap.* ergo, Sic Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 7.* (non 13. vt offendes apud Trullench, & Bonacinam) Azor, *tom. 2. lib. 1. cap. 17. quæst. 14.* Fagundez, *lib. 1. cit. cap. 13. numero 13.* Bonacin. *disput. 5. cit. punct. 2. num. 20.* Reginald. *lib. 19. num. 45.* Filliuc. *tract. 27. cap. 10. q. 7. num. 193.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 9. num. 14.* & alij.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem, possint testes examinari in die festo, si in die non festo iurent de veritate dicenda?

AFfirmant Glossa *in clem. vnica de offic. deleg. verb. Iudices;* Speculator, Ioan. Andr. & alij, penes Panormitanum *in c. 1. de feriis,* Matanta, *de ordine iudicior. quæst. 6. tit. Actorum editio, n. 40.* Azor, *tom. 2. lib. 1. c. 27. q. 14.* Sayrus, *lib. 7. Clauis Regia c. 2. num. vlt.* Villalob. *tom. 2. tract. 32. diffic. 3. num. 1.* & alij. Ratio eorum est. Quia io hoc casu, examen testium retrotrahitur ad diem iuramenti, quod præcessit in die non festo. Panormitanus verò, existimat, illum actum esse validum, ob rationem hanc, illicitum tamen, quia distrahit à diuinis.

Sed probabiliùs, Respondeo: Nec licitè, nec validè examinari posse: nisi aliàs adsit consuetudo in cōtrarium recepta, & approbata. Ratio est. Quia, secluso iuramento, ipsamet interrogatio, examinatio, & responsio testium, omnino pertinet ad strepitum iudicialem prohibitum in die festo, imo & irritatum per *cap. vlt. de feriis, & per l. vt in die, C. de feriis:* ergo, nec licitè, oec validè, testes io festo, adhuc præhabito iuramento in die non festo, examinari possunt; nisi aliàs, vt diximus, adsit cōsuetudo legitima in contrarium, quæ Valentiæ, teste Trullench, & in aliis locis, recepta est: quia tunc certum est, posse validè, & licitè supradicta fieri. Sic Suarez, *c. 30. cit. n. 7.* (non 5. vt offendes apud Trullench) Reginald. *lib. 19. n. 45.* Fagundez, *cap. 13. cit. n. 16.* Filliuc. *tr. 27 n. 149.* Palao, *tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 7. n. 6.* Trullench, *dub. 9. cit. n. 14.* Bonac. *loc. cit. n. 21.* & alij.

QVÆSTIO XXVII.

An interpositio iuramenti, sit licita, aut saltem valida, in die festo?

REspoodeo, tanquam certum: Nec licitam, nec validam esse; nisi in certis casibus de quibus statim. Quia sic habetur in iure. *cap. 1. de feriis,* vt suprà est habitum. Et docent omnes, tam Canonistæ, in dicto *cap.* quàm Theologi. Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 30. n. 7. & 17.* Bonac. *disp. 5. cit. punct. 2. n. 10. vers. Nomine Sacramenti.* Fagundez, *lib. 1. cit. cap. 13. n. 13. & 18.* Sanchez, *tom. 2. consil. lib. 5. c. 2. dub. 30.* Palao, *punct. 7. cit. n. 5.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 9. num. 6.* & omoes.

QVÆSTIO XXVIII.

An etiam, iuramentum extraiudiciale, sit prohibitum in festo?

AFfirmat Abbas, *in cap. 1. de feriis, num. 8. & cap. vltimo, num. 18.* existimans, omne iuramentum, etiam extra iudicium, esse prohibitum io die festo, per dicta *cap. 1. & vltimum de feriis.*

Negat verò, è contra, Caiet. *2. 2. q. 122. art. 4.* putans, *in dictis cap. cit.* solùm prohiberi iuramentum iudiciale, non verò extraiudiciale; Nam aliàs, omne iuramentum, alioqui licitum ex obiecto, fine, & aliis circumstaotiis ex eo solùm quòd in festo fieret, esset speciale peccatum; quòd videtur absurdum, & contra omnem vsum, & sensum Ecclesiæ. Huic sententiæ adhærent Bonac. *loc. cit.* Sanchez, *dub. 30. num. 1.* & alij peoes ipsum.

Sed probabiliùs, sub distinctione, Respondeo. Nec omnia iuramenta, quomodocumque extra iudicium facta, esse prohibita io iure per *cap. cit.* Vt optimè probat ratio facta pro Caietano: Nec sola iuramenta solemnia iudicialia, aut quæ in iudicio præstantur; nam prætet hæc prohibentur etiam iuramenta, quibus pacta, & conuenta, atque contractus, qui inter homines fieri solent, firmantur, & præsertim illa, quæ fieri in festo prohibētur, sub oomine *Mercatus.* Quia hæc iuramenta etiam intelliguntur prohibita per dicta capita iuris. Sic Suarez *loc. cit. num. 17.* Palao, *punct. 8. num. 7.* Filliuc. *tract. 27. num. 201. & 202.* Trullench *loc. cit. num. 15.* Legantur Diana *1. p. tract. 1. Miscell. Resol. 34.*

QVÆSTIO XXIX.

An licitum sit iuramentum factum in die festo, pro causis spiritualibus?

AFfirmat Caiet. 2. 2. *quæst. 122. art. 4.* docens, non solùm validum, verùm, & licitum esse iuramentum factum in festo, in causis spiritualibus; vt sunt causæ matrimoniales; non verò factum in causis temporalibus: quia de his solis intelligitur prohibitio iuramenti facta io dicto *cap. 1. de feriis.* Caietanum sequitur Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 2. dub. 30. numero 2.* qui pro se etiam citat D. Thomam, & Sotum.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse licitum. Quia probabilius est, prohibitionem iuramenti factam in dicto *c. 1.* esse generalem, & extendi ad omnia iudicia, & ad omnes causas forenses, tam temporales, quàm spirituales: quia verba textûs sunt generalia, nec limitatio Caietani habet in eo fundamentum, vt benè Suarez *cap. 30. cit. n. 8.* Fagundez, *cap. 13. cit. n. 18. 25. & 39.* Bonac. *punct. 2. cit. num. 21. vers.*

Amplia. Reginald. *lib.* 19. *numer.* 45. Palao, *punct.* 7. *numero* 7. *&* 9. Trullench, *cap.* 1. *cit. dub.* 9. *num.* 14. licèt contrarium videatur dicere *numero* 6. antecedenti.

QVÆSTIO XXX.

An sit licitum iuramentum in festo, factum pro pace, fide, obedientia, pietate, aut fama; aut denique necessitate vrgente?

RESpondeo, tanquam certum; Esse licitum. Ideoque, extante qualibet, ex prærecensitis, causâ, validè, & licitè potest Iudex exigere in festo iuramentum, & testes recipere, &c. Quia hæ limitationes adiunguntur prohibitioni factæ in dicto *cap.* 1. *& vltim. de ferijs.* De quibus nos in expositione nostræ Regulæ. *cap.* 26. *fol.* 44. *pag.* 2. *litt. C. & D.* egimus. Sic omnes Doctores. Legantur Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 30. *à num.* 17. *vsque ad* 20. Vbi optimè explicat, quid sub nomine pacis, pietatis, aut necessitatis, veniat; & alij Authores citati.

QVÆSTIO XXXI.

An Sententia criminalis data in festo, non solùm sit illicita, sed etiam inualida?

RESpondeo tanquam certum: Esse illicitam, & inualidam ipso iure; vt constat ex *cap. vlt. de ferijs.* ibi: *Nec processus habitus teneat, nec sententia.* Et hæc est vna ex actionibus quæ sub nomine *Iudicij ciuilis, aut criminalis*, in iure prohibetur, vt habitum est suprà *quæst.* 1. Sic omnes. Authores. Suarez, *cap.* 30. *cit. à num.* 9. Fagundez, *cap.* 13. *cit. num.* 22. Trullench, *dub.* 9. *cit. n.* 3. *&* 5. Bonac. *punct.* 2. *cit. num.* 10. *in fine, & n.* 12. & Sanchez, *cap.* 2. *cit. dub.* 27. & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An Saltem, vrgente necessitate non solùm validè verùm & licitè, possit dari sententia criminalis, in die festo?

RESpondeo, Posse. *Primò.* Quia vrgente necessitate, licitum est iuramentum iudiciale, vt suprà *quæst.* 30. *est habitum*: ergo etiam erit sententia, aut iudicium criminale. *Secundò.* Quia lex vetans sententiam in festo, non præsumitur obligare cum graui incommodo, aut cum damno graui Reipublicæ: ergo si aliàs hoc sequeretur, licitè potest Iudex ferre sententiam criminalem. Sic Bonac. *loc. cit. numero* 10. per hæc verba: Nomine *Iudicij criminalis*, intelligitur sententia mortis, aut alia quæuis corporalis pœna, quam iura in die festo *cap.* 1. *citat.* vetant: præcisâ tamen necessitate, qualis contingit, quando expedit captum, ob sceleris notorij grauitatem, statim absque processu damnari; aut quando periculum timetur impediendæ iustitiæ, si reus captus vlterius detineatur; aut ita postulat conditio belli, &c. Sic ille. Et Trullench, ex illo, *loc. cit. num.* 5. Suarez, *cap.* 30. *cit. num* 8. *in fine.* Fagundez, *cap.* 13. *cit. num.* 28. & antea, *cap.* 12. *num.* 12. & penes illum, Nauarr. *cap.* 13. *num.* 13. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 5. Maranta 6. *part. ordin. indic. vbi de Actorum edit. num.* 38. & 41. Bartol. & Baldus *C. de ferijs*, & alij.

QVÆSTIO XXXIII.

An Sententia criminalis lata in die non festo, possit executioni mandari in die festo?

AFfirmant Abbas *in cap. vlt. de ferijs*, *& in c. vlt. de iud, num.* 22. & Tabiena *v. Feria, num.* 2. Fundamentum eorum est. Quia *in cap. vlt. de ferijs*, solùm prohibentur in festo fieri strepitus iudiciales, & actus forenses: at sic est, quòd executio sententiæ, non est actus iudicialis, sed extraiudicialis: ergo non est prohibita in festis.

Sed probabiliùs Respondeo: Non posse. Quia probabilius est, quòd etiam executio sententiæ prohibeatur in die festo, in dicto *cap. vlt. de Iud. & cap.* 1. *de feriis*, vt tandem fatetur ipse Abbas *in d. cap.* 1. ergo nequit licitè executioni mandari. *Confirmatur.* Quia executio sententiæ, verè continetur sub strepitu contentiosi Iudicij, vt apertè significatur *in l. Vt in die C. de feriis.* patet; nam strepitus iudicialis, *ex cap. vlt. de feriis*, est ille, in quo iurgia, quæstiones, ac perturbationes excitantur: sed sic est, quòd in executione sententiæ, maior est perturbatio partium, & populi; & maiora iurgia excitantur (vt experientia docet) quam in prolatione sententiæ, quæ tamen prohibetur in festo, ac irritatur, per dicta iura: ergo. Sic Felinus, *in cap. vlt. de ind. num.* 13. Quem citat, & sequitur Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 30. *n.* 11. Fagundez *lib.* 1. *de* 1. *Eccles. precept. c.* 13. *n.* 23. Bonacin. *punct.* 2. *cit. n.* 12. Palao *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *punct.* 8. *n.* 12. Trullench, *cap.* 1. *cit. dub.* 9. *n.* 17. & alij. Qui bene limitant, nisi aliàs, executio sententiæ vrgeat, iuxta dicta, *q.* 32.

QVÆSTIO XXXIV.

An Confessio Rei cuiusque, non solùm validè, sed & licitè, possit recipi in die festo?

AFfirmant Baldus, & Innocent. Quos citat, & sequitur Maranta 6. *part. ord. Iud. tit. Actorum editio, num.* 44.

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Nec licitè, nec validè posse recipi; nisi in causis fidei, aut nisi vrgeat necessitas statim reum puniendi, &c. iuxta suprà dicta. Quia expressè *in c.* 1. *de feriis*, cauetur, quòd in festis, *Nec placitum fiat, nec ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta*, (id est iuramenta) *præstentur.* Sic Fagundez *c.* 13. *cit. n.* 28. Quamuis in summario, ex inaduertentia, oppositum scripserit.

QVÆSTIO XXXV.

An non solùm sententia criminalis, sed etiam alia qualibet ciuilis, sit prohibita in festo?

REspondeo: Etiam prohiberi, dummodò talis sententia requirat strepitum iudicialem. Quia, cùm strepitus iudicialis sit prohibitus in die festo; ita etiam sententia, quæ talem strepitum requirit. Sic Bonac. *disp.* 5. *de* 3. *prac. Decalog. punct.* 2. *n.* 12. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 9. *n.* 4. *&* 9.

QVÆSTIO XXXVI.

An Inquisitores fidei possint validè, & licitè, ferre sententiam contra hæreticos, in die festo?

REspondeo, Tanquam certum: Posse. *Primò.* quia id vsus comprobat. *Secundò*, quia hæc sententia, aut iudicium pertinet ad Religionem, & pietatem.

Digitized by Google

tatem, qua interueniente, exerceri potest in diebus festis, iuxta illud, *cap. vltim. de ferijs*; *Nisi necessitas vrgeat; aut pietas suadeat. Tertiò*, quia causæ fidei, hoc, & aliis priuilegiis fruuntur, & quia hoc iudicium diebus festis fieri solet, vt maior fiat populi concursus, quod iudicatur valde necessarium, ad maiorem instructionem, & terrorem illius. Sic omninò Fagundez *lib. 1. de 2. Eccles. præcept. cap. 13. num. 28.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 19.* (non 9. vt offendes apud Fagundez) Tabiena *v. Feriæ, num. 2.* Trullench, *cap. 1. cit. dub. 9. num. 5. & 6.* Sanchez, *tom. 2. consil. p. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 30. n. 3.*

QVÆSTIO XXXVII.

An sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, lata in die festo, sit valida, & licita?

NEgat Anton. Butrius, *in cap. vlt. de ferijs.* ex eo quòd *in l. vlt. C. de ferijs*, dicatur. Quòd omnis vox Iudicis sileat in die festo: sed excommunicatio, suspensio &c. est vox iudicis, actus, & præceptum illius: ergo; Citat etiam Bonac. pro hac parte Toletum *lib. 4. cap. 24. n. 13.* sed male: Quia illud caput non habet, nisi vndecim numeros, nec in aliquo illorum, de hac quæstione agit.

Sed absolute Respondeo: Validam, & licitam esse. Quia excommunicare, vel suspendere &c. non tam est procedere, aut iudicare, quàm legem ferre, & præceptum imponere. Ex quo constat ad fundamentum Antonij. Intelligenda namque est illa lex, de voce pertinente ad strepitum iudicij; & ad processum iudicialem; cùm ergo excommunicatio, vel suspensio, non sit processus iudicialis, hinc est, quòd non sit prohibita. Et idem à fortiori dicendum est, de absolutione excommunicationis, vel suspensionis, &c. non esse, videlicet in festo prohibitam; cùm eadem sit vtriusque ratio, & aliunde est fauorabilior, cùm sit spirituale bonum, & per eam subueniatur periculò animæ. Sic Caiet. 2. 2. *q. 122. art. 4.* Federicus, & Abbas, quos refert, & sequitur Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 9.* Maranta, & Speculator, quos citat, & sequitur Fagundez *lib. 1. cit. cap. 13. n. 22.* Azor *tom. 2. c. 27. q. 13.* Palao *tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 7. num. 11.* Bonac. *loc. cit. num. 12.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. c. 2. dub. 27. n. 5. & 6.* Villalob. *tom. 2. tract. 32. diffic. 3. n. 4.* & alij. Qui idem dicunt dicendum, de dispensatione, concessione priuilegij, collatione, & prouisione beneficiorum, & de aliis actibus voluntariæ iurisdictionis, qui sine strepitu iudiciali fiunt. De quo statim.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Iudex licitè possit in festis, exercere actus Iurisdictionis voluntariæ?

NEgat Abbas *in cap. vltim. de feriis*, docens, quòd quamuis actus Iurisdictionis voluntariæ, facti in die festo, sint validi; non tamen liciti, si absque necessitate speciali fiant. Huic sententiæ videtur adhærere Sanchez, *tom. 2. consil. cap. 2. dub. 27. num. 2.* citátque pro illa, vltra Abbatem, Syluestrum, & Angelum.

Sed, tanquam fere certum, Respondeo: Non solùm validè, sed etiam licitè posse Iudicem in festo exercere actus Iurisdictionis, etiam voluntariæ; vt v. g. dispensare; indulgentias, & priuilegia concedere; prouidere beneficia; adoptare; libertatem seruis concedere; tutores pupillorum constituere; testamenta conficere, & huiusmodi. Quia vt constat *ex cap. vlt. de ferijs*, solùm prohibentur in festis, iudicialis strepitus, & quæ ad illum pertinent: sed sic est, quòd ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, non fiunt cum strepitu iudiciali, vt constat: ergo. Addo quod *in l. C. de ferijs*, apertè conceditur in festis, emancipare, manumittere & alia, quæ causæ cognitionem non requirunt: ergo. Sic Suar. *loc. cit. n. 10.* & penes ipsum, Hostiens. Ioan. Andreas, & Speculator. Syluester, & Maranta, quos citat & sequitur Fagund. *lib. 1. de præc. Eccles. c. 12. n. 14.* Villalob. *loc. cit.* Azor, *tom. 2. c. 27. q. 12.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 9. n. 3. & 4.* Bonac. *disp. 5. cit. punct. 2. n. 12.* & alij.

QVÆSTIO XXXIX.

An actus extraiudiciales, sint prohibiti, in festis?

AFfirmare videtur Tolet. *lib. 4. summ. c. 24. n. 10.* vbi sic ait: Nec licet Notariis scribere: nec ipsis transcribere scriptoribus. In quo maximè apparet Notariorum peccatum, qui seruant pro festis implere chartas, quas reliquis diebus in breui notarunt. Ita Toletus. Tunc ego: sed sic est, quòd iste actus est extraiudicialis: ergo.

Sed, tanquam certum ferè, Respondeo: Non esse prohibitos; ideoque, & validos esse, ex vi iuris. Ratio est. Quia in iure, solùm prohibetur strepitus Iudicialis, & formatio processûs vsque ad sententiam: at sic est, quòd actus extraiudiciales fiunt sine strepitu iudiciali: ergo non sunt prohibiti. Sic Suar. *loc. cit. n. 11.* & penes ipsum, Abbas, Ioan. Andr. Hostiens. & Speculator. Bonac. etiam *n. 12. cit. vers. Hinc patet.* Ita dicens: Hinc patet à fortiori, actus extraiudiciales non esse vetitos in die festo, præcisâ aliâ circumstantiâ, nam sine iudiciali strepitu fiunt. Ita communiter Doctores. Ob id à mortali excusari posse videntur Notarij, & Officiales Curiæ, qui domi priuatim transcribunt: nam isti actus non dicuntur fieri cum strepitu iudicij. Sic ille. Et ex illo Trullench *loc. cit. n. 4.* Saytus *lib. 7. cap. 2. n. 15.* & alij.

QVÆSTIO XL.

An visitare Ecclesias, aut Clericos, in die festo, sit licitum?

REspondeo, Esse licitum; dummodò fiat, modo religioso, & absque strepitu Iudiciali. Quia sic praxis, & vsus. Ita Caietanus 2. 2. *q. 122. art. 4. versu. Ad primum horum.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 27. num. 3.* & penes illum, alij Doct. Iuniores.

QVÆSTIO XLI.

An sententia Iudicis arbitri, lata in die festo, sit licita, aut saltem valida?

REspondeo, Tanquam certum: Nec licitam, nec validam esse. Quia iudex arbiter (qui est ille, qui de partium consensu eligitur in iudicem, vt seruato ordine iuris, & facto processu, ferat sententiam) æquiparatur iudici ordinario; & sic, quoad sententiam, & processum, tenetur seruare iuris ordinem: at sic est, quòd sententia Iudicis ordinarij, lata in die festo, est illicita, & inualida, (vt suprà *quæst. 31. & 35.* est habitum:) ergo etiam erit talis sententia iudicis arbitri. Sic habetur expressè *in l. omnes dies, C. de ferijs*, & tenent omnes Doctores. Abbas *in cap. vlt.*

Digitized by Google

*de feriis, num.*10. Tabienà, *v. Feria, n.*2. Suarez *c.*30. *cit. n.*15. Fagundez *lib.*1.*cit. cap.*13.*num.*26. Sanchez *tom.*2. *conſil. lib.*5. *cap.*2. *dub.*27. *num.*7. Palao *tom.*2. *tract.*9. *punct.*9. *num.*16. Trullench *dub.*9. *cit. n.*9. & Filliuc. *tract.*27.*n.*200.

QVÆSTIO XLII.

An ſaltem, ſententia Iudicis Arbitratoris lata in feſto, ſit valida, & licita?

RESpondeo tanquàm certum: Et eſſe validam, & licitam. Quia hic iudex, non procedit ordine iudiciario: ergo optimè poteſt ſuum munus exercere, & ſententiam ferre in die feſto. Antecedens probatur: Quia Iudex arbitrator, eſt ſolùm amicabilis compoſitor, compromiſſor, & mediator ac fœderator pacis: fœdera autem, aut compoſitiones, aut ſimilia pacta non ſunt in feſto prohibita; cùm ſint opera charitatis, & miſericordiæ: ergo. Sic Abbas, Suarez, Tabiena, Fagundez, Sanchez, Palao, & alij, *loc. cit.*

QVÆSTIO XLIII.

An liceat Aduocato, & Procuratori, informare Iudicem ſuper lites, verbo, vel ſcripto, in diebus feſtis?

NEgant, caſu, quo id principaliter ob lucrum faciant. Sylueſt. *verb. Dominica, q.*5. *dicto* 3. & Margarita *præcepto* 3. *fol.*72. Secus ſi ob pietatem.

Sed longè multò probabiliùs, Reſpondeo: Licere, etiamſi ob pretium informent. Quia hic actus, nec eſt iudicialis, nec ſeruilis: ergo nullo iure eſt prohibitus. Antecedens conſtat; quia imprimis, non eſt actus iudicialis, cùm nullo ſtrepitu Iudicij fiat: nec eſt ſeruilis, cùm ſcribere, non ſit actio ſeruilis (vt ſuprà *q.*4. *q.*9. eſt habitum;) ergo. Sic Caiet. 2.2.*quæſt.*122.*artic.*4. Suarez *cap.*30.*cit. num.*15. Fagundez *cap.*13.*cit. n.*25. Sanchez *cap.*2.*cit. dub.*28. & penes ipſum, Nauar. *in Man. cap.*13. *num.*12. Sotus, Toletus, & Lopez. Sic etiam, Trullench *dub.*9. *cit. num.*4. Filliuc. *tract.*27. *num.*200. & alij. Et certè id patet ex vſu, nam, vt notat Caiet. *loc. cit.* & ego expertus ſum, in Curia Romana ſemper informant iudex in Dominicis, & alijs feſtis, quando ſequenti die proponenda eſt cauſa in Rota.

QVÆSTIO XLIV.

An validè poſſit appellari in die feſto?

NEgatiuam ſententiam non leuiter probat Suarez *lib.*2. *cit. cap.*30. *num.*12. Quia, quamuis ipſe ſolùm intendat probare, non eſſe licitum, appellationem proponere in feſtis; nihilominus tamen argumenta illius non ſolùm probant talem appellationem eſſe illicitam, ſed etiam inualidam. Patet. Nam id probat, quia appellatio (de qua loquimur) eſt actus iudicialis, & pars proceſſus: tunc ego: ſed actus iudicialis, non ſolùm eſt illicitus, ſed etiam inualidus, & irritus, ſi in feſto fiat, vt conſtat *ex c.*1. *& vltimo de ferijs*, & ex dictis ſuprà: ergo.

Sed, nihilominus tamen, Reſpondeo: Validè poſſe appellari in feſto. Quia, & id concedit *l.*1. *C. de ferijs*, vt bene probat Fagundez, & nullo alio iure prohibetur, aut irritatur: ergo valida erit in feſto appellatio. Vnde ad fundamentum Suarij, dicendum eſt, *Primò*, appellationem, non eſſe propriè actum iudicialem, ſed extraiudicialem, & interlocutoriam quandam declinationem à iudicio; & quamuis ſit pars proceſſus, non tamen prohibetur, nec irritatur in iure, ſicut prohibetur, & irritatur proceſſus; quia eſt defenſio, iure naturali, conceſſa; & ideò validè fieri poteſt in feſtis. *Secundò*, dato, quòd appellatio ſit actus iudicialis, non ſequitur inde, quòd ſit prohibita in feſto, vt conſtabit ex dicendis quæſtione ſequenti. Sic communiter DD. præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XLV.

An non ſolùm validè, ſed, & licitè, poſſit fieri appellatio in feſto?

NEgatiuam partem amplecti Suarium *loc. cit.* & Reginaldum, *lib.*19. *num.*45. *verſ. Quinta quæſtio*, affirmat Bonac. *loc. cit. num.*1, & meritò. Id enim probat. *Primò*. Ratione facta pro prima ſententia, quæſtione antecedenti, relata. *Secundò*. Quia, ſicut non eſt licita proſecutio appellationis, vt infrà; ita neque licita erit appellatio. *Tertiò*. Quia ex nullo iure colligitur licitam eſſe appellationem in feſto. Hæc Suarez. Fagundez verò, è contrà, *lib.*1. *cit. c.*13. *num.*24. affirmat, Suarium in contrariam ſententiam inclinaſſe: ait enim ſic. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *cap.*30. *num.*12. & 13. dubitat, & tandem in hanc inclinat, conſulit tamen ne in die feſto fiat. Sic enim ait prædicto *num.*15. *in fine*: *Licèt non audeam id damnare, nec videatur culpa grauis, quia ſine magno ſtrepitu fieri poteſt, & eſt res fauorabilis, tamen conſulerem, vt in die feſto non fiat, quoties commodè poſſit fieri extra illum.* Hæc ille. Quibus verbis apertè hanc ſententiam (affirmatiuam, videlicet) probat. Hucuſque Fagundez. Et certè, ſi verba relata eſſent Suarij, apertè conuinceret Fagundez, illum eſſe pro parte affirmatiua; vt conſtat ex illis verbis: *Tamen conſulerem vt in die feſto non fiat, quoties commodè poſſit fieri extra illum.* Sed hæc, non ſunt verba Suarij; ſed ſequentia; *Quare licèt non audeam id damnare; nec videatur exceſſus grauis, quia ſine magno ſtrepitu fieri poteſt, & res eſt fauorabilis, nihilominus conſulerem, vt in die profeſto fiat,* (non, *non fiat*, vt tranſcripſit malè Fagundez) *quoties commodè poſſit*: Ex quibus verbis conſtat Suarium in ſententiam negatiuam inclinare: & ad minus, ſenſiſſe eſſe aliquem exceſſum, ſeu culpam, appellare in feſto, ſi alio die commodè poſſit.

Sed ego probabiliùs Reſpondeo: Non ſolùm validè, ſed & licitè, poſſe fieri appellationem in feſto. *Primò*. Quia ſic habet conſuetudo: quod ſufficit. *Secundò*. Quia iure naturali, cuilibet competit ius tuendi ſe ipſum, quolibet die: ſed appellatio eſt inſtituta ad ſui defenſionem: ergo. *Tertiò*. Quia appellatio fit ſine magno ſtrepitu: ergo, etiamſi, aliàs, ad actus iudiciales pertineat, illiè permitti poteſt, vt fit. Ex quibus iam conſtat ad rationes pro parte negatiua adductas. Ad 1. ex quæſtione præcedenti. Ad 2. conſtabit ex mox dicendis. Ad 3. verò dicendum eſt, quòd colligitur ex iure naturali, & ex iure conſuetudinis. Sic docent Caiet. 2. 2. q. 122. *artic.*4. Vbi apertè ait, quòd actus appellandi, eſt licitus omni tempore. Tabienà *verb. Feria*, *num.*2. Fagundez, *num.*24. *cit.* & penes ipſum; Bartol. Bald. Filin. Abbas, Cardin. Maranta, Bonac. *punct.*2. *cit. num.*13. Filliuc. *tract.*27. *num.*198. Qui pro hac parte citat Suarium. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*9. *num.*10. Palao *tom.*2. *tract.*9. *diſp.*2. *punct.*7. *num.*13. & 14. Sanch. *tom.*2. *conſil. lib.*5. *cap.*2. *dub.*27. *num.*4. Baſſæus *v. Feſtum*, 2. *num.*18. Villalob. *tom.*2. *tract.*32. *diffic.*3. *num.*4.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLVI.

An etiam, sit licita, prosecutio appellationis in Festo?

AFfirmatiua pars probari potest ex dictis: Quia, si Appellatio est in festo licita, eius non erit eius prosecutio?

Sed tanquam certum, Respondeo: Non esse licitam, imò neque validam. *Primò*, quia de prosecutione Appellationis, non datur consuetudo, sicut datur de Appellatione in festo. *Secundò*. Quia prosecutio appellationis, non est tam necessaria, quam appellatio; cùm per hanc suspendatur authoritas prioris iudicis; nec periculum immineat, vt reus damnum patiatur. Ex quo constat ad rationem dubitandi. Sic tenent omnes Doctores. Legantur nuper citati.

DISPVTATIO VI.

De causis excusantibus à præcepto Obseruationis Festorum.

QVÆSTIO I.

An possint dari causæ, quæ excusent à festi obseruatione?

RESPONDEO, tanquam certissimum: Posse, imo & de facto dari. Quia id commune est omni præcepto positiuo, & maximè humano, quale est præceptum obseruationis diei festi. Sic omnes Doctores. Ex quibus, quidam, quatuor; alij, quinque; alij, sex; & alij, septem causas excusantes à præcepto præfato assignant. Legantur D.Thom. 2. 2. *quæst.*122. *art.*4. & ibi, Caiet. Nauar. *in Man.cap.*13. *num.*6. Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *cap.*32. Bonac. *disp.*5. *in* 3. *præcept. Decalogi, punct.*8. Fagundez, *lib.*1. *de præcept. Eccles. c.*14. Sanch. *tom.*2. *consil. lib.*5. *c.*2. *à dub.*18. Castro Palao, *tom.*2. *tract.*9. *disput.*1. *punct.*10. *num.*1. Filliuc. *tract.*27. *cap.*11. Bassæus, *v. Festum*, 3. Layman, *lib.*4. *tract.*7. *cap.*4. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*10. Machado, *lib.*2. *summ. part.*3. *tract.*16. & alij citati, & citandi.

QVÆSTIO II.

An paruitas materiæ, vel temporis, sit causa excusans à mortali, seruiliter in festo laborantem?

REspondeo, Tanquam certum, Affirmatiuè. Quia, in omni ferè præcepto humano positiuo, leuitas, seu paruitas materiæ, à mortali excusat; vt docent omnes Doctores, præcipuè citati. Et constat de hoc præcepto. Nam, non ex quolibet opere seruili, impeditur notabiliter cultus diuinus, nec grauis irreuerentia irrogatur Deo: ergo. Sic omnes Authores, qui, ob hanc causam, à mortali excusant mulieres, quæ, absque causa vlla excusante, aliqua puncta ponunt; & Tonsores, qui vnum, vel duos radunt, &c. Legantur Nauarr. Bonac. Fagundez, & Trullench, *loc. cit.* & alij. Quænam autem pars temporis, vel operis, censeatur parua, aut notabilis, vt excusare valeat, dicam.

QVÆSTIO III.

An excusetur à mortali, qui in die festo, per tertiam partem illius, hoc est, per octo horarum spatium, seruiliter laborat?

AFfirmarunt nonnulli Canonistæ, quos, tacitò nomine, refert Fagundez, *lib* 1. *cit. cap.*14. *n.*2. *in fine*, existimantes, tertiam partem diei; non esse partem notabilem illius; atque adeo laborare per dictam tertiam partem, non esse peccatum mortale.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Nullo modo excusari à mortali. Quia prædictum octo horarum tempus, quod in die festo, in opere seruiliter consumitur, non est leue, vel paruum; sed notabile nimis, & magnum; vt constat. Et probatur. *Primò* à simili: Quia, in omnium opinione; qui in festo tertiam omittit partem Missæ, mortaliter peccat; vt dicemus infrà: *tract.*2. *disput.*1. *quæst.*31. ergo etiam mortaliter peccabit, qui, per tertiam diei festi partem, laboraret. *Secundò*. Quia, in omnium opinione, qui omittit tertiam partem officij diuini, mortaliter peccat; eò quòd in omnium opinione; omittit partem notabilem: ergo etiam eodem modo peccabit, qui per tertiam partem diei festi, labori incumberet. *Tertiò*. Quia ex opinione contraria, sequeretur, quòd posset quis in hyeme, per totum ferè integrum diem festi, à manè vsque ad noctem, laborare, absque labe peccati mortalis, quod est plusquam falsum; patet sequela; quia dies hyemales, computati à mane vsque ad vesperam, nouem horas cum dimidia, ad summum habent. Sic omnes Doctores communiter; præcipuè Fagund. *c.*14. *cit. n.*2. *in fine*, vbi Authores opinionis contrariæ, diuinæ legis laxatores appellat. Pasqualig. *dec.*300. *n.*8. Suar. *lib.*2. *cit. c.*31. *n.*1. dicens, opinionem contrariam, nulla probabili ratione niti, & alij.

QVÆSTIO IV.

An saltem, excusaretur à mortali, qui tertiam partem diei festi insumeret in opere seruili; sumptâ hac tertiâ parte, duntaxat de eo tempore, quod regulariter solet insumi in opere seruili?

AFfirmat, licèt cum timore aliquo, Pasqualig. *dec.*300. *cit. à n.*6. vbi id probat, sic. Quia illa censenda est parua materia, quæ insumpta in opere seruili, non tollit, quin dies censeatur moraliter sanctificatus; quoad cessationem ab opere seruili: sed sic est, quòd etiamsi tertia diei pars insumatur in opere seruili, adhuc censetur dies moraliter sanctificatus, & consecratus Deo; cùm fiat cessatio ab opere seruili per duas partes diei, & tertia solùm in dicto seruili opere insumatur: ergo. Sic ille, in summa *n.*6. *&* 7. addens hæc verba *n.* 8. Aduertendum tamen est: quòd ista tertia pars, quæ censetur parua quantitas, non est accipienda respectu totius integri diei, vt nonnulli voluerunt, quorum sententia communiter reiicitur; sed respectu illius temporis, quod commodè, & regulariter solet insumi in opere seruili. Vnde ex viginti quatuor horis, detrahendum est, totum illud tempus, quod in dormiendo, comedendo, seu alio modo insumi solet, & reliquum diuidendum in tres partes. Ratio est, quia si sumeretur tertia pars respectu totius diei, plus temporis insumeretur in opere seruili, quàm in cessatione positiua, ordinata ad sanctificationem diei, & propria festi diei; nam cessatio, quando quis dormit, aut comedit, non est propria diei festi. Hucusque Pasqualigus. Sed malè etiam. Vnde etiam tanquam certum,

Respondeo Dicendum. Quòd, nec vllo prorsus modo excusaretur à mortali, qui tertiam partem diei (sumptâ adhuc, modo explicato à Pasqualigo) insumeret in opere seruili. *Primò*. Quia id efficaciter probant primum, & secundum argumentum à nobis factum, contra primam sententiam, quæstione antecedenti, relatam.

Secundò. Quia ex opinione Pasqualigi, clarè sequitur, posse Agricolas, & alios officiales, laborare in festo, per sex horas ad minus; quia regulariter loquendo, sex ad summum horas in dormiendo, & comedendo consumunt: ergo reliquas, vsque ad viginti quatuor horas, diuidendo in tres partes, sex, quæ sunt tertia pars, insumere in seruili opere poterunt, quod videtur apertè absurdum, & falsum.

Tertiò. Quia, si probabilis esset doctrina Pasqualigi, aut ratio pro illa adducta, sequeretur, quòd siquis in die, in qua prohibetur esus carnis, manducaret tertiam partem quantitatis carnis, quam in die non prohibito communiter edere solebat, non frangeret grauiter præceptum abstinentiæ, quod nemo concedet. Sequela constat: nam ideò docet Pasqualigus, quòd non frangit grauiter præceptum sanctificandi festa, qui tertiam partē diei insumit in opere seruili, quia videlicet, cessat à labore per duas partes diei, quibus dies festus censetur moraliter sanctificatus, eo quòd vnumquodque æstimari debet, secundùm id, quod præponderat: ergo etiam ille, qui abstineret à duabus partibus quantitatis carnis, etiamsi tertiam partem manducaret, non frangeret grauiter præceptum abstinentiæ à carnibus; nam per abstinentiam illarum duarum partium sufficienter censeretur moraliter obseruatum, si vnumquodque æstimari debet secundùm id, quod præponderat. Valeat ergo Pasqualigus cum sua opinione, & suo fundamento.

Ad quod, pro maiori confirmatione nostræ sententiæ; respondeo. *Primò*. Quòd si aliquid valet argumentum, non solùm probat suam sententiam; sed etiam illam Canonistarum existimantium, non esse mortale, laborare in die festo per tertiam diei partē: quia etiam fieret cessatio operum seruilium per duas partes diei, &c. & moraliter posset dici, quòd dies festus esset sanctificatus, per illas: at hoc non audet Pasqualigus concedere: ergo, nec suam sententiam debet. Vnde meritò, in fine decisionis dixit hic Author, id, alieno iudicio relinquere perpendendum, nec velle aliquid decernere. *Secundò*. Concessâ maiori, neganda est minor; falsum est enim, quòd si tertia pars diei in labore seruili insumatur, totus dies maneat, aut censeatur sanctificatus, & consecratus Deo; solùm enim, censebitur sanctificatus, per maiorem partem; & non sanctificatus, per notabilem partem temporis; quod sufficit ad incurrendum mortale. Et sic tenent communiter omnes Doctores, vt ex mox dicendis constabit.

Quæstio V.

An ad minus, excusaretur à mortali, qui per spatium trium horarum, in festo laboraret?

Affirmat (à fortiori) Pasqualig. *loc. cit.* & expresse id affirmat Marchantius *in quæst. Pastoral. c. 5. quæst. 2.* Quia existimat, quòd spatium trium horarum (cùm sit octaua pars diei) sit parua, & leuis materia, & sic excuset à mortali.

Sed adhuc, quasi certum, Respondeo: Non excusare à mortali. Quia certum ferè est apud omnes, quòd spatium trium horarum, non sit exigua, sed grauis, & notabilis materia adhuc respectu totius diei. Nec refert, quòd sit octaua pars diei. Quia adhuc est notabilis, & grauis; sicut est octaua pars totius officij Diuini, quam, in sententia communi, qui illam omittit, mortaliter peccat. Sic communiter omnes, præcipuè statim citandi.

Quæstio VI.

An tandem excusetur à mortali, qui per duas horas integras, in die festo laborat?

Negant, adhuc imprimis, qui tuentur non excusari à mortali, qui in die festo per spatium vnius integræ, aut circiter, horæ, laborant. Eo quòd hoc spatium temporis, secundùm se videatur notabile, & consequenter materia sufficiens lethalis culpæ. Sic Bonac. *disput. 5. de 3. præc. Decalog. quæst. vnica puncl. 3. num. 2.* Reginald. *tom. 1. lib. 19.* (non 16. vt offendes apud Pasqualigum) & Dianam *num. 53.* Ioan. de Cruce, *in summ. p. 1. præc. 3. art. 1. num. 4.* Azor *1. p. lib. 1. cap. 28. q. 5.* Villalob. *tom. 2. tract. 32. diffic. 4. num. 1.*

Negant secundò, alij, qui quamuis, contra relatos Doctores, dicant, quòd laborare per vnam integram horam, non sit mortale; affirmant tamen, mortaliter peccare, qui laborando in die festo, excedit horam, vel per quadrantem, aut per aliud tempus, arbitrio prudentis viri relinquendum. Sic Fagundez *lib. 1. de 1. Ecclesiæ præc. cap. 14. num. 2.* & (apud Pasqualigum) Suarez *tom. 1. de Relig. libro 2. cap. 31. num. 2.* Palaus *tom. 2. tract. 9. disp. 2. puncl. 3. num. 4.* Azor *quæst. 5. cit.* & Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 4. num. 18.* Sed ex his Authoribus, imprimis, Sanchez *loc. cit.* id non docet; solùm enim ad confirmandam doctrinam à se ibi traditam, refert Suarium dicentem, vacare seruilibus, integrâ horâ, die festo, esse modicam materiam, vt sit mortalis transgressio. Nec Palaus hanc sententiam docet, sed sequentem. Tenet tamen, Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 1.* Quatenus docet, vnius horæ laborem, non esse mortalem; dummodò labor non sit nimis seruilis, & defatigans corpus, v. g. vnâ, vel sesquihorâ nere.

Negant tandem alij, qui licèt contra omnes Authores vtriusque sententiæ nuper relatæ, sentiant, quòd laborare, minùs quàm duas horas, non sit peccatum mortale, aiunt tamen esse tale, laborare in festo, per duas horas integras. Ita Trullench *lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. n. 2.* Qui pro sua sententia citat Fillincium *tract. 27. cap. 11. q. 1. num. 205.* Reginald. *lib. 19. num. 33.* Sanchez *p. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 31. num. 4.* Palaum *tom. 2. tract. 9. disp. 2. puncl. 3. num. 4.* & Dianam *1. p. tract. 1. Miscel. resol. 36.* Sed ex his Doctoribus, malè citat pro hac parte Reginaldum. Nam imprimis, id non docet *num. 33.* quia ibi nil ad propositum habet, sed *num. 63.* Vbi solùm docet, quod relatum est in prima sententia, per hæc verba: Si quis opus aliquod seruile laboriosum exercuit, vt qui arauit, vel messuit; si in eo opere seruili posuit minùs temporis, quàm vnius horæ, tanquam breuitate temporis ipsum excusante, non damnatur propterea peccati mortalis, licèt à veniali non excusetur: vt aliquot aliis citatis, addit idem Azor. Sic Reginald. Rursus malè omninò citat Dianam, cùm oppositum doceat, vt infrà.

Sed ego, probabiliter certè, Respondeo: Excusari à mortali, illum, qui per duas horas integras in festo laborat: dummodò illas non excedat. Quia probabile sanè est, spatium huiusmodi temporis, respectu totius diei, esse paruam quantitatem: cùm tantùm sit duodecima pars. Sic expresse Diana *1. p. tract.*

tract.15.seu 1. *Miscell.resol.*36. Ita dicens: Ego, saluo semper meliori iudicio, eum qui per spatium duarum horarum, in diebus festis seruilia exerceret, ratione paruitatis materiæ, excusarem à peccato mortali. Nam paruitas materiæ excusans à mortali, non absolutè, & secundùm se, sed respectiuè ad totam materiam præceptam, spectanda est; vt notat Sanchez *in summ. lib.*1. *cap.*4. *num.* 18. at spatium duarum horarum, licèt consideratum secundùm se, videatur tempus notabile, & magnum; non ita tamen videtur respectiuè, & in ordine ad totam materiam præceptam vnius diei: ergo, qui per duas horas laboraret, ratione paruitatis materiæ, non peccabit. Sic Diana, ibi, & etiam *part.*3. *tract.*5. *resolut.*8. *in fine, & part.*5. *tract.*5. *resolut.*6. Granados a.2. *controu.*6. *tract.*2. *disp.*2. *sect.*6. *num.*54. Lector Theologiæ Moralis in Congreg. Archiepisc. Bononiæ, *in decis. casu* 1. *Mens. Ianuarij* 1634. Ioan. Henriquez *in sua summ. cap.*7. *numero* 4. Vbi sic ait: [Trabajar dos horas en dia de fiesta es pecado venial, por ser poco el tiempo: pero si se passasse de dos horas serà pecado mortal.] Sic ille. Ausonius *in summ. Dianæ, verb. Festum*, *num.* 14. Bassæus *v. Festum*, 3. *num.*4. & (ni fallor) Machado *lib.*2. *p.*3. *tract.*16. *docum.*1. *num.*2. Citant etiam pro hac parte Pasqualigus, Diana, Bassæus, & Machado, Vincentium Filliucium *tract.*27. *cap.*11. *num.*205. Sed omnes malè; nam hic Author oppositum docet, vt attentè legenti constabit; & certè id apertè habet in margine illius numeri, hæc dicens verba: *Duæ horæ, grauis materia.* Sufficiunt tamen Doctores citati, & alij doctissimi Iuniores de hac re à me consulti, existimantes hanc nostram sententiam esse probabilissimam, vt & talis à Docto quouis existimetur, & censeatur; & vt iam non possit Palaus, sine temeritate dicere, non esse Doctorem Theologum classicum, qui illam sequatur.

QVÆSTIO VII.

An excusetur à mortali, qui opera seruilia pluribus vicibus, sed singulis, modico tempore, exercet in eodem die festo?

RESpondeo tanquam certum: Non excusari à mortali. Quia illa opera seruilia, quamuis disiuncta qnoad tempus, continuantur in contrarietate ad præceptum, & sic constituunt aliquod notabile, contra ipsum. Nam obligatio abstinendi ab opere seruili, est vna, & eadem, quæ durat tota die, vnde quodlibet opus seruile, est contra ipsam; & ideò omnia communicant in eadem contrarietate, & fiunt quid notabile contra præceptum. Sic omninò Pasqualig. *decis.*305. & antea, Sanchez *in summ. lib.*1. *cap.*4. *num.*12. Sic dicens: Si quis etiam distinctis vicibus, eademmet festi die, seruilia exerceat, ita vt singulis vicibus, parum temporis insumat, ac totum tempus sit notabile, peccabit lethaliter. Sic ille, & Nauarr. *cap.*13. *num.*9. Reginald. *n.*53. *cit.* Azot. *q.*5. *cit.* Trullench *dub.* 10. *cit. n.*3. Bassæus *v. Festum*, 3. *n.*4. Franciscus de Ouiedo *in* 1. 2. *tract.*6. *controu.*3. *punct.*8. *num.*129. & communis.

QVÆSTIO VIII.

An saltem à mortali excusetur, qui pluribus diebus festis, pro modico tempore, in singulis laborat?

NEgant Tolet. *lib.*4. *summ. cap.*25. *num.*2. & Fagundez *lib.*1. *de* 1. *precept. Eccles. cap.*14. *num.*3. Qui pro sua sententia citat Azorium *tom.* 2. *lib.*5. *cap.*28. *quæst.*5. Quia etiam in hoc casu datur continuatio materiæ, sicut datur in casu præcedenti; ergo.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Excusari à mortali. Quia probabilius longè est: Quòd illa modica opera seruilia singulis diebus festis exercita, non continuentur; nec in tempore, vt per se patet; nec in materia; quia opus seruile vno die festo factum, non continuatur cum opere seruili alterius diei festi, cùm sequatur obligationem diei, quæ non est vna omnium dierum, sed peculiaris cuiuscumque diei festi, quæ consequenter cum ipsa die extinguitur, nec transit ad aliam: ergo sicut obligationes non continuantur; ita nec opera seruilia continuari possunt. Sic Sanchez *lib.*1. *summ. c.*4. *num.*12. *& num.*2. *consil. lib.*5. *cap.*2. *dub.*31 *numero* 5. Bonac. *disputat.*5. *cit. punct.*3. *num.*3. Quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.*304. *num.*2. Diana 3. *part. tract.*5. *Miscellan. resol.*8. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.* 10. *numero* 3. Bassæus *v. Festum*, 3. *numero* 4. *vers. Notandum.* Machado *document.*1. *citato numero* 4. Ouiedo *loc. cit. num.*129. & communis.

QVÆSTIO IX.

An etiam excusetur à mortali, qui efficit, vt multi eodem die festo, per notabilem diei partem laborent; sed singuli modico tempore solùm?

REspondeo: Etiam excusari. Quia illi, qui sic seruiliter laborant (singuli per duas horas tantùm) non peccant mortaliter, vt suprà est habitum: ergo nec mortaliter peccabit, qui in causa est, vt dicti, opera seruilia, pro illo paruo tempore, præstent. *Confirmatur.* Quia illa parua opera seruilia à multis exercita, non possunt continuari inter se; cùm sint opera diuersarum personarum habentium diuersas personales obligationes sanctificandi festa: ergo nec illa exercentes, possunt ea materiam notabilem reddere; & consequenter nec in hoc peccare mortaliter: ergo nec ita peccabit, qui efficit, vt sic operentur. Sic Sanchez *num.*12. *cit.* Bonac. *loc. cit. num.*4. *& disp.*2. *de peccat. q.*3. *punct.*5. *n.*26. Pasqualig. *decis.*301. Diana *loc. cit. vers. Notandum est.* Trullench *loc. cit.* Ouied. *in* 1. 2. *tract.*6. *controu.*3. *punct.*8. *n.*130.

QVÆSTIO X.

An saltem peccaret mortaliter, qui efficeret, vt plures per totum integrum diem festum laborarent; sed singuli solùm pro modico tempore, si id faceret ob lucrum, quod inde percipit?

REspondeo: Nec in hoc casu peccare mortaliter. Quia intentio lucri non est mala, nisi lucrum debeat à medio malo secundùm se: at sic est, quòd illa opera seruilia, quæ assumuntur, vt medium ad lucrum, non sunt peccatum mortale, secundùm se; ergo nec fient mortale ex intentione lucri. Solùm ergo peccabit venialiter, eo quòd sit causa, vt illi multi venialiter transgrediantur præceptum. Sic Pasqualig. *decis.*302. Qui *decis.*303. idem dicit de illo, qui est causa, vt multi, siue simul, siue successiuè, per totum diem festum laborent in eodem opere seruili, sed singuli pro solo tempore, quod ratione paruitatis, excuset à mortali. Quod latè, & bene probat.

Digitized by Google

QVÆSTIO XI.

An necessitas imminens excuset à peccato, exercentes opera seruilia in festo?

RESpondeo tanquam certum: Excusare. Quia lex non obligat, necessitate vrgente; iuxta illud cap. *Remissionem*, §. *finali*, 1. q. 1. *Necessitas non habet legem*, & iuxta illud, cap. *Quod non est*, *de Regul. iuris*. *Quod non est licitum, necessitas facit licitum*. Et certè Ecclesia non vult suis legibus obligare filios suos, cum graui incommodo, aut damno: cùm lex ea se bonum respiciat. Sic omnes Doctores, præcipuè citati.

QVÆSTIO XII.

An excusentur à peccato Artifices, & pauperes operarij, qui nisi laborent in festis, nequeunt se ipsos, & familiam sufficienter sustentare?

RESpondeo tanquam quid certum: Excusari. Et ideò licitè poterunt in die festo laborare, dummodò id faciant secretò, ad euitandum scandalum, & auditâ Missâ, & non protrahant laborem, nisi quousque sufficiat ad subleuandam necessitatem. Quia necessitas solam illam licentiam laborandi præstat, quantam necessitas ipsa postulat. Sic Syluest. v. *Dominica*, q. 5. Caiet. v. *Festorum violatio*. Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 28*. (non 2. vt offendes apud Pasqualigum) *quæst. 4*. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. num. 21* Fagundez *lib. 1. de 1. præcept. Ecclesf. cap. 14. à num. 7*. Nauarr. *cap. 13. num. 6*. (non 11. vt citat Sanchez) Toletus *lib. 4. cap. 25. num. 3*. Bonac. *disput. 5. de 3. præc. Decalog. punct. 3. num. 13*. Sanchez *tom. 2. conf. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 15*. Filliuc. *tract. 27. cap. 11. n. 211*. Pasqualig. *decis. 196*. Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 10*. Palao *tom. 2. tract. 9. punct. 10. num. 3*. Pedraza *in summ. præcept. 3*. Villalob. *tom. 2. tract. 32 diffic. 4. n. 2. & 6*.

QVÆSTIO XIII.

An excusentur à peccato, qui laborant in festo, ne notabiliter lædatur eorum status

RESpondeo: Excusari. Quia lex ea ab opere seruili abstinendi, non obligat, cum detrimento notabili proprij status; iuxta dicta *q. 11*. Notabile autem damnum, seu detrimentum notabile status censetur, quando deessent quæ concernunt statum personæ pauperis; vt bene notat Pasqualig. *loc. cit. num. 4*. per hæc verba. Quia autem status eorum, qui sibi victum acquirunt per exercitium operis seruilis, consistit in victu & vestitu, & congruenti suppellectili domûs: ideò quotiescumque in his, notabile detrimentum paterentur, siue quoad se, siue quoad familiam, non tenentur cessare ab opere seruili. Tunc autem censetur pati notabile detrimentum, quando non habeant ea, quæ congruunt illi statui; Vnde si ipsi deesset moderatum obsonium, aut vestitus decens, aut necessaria suppellex, censerentur pati notabile detrimentum. Sic ille.

QVÆSTIO XIV.

An excusetur à peccato pater, qui laborat in festo, vt seponat dotem filiæ: quia aliter seponere non potest, nisi subtrahendo familiæ necessaria?

RESpondeo: Excusari. Quia ex vna parte non tenetur subtrahere pater necessaria familiæ; nam subtrahendo illa, pateretur notabile damnum: & ex alia parte, dos pro filia est necessaria omninò, ne decidat à suo statu: ergo ratione necessitatis verè à peccatò excusabitur, si exerceat opus seruile. Sic Pasqualig. *loc. cit. num. 5*. Quod antea, loquendo de præcepto ieiunij, docuit Graffius *1. p. decis. aurear. lib. 2. cap. 35. num. 46*. per hæc verba: Operarij, qui suo assiduo labore suam familiam sustentare, aut suas filias collocare, aut filiis suis expensas in studio ministrare coguntur; & nec sibi, nec suis ad cultum decentem necessaria comparare possunt, si labores, & ieiunia sustinere nequeunt, excusantur à præcepto ieiunij. Sic ille. Idem ergo diceret de nostro casu loquendo; cùm eadem sit causa & ratio.

QVÆSTIO XV.

An etiam excusetur à peccato filiafamilias, quæ pro acquirenda suppellectile, quæ solet pro dote dari, in die festo laborat?

RESpondeo: Eadem ratione excusari, si aliter acquiri nequeat. Quia huiusmodi suppellex est necessaria: ergo si aliunde acquiri non potest, eo quòd diebus non festis laborare tenetur pro victu quærendo, optimè poterit laborare in diebus festis ad acquirendam dictam suppellectilem. Sic Pasqualig. *loc. cit. num. 6*.

QVÆSTIO XVI.

An excusentur à peccato serua, quæ in resarciendis propriis vestibus, in diebus festis laborant?

RESpondeo: Excusari, dummodò in diebus profestis nihil temporis, ad id, liberi habeant. Ratio est. Quia in hoc casu necessitas vestes resarciendi excusat. Sic Pasqualig. *num. 7*. (Qui idem dicit de seruis in ordine ad ea seruitia, quæ circa proprias personas necessaria sunt.) & ante illum, Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 1*.

QVÆSTIO XVII.

An excusentur à peccato, qui in die festo præparant, non solùm cibos necessarios ad victum: sed etiam illos, qui potiùs ad delectationem, quàm ad sustentationem, deseruiunt?

AFfirmare videtur Palao *tom. 2. disp. 2. punct. 10. num. 3*. Vbi sic ait: Ex hoc capite excusantur. Primò, parantes ea, quæ ad cibum, & potum deseruiunt, tametsi superflua sint, & potiùs ad delectationem quàm ad sustentationem deseruiant. Ita D. Thom. communiter receptus 2. 2. *q. 122. art. 4. ad 4*. consuetudine namque hoc iam est introductum. Ita Palao.

Alij verò absolutè asserunt: Non excusari. Sic Sanchez, *vbi infrà*, per hæc verba: Quartò hinc à fortiori sequitur esse peccatum mortale facere in festo, saccharo condita, vt Hispanè, *Mazapanes, alco-*

zas,

zas, conficet, conferuas, & illas deaurare, &c. licèt gratis fiat. Alcozer *summ. cap.* 17. & docti Recentiores. Huc vsque Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. n. 5.*

Sed ego clariùs Respondeo: Excusari quidem, vbi id introductum, & toleratum est: aliàs minimè.

QVÆSTIO XVIII.

An excusentur à peccato, qui in festis pastillos, faciunt, Hispanè, los Pastelcros?

RESpondeo: Excusari. *Tum*, ratione necessitatis; quia huiusmodi cibus etiam pertinet ad victum communem. *Tum* etiam ratione consuetudinis legitimè introductæ. *Tum* denique ob vtilitatem, & bonum regimen Reipublicæ. Sic Sanchez *loc. cit. n. 3.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 8.* Sotus *lib. 2. de iust. q. 4. art. 4. vers. Quarta causa.* Ortiz *in sum. vbi de 3. precept. §. 4. fol. 102. pag. 2.* Llamas *3. part. Method. cap 5. §. 6.*

QVÆSTIO XIX.

An excusentur à peccato Pistores, seu Fornarij, qui diebus festis, absque noua superueniente necessitate, panes conficiunt, & coquunt?

NEgant excusari, nisi solùm casu, quo pridiè festi commodè id efficere nequeant, aut superueniat aliqua necessitas multitudinis egentium pane, &c. Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 27. q. 2.* Caiet. *in sum. v. Festorum violatio.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. c. 2. dub. 28. num. 4.* Sotus *loc. nuper cit.* Bonac. *disp. 5. de 3. prec. Decalogi, punct. 3. n. 9.* (non 8. vt inuenies cit. apud Pasqualig.) per hæc verba: Item non excusantur Pistores, qui panem pridiè conficere potuerunt; nisi fortè aliter suadeat necessitas, vel publica vtilitas, vt si superueniat multitudo egentium pane; aut si panis, ob concursum festorum, deterior redderetur. Ita ille. Palao *to. 2. tr. 9. disp. 2. punct. 10. n. 3.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 10. n. 8.* Lublinus *verb. Festum, num. 4.* loquendo de discernentibus farinam, & Villalob. *to. 2. tr. 32. diff. 4. num. 2.*

Sed probabiliùs Respondeo: Absolutè excusari, & ratione necessitatis communis Reipublicæ; & etiam ratione consuetudinis. *Primum* probatur. Quia communiter omnes concedunt (vt suprà vidimus) quòd ratione necessitatis excusantur à peccato, qui in festis præparant pertinentia ad victum communem; vt carnes coquentes, pastillos facientes, panes, olera, fructus, & huiusmodi vendentes, &c. at sic est, quòd inter ea, quæ pertinent ad victum communem, primum locum obtinet panis, vtpotè magis necessarius ad sustentationem vitæ: ergo licitum erit, panes conficere in festis, & eos coquere.

Secundum etiam probo. Quia pluribus in locis, præcipuè Romæ, adest consuetudo approbata (saltem tacitè) à Superioribus, faciendi panes, & coquendi in die festo; quæ consuetudo etiam videtur planè interpretari legem, quòd non prohibeat hoc opus seruile, ratione necessitatis; sed ipsum permittat. Sic videtur sentire Sà *v. Festum, n. 5.* quatenus absolutè docet, Pistores excusari ratione necessitatis: ait enim sic: Molendina, & Nundinas excusar consuetudo, pistores necessitas. Sic ille, & post illum Pasqualig. *dec. 293. à num. 2.* Quibus fauet Ortiz *in sum. vbi de 3. precept. fol. 102.* Sic dicens: [Pero pueden cerner, y aparejar lo que se ha de coser el dia siguiente.]

QVÆSTIO XX.

An excusentur à peccato Chirurgi, qui venas in festo scindunt; Pharmacopolæ, qui medicinas parant: & Tonsores tondentes aliquos, causâ salutis corporalis, &c.

RESpondeo tanquam certum: Excusari, ratione necessitatis proximi, cui omnes tenentur subuenire. Vndè licèt prædicta opera de se sint seruilia, & prohibita in festo; non tamen illud violant, qui ea, propter necessitatem proximi exercent: quia in necessitate non sunt prohibita, vt patet *ex cap. vltimo de festis.* Sic D.Thom. *2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.* & ibi Caiet. Nauarr. *cap. 13. num. 7.* Tabiena *ver. Feriæ n. 23.* Tolet. *lib. 4. cap. 25. n. 3.* Suarez *to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 21. n. 6. & cap. 32. n. 6.* Fagundez *lib. 1. cit. cap. 14. n. 20.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 8.* Llamas *3. part. Method. cap. 5. §. 7. pag. 478.* Palao *punct. 10. cit. n. 3.* Bonac. *punct. 3. cit. num. 10.* Trullench *dub. 10. cit. n. 10.* Qui benè aduertunt, non debere prædictos conficere medicinas in festo; nisi solùm eas, quas postular necessitas illius diei.

QVÆSTIO XXI.

An excusentur à peccato Agricolæ, qui tempore messis, in festis, grana purgant, Hispanè, Auentan?

RESpondeo: Excusari, ob venti commoditatem; quia possunt posteà illo destitui, & notabile ex hoc nocumentum pati. Sic communiter Doctores ex D.Thom. *2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.* docent, licitum esse laborare in festis, ad vitandum proprium damnum imminens. Caiet. *ibidem, §. In tertio casu,* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. n. 3.* Fagundez *lib. 1. de 1. precept. Eccles. cap. 14. num. 11.* Sanchez *to. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 10.* Castro Palao *tom. 2. tract. 9. punct. 10. num. 3.* Filliuc. *tract. 27. cap. 11. num. 211.* Pasqualig. *decis. 297.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 10. n. 10.* Llamas *3. p. Method. cap. 5. §. 6. pag. 477.* dicens, sic fieri in tota Prouincia Betica nostræ Hispaniæ, & Archiepiscopatu Toletano, & Episcopatu Conchensi, in quibus tota Marchia (quam nostri *Mancha* appellant) includitur.

QVÆSTIO XXII.

An etiam excusentur Agricolæ, qui in festis segetes metunt: frumenta ex area in horreum portant: fænum in locum tutum ferunt, si pluuiæ inclementiam timeant?

RESpondeo: Etiam excusari, ratione necessitatis propriæ, ob vitandum videlicet aliquod damnum imminens, vt in prædictis apparet. Sic omnes Doctores nuper relati, nec non Nauarr. *cap. 13. n. 6.* Tolet. *lib. 4. cap. 25. num. 3.* Ioann. à Cruce *1. part. summ. precept. 3. art. 1. num. 3.* Barbosa *in 2. lib. decret. cap. licet, de Feriis, num. 6.* & penes ipsum Saytus, Zerola, Quaranta, & Palat. Moure *1. part. exam. Theolog. cap. 7. §. 1. num. 6.* & alij. Addentes, idem esse dicendum de iisdem Agricolis vindemiantibus, & seminantibus in festis, autumni tempore, metuentibus ne postea temporis inclementia impediantur, & de aliis huiusmodi facientibus, quando adest necessitas vitandi aliquod damnum.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam excuſentur Agricolæ, qui tempore meſſis, & vindemiæ, abſolutè in feſtis laborant, quantumuis nullum immineat certum damni periculum, ſi probabiliter timeatur?

AFfirmant Sanchez *dub.* 18. *cit. num.* 18. & 31. & penes illum Sotus, ex Dominica familia, *lib.* 2. *de iuſtit. quæſt.* 4. *art.* 4. *ad* 3. Toletus, & alij Docti Iuniores. Lublinus *verſ. Feſtum, num.* 4: Qui etiam eſt ex illuſtri Dominicana familia: & Caſtro Palao *punct.* 10. *cit. num.* 3. Quia regulariter, & communiter tempore meſſis, & videmiarum, datur ſufficiens cauſa laborandi in feſto, quia regulariter, & communiter datur periculum aduerſi temporis, & damni.

Negat verò è contrà Paſqualig. *deciſ.* 297. *num.* 5. Sic contra Palaum inſurgens: Hæc, inquiens, tamen doctrina ſic abſolutè non placet: quia dat occaſionem laborandi abſque etiam neceſſitate. Vnde exiſtimo, tempore meſſis, ſiue vindemiæ, conſiderandam eſſe nonſolùm regionem, ſed etiam qualitatem temporis, quæ tunc currit: rurſus etiam commoditatem, vel incommoditatem recondendi fructus: quantitatem quoque meſſis, & vindemiæ, & alias circunſtantias, quæ poſſunt, vel præſeruare à damno, vel ipſum augere: & habita ratione omnium, conſiderare, an probabiliter contineat aliquod damnum: quia ſi non imminebit, non aderit neceſſitas laborandi in feſto. Non enim ſi regio eſſet regulariter illo tempore exempta à pluuiis, & regnaret ſerenitas, & meſſis eſſet paucorum dierum, adeſſet neceſſitas laborandi in die feſto. Tempore etiam vindemiæ, licèt ſoleant pluuiæ eſſe frequentiores, quia tamen facilius reconditur vua, quàm granum, nec à pluuia tantùm patitur, quantùm patiuntur grana; ideò cenſeo, non adeſſe regulariter neceſſitatem laborandi in die feſto: ſed ſolùm, ſi pluuiæ ſint frequentiores ſolito, aut vindemia requirat multos dies, ita vt prudenter timeri poſſit damnum ex aduerſo tempore. Huc vſque Paſqualig.

Ego verò, clariùs cum diſtinctione, vniendo inter ſe prædictos oppoſitos ex parte Authores, ſic Reſpondeo, dicendum: Quòd in regione (ſi eſt aliqua) vbi non imminet aliquod damnum ex intemperie aëris, aut ex tempeſtatibus occurrentibus, aut ex inundantibus pluuiis, &c. eo quòd ab his, & aliis ſimilibus calamitatibus ſit exempta, non erit licitum Agricolis laborare abſolutè in feſtis, tempore adhuc vindemiæ, & meſſis; quia non adeſt neceſſitas laborandi in eis. At verò in Hiſpania, & in aliis regionibus, vbi regulariter, & vt plurimùm, prædictis temporibus meſſis, & vindemiæ, frequentes ſunt tempeſtates, abundantes pluuiæ, grandines, fulgura, & tonitrua, quaſi ſpitama ad tollendam coronam, & pulchritudinem agri; licitum erit Agricolis laborare abſolutè in præfatis temporibus, quia adhuc ſufficit, quòd regulariter adſit periculum damni, & probabiliter videatur, quòd abſolutè per laborem vitetur. Et certè, quòd ſaltem detur ſufficiens cauſa ad hoc, vt cum diſpenſatione laborare poſſint, non dubito. Imò addo quòd, etiam ceſſante neceſſitate, ex conſuetudine recepta licitum eſt Agricolis extendere in feſtis ſegetes, trituram vertere, & alia huiuſmodi; vt etiam aduertit Sanchez *loc. cit. num.* 11. Imò hac ratione poſſe abſolutè Agricolas tempore meſſis, & vindemiæ laborare, docet Viuald. 4. *part. Candelabri, cap.* 5 *num.* 20. per hæc verba: Tertio, hæc eadem conſuetudo ſcita, & tolerata à Prælatis, excuſat vbique Agricolas laborantes tempore meſſis, atque vindemiæ, etiam abſque neceſſitatis periculo, quia ſi tale timeretur, abſque conſuetudine poſſunt illi periculo obuiare, per totum titulum de feriis, vbi Doctores. Hucuſque Viualdus.

QVÆSTIO XXIV.

An excuſentur Agricolæ, qui tempore Autumni, agros in feſtis ſerunt?

REſpondeo: Excuſari etiam, regulariter loquendo. Quia tempore ſementis adeſt vt plurimùm, neceſſitas laborandi in feſto; ne, videlicet occaſio ſeminandi amittatur. Vnde quando neceſſarij ſunt plurimi dies pro ſerendis agris, eo quòd multi ſint; tunc certum eſt, poſſe in feſtis laborare, quia adeſt aperta neceſſitas; ſecus verò, ſi paucisſimi dies eſſent neceſſarij; quia tunc non adeſſet neceſſitas, vt plurimùm; ſicut non adeſſet in regione, ſiqua datur, in qua eo tempore Autumni ita frequens, & firma ſit ſerenitas, vt prudenter cenſeantur ſufficere pro ſemente, dies non feſti. Sic Paſqualig. *deciſ.* 197. *n.* 6. Fagundez, & Trullench *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO XXV.

An excuſentur Agricolæ, ſeu Hortulani, qui in feſtis rigant ſegetes, vineas, olera, &c.

REſpondeo: Excuſari. *Tum*, quia hæc eſt conſuetudo recepta. *Tum etiam*, quia paruo labori in hoc communiter incumbunt. Sic Sanchez *tom.* 2. *conſil. lib.* 5. *dub.* 18. *n.* 11. Paſqualig. ex illo, *dec.* 297. *n.* 2. & alij docti Iuniores.

QVÆSTIO XXVI.

An excuſentur coquentes vitrum, aut decolantes ferrum, ſi in feſtis inchoatum opus continuent?

REſpondeo tanquam quid certum: Excuſari, ratione euitandi aliquod damnum notabile; quod quidem planè decolantibus ferrum, & vitrum eueniret, ſi inceptum opus non continuarent. Sic omnes. Nauar. *cap.* 13. *num.* 6. Caiet. *in ſumm. v. Feſtorum violatio, &* 2. 2. *quæſt.* 122. *artic.* 4. Sotus *lib.* 2. *de iuſtit. & iure, quæſt.* 4. *art.* 4. *ad* 3. Suarez (licèt non ita expreſsè) *lib.* 2. *cit. cap.* 38. *num.* 4. Sanchez *tom.* 2. *conſil. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 22. Bonac. *diſput.* 5. *cit. punct.* 3. *n.* 13. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *punct.* 10. *num.* 3. Paſqualigus *deciſ.* 295. Fagundez *de* 1. *præcept. Eccleſ. c.* 1. *n.* 15. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 10. *num.* 10. Fillіucius *tract.* 27. *num.* 211. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 3. *verſ. Tertia eſt.* Villalob. *tom.* 2. *tract.* 32. *diffic.* 4. *num.* 3. & alij communiter.

QVÆSTIO XXVII.

An ſicut excuſantur continuantes decoctionem ferri, & vitri; ſic etiam excuſentur, qui coctionem horum in feſto incipiunt?

NEgat Caiet. *in ſumm. loc. cit.* non expreſsè (vt innuunt Paſqualig. *loc. cit. num.* 1. & Sanchez *loc. cit.*) ſed implicitè, eo quòd ſolùm de continuatione id concedat (vt etiam facit Filluc.) per hæc verba. Et ſimiliter, artifices eorum, quæ continuatam exigunt operam (vt decoctio laterum, ſaponum, calcis, & ſimilia) poſſunt operas ſuas in feſtis continuare,

Digitized by Google

continuare. Ita ille, ibi: Et eodem modo loquitur 2.2. q.5 22.art.4.vers. In tertio casu.

Sed probabilius Respondeo: Etiam excusari, qui coctionem ferri, & vitri in festo incipiunt. Quia, si inceptio coctionis horum differretur in sequentem diem profestum, licet posset forsitan impleri ante diem festum sequentem: attamen, aut esset completa, quando altera materia esset coquenda; aut fornax frigesceret, aut continuandus esset ignis; quæ omnia damnosa nimis essent dictis artificibus, cùm maiores expensas exigerent. Sic beoè Pasqualig. decis. 295. à n.3. & penes ipsum, Sylvest. Nauar. Caiet. Fagundez, Suarez, & alij infrà citandi. Sed ex his, non benè citat Caietanum, cùm ipsemet pro opposita parte afferat, vt vidimus: imò nec alios, vt infrà constabit.

QVÆSTIO XXVIII.

An item excusentur, qui coctionem calcis, Saponis, laterum, tegularum, ollarum, & huiusmodi, in festis diebus continuant?

NEgant (apud Pasqualigum) Sotus lib.5. de iust. & iure, q.4. art.4. ad 3. & Sanchez dub.18. cit. n.22. Nisi aliàs, inquiunt, occurrat necessitas aliqua priuata, vel publica. Citatque Sanchez pro hac parte Caietanum, & Nauarrum, eo quòd tantùm dictos Officiales excusent, quando decoctio exigit plusquàm sex dies continuos.

Sed tanquam certum Respondeo: Excusari omninò. Quia, vt constat, talis decoctio absque notabili damno intermitti non potest. Sic omnes communiter Doctores. Caietan. in summ. loc. cit. & 2.2. q.125. art.4. Nauarr. cap.13. num.7. (non 6. vt inuenies apud Pasqualig.) Angel. verb. Feriæ, num. mihi 17. Bonacin. punct.3. cit. n.13.) Qui non benè, ex parte, citat Sotum.) Palao punct.5. cit. n.3. & Pasqualig. decis. 295. cit. à num.3. Nec credo, quòd Doctores citati à Pasqualigo pro parte opposita, sint contrarij nostræ responsioni; quia prædicti non loquuntur de præsenti quæstione, sed de sequenti.

QVÆSTIO XXIX.

An sicut excusantur continuantes in festis coctionem calcis, laterum, &c. excusentur etiam, qui coctionem eorumdem in festis incipiunt?

AFfirmat Pasqualigus decis. 295. n.3. & sequent. citans pro hac sua sententia Nauarrum cap.13. num.6. Sylvestrum v. Dominica, q.5. Angel. Caiet Bonac. & Palao, loc. nuperrimè citatis, Suarium de Relig. tom.1. lib.2. cap.32. num.3. Fagundez lib.1. de præcept. Ecclesiæ, cap.14. num.15. & Pedrazz, præcept.3. Sed certè nullus ex his, quos citat, Authoribus, hanc partem tuetur: nam omnes loquuntur de coctione calcis, laterum, &c. quantùm ad suam continuationem, quam prosequi in festis concedunt; non verò de inchoatione coctionis, de qua in præsenti inquirimus, an scilicet, coctio laterum, calcis, &c. inchoari in festis posit? Nam imprimis Nauar. loc. cit. num.7. non 6. sic ait: *Similiter excusantur, qui diebus festis excoquunt vitrum, ollas, tegulas, calcem, quorum decoctio intermitti in alium diem non potest.* Rursus Sylvest. q.5. cit. vers. Quarta. Solùm agit de colantibus vitrum; de quibus adhuc loquendo, tantùm dicit, *quòd possint laborare faciendo vitra, quia ignis deuorat.* Deinde Angel. loc. cit. hæc ait: *Octaua, de facientibus vitra, similiter de tinctoribus, & coctoribus laterum, qui dicuntur fornasarij, & huiusmodi: qui sine magno damno desistere non possunt? Dic, quòd licet.* Sic ille. Caietanus etiam de continuatione loquitur, vt demonstrant eius verba relata sup. quæst. 27. desumpta ex summa, & de eadem loquitur 2.2. loc. cit. Bonacina item expressè de continuatione coctionis tractat; ait enim sic: *Aut qui inchoatum prosequuntur, dum ex ipsius omissione graue damnum nasceretur, vt accidit in decoctione ferri, & vitri, aut in decoctione calcis, & laterum, aut in tinctura lanæ*, &c. Sic ille. Pedraza etiam de prosecutione coctionis loquitur, sic dicens: [Tambien quando por no trabajar, recibiria vno grande daño en su hazienda, podra trabajar, como viniendo diluuio sobre la era, ò quemandose la casa; ò entendiendo en oficio que quiere continuacion del trabajo començado, y no se puede guardar para otro dia, como cozer cal ò xabon, ò ladrillo.] Sic ille. Et de hac continuatione denique loquuntur Suarez, & Fagundez: vt videre apud eos est. Ex quo constat, malè citasse pro se Pasqualigum, omnes relatos Doctores; cùm non de inchoatione coctionis calcis, laterum, &c. loquantur; sed solùm de prosecutione, aut continuatione, quam esse licitam in festo apertè affirmant. Hoc ergo prænotato, ad resolutionem quæstionis deueniendo.

Respondeo dicendum, quòd, minimè excusentur à mortali, qui coctionem calcis, laterum, ollarum, & huiusmodi, inchoant in die festo: (nisi aliàs superueniat aliqua grauis necessitas, siue publica, siue priuata) *Tum*, quia horum coctio non requirit continuationem tot dierum, sicut requirit coctio vitri: ergo optimè potest fieri in diebus profestis. Antecedens experientiâ patet; cùm coctio laterum, aut calcis, &c. per duos, aut (ad summum) per tres dies naturales duret, vitri verò coctio per plures alios. *Tum etiam*, quia in coctione calcis, laterum, &c. necessum est, quòd fiat intermissio, & frigefiat fornax per aliquos dies, vt sic extrahere calcem, aut lateres, &c. possint artifices, quod quidem non est necessum in coctione vitri; imò id fieri, esset damnosum artificibus, vt constat ex dictis q.27. ergo ratio, quæ facit ad hoc, vt inchoatio coctionis vitri sit licita in festis; non facit, vt sit licita inchoatio coctionis calcis, &c. vt voluit Pasqualigus loc. cit. num.5. Sic Sanchez tom.2. consil. lib.5. cap.2. dub.18. num.22. & Sotus lib.2. de iustit. & iure, quæst.4. art.4. ad 3. citati possunt pro hac parte omnes Authores, quos Pasqualigus pro sua citat, vt ex verbis eorum à nobis relatis, facilè colligitur. Et vltra illos, id expressè tenet Trullench libro 3. in Decal. cap.1. dub.10. num.10.

QVÆSTIO XXX.

An excusentur à peccato serui, filij, vxores, & aliæ personæ subiectæ, quæ iusto metu compulsæ à Parentibus, vel Dominis, in festis seruilia exercent?

REspondeo tanquam certum: Excusari, casu quidem, quo si non obedirent, incurrerent aliquod damnum notabile. Quia hæc ratio (vitandi scilicet damnum notabile) excusat ab obseruatione festorum: modò non compellantur id serui facere in contemptum fidei, & Religionis; quia tunc, potiùs deberent mortem subire, quàm facere aliquid in contemptum Ecclesiæ, fidei, vel Religionis. Quia licèt qui in tali casu exerceret opera seruilia in contemptum fidei, ob vitandam mortem, aut aliquod aliud graue damnum, non peccaret contra præceptum Ecclesiasticum abstinendi ab opere seruili, eo quòd pro tunc cessaret; peccaret tamen contra præceptum confessionis

fessionis fidei, quod nullo modo, quocumque damno interueniente, cessare potest. Sic omnes Doctores. Nauarr. *cap. 13. num. 7.* Tabiena *v. Feria, num. 28.* Angel. *num. 19.* (ooo 9. vt citat Pasqualig.) Caiet. *v. Festum, vers. Tertiò ex necessitate.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. n. 4.* Fagundez *lib. 1. cit. cap. 14. num. 9.* (noo 7. vt inuenies apud Pasqualig.) Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. n. 16. & 17.* Fillinc. *tract. 27. num. 221.* Bonac. *disp. 5. de 2. præcept. Decalog. punct. 3. n. 17.* Palao *tom. 2. tract. 9. punct. 10. num. 3.* Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 1. dub. 10. v. 1 t.* Pasqualig. *dec. 298.* & alij penes ipsos. Sed hæc in generali; ad particularia descendamus.

QVÆSTIO XXXI.

An excusentur à peccato Agricolæ, qui compulsi ab his, à quibus, pactâ mercede, pro singulis diebus conducuntur, seruilia in festis exercent?

Respondeo: Excusari, non solùm casu, quo timeant aliquod notabile damnum, si in festis non laborent, veluti, quòd eos priuabunt fortè consueto pretio, & mercede; vel quod ad seruitium operum seruilium ampliùs non vocabunt, cùm vix habeant aliundè vnde viuant, vt omnes Authores nuper relati concedunt, præcipuè Nauarr. *loc. cit.* & Fagundez *num. 12.* verumetiam casu, quo non timeant inde aliquod damnum; eo quòd adsit præsumptio in fauorem exigentis Agricolarum operam, & laborem, quòd iusta de causa exigat, & ita iustè petenti, licitè concedi potest. Cùm enim Dominus, exigens opus seruile, soluat mercedem proportionatam operi; & nihil ipse inde lucri habeat, præsumi debet, quòd ex necessitate exigat huiusmodi opus seruile, & quòd non velit contrauenire præcepto sanctificationis festorum. Nisi aliàs contrarium constaret, eo quòd sciret, exigentem dicta opera seruilia in festis, non esse bonæ famæ; quia tunc non liceret Agricolis exercere dicta opera seruilia in festis, nisi aliàs timerent aliquod damnum ex nuper assignatis. Sic Pasqualigus *decis. 298. num. 3.*

QVÆSTIO XXXII.

An excusentur à peccato subditi, qui ad euitandam indignationem Dominorum, seu Parentum, exercent opera seruilia in festis?

Affirmat excusari, quando indignatio est futura diurna; non verò, si statim sit transitura, Pasqualigus *decis. 298. numero 4.* Quia, inquit, indignatio Superiorum lædit, in animo; quia causat notabilem tristitiam, & inquietudinem; sicut autem animus præstat corpori, ita etiam damnum animi, maioris est ponderis, quàm damnum in bonis corporis; vnde quando indignatio est futura diurna, damnum quoque censendum est graue, ratione diuturnitatis. Ita Pasqualigus, citans pro se Palaum *punct. 10. cit. num. 3.* Hæc tamen sententia sic explicata, non placet omninò; quia potest esse indignatio futura diurna, & non causare damnum notabile, si illa leuissima sit: & è contrà, potest indignatio, si in se grauissima sit, etiamsi statim transeat, causare damnum notabile, lædendo grauiter in animo, & causando notabilem tristitiam, & inquietudinem. Quapropter

Clariùs Respondeo dicendum, quòd excusentur à peccato, exercendo opera seruilia in festo, quando subditi id faciunt, ob vitandam grauem indignationem Dominorum, Parentum, aut virorum; non verò si id faciant, ob vitandam indignationem leuem. Quando autem indignatio debeat censeri grauis, & quando leuis, colligendum est, non ex eo quòd diu permaneat, vel citò transeat, quamuis hoc sit attendendum; sed ex eo principaliter, quòd grauiter lædat subditos, causando in eis grauem, & notabilem tristitiam, & inquietudinem; quam esse talem ipsimet subditi iudicare possunt, ex dolore, & mœstitudine, quam patientur.

QVÆSTIO XXXIII.

An excusentur à peccato famuli Barbitonsorum, qui à suis Dominis compelluntur, in festis laborare?

Negat Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 19.* excusari, casu, quo dicti famuli sint liberi, nec obligati ad seruiendum, & ideò (inquit) tenentur relinquere Dominos, si alios possunt in eadem ciuitate, seu oppido reperire, à quibus non cogantur laborare in diebus festis.

Sed probabiliùs Respondeo: Excusari, regulariter saltem, & communiter; quia, vt infrà videbimus, etiam ipsimet Barbitonsores, vt plurimùm, excusantur, vel ratione consuetudinis, vel ratione paruitatis materiæ, vel ex aliquo alio capite: ergo eademmet ratione (imò fortiori) excusari possunt famuli. Sic Pasqualig. *loc. cit. n. 7.* Addens *num. 8.* Quòd etiamsi aliquando contingat non excusari Dominos, adhuc tamen famuli illorum excusarentur; quia non pertinet ad ipsos discernere, quando adsit legitima causa laborandi, & quando non; quia sunt sub directione Dominorum, ad quos hoc spectat. Et cùm vt plurimùm adsit causa excusans, possunt præsumere, quòd semper adsit, nisi oppositum ipsis constet.

QVÆSTIO XXXIV.

An excusetur à mortali Barbitonsor, qui in festo, vnam, aut alteram barbam tondet?

Negare videtur Archidiacon. apud Nauarrum, vt statim videbimus.

Sed tanquam certum Respondeo: Excusari à mortali, ob paruitatem materiæ, iuxtà suprà dicta *quæst. 2.* cùm in radendo vnam, aut alteram barbam, non consumat duas horas; non tamen excusari à veniali, seclusis aliis circumstantiis, quæ etiam à veniali excusare possunt, vt statim dicam. Sic Nauarr. *in man. cap. 13. num. 9.* Ita dicens: Addimus item cum Caiet. *2. 2. quæst. 122. artic. 4.* quòd, neque tondere barbam, neque in id consentire vno, aut alio die festo, est peccatum mortale, ob paruitatem operis; neque veniale, si aliqua in id adsit causa, licèt contrarium senserit Archidiac. *in cap. Peruenit. de consecr. dist. 3.* cuius sententia locum habet in tonsore, qui multis barbam detondet, vel aliter patet. Sic ille. Lopez *1. p. instruct. cap. 52. vers. Nec tondere.* Sayrus *in Claui Reg. lib. 7. cap. 2. num. 11.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 31. num. 2.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 21. num. 1.* Fagundez *lib. 1. de primo. præcept. Eccles. cap. 14. num. 2.* Diana *1. part. alias 2. tract. 15. resol. 34. vers. Quoad secundum.* Pasqualig. *deci. 289.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 1. dub. 10. num. 1.* & alij penes ipsos.

Qva

QVÆSTIO XXXV.

An etiam excusetur à veniali barbitonsor qui tondet aliquem in festo, qui celebraturus est, vel Missam nouam, vel Nuptias, &c.

RESPONDEO: Excusari etiam à veniali. Quia, etiam ab hoc peccato excusando, sufficit causa assignata; cùm sit satis rationalis ad demonstrandam lætitiam, & gaudium, quo sacerdos ad celebrandum nouum illud, & incruentum sacrificium accedit; & vxoratus ad celebrandas Nuptias, ad quas sanctificandas Dominus noster Iesus Christus, Ecclesiæ sponsus, olim vocatus, accedere dignatus est. Sic Sanchez *dub.*21. *cit.v.*5. & penes illum, Nauarr. Caiet. Tolet. & alij iuniores. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *dub.*10.*num.*14.

QVÆSTIO XXXVI.

An etiam à peccato omni excusentur barbitonsores, tondentes in festo omnes suos Parochianos, propter solemnitatem Paschatis?

NEGANT Sanchez *lib.*5. *cit. cap.*2. *dub.*21. *n.*6. & Trullench *loc.cit.* docentes, non esse excusandus ob dictam causam, nisi alias sequatur aliquod damnum, vt quòd parochiani eos desererent, &c.

Sed certè probabilius Respondeo: Etiam excusari; si diebus aliis profestis occupati fuerint; vt infrà dicam. Quia etiam hæc sufficientissima est causa, vt à veniali adhuc excusentur; etiam aliis circunstantiis exclusis.

QVÆSTIO XXXVII.

An ratione consuetudinis possint excusari à peccato barbitonsores, qui per totum diem festum, aut per maiorem partem illius, barbas, & capillos tondent?

NON excusari ratione consuetudinis, docere Nauarrum, Lopezium, Caietanum & Sanchez, locis citatis, eo quòd talis consuetudo nullibi sit recepta, ait Pasqualigus *decis.*289. *num.*2. Sed certè, nec Nauar. nec Lopezius, id docent; nec, an detur, vel non detur consuetudo decidunt, quia non dubitant, vt videre apud illos est. Vnde

Tanquam certum, Respondeo: Excusari posse ratione consuetudinis. Quia optimè potest hæc consuetudo introduci, vt aliæ, contra leges; sunt introductæ; ergo vbicumque fuerit introducta, & recepta, verè ratione illius, excusabuntur à peccato barbitonsores tondentes in festis, etiam per totum diem. Nam consuetudo contraria derogat legi. Sic Sayrus *lib.*7. *cap.*2. *n.*11. Filliuc. *tract.*27. *num.*228. & Reginald. *lib.*19. *num.*51. quos citat, & sequitur Pasqualigus. Qui certè, sicut pro se citat Reginaldum, posset, eodem titulo, citare Caietanum, & Sotum, cùm hos pro se citet Reginaldus codem *n.*51. Tenéntque omnes Doctores.

QVÆSTIO XXXVIII.

An excusetur à peccato barbitonsor, qui solet diebus festis ire, ad tondendos agricolas, ad oppidum, in quo non residet?

RESPONDEO: Excusari. *Primò*, propter vtilitatem publicam illius oppidi. *Secundò*, propter vtilitatem propriam barbitonsoris, quia si aliis diebus ad id accederet, & fieret cum damno ipsius, & etiam oppidi suæ residentiæ; cùm ibi debeat artem suam exercere. Sic Sanchez *tom.*2.*consil.lib.*5.*cap.*2.*dub.*21. *n.*6. Pasqualig. *decis.*289. *n.*9. Trullench *c.*1. *cit. dub.* 10.*n.*14. & alij viri docti apud Sanchez.

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam excusetur barbitonsor, qui omnes, ad suam officinam, ad tonsuram accedentes, in diebus festis, tondet?

RESPONDEO: Excusari. *Primò*. Quia desereretur à Parochianis, & ab aliis ad suã officinam accedentibus, & consequẽter magnum detrimentum pateretur in lucro, & in sua sustentatione. *Secundò*, Quia, qui ad tonsuram in diebus festis accedunt, præsumuntur in aliis diebus profestis, ita esse occupati, & impediti, vt nõ possint sine magno incommodo accedere: ergo, hac necessitate præsumpta, optimè potest barbitonsor suam operam exhibere. Sic Sanchez *tom.*2. *consil.lib.*5. *c.*2. *dub.*21. *n.*2. 6. & 7. Pasqualig. *decis.*289. *n.*4. & 6. & Trullench *dub.*10 *cit.n.*14. vbi Sic ait: Hinc fit, vt alicubi propter consuetudinem possint excusari. Primò piscatores, venatores, & pictores, quoad aliquos actus frequentiores. Secundò, barbitonsores; vix enim nisi cum maximo ipsorum damno possunt repellere ab officina venientes diebus festis, siue quia alij præstò essent, qui ob eiusmodi lucrum idem seruitium erga eos præstarent; siue quia singuli sæpè habent necessitatem, vt tondeantur; siue quia sæpè excusari possunt ob materiæ leuitatem. Sic ille. Legantur Diana 1.*p.tract.*15. *resol.*34. & Ioan de Cruce *in sum.*1.*p.in* 3.*prec art.*1. *concl.*3. vbi expressè concedit, quòd possit tonsor tondere barbas laboraturis in crastinum.

QVÆSTIO XL.

An excusetur à mortali barbitonsor, qui postquàm aliquos, ratione necessitatis, in festo totondit, alios, sine vlla necessitate, per spatium duarum horarum, in eodẽ festo, capillos rasit?

RESPONDEO: Excusari à mortali (quamuis non à veniali) ratione paruitatis materiæ, iuxta nostrã sententiam relatam suprà *q.*6. Quia, quamuis totum illud spatium temporis, quod præstando suam operam tonsor cõsumpsit, videatur excedere paruitatem materiæ; cùm excedat spatium duarum horarum; re vera tamen, non excedit; eo quòd ex materia prohibita, & nõ prohibita, non coalescat vna materia prohibita; & ideo, cùm prohibita, sit parua, quamuis coniungatur cum non prohibita, semper remanet in sua paruitate. Sic Pasqualig. *loc. cit. n.*7. & 8.

QVÆSTIO XLI.

An excusetur à mortali, qui tonsuram in die festo à Barbitonsore petit?

RESPONDEO: Excusari à mortali; eo quòd petat opus seruile in parua materia: nõn tamen excusabitur à veniali, nisi aliàs, id cum causa aliqua rationabili petat: sic Nauar. Caiet. & Sanchez, quos citat, & sequitur Pasqualig. *dec.*289. *num.*10. Addens *n.*11. Quòd etiam excusaretur à mortali, si quis peteret tõsionem, quando scit, barbitonsorem excessisse iam paruitatem materiæ, absque causa excusante; quia quod præcisè petit est parua materia, quæ excusat à mortali; nisi aliàs, barbitonsor respondeat, quòd non

 possit

Digitized by Google

poſſit tondere, quia excederet paruitatem materiæ, eo quòd ſuam operam aliis exhibuerit; nam tunc, inquit, non poſſet quis ipſum aliquo modo inducere ad tondendum, quia eſſet inducere ad peccandum. Sic ille. Sed ego, neque in primo caſu, excuſarem petentem à mortali; ſi aliàs barbitonſor non eſſet paratus ad ſuam operam præſtandam, iuxta ea, quæ *1.p. tract.1. diſp.5. à q.9.* diximus, loquendo de petitione Sacramentorum à Miniſtris malis. Legantur attentè dicta.

Qvæstio XLII.

An excuſentur à mortali Sartores, qui, ſolùm ratione conſuetudinis, perficiunt in feſto, veſtes pro illa die inſeruientes?

Respondeo: Non excuſari, præcisè ratione conſuetudinis. (licèt aliàs poſſint, ratione paruitatis materiæ, ſi illam non excedant; iuxta ſuprà dicta.) Quia conſuetudo huiuſmodi, licèt valdè frequens ſit, non tamen eſt recepta, nec tolerata à Prælatis. Paſqualig. *deciſ.290.* citans pro hac parte, Lopezium *lib.1. inſtruct. conſ.* Nauarrum *in ſumm. cap.13. num.9.* Caietanum *2.2. q.122. art.4.* & Sanchez *lib.5. opuſc. c.2. dub.21. n.1.* Sed ex his Authoribus, nec Lopez. *lib.1. cit. c.52.* (vbi de hac materia agit) nec Nauarr. nec Caiet. *loc. cit.* verbum de hac quæſtione habent; Sanchez verò id docet *loc. cit.*

Qvæstio XLIII.

An ſaltem excuſentur à peccato ſartores, qui in feſtis conficiunt veſtes, pro Nuptiis, aut funere, in illis diebus celebrandis?

Respondeo: Excuſari. Quia adeſt, in his caſibus, quædam moralis neceſſitas talium veſtium, pro conſeruanda decentia ſtatûs celebrantium nuptias, aut funera: ergo ratione huius neceſſitatis, verè excuſantur ſartores, veſtes nuptiales, aut lugubres in feſtis perficiendo. Sic Trullench *lib.3. in Decal. cap.1. dub.10. n.10.* Layman *lib.4. tract.7. c.2. n.2.* & Diana *p.4. tract.4. reſol.62.* & Paſqualig. *deciſ.290. num.2. & 5.* Qui idem dicit dicendum, in caſu, quo quis aduena accedat ad vrbem, abſque veſtibus decentibus, & vrbanis; quòd ſcilicet, tunc poſſint ſartores perficere in die feſto, veſtes, ne ille cogatur domi ſe continere conterendo tempus, abſque eo, quòd poſſit ſuis negotiis vacare. Quod ſimiliter locum habet, quotieſcumque quis non poteſt, ſeruatâ decentiâ ſtatûs, domo exire abſque talibus veſtibus.

Qvæstio XLIV.

An etiam excuſentur Sartores, qui perficiunt veſtes in feſto, eo quòd timeant aliquod damnum notabile, aut acerbas reprehenſiones, & iniurias, ſi non perficiant?

Respondeo: Excuſari. Quia præceptum obſeruationis feſtorum, non obligat cum tanto dãno, & incõmodo, vt ſæpè diximus. Vnde ſi Sartores prudenter timerent, quòd ex eo quòd non perficerent veſtes ante feſtum, amitterent continuationem lucri, quod percipiunt, ex eo quòd ſeruiunt alicui familiæ, aut perſonæ, quia non vterentur ampliùs eorum operâ, & ſeruitio, licitè poſſent veſtes perficere. Sicut etiam poſſent, in caſu, quo ſi non perficerent, timerent acerbas reprehenſiones, & iniurias, cùm hoc damnũ ſit graue; imò & altioris ordinis, quàm eſt damnum lucri. Sic omnino Paſqualig. *deciſ.290. n.4. & 5.*

Qvæstio XLV.

An excuſentur ſartores, & alij Artifices, qui pro cauſa publica, & conuenienti Reipublicæ, veſtes, tabulata, & alia huiuſmodi, perficiunt, ornant, & laborant in feſtis?

Respondeo: Excuſari. *Tum,* ob congruentem neceſſitatem reipublicæ. *Tum etiam,* ob conſuetudinem receptam. Sic omnes Doctores communiter Suarez præcipuè *tom.1. de Relig. lib.2. cap.32. num.5.* Ita dicens: Adde, etiam excuſari eos, qui pro cauſa publica, honeſta, & conuenienti Reipublicæ aliquod opus faciunt, licèt vtilitas non ſit ſimpliciter neceſſaria, ſed ad communem populi lætitiam, vel ſplendorem, in occaſione moraliter neceſſaria vt in aduentu Regis, vel ortu Principis: tunc enim laborare ſolent artifices his diebus, vt veſtes, vel publica artificia, & tabulata, & theatra, vel perficiant, vel ornent, & ſimilia: quæ ita ſunt conſuetudine recepta, vt ipſa ſufficiat ad excuſandum. Sic Suarez, Sotus etiam *lib.2. de iuſt. q.4. art.4. ad 3.* Azor *tom.2. lib.1. cap.28. q.4. & 5.* Reginald. *lib.19. num.49.* Bonac. *diſp.5. de 3. præcept. Decalogi, punct.3. n.12.* Filliuc. *tract.27. num.213.* Sanchez *lib.5. conſil. cap.1. dub.18. num.24.* Palao *tom.2. tract.9. punct.10. num 3.* Fagundez *lib.1. de 1. præcept. cap.14. num.23.* Paſqualig. *deciſ.291.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.10. n.5.* Llamas *3.p. Method. c.4. §.6. pag.476.*

Qvæstio XLVI.

An excuſentur artifices, qui in feſto, tabulata faciunt, vt in eis publicus actus Inquiſitionis fiat?

Respondeo: Excuſari, ob rationes nuper aſſignatas; & inſuper; quia cùm prædictus actus, licitè in feſto, ob bonum commune, & Religionis, fiat (vt ſuprà habitum eſt) ita ob eundem finem, licitum erit, tabulata in ordine, & ornatu talis Inquiſitionis actûs, in feſtis fieri. Sic Sanch. *dub.18. cit. n.26.* per hæc verba: Hinc fit licere in feſtò, quandò fit publicus actus Inquiſitionis, reficere, vel corroborare aliqua tabulata, quando eſt neceſſitas; imò tanta poſſet occurrere multitudo plebis inopinata, vt eſſet cauſa ſufficiens ad facienda noua tabulata. Sic ille.

Qvæstio LXVII.

An etiam excuſentur Artifices, qui, quando in feſto recitanda eſt comedia, laborant in ipſo feſto, efficiendo tabulata, & alia neceſſaria?

Negant nonnulli apud Sanchez *dub.18. citat. num.14.*

Sed probabiliùs Reſpondeo: Etiam excuſari. Quia huiuſmodi repræſentationes, ſeu comediæ ſunt in republica, neceſſaria, (ſi fiat modo debito, & congruo tempore, & cum aliis circunſtantiis, quæ communiter abſunt ab his actionibus) ob publicam recreationem, & lætitiam, quæ, ita exigente bono communitatis, neceſſaria eſt in republica: ergo ſi hæc neceſſaria ſunt, & exercenda in die feſto, etiam erit neceſſarium exercere opera ſeruilia, vt perficiantur ea, quæ ad exercenda prædicta, neceſſaria ſunt. Sic Sanch. *loc. cit. n.24.* & Paſqualig. *deciſ.291.* Qui id extendit ad comedias, & repræſentationes cuiuſcumque generis, etiamſi fiant à priuatis perſonis.

Qvæ

Qvæstio XLVIII.

An tandem, excusentur prædicti artifices, si prædicta tabalata, &c. faciant in festo; casu, quo illa potuerint conficere ante diem festum?

Respondeo, Nõ excusari; si prædicta, ante festum diem facere potuerunt, & de industria ad diem festum reseruata fuerunt: secus verò, si illa non potuerunt omninò præueniri, quia tunc licitè in festo dicta opera seruilia conficere poterunt. Sic docent Auctores communiter, præsertim citati, expressè primam partem huius responsionis docentes. Inter quos, præcipuus, in hac re, est, Pasqualig. *loc. citat.* Qui, *numero* 5. pro probatione secundæ partis nostræ conclusionis, hæc ait: Et quia opera ista non possunt præueniri regulariter; vt fiant ante festum diem, quia ferè plus temporis insumitur, quàm præsumi fuerit, ideò non est nimis scrupulosè procedendum: quia ex regulari necessitate protrahendi, quæ solet intercedere, censenda est licita protractio in diem festum, tanquam eorum, quæ moraliter non poßunt non protrahi. Sic ille. Legantur Suarez *lib.* 2. *cit. cap.* 21. *num.* 8. Azor *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 5. Fagundez *lib.* 1. *cit. cap.* 14. *n.* 5. & Trullench *dub.* 10. *cit. num.* 5. *&* 8.

Qvæstio XLIX.

An excusentur à peccato, qui in die festo, equos iter agensium ferrant?

Respondeo: Excusari. Quia sicut excusantur à peccato, iter agentes equestres dictis diebus festis: Ita, eodémque modo excusari debent facientes in festis, ea, sine quibus iter fieri non potest in festis. Sic Bonacin. *disput.* 5. *de* 3. *præcept. Decalog. punct.* 3. *num.* 11. & penes illum Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. Tabiena *v. Feria, num.* 25. & Anton. *de litteratis* 2. *part. cap.* 17. *num.* 24. Sic item Sanchez 2. *tom. consil. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 14. & penes illum, Caiet. *in summ. Festorum violatio.* Lublinus *verb. Festum, num.* 4. Nauarr. *cap.* 13. *n.* 6. Siluester, & Sotus & alij communiter.

Qvæstio L.

An etiam, excusentur à peccato, ferrantes in festis equos, non iter agentium?

Negat absolutè, Sanchez *loc. cit.* & apud illum, alij viri docti, de hac re ab ipso consulti.

Sed ego Respondeo: Dicendum, quòd licet verum sit, quòd non excusentur à peccato ferrantes equos existentium in populo, & non agentium iter, eo quòd non adsit necessitas; excusantur tamen ferrantes equos, aut mulas eorum, qui altera die multo mane faciendi sunt iter, aut in agrum ad laborandum egrediun. Sic Ioann. de Cruce *in summ.* 1. *part. vbi de precept. art.* 1. *concl.* 3. ibi: Et sic tonsor potest tondere Barbam laboraturis in crastinum, & idem del *herrador.* Ita Cruz. Et anteà loquendo in simili docuit Vinald. 4. *part. Candel. cap.* 5. *num.* 25. Sic dicens: Octaviò hæc eadem consuetudo scita, & tolerata à Prælatis excusat fabriferrarios, qui in aliquibus partibus reficiunt fractos vomeres agricolarum, vel aratorum, diebus Dominicis, & festis, dictis vesperis, ad hoc, vt die sequenti, summo manè ad laborandum exire possint. Sic ille.

R. P. Leand. in V. Precept. Eccles.

Qvæstio LI.

An excusentur textores, qui in diebus festis, instrumenta texendi præparant?

Respondeo: Absolutè loquendo, non excusari à mortali, (nisi aliàs consuetudo excuset) si in dictis instrumentis præparandis, notabile tempus consumant. Sic Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 1. & penes illum, alij viri docti. Idémque docet, loquendo de figulis, Ortiz *in sum. de* 3. *precept.* §. 4. per hæc verba: [Pero el cantarero no puede aparejar el barro para los cantaros, que ha de hazer el dia siguiete.] Sic ille, post illum, Lublinus *verb. Festum, num.* 4. Sic de omnibus officialibus in communi loquens: Culpatur tamen fidelis, si præparat materiam in festo, ex qua debet opus seruile confici die sequenti; vt si emollit lutum vt faciat lateres, si discernit farinam, vt conficiat panem, nisi consuetudo patriæ excuset. Sic ille, & Ioann. de Cruce *loc. cit. art.* 1. *concl.* 2. *in fine.*

Qvæstio LII.

An excusentur à peccato, qui in diebus festis, pontes, fontes, vias publicas, & alia huiusmodi, reficiunt; eo quòd sine magno incommodo, hac in alios dies non festos, non possint differri?

Negatiuam sententiam tenere Caietanum 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Sotum *lib.* 2. *de iust. & iure, quæst.* 4. *art.* 4. & Nauarrum *in man. cap.* 13. *num.* 11. ait Fagundez *lib.* 1. *de* 1. *precept. Eccles. c.* 14. *n.* 24. Quamuis ex his, solum Nauarrum, in bonum sensum explicet, & in suam sententiam trahat, & iure optimo; cùm nullam aliam doceat, vt infrà constabit. Sed eodem iure, & ratione eadem, poterat etiam trahere ad se Caietanum, cùm non discreperet à sententia Nauarri, cùm hic, expreßè Caietan. citet prose, & sequatur, vt statim videbimus. Sotus verò, nec verbum de hac quæstione habet in toto illo *art.* 4. Vnde,

Tanquam certum, Respondeo: Excusari. Quia licitum est operari seruiliter in festo, ob necessitatem propriam: ergo à fortiori, ob necessitatem communem: ergo hac stante, licitum erit pontes, fontes, & alia, in festo reficere, modò sine magno differri nequeant incommodo. Sic Suarez *lib.* 2. *cit. cap.* 32. *num.* 5. Azor *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 5. Tolet. *lib.* 4. (non 9. vt inuenies citatum apud Fagundez) *cap.* 4. (Qui citat pro hac parte Caietanum) & Fagundez *loc. cit. num.* 23. Tenet etiam expreßè Nauarrus *in man. cap.* 13. *num.* 4. & 11. Qui in vtraque parte citat Caietanum 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. Et benè. Quia vterque expreßè docet, non licere in diebus festis vias sternere publicas pro viatoribus, aut pontes erigere ratione pietatis; benè tamen vrgente necessitate, vnde clarè vterque nobiscum consentit. Sic etiam Lopez 1. *part. instruct. cap.* 52. *verf. Non licet.* Vbi pro se citat Caietanum. Sic etiam Palao *tom.* 2. *tract. de Obseru. Festor. disp. vnica, punct.* 10. *num.* 3. & est communis apud omnes.

Qvæstio LIII.

An excusentur à peccato, qui in diebus festis, laborant, in prouidendis rebus, ad aliquam expeditionem Indiæ necessariis?

Respondeo: Excusari (vrgente necessitate temporis) ob rationem dictam: Quia videlicet, necessitas vrget conseruandi, hoc modo, illorum statum,

Sic Fagundez *cap.* 14. *cit. num.* 23. Suarez *num.* 5. *cit. ibi*: Item hac ratione licet laborare in prouidenda Republica de necessariis ad victum diei festi, quoad eas res, quæ præueniri antea non possunt.

QVÆSTIO LIV.

An excusentur à peccato, qui causâ pietatis, seruilia exercent in festis?

AFfirmant (penes Pasqualigum) Palatius *in summ. verb. Festorum violatio.* Angel. *ver. Feria, n.* 9. 28. & 32. Tabiena *num.* 18. 37. & 41. Siluester. *verb. Dominica, q.* 5. Margarita *prac.* 3. Alcozer. *in summ. cap.* 17. Perez *lib.* 2. *de ordin. tit.* 1. *l.* 5. Glossa *in cap. Conquestus, de Feriis, v. Pietas.* Et Ioann. à Cruce 1. *part. summ. pra.* 3. *art.* 1. *n.* 4. Citat etiam Diana pro hac parte, Caietanum, *verb. Festum*, & Villalobos *in man. confess. cap.* 22. *n.* 80. Sed ex his, non benè Caietanum; cùm oppositum expressè doceat, vt infrà, Fundamentum huius opinionis est: quòd *in c. Conquestus, cit.* habetur, quòd iudicialia prohibita in festis, sint licita, necessitatis, vel pietatis causâ: ergo etiam seruilia, quamuis etiam sint prohibita in festis, erunt licita pietatis causâ, sicuti sunt, causâ necessitatis.

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Non excusari absolutè, solâ causâ pietatis. Quia obseruatio diei festi, quæ includit cessationem ab omni opere seruili, est opus Religionis præceptum: ergo præferendum est operi pietatis; quia, & est superioris ordinis opus; & etiam præceptum. Sic expressè Caietan. 2. 2 *q.* 122. *art.* 4. *vers. Ad hoc dubium, & in summ. ver. Festorum violatio.* Vbi sic ait: De pietatis verò operibus, cum suprà dicta distinctione dicito, opera per se pietatis semper esse licita: vt sepelire mortuum, seruire infirmo, & huiusmodi. Seruilia autem opera, quæ accidentaliter possunt ad pietatem ordinari, nequaquam ex pietatis ratione fiunt in festo licita, nisi necessitas exposcat: *Tum*, quia in iure non conceditur; sicut opus, odiciale, quod esset in festo licitum, nisi Ecclesia prohibuisset; quia non est seruile: *Tum*, quia opus religionis (quale est obseruare festum) non est prætermittendum occupando se in seruilibus propter pietatem, cessante necessitate. Et ideò ex hoc capite, non dicas, quòd reficere pontes, & vias, &c. Licitum sit in festo propter pietatem. Huc vsque Caietanus. Ex quo, & patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, & quàm malè illum citet Diana pro opposita parte. Sic etiam expressè Suarez, *tom.* 1. *de Religion. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 13. & *s.* 32. *n.* 7. Nauarr. *c.* 13. *n.* 4. 10. & 11. Sotus *lib.* 2. *de iust. & iure, q.* 4. *art.* 4. *ver. Sex ergo capita.* Azor. *part.* 2. *c.* 28. *q.* 4. Bonacin. *disp.* 5. *in* 3. *prae. Decalog. punct.* 3. *n.* 7. Fagundez *de* 1. *prae. Eccles. lib.* 1. *c.* 14. *n.* 6. (non 2 vt inuenies apud Dianam) Reginaldus *lib.* 19. *n.* 48. Filliuc. *tract.* 27. *n.* 157. Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 23. *n.* 3. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *punct.* 10. *n.* 1. & 2. Pasqualig. *decis.* 286. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *r. sol.* 177. Trullench *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 6. Lopez 1. *part. instruct. c.* 52. *vers. Non licet*, & communis. Et hæc in communi dicta, descendamus tamen ad particularia.

QVÆSTIO LV.

An excusentur à peccato, qui in festis, curant infirmos, sepeliunt mortuos, vestiunt nudos, & faciunt alia similia opera misericordiæ, & pietatis?

REspondeo, Tanquam certum; Excusari ab omni peccato. Quia hæc opera, licèt aliqua illorum includant quid seruile, sunt opera pietatis per se, quæ absque dubio, in omnium opinione, licitè exercentur in festis. Sic expressè Caiet. Suarez *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 13. Bonac. *loc. cit. num.* 7. Bassæus. *v. Festum.* 5. *num.* 3. Trullench. *loc. cit. n.* 6. Sanchez, Castro & alij communiter.

QVÆSTIO LVI.

An excusentur etiam à peccato, qui in diebus festis, sternunt vias publicas pro viatoribus, pontes erigunt, congregant ligna, & lapides pro loco publico, solâ pietatis causâ moti?

AFfirmant Authores primæ sententiæ *q.* 54. relati. Sed probabiliùs longè, Respondeo; Non excusari à peccato, & mortali. Quia probabilius longè est, prædicta opera, cùm per se sint seruilia, & per accidens, & reductiuè sint opera pietatis, per se esse prohibita in festo, & sic, non concurrente vrgente aliqua necessitate, per quam fiant licita, nullo modo exerceri sine incursione mortalis possint. Sic Suarez, Caiet. Bonac. Nauarr. Reginald. Sanchez, Palao, Trullench, *loc. cit.* & omnes alij adducti pro nostra opinione, quæst. 54.

QVÆSTIO LVII.

An excusentur à peccato Artifices qui in diebus festis laborant, vt ex lucro, eleemosynas pauperibus erogent?

AFfirmant Sylvest. *v. Dominica, quæst.* 5. *ver.* 3. & penes ipsum Monald. Et alij, qui indifferenter aiunt, omnia opera seruilia, si fiant in subsidium pauperum, non esse prohibita in die festo, vt Angel. *loc. cit.* & alij.

Sed, probabiliùs longè, Respondeo: Non excusari à peccato mortali. Quia, probabilius longè est, prædictos artifices non posse id licitè facere, *vt benè probat* Suarez *lib.* 2. *cit. c.* 21. *n.* 14. per hæc verba: Sed hæc interpretatio admitti non potest, sine alia declaratione, & limitatione. Alioqui omnes artifices Reipublicæ possent laborare in die festo, vt ex lucro facerent eleemosynam, & si voto hoc Deo offerrent, votum esset licitum, quod sine dubio falsum est: & contra communem vsum, & sensum Ecclesiæ. Debet ergo hoc necessariò limitari, & intelligi de operibus misericordiæ, quibus pauperes, vel infirmi actu indigent in die festo. Sic ille. Et post illum, Fagund. *c.* 14. *cit. n.* 19. vbi sic respondet quæstioni: Respondeo huiusmodi artifices non posse licitè id efficere, nec votum, ea de re factum, valere. Ratio est, quia, vt necessitas excuset à cessatione operum seruilium, debet esse necessitas actu existens, in aliquo paupere particulari, quæ moraliter nota sit, & patens, & ita patens, vt si in eo die festo ei per opus seruile non succurramus, quando aliter non possumus, absque remedio, & subsidio relinquetur: quia vix inueniatur alius, qui ei gratis eo die succurrat, & ideo non sufficit necessitas illorum pauperum in communi, qui se se obtulerint, nec votum valebit, nec à peccato trangressionis præcepti, de obseruandis festis excusabuntur artifices, qui propter hanc necessitatē in communi voluerint laborare. Huc vsque ille. Et antea Nauar. *c.* 13. *n.* 10. Palao *loc. cit. n.* 2. Sic inquiens: Aliàs liceret cuilibet laborare in die festo, vt ex lucro acquisito eleemosynam pauperibus erogaret; quod non est dicendum; qua opera præcepta postponenda non sunt supererogatoriis. Sic ille, & penes ipsum, Eman. Rodrig. Bonac. Nauarr. Reginald. Caiet. & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LVIII.

An saltem, excusentur Artifices, qui in festis diebus, pauperi in magna necessitate existenti, vestem consuunt, aut illi ligna portant, &c.

RESpondeo, Tanquam certum; Excusari, si pauper sit in magna necessitate, & ipse id efficere non possit. Quia sicut necessitas propria excusat à præcepto obseruandi festa, & facit quòd opera aliàs prohibita, exerceantur licitè, ita eodem modo necessitas proximi excusabit. Et quamuis necessaria sit prudentia ad iudicandum, an necessitas proximi tanta sit, vt possit excusare à peccato opera seruilia facta, ob eius necessitatem; regulariter tamen, securiùs potest quis duci ad laborandum in festo, pro necessitate proximi quàm in propria. Sic omnes DD. vtriusque sententiæ nuper q.54. citati, præcipuè Suar. *lib.2. cit. c.21. n.15.* Fagund. *lib.1. cit. c.14. n.16. & 19.* Quibus potest addi Ioan. de Cruce *in sum.1.p. in 3. prac. art.1. concl.3.*

QVÆSTIO LIX.

An excusentur à peccato, qui in diebus festis, exercent aliqua opera seruilia, in honorem, & cultum Dei?

RESpondeo: Tanquam certum; Excusari; loquendo præcipuè de operibus, quæ immediatè pertinent ad Dei cultum. Sic omnes Doctores. Legantur Caiet. 2.2. q.122. *art.4. §. Ad hoc dicitur, & in sum. v. Festorum violatio.* Sot. *lib.2. de iust. q.4. art.4.* Nauarr. *c.13. n.4.* Azor *tom.2. lib.1. c. 28. q.5.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. c.21. à n.8.* Fagund. *lib.1. de 1. prac. Eccles. à n.4.* Bonac. *disp.5. de 3. prac. Decal. punct.3. n.6.* Sanchez *lib.5. consil. c.2. dub.22.* Castro Palao *tom.1. tr.9. punct.10. n.1.* Pasqualig. *decis.287.* Trullench *lib.3. in Decal. c.1. dub.10. n.5.* & alij citandi. Hæc in communi; descendamus ad particularia. Sit ergo

QVÆSTIO LX.

An excusentur à peccato, qui in festis pulsant organa, & cymbala; deferunt crucem in processionibus; musicis instrumentis vtuntur &c.

RESpondeo: Tanquam certum; excusari. Quia, licèt hæc opera aliquo modo sint seruilia, ita tamen coniuncta sunt cultui diuino, vt eadem sit ratio, ac de ipso cultu; quia accessorium sequitur principale. Et hoc magis euidens est, si loquamur de illis actionibus, quæ ingrediuntur cultum diuinum, vt est delatio Crucis, pulsatio instrumentorum, & huiusmodi; quia cùm cultum Diuinum ingrediantur, & hic sit finis obseruationis festorum, non solùm per ipsa non violantur festa, sed etiam sanctificantur. Sic Caiet. & Sot. *loc. cit.* Suarez *loc. cit. n.10.* Tolet. *lib.4. c.25. n.2.* Azor *q.5. cit.* Fag. *c.14. cit. n.4.* Sanchez, Bonac. Palao, & Trullench *loc. cit.* Pasqual. *loc. cit. n.8.* & omnes.

QVÆSTIO LXI.

An excusentur à peccato, qui in festis, rationabili de causa, conficiunt Hostias, templa mundant, tapetis ornant, vias publicas ad processionem præparant &c.

RESpondeo, Tanquam certum; excusari ab omni peccato. Vnde quando præcedentibus diebus ante festum, non potuerunt artifices, aut officiales, prædicta opera efficere, aut commodè præparare; vel quia, ob continuationem festorum, non potuerint fieri in die non festo; vel quia, Sacrista non potuit obtinere tapeta, aut ornamenta, &c. tunc profectò, verè excusantur à peccato, hæc omnia in festis faciendo. Sic omnes Doctores, præcipuè Caiet. Sotus, Suarez, Fagundez, Sanchez, Palao, Pasqualigus, *loc. cit.* Filliuc. etiam *tract.27. n.218.* Saytus *lib.7. cap.2. n.3.* & alij sup. citati q.59.

QVÆSTIO LXII.

An etiam excusentur ab omni peccato, qui prædicta opera seruilia, relata quæst. antecedenti, absque rationabili causa, in festis exercent?

NEgant imprimis Conradus *in respons. p.2. q.223.* & alij, quos tacitis nominibus, refert Diana *3. p.* (non 2. vt offendes, apud Trullench) *tract.5. resol.8.* existimantes, ita facientes, peccare mortaliter, si diebus antecedentibus ad festum, conficere potuerint; quia (videlicet) absque causa, exercent in festis opera seruilia.

Negant, sed mitiùs, affirmando, quòd qui dictas actiones, non interueniente legitima, aut rationabili causâ, in diebus festis exercent, excusentur à culpa mortali, non veniali. Ita Toletus *lib.4. c.25. n.2.* vbi expressè ait, quòd, coquere hostias & ornare templorum parietes in die festo, etiam cùm ante fieri potuissent, ex se non sit mortale peccatum. Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. c.21. n.11.* Sic dicens: At verò, actio mundandi scopis templum, & pariete vestiendi tapetis, & similes, magis remotæ sunt à cultu, & ex se sunt seruiles, communes ad alia loca, vel domos, & ideò reseruari non debent in diem festum. Neque id fiet sine aliqua culpa, non credo tamen esse mortalem, secluso contemptu, vt bene indicat Caiet. *dicto art.4. & in summ. verb. Festorum violatio.* quia materia de se non est grauis, & fit leuior ex coniunctione ad cultum Dei. Sic ille. Fagundez etiam *lib.1. cit. c.14. n.4.* Azor *c.28. cit. q.5.* Sotus *lib.2. de iust. q.4. art.4.* Filliucius *tract.27. c.9. à n.155. & c.11. n.218.* Bonac. *disp.5. de 3. prac. Decal. q. vnica, punct.3. n.6.* (non, vt inueni citatum apud Dianam, *disp.5. de legib. punct.3. n.3.*) Trullench *lib.3. in Decal. c.1. dub.10. n.5.* Palao *tom.2. tract.9. disp.2. punct.10. n.1.* Sanchez *tom.2. consil. lib.5. c.2. dub.22. &* Diana *loc. cit.* & alij.

Sed certè (vt bene vidit Pasqualigus vbi infrà) aut necesse est fateri, quòd prædicta exercentes præfata opera seruilia in festis, absque causa rationabili, peccent mortaliter (vt intendunt Authores primæ sententiæ) aut nullum peccatum (nec veniale) committant. Quia materia de se est prohibita, & grauis, aut notabilis, vt supponitur; ergo, si non honestatur, ex eo quòd ordinetur in cultum Dei, verè remanet in sua natura, & necessariò erit obiectum peccati mortalis.

Nec obstat, si dicas cum Suario, & Fagundio, quòd materia hæc de se non sit grauis, & fiat leuior ex coniunctione ad cultum Dei, & ideò facere, vt peccatum sit tantùm veniale. Quia contra est, quod magis certum est, quòd materia prædicta, de se sit notabilis, & grauis, vt supponunt Authores primæ sententiæ (aliàs inutilis ferè esset quæstio) ergo, si prædicta materia est grauis, & prohibita, vel coniunctio diuini cultus honestat illam, vel non; si honestat: ergo absolutè remanet licita, si non honestat: ergo relinquit in eo quòd sit materia prohibita, & consequenter materia peccati mortalis. Vnde,

Probabiliter æquè, Respondeo: Quòd verè ab omni peccato excusentur, qui præassignata opera seruilia in festis exercent, etiamsi nulla adsit causa differendi, aut protrahendi, ea in diem festum.

Primò. Quia ideò omnes Authores excusant, etiam à veniali, eos, qui in diebus festis pulsant organa, & campanas, & aliis instrumentis vtuntur: quia hæ actiones ingrediuntur cultum diuinum, & communicant cum eo: Sed sic est, quòd etiam illi, qui conficiunt Hostias, mundant templa, eorúmque parietes ornant, exercent actiones, quæ (licèt non ita proximè) ingrediuntur cultum diuinum, & in eo communicant: ergo etiam isti erunt immunes ab omni peccato. Minor probatur. Quia præfata opera reddunt cultum diuinum, nobilem, & splendidum; (sicut redditur ex eo quòd Sacerdotes vtuntur splendidis vestibus) suntque signa declarantia cultum internum, propensiori modo, in illo die festo, Deo exhiberi, & denique sunt concinnatio quædam externi honoris diuini: ergo.

Secundò. Quia iam habet consuetudo, vt hæc omnia absque vllo scrupulo exerceantur in festis: ergo sufficienter explicat, non esse ex operibus seruilibus, quas lex prohibet, ne in festo fiant. *Tertiò*. Quia si exercere dicta opera in festis est peccatum, vel est mortale, vel veniale; non mortale, vt communis sententia fatetur; nec veniale, cùm circa præsentem materiam repugnet, vt suprà est ostensum: ergo nullum. *Quartò*. Quia probabile est, vt fatentur Suarez & Filliuc. quòd ornare altaria, eaque mundare, extrahereque vestes sacras, & aliæ similes actiones, sint licitæ in festo, eo quòd vel non sunt seruiles, aut si sunt, non censentur per legem prohibitæ, eo quòd sint vicinæ cultui diuino; ergo idem propter eamdem rationem censendum, & dicendum est de decoctione Hostiarum, mundatione, & ornatu templi, & similibus actionibus. Sic Pasqualig. *decis*. 287. *num*. 3. *& sequent*.

QVÆSTIO LXIII.

An item excusentur, qui in diebus festis, lauant vasa sacra, Purificatoria, & alia huiusmodi?

Affirmat Pasqualigus *decis*. 289. Docens id esse licitum in festo fieri, etiam per totum diem. Quia, licèt lauare, de se sit opus seruile, dum tamen versatur circa materiam sacram, desinit esse seruile. Quod ex eo patet, quia pertinet ad munus personæ sacræ, quatenus talis est, nempè Subdiaconi; persona autem sacra, quatenus talis, non est destinata operi seruili. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo: Non excusari, nisi adsit aliqua rationalis causa. Ratio est. Quia lauare, est quid mechanicum, & seruile de se, vt fatetur Pasqualigus: ergo, à quacumque persona, siue sacra, siue non sacra id fiat, semper erit seruile opus, cùm non possit extrahi à sua naturali conditione, aut ab eo, quod habet ex se, ab aliquo extrinseco: ergo est prohibitum in festis fieri à quacumque persona. *Confirmatur*. Quia lauare vasa sacra, aut Purificatoria, & cætera huiusmodi, non ita pertinet ad munus personæ sacræ, nempè Subdiaconi, quòd non possit alia persona non sacra id munus exercere; vt constat; habent namque priuilegium ad hoc faciendum Religiosi etiam laïci: ergo non ex eo præcisè quòd lauare vasa sacra, aut Purificatoria pertineat ad Subdiaconum, desinet esse opus seruile, quod habet ex se.

Secundò. Quia aliàs, si ex eo quòd opus seruile, versetur circa materiam sacram desinit esse seruile, sequeretur, quòd possent etiam Artifices, in diebus festis mundare vasa sacra; & Moniales lauare iterum ac reficere corporalia; & purificatoria, & alias vestes sacras, etiam per totum diem, absque aliqua culpa, quod nullus concedet, non vrgente necessitate aliqua patet, quia licèt hæ actiones, non sint præcisè personæ sacræ, versantur tamen circa materiam sacram; ergo dicendum est, quòd non ex eo quòd opus seruile versetur circa materiam sacram, desinit esse seruile, ac proinde illicitum in diebus festis.

Ad fundamentum Pasqualigi dicendum est, quòd licèt persona sacra, vt sacra est, non sit destinata operi seruili, sed cultui diuino, potest nihilominùs opus seruile destinari personæ sacræ, vt fit in præsenti, ab Ecclesia, destinando Subdiacono, hoc opus lauandi corporalia, purificatoria, & vasa sacra. Sed ex hoc non colligitur, quod intendit Pasqualigus, nempe, quòd tale opus desinat esse seruile; ac proinde, non prohibitum in diebus festis.

QVÆSTIO LXIV.

An excusentur à peccato, qui in diebus festis, agros Ecclesiæ arant, metunt, fodiuntve, Ecclesias ædificant, vel ad ædificandas, lapides, & ligna ferunt?

Affirmant absolutè Angel. Syluest. Palac. Alcozer, & alij citati suprà q. 54. existimantes, esse licitum in die festo, exercere opera seruilia in fauorem Ecclesiæ, aut alterius loci pij. Quibus consentire videtur Sà, *v. Festum* 6 Vbi absolutè excusat à peccato laborantes in festo, pro loco pio.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Non excusari; nisi casu, quo Ecclesia, pro qua dicti laborant, paupercula sit. Ratio est. Quia hæc opera, verè seruilia sunt, & remotè ad cultum diuinum ordinantur ex relatione operantium duntaxat; & ideò manent per se prohibita, ne fiant in die festo; nisi vrgeat necessitas Ecclesiæ, quæ ædificatur, quia videlicet, paupercula est, ita vt non possit sibi prouidere de huiusmodi necessariis; quia tunc, propter illius necessitatem, excusantur. Sic communiter Doctores Caiet. 2. 2. q. 122. *art*. 4. *vers. Ad hoc dicitur, quòd corporalia*. Sotus *lib*. 1. *de iust*. *q*. 4. *art*. 4. Nauarr. *cap*. 13. *n*. 4. *&* 10. Suarez *tom*. 1. *de Relig*. *lib*. 2. *cap*. 21. *n*. 12. Azor. *tom*. 2. *lib*. 1. *c*. 28. *q*. 5. Armilla *ver. Feria*. *n*. 20. Bonac. *disput*. 5. *cit*. *punct*. 3. *n*. 6. *vers. Ex dictis*. Reginald. *lib*. 19. *n*. 48. Filliuc. *tract*. 27. *cap*. 9. *n*. 156. Trullench *lib*. 3. *in Decalog*. *cap*. 1. *dub*. 10. *num*. 5. Ortiz *de* 3. *præcept*. §. 4. *fol*. 101. Llamas 3. *part*. *Method*. *cap*. 5. §. 6. *pag*. 476. Lublinus *verb. Festum*, *n*. 4. Ioan. de Cruce *in summ*. 1. *part*. *in* 9. *præcept*. *art*. 1. *dub*. 1. Castro Palao *tom*. 2. *tract*. 9. *disp*. 2. *punct*. 10. *num*. 1. Sanchez *lib*. 5. *cit*. *c*. 2. *dub*. 23. *n*. 3. Pasqualig. *decis*. 287. *num*. 7. Fagundez *lib*. 1. *de* 1. *Eccles*. *præc*. *cap*. 14. *n*. 6. *&* 24. *aliàs* 25. Vbi sic ait: Excusantur etiam ij, qui laborant pro Ecclesiis, pro locis piis, & Monasteriis pauperum religiosorum ad illorum ædificationem, vel reparationem, vel in alio opere necessario in iisdem Monasteriis extruendo, modò Missa primò audiatur. Sic ille.

QVÆSTIO LXV.

An sola necessitas, sine vlla licentia Superioris, excuset à culpa illum, qui in festo seruilia exercet?

Respondeo tanquam certum: Excusari, modò necessitas sit patens, & indubitata. Quia hæc, ex se excusat, vt suprà est habitum. Vnde si quis Episcopus præciperet, sub excommunicatione latæ, ne quis in

festo

Digitized by Google

festo laboraret, nullo modo ligaret eos, qui iustam haberent causam laborandi. Sicut nec ligaret adhuc, si in excommunicatione præciperetur, ne quis, neque ex causa necessitatis, aut pietatis, laboraret. Quia huiusmodi excommunicatio grauem, & intolerabilem errorem contineret; & ideò esset irrita, & nulla, vtpotè, contrà dispositionem capitis vltimi *de Feriis*, concedentis, laborare in festis, necessitate, vel pietate vrgente. Sic Tabiena *verb. Feria, n.*44. Rosella *n.*27. Syluest. *v. Dominica, q.*7. Nauarr. *c.*13. *n.*15. *&* 16. Quos citat, & sequitur Fagund. c. 14. *cit. n.*7. *&* 25. Bonac. *disp.*5. *cit. punct.*3. *n.*18. *vers. Ex dictis*, & penes ipsum, Sayrus, Grassius, & Anton. de litteratis. Sanch. *tom.*2. *consil. lib.*5. *c.*2. *dub.*18. *n.*20. Trullench *dub.*10. *cit. n.*12. *& vltimo*. Ioan. de Cruce *in summ.*1. *p. præc.*3. *a.*1. *concl.*3. ibi: Tertiò licet resarcire vestes pauperum, & ipsis, & pro ipsis, ablato scandalo laborare pro victu acquirendo, etsi sit lata excommunicatio in laborantes. Sic ille, & penes illum, Nauar. Armilla, & Caiet.

QVÆSTIO LXVI.

An excusetur à peccato, qui in festo exercet opus seruile, putans se habere legitimam causam, si re vera illam non habeat?

RESpondeo: Excusari. Quia adest bona fides, quæ tollit intentionem contrariam præcepto, etiam indirectam. Nec iste talis tenetur inquirere, an dicta bona fides, sit causa sufficiens, vt à peccato excusetur; quia eo ipso, quòd putat esse sufficientem causam, non tenetur inquirere de illa: quia solùm, ratione dubij, est necessaria inquisitio; non ratione opinionis probabilis, quam tunc habet, qui putat se sufficientem causam habere. Sic Caiet. *in summ. verb. Festorum violatio*. Nauar. *in man. c.*23. *n.*43. Sanchez *tom.*1. *sum. c.*17. *n.*18. *& tom.*2. *consil. lib.*5. *c.*2. *dub.*31. *n.*2. Pasqualig. *decis.*306. Trullench *lib.*3. *in Decal. cap.*1. *dub.*7. *n.*21. & alij penes ipsum. De quo adhuc infrà loquendo de præcepto Missæ; nam id generale est omnibus præceptis. Vt notat etiam Iosephus de Rocafull. *in praxi morali p.*5. *lib.*1. *de legib. cult. sect.*1. *n.*107.

QVÆSTIO LXVII.

An excusentur à peccato, qui in diebus festis, ex dispensatione Ecclesiæ, laborant?

RESpondeo tanquam certum: Excusari. Quia dispensatio aufert obligationem legis in particulari, & hæc locum habet in omni lege positiua. Sufficit ergo, vt quis excusetur à peccati laborandi in festis, quòd interueniat dispensatio, siue sit à iure, siue ab homine; siue expressa, siue tacita sit. Sic omnes Doctores. Legantur D. Anton. 2. *p. tit.*9. *c.*9. Caiet. 2. 2. *q.*122. *Art.*4. *vers. In septimo casu*. Sotus *lib.*2. *de iust. q.*4. *art.*4. Nauarr. *c.*13. *n.*8. Suarez, *tom.*1. *de relig. lib.*2. *c.*33. Fagundez *lic.*1. *cit. c.*14. *n.*26. Bonac. *disp.*5. *cit. punct.*3. *num.* 20. Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*10. *num.* 12. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*2. *dub.*20. Castro Palao *punct.*10. *cit. n.*5. & alij.

QVÆSTIO LXVIII.

An non solùm Papa, sed etiam Episcopus, possit dispensare, vt quis in festo laboret?

RESpondeo: Tanquam certum: Quòd non solùm Papa possit, vt per se notum est; sed etiam Episcopus, & hoc non solùm in festiuitatibus propriis, aut à se indictis; verùm, & in generalibus totius Ecclesiæ, & indictis à Pontifice; in his enim, adhuc potest dispensare, cum particularibus personis, aut populis, quoad hoc quòd est laborare, aut alios aliquos actus. Hanc enim potestatem habent Episcopi; quia re vera est moraliter necessaria ad regimen animarum pro casibus repentinis, & extraordinariis occurrentibus. Sic omnes. Legantur Caiet. Sotus, Nauarr. Suarez, Fagundez, & alij nuper citati. Machado etiam *lib.*2. *summ. part.*3. *tract.*16. *document.*5. & Villalob. *tom.*2. *tract.*27. *diffic.*5. *n.*1.

QVÆSTIO LXIX.

An etiam Parochi, possint licentiam laborandi in festis, suis Parochianis concedere?

RESpondeo: Etiam posse, vrgente aliqua causa, & casu, quo Episcopus adiri nequit. Quia etiam tunc est opus, & necessarium, vt Parochiani suum Pastorem adeant, vt in causa propria periculum errandi vitent. Sic præfati Authores præcipuè Suarez *lib.*1. *c.*33. *n.*2. Ita dicens: Vnde rectè dicunt iidem Authores, non solùm Episcopum posse hanc licentiam dare, sed etiam in absentia eius, Pastorem illum, qui maiorem habet in populo auctoritatem. Vnde in paruis oppidis, quando non potest facilè recurri ad superiorem Prælatum, seu Episcopum, Parochus potest licentiam dare solùm ad tempus, & pro ratione occasionis actualis occurrentis. Nam si oporteret diuturnam, & stabilem facultatem concedere, Episcopus consulendus esset, quia ad illum per se spectat hæc dispensatio. Nomine autem Episcopi, omnem Ordinarium intelligimus; qui Episcopalem habet, vel participat iurisdictionem, &c. Sic ille. Azor *tom.*2. *lib.*1. *c.*28. *q.*6. Fagundez *c.*14. *cit. n.*27. *&* 28. Machado, & Villalob. *loc. cit.* Palao *punct.* 10. *in fine*. Azor. *c.*28. *quest.*6. & communis.

QVÆSTIO LXX.

An item, Prælati regulares, possint dispensare cum suis domesticis, vt in diebus festis laborent?

RESpondeo: Etiam posse, si adsit rationabilis causa. Vnde non solùm Generales & Prouinciales; verùm etiam alij Superiores locales, veluti Ministri, Priores, Abbates, Guardiani, & alij, dispensare possunt ex causa, cum suis domesticis, tantum intra claustra degentibus. Sic Azor *c.*28. *cit. q.*5. *&*6. *Postremò* Fagundez *n.*28. *cit.* Trullench *dub.* 10. *cit. n.*12. *in fine*, Machado *lib.* 2. *p.*3. *tr.*16. *docum.*5. *n.*1. Palao *loc. cit.* Ita concludens: Sub nomine Episcopi comprehendo quemcumque habentem iurisdictionem quasi Episcopalem. Abbates exemptos, Capitulum sede vacante, Superiores religiosorum comparatione suorum subditorum. Glossa, *in cap. quemquam, de vsuris in* 6. *verbo, loci ordinario, &c.* Sic ille.

QVÆSTIO LXXI.

An Episcopus possit alicui concedere facultatem laborandi in festo, hac conditione, seu onere adiecto, vt, scilicet, eroget aliquam eleemosynam fabricæ, aut luminaria Sanctissimi Sacramenti, &c.

RESpondeo: Posse. Quia hoc onus, non imponitur tanquam pretium datæ facultatis: sed honor cessationis ab opere seruili in festo, commutatur in aliud opus pium erogandi aliquid in pios vsus. Sic

Azor 2.*p.* (non 3.vt leges apud Bonac.) *lib.*1.*c.*28.*q.* 1. Regin.*lib.*19.*n.*54. Bonac.*disp.*5. *in* 3.*prac. Decal. Punct.*3.*in fine.* Trull. *lib.*3. *in Decal. c.*1.*dub.*10. *n.*12.

QVÆSTIO LXXII.

An excusentur à peccato, qui ex recepta consuetudine, in diebus festis laborant?

RESpondeo: Excusari. Quia consuetudo potest derogare legi humanæ; & totaliter illam abrogare: ergo à fortiori potest in parte; ergo cõsuetudine fieri potest, vt aliquæ personæ licitè possint in festis laborare, & alia prohibita in festis exercere. Vnde ex hoc principio, excusantur multi, quos in Christiana Republica in festis, exercere prohibita videmus. Excusantur namque Piscatores, Venatores, Pictores, in quibusdam particularibus materiis; Tonsores etiam per consuetudinem, tondendo aliquos in die festo, & alij, de quibus iam suprà dictum est. Sic D. Antonin. 2.*p.tit.*9.*c.*7. §.1. Syluest. *v. Dominica*, *q.*1. §.*vltimo.* Caiet. *in summ. v. Festorum violatio*, & 2. 2. *q.*122. *art.*4. Nauarr. *c.*13. *n.*8. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *c.*35.*n.*12.& *seqq.* Trullench *dub.* 10.*cit.n.*14. Machado *loc.cit.n.*2. Sic concludens: [Por esta regla se deduzen infinitos casos particulares, para cuya decision, y acierto, no ay mas que la costumbre; y en aueriguandose que la ay legitima, cõ toda la seguridad se puede estar à ella, y tener por licitas todas las acciones, por seruiles que sean que ella huuiere introduzido los dias de fiesta.]

QVÆSTIO LXXIII.

An item, excusentur à peccato, qui in festis seruilia opera exercent, ne amittant occasionem, acquirendi lucrum notabile, quod aliàs, acquirere non possent?

AFfirmat Pasqualig. *decis.*285. citans pro se Caietanum, *in sum. v. Festorum violatio.* Angelum. *v. Feria*, *n.*34. Rosellam *ibidem.* Armillam. *v. Festum*, *n.*20. Bonacinam *disp.*5. *de* 3. *prat. Decal. q. vnica pr.*3. *n.*15. Palatium *in summ. v. Festum.* Alcozer *c.*17. *Iamnus* Sanchez *tom.*2. *consil. lib.*5. *c.*2. *dub.*19. *n.*2. *Fernande p.*1. *exam. Theol. c.*7. §.1. *n.*.. & Dianam, 2.*p.tr.*15. *Resol.* 34. *in fine.* Citat etiam pro hac parte Bonacina, Nauarrum. *c.*13. *n.* 9. Reginaldum, *lib.*19.*n.*51. Sayrum, *lib.*7. *Clauis*, *c.*2. *n.*10. & Azorium. Sed ex his Authoribus, non bene citantur pro hac parte. Nauarrus, & Reginald. *vt infrà.* Fundamentum huius sententiæ est. *Primum.* Quia *in c. licet de Ferijs* dispensat Pontifex, vt possint piscari in diebus festis Alecias, quæ certo anni tempore solent transire, ne illud lucrum transitorium amittatur: ergo huiusmodi cõcessio, extendi potest, ad quodlibet aliud lucrum transitorium, cùm militet eadem ratio.

Secundum. Quia præceptum abstinendi ab opere seruili in die festo, non obligat cum tanto dispendio, qualis est amissio magni lucri extraordinarij: nam hæc reputari debet pro magno damno: ergo.

Negant verò è contrà Abulens. *q.*23. *in c.*12. *Exodi.* Syluest. *v. Dominica*, *q.*4.*p.*3. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*23. *n.*9. & penes illum, Andreas Barb. *in scholio ad Abbatem.* Reginald. *lib.*19. (non 29. vt inuenies apud Trullench) *c.*3. *n.*51. Vnde malè illum citat Bonacina pro sua parte. Fillruc. *tract.*27. *c.*11. *n.*123. Palao *tom.*2. *tr.*9. *disp. vnica*; *punct.*10. *n.*3. Trullench *lib.*3. *in Decal. c.*3. *dub.*10. *n.*14. & alij. Citarique potest pro hac parte Nauar. Nam hic Doctor, solùm dicit, idem esse dicendum de piscatione aliorũ piscium, qui similiter certo tantùm anni tempore occurrunt; non verò concedit, idem esse dicendum, de omni lucro priuato. Ratio eorum est, quia actio laborandi in festis, ob acquirendum aliquod magnum lucrum, nec est licita, ex eo quòd permittatur *in cap. licet. de ferijs*: quia illud caput, expressè agit de lucro publico, & transitorio; & quod solummodo occurrit, vno anni tempore; quæ circunstantia, cùm non inueniatur in lucro omni transitorio, & priuato, fit, vt dispensatio in ipso *cap. licet.* non habeat, *ob rationis identitatem*, locum in omni lucro priuato transitorio, (vt bene aduertit Reginald. *loc. cit.*) Nec rursus est licita, ratione necessitatis, vt supponimus, nec ratione vitandi damni emergentis; ergo ex nullo capite, est licita actio laborandi in festis, ob acquirendum priuatum aliquod lucrum; nisi aliàs id sit necessarium ad vitæ sustentationem, vel ad vitandum aliud nocumentum futurum.

Sed ego, vt in hac re, quid sentiam, dicam, Respondeo. Quòd licèt prima sententia sit probabilis, propter authoritatem Doctorum, qui eam sequuntur; probabilior tamen sit secunda non solùm propter Authoritatem Authorum, qui eam sectantur; verum etiam propter eius fundamentum, quod quidem firmum est, & stabile. Addo tamen ego, quòd prædicta actio exercendi seruilia in festis ob lucrum notabile transitorium acquirendum, fiet licita omnino, si accedat dispensatio superioris, Episcopi, videlicet, vel Parochi, si Episcopus adiri non potest: quia re verà, sufficiens causa reputari debet, vt petenti, huiusmodi dispensatio concedatur.

Ad Primum in contrarium, iam ex dictis constat, quod scilicet, non sit eadem ratio; quia in illa piscatione, de qua *in cap. licet*, agitur, non solùm de priuata vtilitate, sed de publica, & quæ solùm vna vice per annum percipi poterat; qua ratione, & causâ Pontifex dispensaunt. Addit Pasqualigus, & bene, quòd Pontifex in dicto *cap. licet*, non declarat legem, sed tantùm dispensat; & ideò non debet extendi ad similes casus, quia dispensatio respicit priuatas personas, in quarum fauorem fit.

Ad Secundum, Dicendum est, quòd amissio magni lucri futuri contingentis, seu casu occurrentis, nullo modo reputatur pro damno notabili, propter quod cessare debeat obligatio præcepti; sicut cessat pro euitando damno emergente, aut pro alia graui necessitate occurrente, &c.

An verò, ex vi huius præcepti sanctificandi festa, teneantur fideles ad aliquem cultum internum: vel ad sacram concionem audiendam; & ad alia huiusmodi, dicemus tract. sequenti, *disput.*2. quæstione 7.

TRACTATVS SECVNDVS

De Auditione Missarum.

TRACTANT de hoc primo præcepto Ecclesiæ Canonistæ *in cap. Omnis, & cap. Missas, de consecrat. dist.* 1. Theologi cum S. Thoma 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 4. & *quæst.* 103. *art.* 3. & 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. Caietan. *ibid. & in summ. verb. Festorum violatio.* Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 13. Sotus *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. & *lib.* 2. *de iust. & iure quæst.* 4. *art.* 4. Nauarr. *in cap. Quando, de consecrat. dist.* 1. *cap.* 2. *num* 5. & *cap.* 3. *num.* 19. & *in summ. cap.* 13. *num.* 17. & *cap.* 21. *num.* 1. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 1. & *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *cap.* 5. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. Azor *tom.* 1. *institut. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *à quæst.* 1. Toletus *lib.* 6. *summ. cap.* 6. Fagundez *de primo Ecclesiæ præcepto lib.* 2. *cap.* 1. *à num.* 1. Reginaldus *lib.* 19. *cap.* 2. *à num.* 11. Scortia *de Sacrif. Missæ, lib.* 2. *cap.* 20. *à num.* 1. Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 1. Gaspar Hurtadus *disp.* 5. *de Sacrif. Missæ, difficult.* 1. Petrus de Ledesma *tom.* 1. *summ. cap.* 27. Henriquez Villalobos *tom.* 1. *summ. tract.* 8. *difficult.* 35. Martinus Bonacina *disp.* 4. *de Sacrific. Missæ, q. vltim. punct.* 11. Ioann. de Lugo Cardinalis *de Eucharist. disp.* 22. *sect.* 1. *à num.* 1. Philibertus Marchinus *de Sacrif. Missæ tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 17. *à num.* 1. Ioann. Ægidius Trullench *lib.* 3. *in Decalogum, cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 1. Stephanus Bauny *in Theologia Morali tract.* 6. *de Sacrif. Missæ*, §. *de præcepto audiendæ Missæ, quæst* 1. Emanuel Sà *verbo auditio Missæ.* Ioann: de Cruce *in directorio conscientiæ in* 3. *præcept. Decalogi, art.* 2. *conclus.* 1. Eligius Bassæus *in floribus totius Theologiæ practicæ ver. Missa,* 8. *n.* 1. & 3. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 12. *à num.* 17. Anton. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 77. Ferdinandus de Castro Palao *tom.* 4. *disp. vnica, punct.* 16. Vincentius Filliucius *tom.* 1. *tract.* 5. *à cap.* 7. Vincentius Candidus *tom.* 2. *disquis. moral. disquisit.* 25. *art.* 29. Ioannes de Dicastillo *de Sacramentis tract.* 5. *disp.* 5. Augustin. Barbosa *in* 3. *part. decreti, cap. Missas, de consecr. dist.* 1. Gesualdus de Bononis *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 17. *cap.* 2. Ioannes Martinon *de Sacramentis disp.* 40. *sect.* 9. Emanuel Rodriguez *in summ. cap.* 123. Samuël Lublinus *in summ. verb. Festum, & verb. Missa.* Ioannes Machado *tom.* 1. *summ. lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 1. *à docum.* 1. Tractant etiam omnes Summistæ *verb. Missa, & verb. Auditio Missæ, & verb. Feria.* Vbi Angelus, Syluester, Rosella, Armilla, Tabiena, & alij.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura huius præcepti, & de Diebus, pro quibus est impositum, ac de Personis, quas obligat.

QVÆSTIO I.

An detur præceptum de audienda Missa in diebus festis?

NEGARVNT quidam, quos, tacitis nominibus, refert Doctissimus Franciscus Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 88. *sect.* 1.

Sed, verissimum, Respondeo: Dari. Quia id constat ex communi traditione, & praxi Ecclesiæ; & ex Catechismo puerorum, vbi hoc præceptum, inter Ecclesiastica numeratur, ac ex iure Canonico, vt infrá. Sic docent Clemens *lib.* 2. *constitut. cap.* 63. S. Thomas, locis citatis, Caiet. Palud. Sotus, Henriquez, Suarez, & alij omnes Doctores nuper citati.

QVÆSTIO II.

An sit certum de fide, dari præceptum de audienda Missa in festis?

AFfirmant Suarez, Fagundez, & Petrus Ledesma, locis nuper citatis. Quibus assentitur Trullench *loc. cit.*

Sed probabilius Respondeo: Quòd licèt sit omninò certum, dari tale præceptum; non tamen de fide. Quia nec à Deo est reuelatum, nec aliquo loco definitum, Ecclesiam id præcepisse. Sic Hurtado, & Lugo, *locis citat.* Et Sotus *in* 4. *distinction.* 13. *quæstioon.* 2. *artic.* 1. *circa finem, versic. In calce demum,* solùm ait, quòd, qui huic veritati reclamauerit, tanquam suspectus aduersus sancta mandata puniendus sit, per hæc verba. Nihilominus citra controuersiam respondetur esse præceptum pontificium iure diuino fundatum, obligans sub mortali: Et qui huic veritati reclamauerit, tanquam suspectus aduersus sancta mandata puniendus est. Sic Sotus.

QVÆ

Quæstio III.

An hoc præceptum Ecclesiæ, in iure Canonico contineatur?

Negare videtur Sot. *in 4. dist.13.q.2. art.1. vers. In calce demum.* Vbi sic ait: At verò potissima huius veritatis ratio est, quòd huiusmodi allegati Canones, non habent nouam formam præcepti, sed tanquam de re compertissima, & à temporibus Apostolorum constitutissima loquuntur, quod est testimonium, præceptum hoc, nunquam in Ecclesia fuisse ambiguum, sed more, & vsu vbique cultum. Ita Sotus.

Sed tanquam quid verissimum, Respondeo: Contineri in iure Canonico; nempe, *in cap. Omnes fideles, in cap. Sacerdotes, & in cap. Missas de consecrat. dist.1.* Sic communiter Doctores. Legantur ex citatis, Suarez, *disp.88. sect.1.* Azor *lib.7. cap.1. quæst.1.* Fagundez, & Trullench, & Baisæus *loc. cit.* & tandem in id inclinat ipsemet Sotus *loc. cit.*

Quæstio IV.

An hoc præceptum, sit solùm, de audienda Missa in diebus Dominicis; non in aliis festis?

Affirmatiua pars videtur colligi, ex Canone *Missas cit.* Vbi solùm Dominicæ diei mentio fit, his verbis: *Missas die Dominico sæcularibus totas audiri speciali ordine præcipimus; ita vt ante benedictionem Sacerdotis, populus egredi non præsumat: quòd si fecerit; ad Episcopo publicè confundatur.* Sic Canon. ergo cùm hoc decretum sit pœnale, & solùm in eo fiat mentio de Dominicis diebus, non est extendendum vltrà.

Sed vt certissimè, Respondeo: Esse præceptum de audienda Missa, non solùm in Dominicis diebus, verùm etiam in aliis diebus festis. *Primò*, Quia vbi eadem ratio, ibi idem ius est. *Secundò*. Quia id est notum ex praxi totius Ecclesiæ; & ex consensu omnium Doctorum; *Tertiò*. Quia sic aliqui colligunt bene ex cap. *Siquis.* cap. *Omnes fideles.* cap. *Et hoc.* cap. *Qui die solemni, de consecr. dist.1.* & ex Concil. Carthagin. IV. *cap.88.* *Quartò*, tandem. Quia vulgare est in iure, nomine *Dominica diei*, comprehendi alios dies festos. Ex quo constat ad rationem pro parte affirmatiua factam. Sic communiter Doctores Nauarr. *in man. cap.25. num.1.* Sotus *in 4. dist.13. q.2. art.1. vers. At quia.* Palud. *loc. cit.* D. Anton. *2. p. tit.9. cap.10. §.1.* Sylvester *verb. Missa, 2. §.1.* Suarez *tom.3. in 3. part. sect.1. citat.* Henriquez *lib.9. cap.15. num.1.* Azor *lib.7. cap.1. quæst.1. & cap.4. quæst.1.* Fagundez *cap.1. cit. num.3. & cap.2. num.9.* Scortia *lib.2. de Sacrif. Missæ cap.20. num.1.* Hurtado *disp.5. de Sacrif. Missæ diffic.1.* Bonac. *loc. cit. punct.12. num.2.* Tolet. *lib.6. cap.8. num.2.* Llamas *3. part. Method. cap.5. §.8.* Reginald. *lib.19. cap.2. num.11.* Bauny *tract.6. de sacrif. Missæ, quæst.1. cit. pag.305.* Gesuald. *tom.1. de Sacram. tractat.17. cap.2. num.2.* Martinon *de Sacram. disp.40. sect.9.* Baissæus *verb. Missa, 8. num.1.* Machado *lib.2. summ. part.4. tract.1. docum.1.* & Barbosa in Collectao. DD. *in part.3. decreti, cap. Missas, de consecr. dist.1. n.1.*

Quæstio V.

An non solùm in festis; verùm etiam in feriis Quadragesimæ, teneatur quis, vi huius præcepti, audire Missam?

Affirmarunt Burchard. *lib.1. c.105* & alij, quos, tacitis nominibus, refert Azor, vbi infrà. Quorum fundamentum fuit: Quia in cap. *Solent, de consecrat. dist.1.* expressè dicitur, quòd dictis diebus, *debet ieiunium solui vespere, largitis eleemosynis, & auditâ Missâ.*

Sed, vt certissimum Respondeo: Non teneri: Quia sic tenet vsus, & praxis Ecclesiæ. Vnde prædictus Canon, aut loquitur ex consilio; aut contrario vsu fidelium est abrogatus. Sic Syluester *v. Missa, 1. §.7. & v. Missa, 2. §.1.* Angel. *n. 57.* Tabiena *num.46.* Armilla *num.29.* Nauarr. *cap.21. num.2.* Henriquez *lib.9. c.25. num.3.* Azor *1. part. lib.7. cap.4. quæst.2.* Suarez *disput.88. cit. sect.5.* Scortia *loc. cit.* Toletus *lib 6. cap.8. num.2.* Barbosa *in dict. cap. Solent, num.2.* & alij communiter.

Quæstio VI.

An in triduo Hebdomadæ sanctæ, teneatur quis, vi huius præcepti, audire Missam?

Affirmatiuam sententiam tueri Syluestrum *verb. Dominica, quæst.1. dicto 7.* & penes ipsum, D. Antonium, ait Fagundez *de 1. Eccles. præcept. lib.2. cap.2. num.13.* Sed certè, nec Syluester hanc sententiam docet, sed potiùs oppositam, vt infrà; nec pro illa citat Diuum Antonium, sed Archidiaconum, vt ex Syluestri verbis statim constabit; & hunc forsassis voluit citare Azor *1. part. lib.7. cap.4. q.2.* dum ait, id docere Diuum Antonium apud Syluestrum. Vnde,

Vt quid certissimum Respondeo: Non teneri, vi præcepti Ecclesiastici. Quia, quamuis olim ex iure communi, illud triduum esset festum, & consequenter omnes tenerentur, vi huius Ecclesiæ præcepti, audire Missam; nunc autem; minimè; quia iam consuetudine legitimè introducta, præceptum de obseruando triduo, abrogatum, & antiquatum est, ideoque ex iure communi, nemo tenetur audire Sacrum dictis diebus (sicut nec quartâ feriâ Cinerum) Secùs dicendum, ex iure particulari alicujus Diœcesis, si quod alicubi extat. Sic iam omnes Doctores, præcipuè Syluester (eodem loco, quo pro opposita parte citatur à Fagundez) vbi sic ait: Imo quædam prædictorum festorum sunt per consuetudinem abrogata, quoad cessationem ab operibus, vt communiter dicitur; vt tres dies Rogationum, & septem dies Dominicæ Passionis, id est, hebdomada Paschæ: nec seruantur hodie, nisi tres dies Paschæ, & secundùm Archidiac. Parasceues, & feria V. in Cœna Domini: Imo nec isti seruantur, nisi fortè Parasceues, vsque ad osculum Crucis. Sic ille Azor *loc. citato;* Fagundez *loc. cit. & lib.3 c.4. n.17.* Toletus *lib.6. c.8. n.2.*

Quæstio VII.

An in diebus Rogationum, teneatur quis, vi huius præcepti, Missam audire?

Affirmare quis posset, si ad nudam corticem Canonis, *Solent, de consecr. dist.1.* Can. *Rogationes,* & Can. *Pronunciandum,* ibidem *dist.3.* solùm attenderet: cùm ibi clarissimè id contineatur.

Sed vt certissimum, Respondeo: Non teneri. Quia nemo

nemo tenetur, ex iure communi, aut ex præcepto generali Ecclesiæ, Missam audire, nisi in diebus festis: at sic est, quod præfati dies, non sunt, saltem nunc, tales, vt ex praxi constat: ergo. Vnde ad fundamentum pro opposito adductum, dicendum est; quòd, prædicti Canones, solùm contineant consilium; vel si præceptum, iam contraria consuetudine, sint abrogati. Sic Siluest. *loco nuper cit, & verbo Missa, 2.q.1.5. Dicitur tertiò.* Rosella *v. Missa. §.13.* Tabiena *v. Feria, num.6.* Nauarr. *cap.21, num.2.* Suarez *tom.3. cit. disp.* 88. *sect.5.* (non 4. vt citatum inuenies apud Fagundez) *vers. Sed hinc.* Azor. *tom.1. lib.7. cap.4.q.2.* Fagundez *de 1. Eccles. præc. lib.2. cap.2. num.14.* Scortia *lib.2. de sacrif. Missæ cap. 20. n.4. in fine.* Barbosa *in Collect. DD. in p.3. Decreti, in cap. Rogationes dist.3.* & penes ipsum, Ferdinand. Paez *in repet. cap. Missas, cit. à num.36.* & omnes.

QVÆSTIO VIII.

An Scholastici teneantur, vi huius Ecclesiæ præcepti, audire Sacrum, in diebus vacationum?

RESpondeo certissimè: Non teneri, si aliàs prædicti dies festiui non sint. Quia nullum habent de hoc præceptum; sed tantùm consilium, vt praxis declarat. Sic Suarez *sect.5. cit.* Henriquez *libro 9. cap.45. num.2.* Alcozer *in summ. cap.27.* Fagundez *loc. cit. n.17.* Sanchez *in Consilijs lib.5. cap.2. dub.5. num.8.* & penes ipsum, dicti Recentiores.

QVÆSTIO IX.

An Episcopus teneantur, vi huius præcepti, quotidie audire Missam?

AFfirmandum videtur ex cap. *Quoniam de priuileg. in 6.* vbi hæc habentur verba: *Episcopi, eorumque superiores, diuersis ex causis, à suis Ecclesiis, & Diœcesibus frequenter absunt, nec semper possunt ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in illis, sine qua eos transire non decet, absque causa rationabili, vllam diem.* Sic ibi.

Sed certissimè Respondeo; Non teneri. Quia in præfatis verbis, solùm continetur consilium, non præceptum, vt constat; nec alibi in iure tale præceptum datur. Sic Rosella *v. Missa, §.13.* Syluest. *v. Missa 2. quæst.1.* Nauarr. *cap.21. num.2.* Azor *lib.7. cap.4. quæst.3.* Llamas *3.p. Metho. c.5. §.8. vers. Ecquamuis.* Scortia *num.4. in fine.* Fagundez *lib.2. cit. cap.2. n.11.* Filliuc. *tract.5. cap.7. q.9.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.5. n.3.* Villalob. *1. part. tract.8. diffic.35. num.7. & 8.*

QVÆSTIO X.

An hoc Ecclesiæ præceptum obliget, ex genere suo, ad mortale?

NEgarunt olim nonnulli, docentes, non obligare ad mortale ex genere suo, Ideoque, solos illos, peccare mortaliter contra hoc Ecclesiæ præceptum, qui ex contemptu expresso (vel tacito saltem) omittunt Missam audire in festis: non verò illos, qui ex quadam negligentia, aut passione, aut quauis alia causa: quia isti (inquiunt) tantùm delinquent venialiter. Ita Angel. *verb. Feriæ num.24.* Rosella *v. Missa, num.18.* Tabiena *eo verbo, §.43.* Astens. *lib.4. tit.16. cap.1. quæst.1.* Ricard. *lib.1, quæst.19.* Glossa *in cap. Omnes de consecr. dist.1.* & Turrecremata *in Can. Missas, ea dist.* Vnde non bene Henriquez *libro 9. cap.25. num.1. in glossa litt. B.* citat Angelum *verb. Missa, §.42.* & Tabienam *§.45.* pro opposita parte, Meliùs enim illos citat *litt. H.* pro hac parte (locis, à nobis, pro tacitatis) addens pro eadem, Alexand, *lib.2. tit.2. pag.295.*

Sed tanquam certum, Respondeo: Obligare ex genere suo ad mortale. Et ideò dico, quòd non solùm illi, qui ex contemptu expresso, aut tacito, omittunt audire Missã in festis, peccant mortaliter; sed etiam illi, qui ex sola negligentia, aut pigritia, aut passione animi, aut alia quauis causa non excusante, illam audire desinunt. *Primò.* Quia concilium Agathense, quod expressè adstruit audire in festis Missam, vtitur verbo præceptiuo (quidquid aliqui ex contrariis tenuant) vt bene Scortia, infrà: ergo cùm aliàs sit de materia graui: grauiter obligabit. *Secundò.* Quia ita habet communis sensus fidelium, & praxis Ecclesiæ. Sic D.Thom. *2.2.q.122. art.4.* Sotus *lib.2. de iust. quæst.4. & in 4. dist.13. q.2. art.1.* Palud. *quæst.13. & dist.15. q.5.* Caiet. *in summ. verb. Festorum violatio.* Syluester *v. Missa, 2. quæst.1,* D.Anton. *2. p. tit.9. c.10.* (non 11. vt inuenies apud Bonacinam) *§.1.* Nauar. *in cap. Quando, & in Manuali cap.13. num.16. & cap.21. num.1,* Henriquez *cap.25. cit. num.1.* Suarez *tom.3. in 3.p. disp.88. sect.1. & tom.1. de Religione lib.2. cap.15.* Azor *lib.7. cap.1. quæst.2.* Tolet. *lib.6. cap.8. num.3.* Fagundez *de 1. præcept. Eccles. lib.2. cap.1. num.7.* Scortia *de sacrif. Missæ lib.2. cap.20. num.3.* Filliuc. *tract.27. cap.8. quæst.4. num.127.* Lugo *de Euchar. disp.22. sect.1. num.1.* Bauny *tract.6. cit. quæst.4. fol. mihi 307.* Hurtado *diffic.1. cit. vers. Conueniunt tertiò.* Philibertus Marchinus *de ordine 3.p. cap.17. num.1.* Candidus *tom.2. disquisitio. moral. disq.25. art.29. dub.4.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.4. num.2. & dub.5. num.6.* Bonac. *disp.4. de sacrif. Missæ, quæst. vltim. punct.11. num.11.* (Vbi pro nostra sententia citat Tabienam *ver. Missa n.51.* & pro vtraque, Angelum. Pro nostra quidem, *verbo Feriæ, num.2.* Et pro contraria, *eod. verb. num.42.* Sed certè, malè illum pro nostra citat sententia; quia *n. 2. cit.* nihil ad propositum tractat) Bassæus *ver. Missa. 8. num.3.* Machado *lib.2. part.4. tract.1. docum.1. n.3.* Gesualdus *tom.1. de Sacram. tract.17. cap.2. n.2.* Martinon *de Sacram. disp.40. sect.9.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XI.

An præceptum de audienda Missa, sit de iure diuino?

AFfirmatiuam sententiam esse satis probabilem, affirmat Suarez, & Fagund. *loc. cit.* Quia sic (inquiunt) videtur præcepisse Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem;* nempe, vt Sacerdotes sacrificarent, & populus aliquando assisteret. Et in hanc sententiam videtur inclinare Reginald. *lib.19. cap.2. num.11.* quatenus docet, hoc præceptum, partim esse diuinum, & partim humanum.

Sed longè probabiliùs respondeo: Dictum præceptum, absolutè, & simpliciter, esse de iure Ecclesiastico; consentaneum tamen, iuri naturali, & diuino. Prima pars huius responsionis, ex dictis *quæst. 1. & 3. constat.* Secunda verò, ex fundamento pro parte contraria adducto, quod hoc solùm probat, vt bene Suarez *loc. cit.* Sic tandem ipse Fagundez *loc. cit. n.5. & 6.* Scortia *lib.2. cit. cap.20. num. 1.* Hurtado *loc. cit. vers. Conueniunt. Secundò.* Nauarr. *cap. 21. num. 1.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art.1.* Nugnus *in 3. part. quæst. 83. art. 6.* Llamas *3. par. Metho. cap.5. §.8.* Bonacina

nacina *punct.* 11. *cit. num.* 6. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 298. Lugo *loc. cit.* Henriquez *loc. cit.* n. 1. Trullench. *dub.* 5. *cit. num.* 2. Bassæus *verb. Missa* 8. *num.* 1. Dicastillo *tract.* 3. *de Sacrament. disp.* 5. *dubit.* 2. n. 17. Machado *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 1. *docum.* 1. v. 1. & communis.

QVÆSTIO XII.

An præceptum de audienda Missa, fuerit in Ecclesia, ante Concilium Agathense, in quo expressè continetur?

NEgant multi, & graues Doctores, quos, suppressis nominibus, referunt Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 1. (Qui clarè innuit esse probabile) & Fagundez *de* 1. *Eccles. præcepto, lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. existimantes, ante tempus dicti Concilij, nullum fuisse in Ecclesia præceptum audiendi Missam in diebus festis. Quam doctrinam videtur amplecti Machado *loc. cit.* Vbi sic ait: [Aunque es assi, que el capitulo principal del Derecho Canonico, en que se funda la obligacion deste precepto de oyr Missa, es solamente del Concilio Agatense Prouincial, &c.] Ita ille.

Sed tanquam ferè certum Respondeo: Fuisse ante Concilium Agathense. Quia præceptū hoc audiendi Missam in festis, fuit in Ecclesia à primis eiusdem temporibus, vt colligitur ex Canone 9. *alias* 10. Apostolorum, ex cap. *Omnes fideles, de consecrat. dist.* 1. & ex Clemente *libro* 5. *constit. cap. vltima, & lib.* 7. *cap.* 3. Concilium autem Agathense fuit celebratum, idibus Septembris circa annum Christi Domini quingentesimum sextum: ergo. Sic Azor. & Fagundez *loc. cit.* Suarez *tom.* 1. *de Religione cap.* 15. *num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *vers. In calce* Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 8. *q.* 3. *num.* 116.

QVÆSTIO XIII.

An Summus Pontifex possit dispensare in præcepto audiendæ Missæ?

NEgabunt, qui sustinent, hoc præceptum esse de iure diuino, vt vidimus, *q.* 11.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Posse dispensare. Quia probabilius longè est, hoc audiendæ Missæ præceptum, simpliciter, & absolutè esse humanum, & Ecclesiasticum, vt sup. *quæst.* 11. est habitum: at sic est, quòd Sum. Pontifex potest (vt omnes fatentur) in iure humano dispensare: ergo. Sic Suarez *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 1. *vers. Tertiò sequitur*, & Fagundez *lib.* 2. *cit. c.* 1. *n.* 11. Qui tamen addunt, & bene, rarò posse dari causam iustam dispensandi cum aliquo, vt nunquam in tota vita Missam audiat. Bonac. *loc. cit. num.* 6. *vers. Hinc patet.* Hurtado *disp.* 5. *diffic.* 1. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 5. *num.* 2. Dicastillo *disp.* 5. *cit. dub.* 2. *n.* 17. *in fine.*

QVÆSTIO XIV.

An omnes fideles, statim ac annos discretionis attigerint, teneantur præcepto audiendæ Missæ?

NEgant, qui putant Ecclesiastica præcepta, non ligare eos, qui nondum ad pubertatis annos peruenere. Ita Sotus, Sà, & alij, quos adduximus 1. *part. de Sacram. tr.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 28. Et suprà *tract.* 1. *disp.* 3. *qu.* 3. & negat expressè Marchantius *in Candelab. Sacram. qq. Pastoral. tract.* 4. *cap.* 6. *q.* 2. docens, non teneri pueros statim post septennium ad Missam audiendam, quousque perfectiorem rationis vsum assequantur, quo diuina mysteria pleniùs apprehendant, & obligationem, ac attentionem, qua illis interesse oportet, pleniùs intelligant.

Sed tanquam certum Respondeo: Teneri. Quia quilibet fidelis, postquam ad annos discretionis peruenit (quod solet communiter accidere circa Septennium, aut paulò post) verè est capax Ecclesiastici præcepti: ergo, & præcepti audiendi Missam: ergo eo tenebitur. Sic Nauar. *cap.* 21. *num.* 1. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *n.* 1. Nuñus *q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. Suarez *dispu.* 88. *cit. seq.* 4. Sanchez *libro.* 1. *summa cap.* 12. *num.* 6. & 17. Azor. *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 1. Scortia *lib.* 2. *de sacrif. Missæ, cap.* 20. *num.* 7. Bonac. *loc. cit. n.* 8. Llamas 3. *p. Metho. cap.* 5. §. 8. Lugo *disp.* 22. *cit. sect.* 1. *num.* 1. Philibert. *p.* 3. *de ordine, cap.* 17. *num.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 8. Hurtado *diffic.* 1. Ægidius *q.* 83. *art.* 6. *num.* 186. Fagundez *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. Trullench *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 5. §. 3. Bassæus *ver. Missa*, 8. *num.* 1. Dicastillo *loc. cit. dub.* 1. *à num.* 5. Diana *p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 7. Amicissimus, & perdoctus D. Didacus de Narbona *tom. de ætate ad omnes actus humanos requisita, anno* 7. *quæst.* 3. Machado *lib.* 2. *p.* 4. *tract.* 1. *docum.* 2. *num.* 2. Gesualdus *de Sacram. tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. Martinon *de Sacram. disp.* 40. *sect.* 9. & alij. Et nos, vbi suprà citauimus.

QVÆSTIO XV.

An præceptum audiendi Missam, obliget etiam personas Ecclesiasticas; nempe, Religiosos, Sacerdotes, & Episcopos?

NEgarunt Ioann. de Biblia in quodam quodlib. (vt refert D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1.) & alij nonnulli Canonistæ, quos, tacitis nominibus, refert Suarez *loc. cit.* Quorum fundamentum fuit, quòd in cap. *Missas de consecr. dist.* 1. Vbi expressè hoc præceptum audiendi Missam imponitur, solùm fit mentio de sæcularibus: ergo cùm sit præceptum pœnale, non est extendendum ad alias personas, nempe ad Ecclesiasticas: consequentia constat, & antecedens etiam, ex verbis capitis citati, in quo sic dicitur: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine, præcipimus.* Sic Canon.

Sed vt certissimum Respondeo: Obligare etiam personas Ecclesiasticas. Quia præceptum hoc audiendi Missam, non solùm continetur *in cap. Missas cit.* Sed etiam in cap. *Omnes fideles*: at sic est, quòd hoc caput loquitur generaliter, comprehenditque expressè omnes fideles: ergo. Confirmatur: Quia caput *Omnes fideles*, est antiquius, quàm cap. *Missas*, cùm illud sit deductum ex Canone Apostolorum; hoc verò ex Concilio Agathensi: ergo hoc ad illius sensum est trahendum; & iuxta illum, explicandum; patet, quia leges moderniores trahendæ sunt ad sensum antiquiorum, quando de eadem re agunt, si aliàs antiquiores non abrogant.

Ad fundamentum contrarium, dicendum est: quòd cap. *Missas*, ideò solùm fecit mentionem de sæcularibus, quia cùm hi, faciliùs præcepta Ecclesiæ transgrediantur, expressiùs debuit Concilium id ipsum eis prohibere. Sic D. Anton, Palud. Gabriel, Sotus, & Nauarr. quos citat, & sequitur Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 4. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 8. & ibi Victorel. Hurtad. *de sacrif. Missæ, disp.* 5. *diffic.* 1. Fagundez *de* 1. *præc. Eccles. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. & *cap.* 2. *num.* 4. Lugo *de Euchar. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 1. Bauny *tract.* 6. *de sacrif. Missæ q.* 1. & 4. *vers. Dico* 2. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 3. Dicastillo *disp.* 5. *cit. dub.* 1. *n.* 3. & omnes communiter.

QVÆSTIO XVI.

An huiusmodi praeceptum, obliget Cathecumenos ad audiendam Missam saltem vsque ad offertorium?

AFfirmandum videtur. Quia Cathecumeni admittuntur ad Missam, vsque ad offertorium exclusiuè: ergo ad hanc saltem partem audiendam, eos hoc præceptum obligabit.

Sed tanquam certum Respondeo. Non obligare, adhuc quoad illam Missæ partem. Quia Cathecumeni non sunt in statu, in quo Ecclesiasticis legibus subdantur. Vnde, propter hanc eamdem rationem, non obligat infideles hoc præceptum. Sic Henriquez *lib* 9. *cap.* 25. *num.*1. in Glossa *litt.* C. Suarez *sect.*4. *cit. vers. Dicendum tamen.* Sanchez *lib.*1. *sum. cap.*12.*num.*14. Bonac. *disp.*4. *de sacrif. Missa quaest. vltim. punct.*11.*num.*9. Victorell. *ad cap.*8. Tolet. Fagundez *lib.*2. *cit. cap.*2. *num.*2. Lugo *loc. cit.* Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *dub.*5. *n.*3. Martinon *de Sacram. disp.*40. *sect.*9. & alij.

QVÆSTIO XVII.

An praeceptum audiendæ Missæ obliget amentes, & ebrios?

REspondeo, quod non. Quia huiusmodi præceptum obligat ad assistendum Missæ, humanâ præsentiâ, vt infrà: at hi, nequeunt tali præsentiâ interesse: ergo. Ex quo etiam constat, quod neque horum curam gerentes teneantur curam gerere, vt præfati amentes, aut ebrij Missæ sacrificio intersint. Sic Nauar. *c.*21. *n.*1. Bonac. *pun.*11. *cit. num.*2. Fagundez *loc. cit. num.*3. Hurtado *disp.* 5. *diff.*1. Sanchez *loc. cit. num.*17. Qui bene addit, id esse intelligendum de absolutè amentibus; nam, qui in aliqua tantum speciali materia non attingente Missam, amentes sunt, verè tenebuntur præcepto audiendi sacri, cùm circa illud, vso rationis gaudeant. Bassæus *verb. Missa*, 8. *num.* 1. Gesualdus *de Sacramentis tract.* 7. *cap.*2. *num.*4. & omnes.

QVÆSTIO XVIII.

An qui in festo, non potest Missam, & concionem audire, & alterum potest, teneatur Missam, potiùs quàm concionem, audire?

NEgat Angel. *verb. Feria, num.*45. per hæc verba: Sed quæro, quod magis est præeligendum in festo; an auditio Missæ, an prædicationis, cùm vtrumque non potest audiri. Respondeo, quòd auditio prædicationis; quia ratio legis, in hoc magis militat, vt patet intuenti iura, *de consecr. dist.* 1. *in cap. Omnes fideles*, & cap. *Sacerdote*, & cap. *Episcopus nullum.* Quæ magis ratione audiendi scripturas sanctas, & Verbum Dei, præcipiunt Missam audiri, quam alia ratione. Ita Angel. Et tenent alij, quos suppressis nominibus, refert Azor, vbi infrà. Et Rosella *verb. Dominica*, 5. testatur, huius sententiæ fuisse sanctum Bernardinum (non Bernardum, vt inuenies apud Dicastillum.)

Sed tanquam certum, Respondeo Dicendum, quòd per se loquendo, potiùs teneatur quis audire Missam, quàm concionem. Quia præcepta, sunt præferenda consilijs: at sic est, quòd de Missa audienda datur præceptum, vt suprà est habitum; de concione verò, solùm, consilium, vt vsus fidelium testatur, & probant latè Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *num.*6. Bonac. *disp.*5. *de* 3. *prec. Decalogi.* Palao *tom.*2. *tract.*9. *disp.*1. *pun.*4. *num.*5. & 6. atque Trullench *lib.* 3. *Decalog. c.*1. *dub.* 4. *n.*4. 5. 6. 9. & 10. ergo potiùs est audienda Missa, quam concio. Dixi tamen, *Per se loquendo* Quia potest per accidens contingere, vt quis potiùs teneatur cōcionem, quàm Missam audire; veluti in casu, quo non posset in fide instrui, vt ab hæreticis se defendat, nisi auditâ concione. Sic Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. disp.*88. *sect.*1. *vers. secundò sequitur*, & Fagundez *de* 1. *precept. Eccles. lib.* 2. *c.*1. *n.*10. dicentes, sententiam Angeli esse falsam. Henriquez *lib.*9. *cap.* 25. *num.* 10. vbi in Marg. *lit. Q.* refert pro hac parte Friburgum *in summ. in* 3. *precepto fol.* 74. Siluestrum *v. Dominica*, §.6. *vers.*3. Rosellam & Frat. Lupum, qui (vt ipse ait) compulsus est Romæ retractare oppositum, quod ante docuerat. Sic etiam Sà, *verb. Missa auditio*, *num.* 7. Azor *lib.*7. *c.*7. *quaest.* 10. notans Angelum temeritatis. Filliuc. *tom.*1. *tract.* 5. *num.*217. Bassæus *Missa*, 8. *num.*7. Machado *in summ. lib.*2. *part.* 4. *tract.* 2. *docum.* 3. *n.*4. Trullench *loc. cit. dub.*4. *n.* 12. & Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 10. *à num.* 193.

Ad fundamentum autem Angeli. Respondeo primò, negando quòd iura magis, ratione audiendi scripturas sacras, & verbum Dei, quàm alia ratione, audire Missam præcipiant; cùm potiùs id faciant ob reuerentiam tanti sacrificij, & Sacramenti. Vnde si *in cap. Omnes fideles cit.* præcipitur, vt accedentes ad Missas audiant sacras scripturas, & Verbum Dei; hoc verè adimpletur per auditionem Missæ; cùm in illa legatur Epistola, & Euangelium, quorum actione, audientes in scripturis sacris instruuntur. Quapropter ille Canon, per sacras scripturas, nil aliud intelligit, nisi Epistolam, & Euangelium. Vt bene explicant Filliuc. Bonac. & Trullench.

QVÆSTIO XIX.

An fideles teneantur, aliquando, plures Missas, eodem die festo audire?

AFfirmarunt aliqui, quos, tacitis nominibus, referunt D. Anton. 2. *part. tit.*9. *cap.*10. §.1. *in fine.* & Syluester *verb. Missa*, 2. *quaest.*1. *num.*1. *vers. Dicitur quartò.*

Sed certissimè, Respondeo: Non teneri. Quia Ecclesia, solùm præcipit audire Missam in die festo: ergo, etiamsi plures aliquando eodem die (v. g. Natalis Domini) ab vno Sacerdote dicantur non tenebitur quis, ex vi huius præcepti, plures Missas, nisi vnicam integram, audire. Sic communiter omnes. D. Anton. *loc. cit.* Syluest. *loc. cit. &* §. 5. *vers.*7. Nauar. *cap.*21. *num.*2. Henriquez *lib.*9. *cap.*25. *num.*3. Suarez *tom.* 3. *cit. disp.*88. *sect.*2. Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*3. *quaest.*2. *in fine.* Tolet. *lib.*6. *cap.*7. *n.*2. *aliàs* 5. Nugous *quaest.*83. *art.*6. *dub.*2. *concl.*5. Bonac. *quaest.*4. *de sacrif. Missa quaest. vlt. punct.*11. *num.*10. Fagundez *de* 1. *Eccles. præcep. lib.*2. *cap.*3. *num.*1. Scortia *de sacrif. Missa lib.*2. *cap.* 20. *num.*4. Filliuc. *tract.*5. *c.*7. *num.* 207. Bauny *tract.*6. *de sacrif. Missa*, *q.*4. *vers. dico* 3. Naldus *verb. Missa*, *num.* 10. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.*5. *num.*4. Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp.*5. *dubit.* 4. *num.*58. Gesualdus *de Sacram. tract.*17. *cap.* 2. *n.*11. & alij.

An autem Parochus teneatur in die Natalis Domini tres Missas celebrare? diximus 2. *p. tract.*8. *disp.*5. *q.*30. & nunc iterum dicimus, non teneri; & dato, quòd teneatur, vt quidam volunt, non inde sequitur, quòd populus teneatur tres illas Missas audire. Legantur Authores hic, & ibi citati.

QVÆSTIO XX.

An in festis teneatur quis, audire Missam in Parochia propria?

AFfirmant (apud Fagundez) teneri, saltem in maioribus anni festis, Angelus, *v. Missa, num.* 59. Innoc. *in cap. vt Dominicis, de Parochi*. Hostiensis. Abbas, & Ioan. Andreas, Sed certè ex his, Abbas id non absolutè, sed cum limitatione, docet. Ait enim, teneri quidem fideles audire Missam in diebus festiuis, in propria parochia, nisi aliqua ex causa legitima alibi audire velint; putà, quia Parochianus est concubinarius publicus: vel vt deuotiùs audiat, quia melius officiatur: vel propter prædicationem, & huiusmodi. Sic ille. Deinde Angelus, potiùs est pro opposita parte. Nam eodem loco, quo pro hac parte citatur à Fagundio, ita dicit: Sed tu dic, quòd de iure, in maximis festiuitatibus, sicut sunt festa Domini nostri, & B. Mariæ, & Ioannis Baptistæ, & similia, quilibet tenetur audire Missam, aut in Ecclesia parochiali, aut in publico Oratorio facto à populo, secundum glos. *in cap. si quis extra de cons. dist.* 1. Vt à fortioris potest audire in Ecclesiis Mendicantium, & Religiosorum authoritate Sedis Apostolicæ ædificatis. In Oratoriis autem priuatis audientes: non satisfaciunt, sicut est in domibus disciplinatorum. Sed an peccent mortaliter audientes, si postea non audiunt in parochiali, vel publico Oratorio: aut Ecclesia Religiosorum, dico quòd non: quia nullo cauetur iure, quod hoc sit præceptum. Sic ibi ille. Et infrà: Item posito, quòd esset aliquod ius præceptiuum, esset abrogatum per contrariam consuetudinem. Hæc Angelus. Quibus clarè constat, non bene citari à Fagundio. Citari tamen potest quidam P. Capucinus in libello intitulatus, *Parochianus obediens.*

Vnde, tanquam certum Respondeo: Non teneri quem audire Missam in propria parochia: sed sufficere, si illam audiat, siue in propria parochia, siue in Ecclesia Religiosorum, siue in Oratoriis, &c. *Primò*, quia Ecclesia solùm præcipit auditionem Missę, non præscribens locum in quo audiatur. *Secundò*. Quia ita habet consuetudo fidelium, per quam dato quod aliquando fuerit de hac re ius contrarium, abrogatum est. Sic Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 2. *vers. Sed in primis*, & penes ipsum, Nauarr. *cap.* 21. *num.* 5. Angel. *loc. cit.* Syluest. *Missa*, 2. *q.* 5. *& v. Excommu* ic *tio* 2. *num.* 20. Turrecrem. *in cap. Missas, cit.* & D. Anton. 2. *part. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1. Sic etiam Azor *lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 4. *&* 8. Toletus *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 1. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 30. *num.* 14. Rosella v. *Missa, n.* 19. Tabiena *num.* 52. Armilla *num.* 31. & Calderinus *consil.* 16. *de Relig. domibus*, quos omnes citat & sequitur Fagundez *de primo Eccles. præcept. lib.* 2. *cap.* 3. Sic etiam Scortia *lib.* 2. *cit. cap.* 20. *num.* 5. Qui citat pro hac parte Angelum *loc. cit.* Henricum Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 6. (per errorem typographi; nam *num.* 9. id docet) & Emanuelem Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 43. *art.* 7. His tandem addi possunt Medina *lib.* 1. *instruct. cap.* 14. §. 40. Bonac. *loc. cit. punct.* 12. *num.* 4. Nugnus *quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. *concl.* 4. Ægid. *loc. cit. num.* 312. Graffius 1. *part. decis. aur. lib.* 2. *c.* 35. *num.* 5. Barthol. ab Angelo *verb. Missa*, §. 789. Lugo *disp.* 22. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 2. Bauny *tract.* 6. *cit. quæst.* 2. & Trullench *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 4. *&* 5. qui, *num.* 6. ex Ioann. Filesaco, addit; in vnico tantum casu teneri Parochianos audire Missam in propria Parochia, videlicèt, casu, quo Parocho non sit alia ratio vitæ cum dignitate tuendæ, eo quòd, nec prædia, nec decimæ prædiales, aut similes redditus ei assignati sint. Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 4. *num.* 55. Gesualdus *de Sacram. tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 33. & communis, quam nouissimè me citato tenet Diana *part.* 10. *tract.* 13. *Resol.* 25.

QVÆSTIO XXI.

An Episcopi possint præcipere sub censuris, & pœnis; vt parochiani audiant Missam in propriis parochiis?

AFfirmat cum aliis Iacobus Marchant. *in resol. Pastor. de Sacram. Eccles. c.* 7. §. 6.

Respondeo non posse. Quia Episcopus nequit statuere aliquid, contra generalem consuetudinem: at sic est, quòd contrarium, generali consuetudine seruatur: ergo. Sic Nauarr. *c.* 21. *n.* 5. Azor *lib.* 7. *c.* 6. *q.* 6. Regin. *lib.* 19. *num.* 22. Fuscus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 30. *& cap.* 21. *num.* 42. Zenedo *Collect.* 104. *n.* 2. Fagund. *lib.* 2. *cit. cap.* 3. *num.* 12. Quos citat, & sequitur Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 5 Sic etiam Barbosa *alleg.* 24. *num.* 16. Cherubin. *schol.* 2. *ad Bullam* 25. *Leonis X.* Philibertus, *de Ordine, tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 9. *num* 10. Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp* 5. *dub.* 4. *num.* 59. & penes illum, Gutierrez, Rodriguez, & alij, quos, me citato, sequitur Diana *p.* 10. *tract.* 13. *Resol.* 25. qui alios citat.

QVÆSTIO XXII.

An vi huius præcepti, teneantur fideles ad audiendam Missam maiorem; saltem, quando in propria parochia, hoc præceptum implent?

AFfirmat (apud Azorium, & Scortiam) Abbas *c.* 1. *de vita & honest. Cleric. n.* 8. ob caput *Et hoc attendendum, de consecr. dist.* 1

Sed certissimè, Respondeo: Non teneri; sed satisfacere præcepto, audiendo Missam priuatam. Quia hęc est generalis consuetudo Ecclesiæ recepta, & approbata. Nec obstat Canon, ob quem mouetur Abbas ad oppositum tenendum; quia nullum est in eo verbum, quo expresse præcipiatur, quòd audiatur Missa maior, seu cantata; solùm enim habetur, quòd ita dicantur Missę priuatæ, vt non auocetur populus, à publicis, seu cantatis. Sic Scortia *loc. cit. num.* 6. *pag. mihi* 163. citans pro hac parte Syluestrum *verb. Missa* Angel. *eo ver.* Nauarrum *cap.* 21. D. Antoninum 2. *part. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1. Turrecrematam *Can. Missas*. Azorium *lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 2. Suarium *disputat.* 88. *cit. sect.* 2. & Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *numer.* 4. Sed ex his, quos citat, Authoribus, Syluester, & Nauarr. nihil agunt de hac re, Addi tamen possunt Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 3. *num.* 8. Bonacina *disput.* 4. *cit. quæst. vlt. punct.* 11. *numer.* 12. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 7. *numer.* 1. & ibi Victorell. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Hurtado *de sacrif. Missa disputat.* 5. *diffic.* 5. Filiuc. *tract.* 5. *numer.* 104. Ægid. *loc. cit. numer.* 312. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 8. Bassæus *verb. Missa*, 8. *numer.* 4. Dicastillo *disputat.* 5. *cit. numer.* 25. *&* 56. & communis.

QVÆSTIO XXIII.

An ad satisfaciendum huic præcepto, teneantur fideles, audire Missam de festo occurrenti?

AFfirmant (penes Henriquez *lib.* 9. *cap.* 23. *nu.* 5. *lit. H.*) Angelus *ver. Missa*, §. 33. *& v. Feria*, §. 43.

Fr.

Fr. Alexand. *in summ. lib. 2. tom. 2.* Monald. & Roder. Sed ex his Authoribus, Angelus, imprimis, verè excusat sæculares à transgressione huius præcepti, eo quòd nesciant discernere inter Missam de officio, vel votiuam, si audiunt votiuam in die festo; quamuis addat, secus esse dicendum, casu, quo sæculares hoc discernere sciunt. Deinde Monald. non est pro hac parte, sed pro opposita, pro qua illum affert Angel. *verb. Missa.* §. 33. *cit.* Ita dicens: Nec sufficit secundùm Monal. quod audiat introitum, & huiusmodi, in diebus, in quibus tenetur de officio audire: quia Missa dicitur cum Canone, vt patet *in d. cap. Quidam.* Ita Angelus. Qui tamen pro se citat Panorm. in cap. *Quidam laicorum, de celebr. Missar.*

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non teneri: Sed satisf. cere præcepto, audiendo quamcumque Missam, siue Missa sit de Sancto, siue votiua, siue de mortuis. Quia Ecclesia, nullo modo præcipit audire missam diei; sed solùm audire Missam absolutè: sed quæcumque Missa dicatur est vera Missa: ergo audiendo quamcumque, verè satisfacient fideles. Sic tenet praxis, & communiter Doctores. Henriquez *loc. cit. & c.* 25. *n.* 4. & penes ipsum, Siluester *verb. Missa*, 1. §. 4. Nauarr. *c.* 21. *n.* 7. *& de celebrat. Missar. consil.* 6. *lib.* 3. *tit.* 41. Sotus *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. Medina *lib.* 1. *cap.* 11. Rosella *verb. Missa*, §. 14. Tabiena §. 49. Caiet. *verb. Festorum violatio.* & alij. Sic etiam Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 2. *vers. Atque ex his.* Bonacina *loc. cit.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 7. Azor 1. *p. l.* 7. *cap.* 6. *q.* 3. Nugnus *loc. cit. concl.* 4. Scortia *lib.* 2. *cit. cap.* 20. *num.* 6. Fagundez *lib.* 2. *cit. c.* 3. *num.* 3. Qui malè citat Henricum Henriquez *cap.* 25. *num.* 7. *lit. l.* Hurtado *dist.* 5. *cit.* Lugo *disp.* 22. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 2. Trullench *n.* 8. *cit.* Bassæus etiam *num.* 4. *cit.* Filliuc. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 204. Dicastillo *num.* 25. & 56. *citatis.* Gesualdus de Sacram. *tract.* 17. *cap.* 2. *n.* 29. Qui num. 30. benè consulit, vt quando commodè fieri possit, audiatur Missa diei, præsertim in solemnitatibus præcipuis, & Dominicis diebus.

Qvæstio XXIV.

An ad implendum hoc præceptum, satis sit, audire Missam, quocumque Idiomate, & ritu celebratam?

Respondeo, Tanquam quid certum: Satis esse. Quia nullum extat præceptum, quo ligentur fideles audire Missam, Latino idiomate, aut alio. Adimplebunt ergo audiendo Missam, quocumque ritu, aut sermone, siue Latino, siue Græco, Siue Syriaco, siue Mosaraico, siue Ambrosiano, celebratam: dummodo talis ritus nullum contineat errorem, sitque ab Ecclesia approbatus. Sic Sotus *loc. cit.* Azor *loc. cit. quæst.* 5. Fagundez *loc. cit. num.* 2. Lugo *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 2. Bassæus *v. Missa*, 8. *num.* 4. Dicastillo *disp.* 5. *cit. num.* 26. & 27. Gesuald. *de Sacram. tract.* 17. *c.* 2. *num.* 3. Trullench *dub.* 5. *cit. num.* 8. Bonacin. *dicto punct.* 11. *num.* 12. & penes ipsum, Sà, *verb. Missæ auditio, in fine.* Barthol. ab Angelo *de Missa* §. 805. D. Anton 2. *part. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1. Siluester *Missa*, 2. *n.* 4. Tabiena *num.* 49. & Armilla *n.* 31. (Sed ex his Authoribus, Siluester, saltem, nihil dicit de hac quæstione, loco à Bonacina citato, nec D. Antoninus, nec Armilla, vt legenti constabit.) Tenent etiam omnes Docteres. Ex quorum doctrina constat, quòd, & plenè satisfaciant huic Missæ præcepto fideles Latini, audiendo Missam Græcorum; & è contrà: & quod quando in die festo non adsit nisi Missa Græcorum ritè celebrantium, teneantur fideles etiam Latini Missam illam audire pro satisfactione præcepti: & similiter etiam Græci Missam Latinorum. Legatur etiam Nauarr. *de celebr. Missarum consil.* 5. Filliuc. *tract.* 5. *cit. num.* 104. & Comitolus *lib.* 1. *q.* 47.

R. P. Leand. in V. Pracept. Eccles.

Qvæstio XXV.

An satisfaciat huic præcepto, qui Missam, statim post mediam noctem, audit?

Respondeo: Satisfacere. Quia præceptum sanctificandi festa incipit à media nocte, vt suprà est habitum, ergo, qui post mediam noctem, Missam audierit, huic præcepto satisfaciet, Sic Fagundez *primo precept. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 10. Qui citat Syluestrum *verb. Missa*, 2. *q.* 1. §. *Dicitur secundò, & §. Dicitur quartò.* Nauar. *cap.* 21. *num.* 2. & Azorium *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 2. Sed ex his, malè citatur Syluester §. *Dicitur quartò*, ibi namque nihil ad intentum dicit; benè tamen, §. *Dicitur tertiò*, citato. Malè item citantur Nauarrus, & Azor, quia neuter de hac tractat quæstione. Citari tamen potest Filliuc. *tract.* 27. *in* 3. *precept. Decalogi, cap.* 8. *num.* 129. Qui id confirmat exemplo Missæ noctis Natiuitatis.

Qvæstio XXVI.

An etiam satisfaciat, qui horâ secundâ, aut tertiâ post meridiem, Missam audit?

Negare, videtur Pasqualig. *in suis decis. moral. decis.* 311. *vbi* n. 8. Sic ait: Quia autem audire Missam subordinatur celebrationi: ideò etiam præceptum audiendi Missam videtur subordinatum præcepto non celebrandi transactâ tali horâ diei: atque adeò videtur obligare ad audiendam Missam intra illud tempus, intra quod de iure communi potest celebrari, atque adeò nisi audiatur, non satisfacit præcepto. Ita ille. Tunc ego: Sed sic est: quòd non potest celebrari Missa, transacto Meridie, de iure communi: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam satisfacere. Quia, vt nuper diximus, præceptum sanctificandi festa, quod includit abstinentiam ab opere seruili; & auditionem Missæ, incipit à media nocte, & desinit in mediam noctem: ergo, qui quacumque horâ harum viginti quatuor audierit Missam, dummodo ipso illa die dicantur, præcepto illius satisfaciet. Sic tenet praxis (imo, & ipse Pasqualigus *loc. cit.* quamuis sibi in dictis videatur contrariari.)

Ad fundamentum Pasqualigi dicendum est. Primò, non constare quòd præceptum audiendi Missam coarctetur ad tempus præscriptum à iure communi pro celebratione. Secundò. Quòd, dato quòd coarctetur, negandum omnino est, quòd qui audit Missam, licitè celebratam, vel ex consuetudine, vel ex dispensatione, extra tempus præscriptum à iure, non satisfaciat obligationi audiendi Missam. Sic tenet Lugo, *disp.* 15. *de Euchar. sect.* 2. *n.* 56. Imo, & Filliuc. *loco nuper citato*, quatenùs absolutè docet, quòd impleatur præceptum audiendi Missam, per auditionem Missæ post meridiem, si alicubi sic diceretur.

Qvæstio XXVII.

An audiens Missam in nocte Natalis, celebratam, ante mediam noctem, coram Pontifice: satisfaciat praecepto audiendi Missam, in die Natalis?

Negat Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 311. *n.* 7. vbi respondens cuidam argumento Lugi; hæc

ait: Ad primum ex iis, quibus suadebatur hæc anticipatio diei; Respondeo concedendo non satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini, qui illam audiret: quia licèt sit Missa diei, non est tamen in die: neque præceptum obligat ad audiendam missam diei, sed Missam in die. Vnde si in die festo celebraretur Missa, quæ non esset Missa diei (ve contingere potest, si celebraretur Missa solemnis votiua) qui illam audiret, satisfaceret præcepto. Neque hoc est contra intentionem Pontificis, quia aliud est, quòd velit celebrari illam Missam pro festiuitate Natiuitatis: & aliud, quòd velit celebrari in ordine ad satisfaciendum præcepto; non enim hoc intendit, sed tantùm primum. Ita Pasqualigus.

Affirmat verò Cardinalis Lugo *disp.15.de Euchar. sect.2.* Quia per oppositum sentit, quòd Missa illa, quam Cardinalis coram Pontifice in Nocte Natalis celebrat, non solùm est Missa diei, sed etiam Missa celebrata in die Natalis Domini: ergo audiens illam Missam, verè satisfacit præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini. Consequentia est euideos. Antecedens verò probat Lugo, ex eo quòd existimet, Ecclesiam pro illa vice anticipare diem sequentem per aliquot horas; quia cùm Ecclesia (inquit) computet dies à media nocte vsque ad mediam noctem, pro illo loco, & pro illa nocte anticipat diem sequẽtem cùm pendeat ab hominum placito, quando incipiat dies: data ergo hac diei anticipatione, verè celebratur prædicta Missa in ipso die Natalis Domini, ac per consequens illam audiens, verè audit Missam Natiuitatis, & in die Natiuitatis, & consequenter verè satisfacit obligationi audiendi Missam in die Natalis.

Ego verò absolutè Respondeo, dicendum. Quòd (siue illa Missa dicatur celebrari in ipso die Natalis Domino; eo quòd, vt existimat Lugo, Ecclesia pro illa vice anticipat diem sequẽtem per aliquas horas; siue non censeatur celebrari in die ipso Natalis Domini, vt Pasqualigus *loc.cit.* & Dicastillo *de Sacram.tract.*4. *disp.9.dub.*17. *n.*404. volunt.) qui Missam prædictam celebratam coram Pontifice, ante mediam noctem, audierit, verè satisfaciat præcepto audiendi Missam in die Natalis. Quia si dicamus cum Lugo, quòd illa Missa celebratur in ipso die Natalis, Manifestum est, quòd audiens illam, adimplet præceptum audiendi Missam in die Natalis Domini. Si verò dicamus cum Dicastillo, & Pasqualigo, quòd illa Missa nõ celebretur, nisi in vespere Natalis, adhuc dicendum est, quòd audiens illam, satisfaciat, eo quòd, prudenter censendum sit, hanc esse mentem Pontificis, & Ecclesiæ, à quibus tale dimananit præceptum. Sic Dicastillo *loc. cit. num.*407. per hæc verba: Ad primum dico illam Missam censeri dici intra diem Natiuitatis, quæ Ecclesiasticè incepit à vesperis, durante, nihilominus, die vigiliæ, quantùm ad ieiunium generale pro tota Ecclesia, & quantùm ad hoc, vt Sacerdotes, aut alij obligati satisfaciant priuatim præcepto legendi horas ipsius vigiliæ, si illas tunc dicant; quod commune est pro aliis etiam festiuitatibus, in quibus durante spatio, quo quis posset implere obligationem officij illius diei, incipit nihilominus altera dies, quæ habet initium à vesperis. Cum ergo per priuilegium, aut indulgentiam Papæ anticipetur illud Sacrum: & legatur, intra festum quidem, sed ante consuetam horam mediæ noctis, non est cur negemus tale Sacrum ante mediam noctem dictum sufficere, vt qui illi assistat impleat præceptum audiendi Sacrum. Sic ille. Qui latè id prosequitur. Et sic me etiam citato tenet Diana *p.*10. *tract.*15. *resol.*35.

Qvæstio XXVIII.

An etiam quando Vigilia Natalis occurrit in Dominica, possit quis per præfatam Missam, adimplere præceptum Missæ audiendæ in Dominica?

AFfirmat aliqualiter Pasqualigus *in suis decis. moralib. decis.*311. *n.*8. vbi respondens ad quoddam argumentum Lugi, hæc ait: Ad 2. Qui expectaret illam Missam, verè audiret Missam in die Dominica, in qua vrget præceptum; atque adeò satisfaceret præcepto; dummodo præceptum non obliget ad audiendam Missam intra illud tempus diei, intra quod conceditur de iure communi posse celebrari, &c. Sic ille. Qui tandem addit, ex hoc capite non satisfacere. Sed certè non bene; quia semel concesso, quòd prædicta Missa, Ecclesiasticè dicatur in Dominica die, non est vnde denegari possit, per illam adimpleri præceptum audiendæ Missæ in Dominica, vt ex dictis *q.*26. constat. Vnde,

Absolutè Respondeo dicendum, quòd per auditionem dictæ Missæ, non adimpleret præceptum audiendæ Missæ in Dominica. Quia Pontifex non computat illam Missam pro Dominica, sed pro sequenti die Natalis: ergo censetur non approbare illam, pro præcepto Dominicæ. Sic Dicastillo *loc cit. numero* 408. & (quamuis ex alio fundamento) Lugo *sect.*2. *cit. n.* 56.

Qvæstio XXIX.

An vi præcepti Ecclesiæ, teneantur fideles ad audiendam in festo, totam, & integram Missam?

REspondeo, vt certissimum: teneri. Quia sic habetur in cap. *Omnes fideles, de consecr. distinct.* 1. per hæc verba: *Omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam vt scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant; qui autem non perseuerant in oratione vsque dum Missa peragatur, conuenit communione priuari.* Et in cap. *Missas, ead. dist.* Sic dicitur: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus.* Sic ibi. Et sic omnes Doctores. Angel. *Missa, num.*42. Syluester *v. Missa,* 2. *num.*1. Henriquez *lib.*9. *cap.*25. *n.*7. Suarez *disp.* 88. *cit. sect.*2. Fagundez *de* 1. *Eccles. præc. lib.*2. *c.*4. *num.*1. Lugo *de Euchar. dispu.*22. *sect.*1. *num.*3. Graffius *lib.*2. *decis. cap.*34. *num.*3. Molfes. *in summ. tract.*3. *cap.* 17. *n.*31. Philibert. Marchinus *de ordine tract.* 3. *part.*3. *c.*17. *n.*5. Dicastillo *de Sacram. tract.*5. *disp.*5. *dub.*1. *v.*2. Gesualdus *de sacram. tract.*17. *c.*2. *n.*12. Martinon *de sacram. disp.*40. *sect.*9. & omnes.

Qvæstio XXX.

An satisfaciant præcepto Missæ audiendæ, qui vel ante benedictionem Sacerdotis exeunt: aut aliam minimam Missæ partem omittunt?

NEgarunt quidam, quos, tacitis nominibus, refert Nauar. *c.*2. *n.*2. Quorum fundamentum fuit cap. *Missas, cit.* vbi habetur; Quòd Episcopus debeat confundere eos, qui ante benedictionem Sacerdotis à Missa exeunt.

Sed certissimè, Respondeo, satisfacere. *Primò.* Quia in rebus moralibus, parum pro nihilo reputatur. *C. Re vera, de consecr. dist.* 1. *Secundò.* Quia, vt plurimùm, paruitas rei, re vera, à mortali excusat, ergo illum, qui ante benedictionem Sacerdotis euadit, nõ

pecca

peccabit mortaliter, ac proinde præcepto audiendæ Missæ satisfaciet. Vnde,

Ad fundamentum contrarium, dicendum est; caput illud, vel solùm vetare sub veniali, nequis ante benedictionem Sacerdotis ab Ecclesia exeat. Vel si sub mortali, intelligitur solùm casu, quo adesset scandalum, aut si fieret in contemptum. Sic omnes communiter. Nauarr. & Angel. *loc. cit.* Henriquez *loc. cit.* & penes ipsum, D. Anton. Syluest. Tabiena, Caietan. Medina, Sotus, & alij. Qui omnes vno ore fatentur, integram censeri audire Missam illum, qui breuem partem, non notabilem, omittit. Quæ tamen pars sit censenda notabilis, & quæ breuis, ex mox dicendis constabit.

QVÆSTIO XXXI.

An adimpleret præceptum audiendi Missam, qui eius tertiam partem omitteret?

AFfirmatiuam sententiam, nullum sequentem inueni; debet tamen, ni fallor, eam amplecti Stephanus Bauny; cum clarè, (vt infrà) sustineat, adimplere præceptum audiendi Missam illum, qui à principio Missæ vsque ad offertorium exclusiuè; & simul, ab post communionem inclusiuè, vsque ad finem Missæ, omitteret: at sic est, quòd huiusmodi Missæ omissio, est omissio tertiæ Missæ partis, vt considerandi patebit: ergo.

Sed vt omnino certum, Respondeo dicendum, quòd non adimpleat. Quia re vera omissio tertiæ partis Missæ, non est leuis, seu breuis pars; sed grauis, & notabilis. Sic expressè tenent Syluest. *v. Missa, 2. num. 1. vers. Dicitur quintò*, & Bassæus, *v. Missa. 8. num. 3.* vbi ait, consensu omnium constare dimidiam Missam aut etiam tertiam partem esse materiam notabilem. D. Antoninus, quem citat, ac sequitur Nauar. *cap. 10. de oratione, num. 43.* Dicastillo *de sacram. tract. 5. disp. 5. num. 13.* Bonac. *de sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 11. num. 15.* Azor *1. p. lib. 7. cap. 3. q. 2.* Machado *lib. 2. p. 4. tract. 1. docum. 1. num. 5.* dicens in hoc conuenire Doctores. Gesualdus *de sacram. tract. 17. cap. 2. num. 13.* quatenus docet, esse peccatum mortale, plus quartæ partis Missæ, omittere. Et tenent omnes.

QVÆSTIO XXII.

An adimpleat præceptum audiendi Missam, qui, ab eius principio, vsque ad Epistolam exclusiuè, omittit?

NEgat Moure *2. p. examin. Theolog. moralis, cap. 8. §. 1. num. 4.* per hæc verba: Respondeo: Peccaret mortaliter qui omitteret partem notabilem. Pars verò notabilis est, vsque ad Epistolam exclusiuè: vel à consummatione vsque in finem. Ita Tabiena *verb. Missa, §. 50.* & Nauar. citans *num. 2.* Qui etiam Epistolam totam comprehendunt; sed in hoc, à Toleto reiiciuntur. Ita ille. Sed malè citans pro sua sententia hos Authores, præcipuè Nauarrum, saltem loco vbi citatur ab illo, vt infrà constabit. Refert etiam pro hac eadem sententia Philibertus, *loc. cit. num. 5.* Syluestrum, *verb. Missa, 1.* Sed malè, vt etiam infrà patebit. Vnde,

Longè multò probabiliùs, & veriùs, Respondeo: Adimplere. Quia longè probabiliùs, & veriùs est, omissionem Missæ ab eius principio vsque ad Epistolam exclusiuè, non esse partem notabilem, sed leuem, & paruam: ergo per talem omissionem, non potest qui transgredi Ecclesiæ præceptum. Sic sentiunt Tabiena, Nauar. Tolet. & Syluester, locis pro opposito citatis, vt statim videbimus; & sic tenent omnes communiter.

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam adimpleat, qui, ab introitu Missæ, vsque ad Epistolam inclusiuè, omittit?

NEgat imprimis Nauarr. *in Man. cap. 21. num. 2.* per hæc verba: Dixi, *Integram*; quia non sufficit audire defectam aliqua parte notabili, per dictum caput, *Missas*, ibi, *Totas*. Notabilis autem pars diffinienda videtur arbitrio prudentis, cùm à iure non diffiniatur. *arg. l. 1. ff. de iur. delib.* Et apparet talis ea, quę protenditur ab introitu vsque ad Epistolam inclusiuè; vt *in cap. Quando, de consecrat. distinct. 1. notal. 10. num. 19.* Hęc meus Nauarr. in antiqua impressione, licèt in nouissima ita habeatur. Notabilis autem pars, &c. Et apparet talis ea, quæ protenditur ab introitu vsque ad Epistolam, & Graduale inclusiuè, vt diximus in Enchirid. de oratione *cap. 10. nu. 43.* Sic in nouissima impressione Nauarr. Sed certè in Enchirid, strictiùs loquitur hic Author; ait namque ibi ita: Secundò, non videri partem notabilem Missæ, solum introitum eius; vt determinat D. Anton. esse tamen (quicquid aliàs significauerim) eam, quæ durat vsque ad vltimum Kyrie eleison. Hæc ibi. Vbi apertè docet, partem notabilem Missæ omittere, qui ab introitu vsque ad vltimum Kyrie, omittit. Negat etiam Toletus *lib. 6. cap. 7. num. 2.* Sic dicens: In particulari autem Tabiena §. 50. & Nauarr, *num. 2.* dicunt, quòd si dimitterent vsque ad Epistolam inclusiuè, tunc non impleretur præceptum, quia est notabilis pars: quamuis si dimitteretur totum, quod est ante Epistolam, adhuc posset impleri præceptum: & ego ita credo. Quamuis non desint, qui dicant, posse & Epistolam dimitti: sed non est securum, nisi ex necessaria causa id prouenerit. Hucvsque Toletus. Ex quibus constat, quàm malè citauerit Moure hos Authores pro sua sententia, quæstione antecedenti relata. Negant item Henriquez *lib. 5. de Missa, cap. 25. num. 7.* vbi in corpore sic ait: Sic satis putant integram, quamuis Epistolam omisisset. At sanè debet Graduale, & partem Epistolæ audire. Ita Henriquez. Qui in Glossa *lit. l.* citat pro sua sententia Anton. Tabienam, Medinam, Sandoual, Sotum, Canum, Cuenas, Toletum, & Nauarrum. Negat deinde Bonac. *disp. 4. de Missa sacrif. q. vltim. punct. 11. num. 16.* afferens pro se Suarium *disput. 88. sect. 2.* Nauarrum, & Henriq. *loc. cit.* Nugnum, *q. 83. art. 6. dub. 2. post 3. concl.* Tabienam *v. Missa. num. 50.* Rodriguez *in summ. cap. 133. num. 1.* Grassium *lib. 1. cap. 33. num. 3.* & Toletum. Sed ex his, quos citat Authoribus, non bene citat pro se Suarium, & Rodrig. & Grassium, sicut etiam citat Barbosa, vbi infrà. Negant tandem Candidus *in suis disquis. moral. disquis. 25. art. 29. dub. 4.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 5 num. 10.* Qui etiam malè refert pro hac parte Suarium, Bassęus *verb. Missa, 8. num. 3.* (qui etiam non bene pro hac sententia refert Suarium, & Rodriguez) Sà *verb. Missa auditio, n. 2.* ait enim sic (in vtraque editione.) Satisfacit Ecclesię pręcepto, qui incipit Missam audire ab Epistola, & secundùm quosdam, etiam ab Euangelio, vsque ad communionem; & qui post Epistolam, vel Euangelium veniens legit, aut audit à legente, quæ non audiuit. Ita Sà. Ex cuius verbis, clarè constat, hanc amplecti ex proprio Marte sententiam; contrariam, ex aliorum placito.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam, adimplere, præceptũ, audiendi Missam, illum, qui ab introitu Missæ

F 3 vsque

vsque ab Epistolam inclusiuè, voluntariè, & sine causa omittit. Quia probabilius est hanc partem omissam, nullo modo esse notabilem, sed paruam, & modicam; cùm vix sit quarta pars respectu totius Missæ: ergo omissio hæc nullo modo erit mortalis; sed venialis tantùm: ac per consequens, illam omittens, verè adimplebit præceptum audiendi integram Missam. Sic tenent imprimis Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 2. *vers. secundò sequitur*: per hæc verba: Alij verò hoc extendunt vsque ad Euangelium exclusiuè. Itaque, si ab initio Euangelij vsque ad finem Missæ audiat, nō peccabit mortaliter, quod expressiùs Moderni declararunt, vt Soto *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. Nauar. *cap.* 21. *num.* 2. & cap. *Quando. de consecr. dist.* 1. *notab.* 10. *num.* 19. Quia illa pars nondum censetur quarta pars Missæ. nec notabilis. Intelligendum autem hoc est, dummodo Missam reliquam vsque ad finem audiat; nam si quis in principio vsque ad Epistolam inclusiuè omitteret, & postea statim post communionem Sacerdotis egrederetur, nimia esset licētia, nec careret scrupulo peccati mortalis: oportet ergo, vt saltem assistat vsque ad dimissionem populi, vel Sacerdotis benedictionem. Huc vsque Suarez: & bene omnino, si malè non citasset pro se Nauarrum. Tenet etiam nostram sententiam Rodriguez *cap.* 123. aliàs 112. (non 133. vt citat Bonac.) *num.* 1. Sic dicens: [Y cumple cō este præcepto oyendola desde el Euāgelio, mas oyr la acabado el Euāgelio no es cosa Segura. Assi lo tiene S. Antonino 2. *p. tit.* 9. *cap.* 10. *vers. d. dict.* y parece que conuiene Soto *in* 4. *q.* 2. *art.* 1. Loqual se ha de tener; aunque Nauar. *in man. cap.* 21. diga, que quien comença a oyr la Missa, dicha la Epistola, peca mortalmente.] Sic Rodriguez. Malè ergo citantur Suarez, & Rodriguez à Bonacina pro sua sententia. Sicut etiam, non omnino bene citat Rodriguez pro hac parte D. Antoninum, cùm illam saltem expressè non doceat; solùm enim ait: quod non satisfacit præcepto, qui notabilem illius partem omittit; putà mediam, vel tertiam partem Missæ. Tenent deinde nostram sententiam, Lugo *disp.* 22 *de Euchar. sect.* 1. *num.* 3. (licèt male etiam afferat pro hac parte Nauarrum) Fagundez *de* 1. *præcep. Eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. & 3.) qui etiam refert pro hac parte Nauarrum, & Toletum, sed vtrumque malè, vt vidimus: Azor 1. *p. lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 2. Reginald. *lib.* 19. *n.* 24. ita loquens: Cæterùm mihi probatur quòd Nauarrus, habet in citato *num.* 2. non esse censendam Missæ partem notabilem, illud quod dicitur vsque ad Epistolam inclusiuè: neque scrupulosè contenderim cum eo, qui adhuc adderet modicum illud quod sequitur vsque ad Euangelium, dummodo nihil de eodem Euangelio relinquatur. Sic ille, & optimè, si non afferret pro se Nauarrum; cùm hic, oppositum doceat, vt nuper vidimus: Scortia *de sacrif. Missa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. Ægidius *q.* 83. *art.* 6. *num.* 285. Victorell. *in annot. ad* Toletum *lib.* 6. *cap.* -. Villalob. *tr.* 8. *diff.* 35. *n.* 2. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 196. & *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 38. & 44. In hanc eamdem sententiam videtur inclinare Sotus, *loc. cit.* à Rodriguez: ait enim sic: Quare si ab Epistola rem sacram audieris, satis fecisti. Admonet enim prædictus Canon Apostolorum, vt omnes Christi fideles in diebus solemnibus scripturas Apostolorum, & Euangelia audiant. Tametsi neque tam exactè forsan monitum illud sit intelligendum. Euangelium autem non audire, non esset tutum. Sic Soto. Vnde non omnino bene citat illum Henriquez pro sua sententia, Tenet tandem hanc nostram sententiam Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 5. *dubit.* 3. *num.* 35. vbi pro illa citat Nauarrum, Sotum, Suarium, Henriquez, Tabienam, Rodriguez, Ægidium Coninc, Grassium, Petrum Ledesmam, & Azotium. Sed ex his, malè citat Nauarrum, Henriquez, & Tabienam, vt ex dictis constat, Sic etiam Machado, *tract.* 1. *cit. docum.* 1. *num.* 6. & Barbosa. *in collectan. DD. in p.* 3. *decreti. c. Missa*, *cit. num.* 4. Gesualdus *de Sacram.* 1. *p. tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 13. (Qui etiam citat, sed malè, pro hac parte Nauarrum.) Martinon *de Sacram. disp.* 40. *sect.* 9. Molfesius *in sum. tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 48. Qui item, citat pro hac parte Nauarrum, sed etiam malè.

QVÆSTIO XXXIV.

An item, adimpleat præceptum audiendi Missam, Qui, ab introitu vsque ad offertorium exclusiuè, & ab post communionem, vsque ad finem Missæ, omittit?

AFfirmat expressè Stephanus Bauny *tract.* 6. *de sacrif. Missa, quæst.* 8. per hæc verba: Assertio 3. Non videtur peccare mort. qui Missæ interest ab offertorio inclusiuè vsque ad post communionem exclusiuè. Est contra multos qui existimant, præcepto de Missa audienda, satisfieri non posse, nisi audito Euangelio. Et ita mortaliter eum peccare asserit Reginald, *lib.* 19. *cap.* 2. *quæst.* 3. *numer.* 24. qui eo lecto Templum aduenit. Quæ opinio est etiam Nauarri *cap.* 21.

Sed contra *Primò*. Quia quæ præcedunt Euangelium aut sequuntur vsque ad offertorium, partes non sunt integrantes, aut substantiales sacrificij. *Secundò*. Quia ratio peccati mortalis in hac materia, non petitur, tam à quantitate rei omissæ, quam ab eius dignitate, quæ dignitas, haud dubiè non est tanta in orationibus, Epistola, & Euangelio, quanta reperitur in Oblatione, Consecratione, & Communione. *Tertiò*. Quia, vt non est necesse dicere Missam festi proprium, ita nec Euangelium audire, vel legere. Sic omnino Bauny. Sed omnino malè. Vnde,

Vt certissimum Respondeo dicendum: Quòd omnino peccet mortaliter, & consequenter, non adimpleat præceptum Missæ, ille, qui tantùm interest Missæ, ab offertorio vsque ad post communionem, aut, quod idem est, ille qui à principio Missæ, vsque ad offertorium, exclusiuè; & ab post communionem, vsque ad finem Missæ, omittit.

Probatur hæc responsio *Primò*. Quia omissio ab introitu Missæ, vsque ad offertorium, exclusiuè; & ab post communionem, vsque ad finem Missæ, verè, & absque dubio, est grauis, & notabilis omissio: ergo & mortalis: ergo, qui in illam incurrit, verè transgreditur præceptum Ecclesiæ de integra Missa audienda

Secundò. Quia prædicta omissio, verè est tertiæ partis Missæ omissio: at omissio tertiæ partis Missæ, in communi omnium opinione, verè est grauis, & notabilis: ergo omittens dictas Missæ partes, absque dubio peccabit mortaliter, & consequenter non satisfaciet præcepto. Consequentia patet. Minorem fatentur D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *c.* 10. §. 1. *v. in fine*, Syluester *v. Missa*, 2. *num.* 1. *vers. Dicitur quintò* & Bassæus *v. Missa*, 8. *num.* 3. & communis Doctorum, vt constat ex dictis *q.* 31. Maior verò, apertè consideranti constat.

Tertiò Quia opinio huius Authoris, & nullum præter ipsum, (saltem quem ego viderim) habet patronum; & nullum fermè fundamentum, vt ex responsione ad ea, quibus nititur, manifestabitur: ergo omnino est reiicienda.

Ad primum igitur allatum in contrarium, dicendum est, quòd licèt partes, quæ offertorium præcedunt,

dunt, non sint partes integrantes, aut substantiales sacrificij Missæ, strictè, propriè sumpti, quia hoc modo, solùm dicit consecrationem, in qua solùm essentia sacrificij consistit (vt diximus 2. *p. tract. 8. disp. 1. à q.* ○.) sunt tamen partes integrantes, & substantiales Missæ, prout sumitur Missa, de qua audienda est præceptum: quia sic sumpta, importat omnia, quæ antecedenter, concomitanter, & consequenter se habent, & reperiuntur in sacrificio Missæ: & ideò tenetur quis illis partibus interesse. Addo, quòd si aliquid valeret dictum argumentum, probaret etiam, non peccare mortaliter eum, qui Missæ oblationi, consecrationi, & communioni, solùm interesset; cùm solùm hæ partes, iuxta diuersas opiniones, sint de essentia, & integritate sacrificij strictè sumpti: at hoc est plusquam falsum, & à nemine concessum: ergo.

Ad Secundum dicendum est, quòd ratio peccati mortalis in hac materia, ab vtroque sumitur; nempe, & à quantitate rei omissæ, & à dignitate: & ideò deficiens in quolibet horum, delinquet grauiter, si grauis, aut notabilis sit quantitas partis Missæ omissæ; aut dignitas magna rei, quæ in Missa omittitur, iuxta infrà dicenda.

Ad Tertium dicendum, indignum esse tanto Authore, factum argumentum: Quid enim refert quod non sit necesse dicere Missam festi propriam, vt inde colligat Bauny quod nec sit consequenter necesse audire absolutè Euangelium; Quod non sit necesse audire Euangelium proprium illius diei, sicut non est necesse audire Missam propriam festi, stat bene; sed quòd non sit necesse audire Euangelium absolutè, eo quòd non sit necesse dicere Missam propriam festi, id nullo modo stat bene, sed malè. Sicut igitur absolutè est necessarium ad adimpletionem præcepti, audire Missam, siue propriam diei, siue votiuam, sic erit absolutè necessarium audire Euangelium illius Missæ, quæ dicitur, siue sit diei, siue votiua. Valeat ergo Bauny cum sua opinione.

QVÆSTIO XXXV.

An saltem, adimpleat præceptum audiendæ Missæ, qui ab introitu vsque ad Euangelium inclusiuè omittit, si reliquis partibus, vsque ad finem Missæ assistat?

AFfirmat (& à fortiori) Bauny *loc. cit.* sic dicens: Assertio 5. Non peccat mortaliter qui ab offertorio inclusiuè, vsque ad benedictionem Sacerdotis sacrificio interest. Ita ille. Qui & citat Layman *lib. 4. tract. 7. num. 3.* & Alincarium *de Eccles. officiis, cap. 36.* Sed certè Layman, id licèt videatur asserere, tamen est cum timore; ait enim, duriusculum sibi videri damnare peccati mortalis hominem, qui circa offertorium ad Missam accessit. Ita ille. Qui non Alincarium, sicut Bauny, sed Amalarium, pro hac parte citat.

Affirmat etiam Hurtado *disp. 5. de sacrif. Missæ, diff. 1.* ita loquens: Omissio vero vsque ad Euangelium inclusiuè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto, assistatur vsque in finem, non erit mortalis; quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem. Ita Hurtado. Posset etiam quis citare pro hac parte D. Antoninum, & Siluestrum loc. nuper cit. docent enim non debere reputari omittere notabilem partem Missæ, illum, qui non medietatem, aut tertiam partem omittit: tunc sic, sed omissio præfata, non est tertiæ adhuc Missæ partis: ergo. Sic etiam sentiunt Diana *p. 4. tract. 4. resolut. 196. & p. 5. tract. 5. resol. 38. & 44.* & Ioan. de Lugo *disp. 22. cit. sect. 1. num. 3.* Ortiz. *in sum. vbi de 3. præc. §. 6. fol. 103. pag. 2.* & alij.

Sed ego probabiliùs longè Respondeo: Non adimplere. Quia probabilius longè est, quòd omissio vsque ad Euangelium inclusiuè: est notabilis, & grauis, & consequenter mortalis. Probatur. Nam ratio peccati mortalis in hac materia, & sumitur à quantitate rei omissæ & ab eius dignitate, vt suprà est habitum: Sed sic est, quòd quantitas prædicta Missæ omissæ; & est grauis, & notabilis: ergo. Minor probatur: quia omissio introitûs, orationum, Epistolæ, Gradualis, & Euangelij, aut est tertiæ partis Missæ (quod non dubito quando adsunt Prophetiæ aliquæ, sequentia, seu longum Euangelium) aut ferè tertiæ partis; ergo attentâ solùm quantitate rei omissæ, dicta omissio grauis erit. Rursus, etiam est grauis, attentâ dignitate dictæ partis omissæ; cùm sit omissio Scripturarum Apostolorum, & Euangelij: ergo ex vtroque capite remanet grauis. Confirmatur. Quia in iure, expressè præcipitur, quòd fideles in festis, audiant sacras scripturas, & verbum Dei; ergo hoc præceptum adimpleri debet per auditioné, saltem Euangelij, quod in Missa legitur. Vide dicta *sup. q. 18.* Sic tenent communiter Doctores, Nauar. Tolet. Henriquez, Sandoual. Soto, Cano, Bonac. Candid. Trullench, & alij pro prima sententia *q. 33.* relati. Et ex relatis pro secunda, Scortia, Rodriguez, Villalob. Suarez, Fagundez, & Ægidius. Sic etiam Luysius, Turrianus *in selectis p. 2. disp. 31. dub. 28.* censens contrarium improbabile. Tenet etiam Diana *p. 5. tra. 14. resol. 70.* his verbis: Ideò ad propositum dubium respondendo, assero sententiam affirmatiuam non esse improbabilem (sic enim est legendũ, non; *nunc esse improbabilem*; vt in editionibus Lugdunensi, & Matritensi legitur) licèt ego negatiuam teneam. Ita Diana ibi. Et in indice rerum, eamdem sententiam exprimit dicens sic; *ver. Missa*: Missam pòst finitum Euangelium audiens, non satisfacit præcepto. Sic ibi. Ex quo constat Dianam sibimet esse contrarium. Tenent etiam hanc nostram sententiam Basilæus *loc. cit.* Mercerus *de Sacram. q. 83. a. 6. dub. 4. notab. 4. n. 3.* Præpositus *q. 83. art. 6. dub. 4. n. 203.* Azor *2. p. lib. 7. cap. 3. q. 2.* Dicastill. *de Sacram. tract. 5. disp. 5. num. 35.* Aug. Barbosa *in 3. par. Decreti c. Missas, de Consec. dist. 1. num. 4.* Barthol. ab Angelo *in examine Confess. dial. 5. de Missa, §. 777.* Martinon *de Sacram. disp. 40. sect. 9.* Molfes. *in sum. tract. 3. c. 17. num. 48.*

QVÆSTIO XXXVI.

An ad minus, adimpleat præceptum Missæ, qui, ab introitu, vsque ad Euangelium inclusiuè omittens, audit reliquum Missæ, vsque ad Euangelium S. Ioannis inclusiuè?

AFfirmant Suarez *disp. 88. cit. sect. 2. vers. Addit vero. Nauarrus in fine.* Lugo *de Euchar. disp. 22. sect. 1. num. 3.* Hurtado *loc. cit.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 1. dub. 5. num. 11.* Et tanquam non improbabile admittit Bonac. *disp. 4. de Missæ sacrif. q. vlt. pun. 11. num. 17.* citans pro hac parte Suarium *loc. cit.* Nugnum *q. 83. art. 6. dub. 2.* Azorium *lib. 7. cap. 3. q. 2.* Rodriguez *in sum. cap. 123. num. 1.* & Grassium *lib. 2. cap. 34. num. 3.* Sed ex his Authoribus, male citat Rodriguez; cùm oppositum teneat; & Azorium: Quia *loc. cit.* nihil habet de quæstione præsenti, & etiam Grassium. Affirmat etiam Fagundez *de 1. Eccles. prec. lib. 2. cap. 6. num. 7.* Qui pro hac parte affert Henriquez *lib. 9. cap. 15. num. 7.* Sed etiam malè. Quia Henriquez loquitur duntaxat, de eo, qui solùm vsque

 ad

ad Epistolam omisit; & de hoc loquendo, quamuis in Glossa *lit. I.* indicet, non esse improbabile, satisfacere præcepto, qui vsque ad vltimum Euangelium inclusiuè, audit; tamen in corpore dicti numeri 7. oppositum docet, vt constat ex ipsiusmet huiusmodi verbis: Et admittunt satis esse suppleri per Euangelium auditum, quod Sacerdos in fine Missæ dicere solet. Sic satis putant integram, quamuis Epistolam omisisset. At sanè debet Graduale; & partem Epistolæ audire. Hæc Henriquez. Loquitur igitur de illo qui solùm Epistolam omisit, & de illo adhuc negat satisfacere præcepto per auditionem vltimi Euangelij. In quo etiam casu, citat Henriquez, Castrum pro hac sententia, *lib. 1. de lege pœnali, c. 12.* Non in casu de quo loquitur nostra quæstio; pro quo illum, (sed malè) citat Fagundez. Affirmat deinde Diana *p. 4. tract. 4. resol. 166. & p. 5. tract. 5. resol. 38. & 44.* Antonius *in compendio Dianæ v. Missam audire, num. 15.* Qui tamen haud bene citat illum *p. 5. tr. 14. resol. 70.* cum hoc loco, oppositum, vt vidimus, teneat, quamuis verum sit, quod dicat, & defendat hanc sententiam esse probabilem, & pro illa citet Sà correctum, *verb. Missæ auditio, num. 2.* Faustum *de Euchar. lib. 2. q. 386.* Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 201.* Henriquez *cap. 25. 7. cit.* Laymanum *lib. 4 tract. 7. cap. 5. num. 3.* & Fagundez *loc. cit.* Sed ex his omnibus Authoribus citatis pro hac parte à Diana, Sa imprimis id non docet ex propria sententia, sed potiùs oppositum, vt constat ex eisdem verbis, relatis *sup. quæst. 33.* Nec Henriquez, vt nuper in hac quæstione vidimus. His etiam Doctoribus addi possunt Bassæus *ver. Missa, 8. num. 3.* Qui, vt visum est, malè citat pro hac parte Azorium, & Rodriguez. Gauantus comment. *in Rubr. Missali. part. 1. tit. 13.* & Dicastillo *loc. cit. num. 35. & 38.* Palao *tom. 4. tract. 22. disp. vnica, punct. 16.* Gesualdus *de Sacram. tract. 17. capite 2. numer. 15.* Martinon *de Sacram. disput. 40. sect. 9.*

Fundamentum horum Authorum est, Quia adhuc concesso, quòd omissio vsque ad Euangelium inclusiuè, sit pars notabilis, & consequenter mortalis; tamen per auditionem vltimi Euangelij (Sancti, videlicet, Ioannis, aut alterius) quod non tenentur fideles audire; cùm possint, data benedictione Sacerdotis, recedere; compensatur satis Euangelium in principio omissum: ergo.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Nec adhuc adimplere præceptum audiendæ Missæ. Quia probabilius longè est, quòd fideles teneantur ex vi huius præcepti, vltimum etiam Euangelium Missæ audire; nec possint, antequam illud dicatur, licitè ab Ecclesia exire: ergo per auditionem huius vltimi Euangelij, non potest compensari Euangelium primum omissum: consequentia est nota; antecedens verò infrà *quæst. 49.* probabitur. Sic sentiunt, Nauar. *in Manual. cap. 21. num. 2.* Toletus *in sum. lib. 6. cap. 7. n. 2.* Toletus *in sum. lib. 6. cap. 7. num. 2.* Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 25 num. 7.* Luysius Turrianus *in selectis part. 2. disp. 31. dub. 28.* Scotti, Emanuel Rodriguez, Villalobus *loc. cit. quæst. 35.* & est communis. Imo tandem, Suarez, & Fagundez in hanc nostram videntur inclinare sententiam.

Ad fundamentum autem pro parte contraria adductum, dicendum est, ex dictis, quòd nullo modo possit omissio primi Euangelij compensari per auditionem secundi, & vltimi; eo quòd, secundùm probabiliorem longè opinionem, teneantur fideles, ex vi præcepti Missæ audiendæ, hoc vltimum Euangelium audire, vt loco citato dicemus.

QVÆSTIO XXXVII.

An saltem, qui à principio Missæ, vsque ad Euangelium inclusiuè non audiuit, adimpleat præceptum, casu, quo reliquum Missæ audiat; & Epistolam, & Euangelium omissum, priuatim per se, vel per alium legat?

Affirmat expressè Nauar. *de Oratione, notab 10. num. 45. & in Miscell. 21 num. 100. & in Man. cap. 21. num. 2.* Vbi expressè docet, quòd, qui legit per se post Missam, partem omissam, vel audiendo lectam ab alio, satisfaciat præcepto. Et citat pro se Margaritam Confess. Nauarrum sequitur Grassius, *lib. 2. cit. cap. 54. n. 3. in fin.* Sic dicens: At partem notabilem omittere, quæ secundum Siluestrum, dicitur medietas, vel tertia; vel secundùm Nauarrum, ab introitu vsque ad Epistolam; vel secundùm Sotum *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. col. antepen.* ab Introitu vsque ad Euangelium, peccatum est lethale, nisi illam notabilem partem, finitâ Missâ per se legeret, vel ab alio audiret. Nauar. *vbi sup.* Hic vsque Grassius. Sic etiam Bassæus, *ver. Missa 8. n. 5.* Ita scribens: Imò satisfacit præcepto, qui prætermittit principium Missæ vsque ad Euangelium, si eam partem per se ipsum legat, vel ab alio attentè audiat. Ita Sà *verb. Missæ auditio, n. 8.* & Henriquez *lib. 9. c. 27. n. 7.* Hic vsque Bassæus. Qui tamen malè citat loca, vbi id doceant hi Doctores. Nam Sà non *num. 8.* sed 2. id affirmat, & non ex propria, sed ex aliorum sententia, vt suprà *quæst. 33.* notauimus. Henriquez verò, *non cap. 27. sed. 25. num. 7.* in corpore, quam in Glossa *litt. G.* Sic tandem Iodocus, *tom. 1. Thesauri vtriusque Theolog. v. 2. Missæ auditio, n. 49. pag. mihi 1418.* per hæc verba. Tertiò quòd attinet ad integritatem Missæ, sufficit eam audire ab Epistola, vel Euangelio, vsque ad communionem. Si autem post Epistolam, vel Euangelium venit, debet legere, vel legi audire ea quæ non audiuit. Ita ille, & Barthol. ab Angelo §. 783. Quos etiam videtur sequi Bonac. id probabiliter approbans. Ex quibus constat satis probabilem, & rationabilem esse hanc sententiam (quidquid aliqui perperam dicant) cùm tot, tantique Doctores eam sequantur.

Nihilominus longè probabiliùs Respondeo: Non adimplere. Quia priuata illa lectio omissæ Epistolæ, aut Euangelij, cùm omnino sit extra Missam, cui obligat præceptum, vt fideles assistant, nequit supplere illam partem, quam in Missa non audiuit. Sic Suarez *disp. 88. sect. 2. vers. addis verò Nauarrus.* Fagundez *lib. 2. cit. cap. 6. num. 6.* Azor *lib. 7. cit. cap. 3. quæst. 2.* Reginald. *lib. 19. num. 25.* Lugo *disp. 22. de Euchar. sect. 2. num. 2. in fine.* Philibert. *loc. cit. num. 6.* Cand. *lo cit. d. 5.* Dicastillo *loc. cit. num. 38.* Palao *loc. cit.* & Molsesius *tract. 3. c. 17. n. 30.* Quamuis hic Author, tandem concedat, posse practicari opinionem Nauarri in casu necessitatis pro maiori securitate quis practicate opinionem Nauarri: quod fieri solet, audiendo ab alio, vel legendo ipse orationem, Epistolam, & Euangelium, si eis dictis per Sacerdotem, venit ad Ecclesiam. Quod enim secretò dicitur, nullo modo est repetendum, nec legendum, completâ Missâ, secundum omnes. Sic Molsesius.

QVÆ

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui à communione Sacerdotis inclusiuè, vsque ad finem Missæ omittit, satisfaciat præcepto?

RESpondeo, non satisfacere. Quia huiusmodi pars omissa, verè est notabilis, cùm includat communionem Sacerdotis, quæ vna ex principalioribus partibus est Missæ. Sic Bonac. *disp.4. de Missa sacrif. quæst. vltim. punct.* 11. *num.* 14. Henriquez, Ægidius Nugnus, & Molfesius, penes ipsum. Candidus *disquis.* 25. *art.* 29. *dub.* 6. *vers. Dico octauò.* Dicastillo *tract.* 5. *cit. disp.* 5. *n.* 36. Moure 2. *p. exam. Theol. cap.* 8. §. 1. *n.* 4. & alij.

QVÆSTIO XXXIX.

An saltem, qui à communione Sacerdotis exclusiuè, vsque ad finem Missæ omittit, præcepto satisfaciat?

RESpondeo satisfacere. Quia hæc, quæ omittitur pars, non est notabilis, sed parua. Sic Suarez *disp.* 88. *sect.* 2. *vers. Secundò sequitur:* Vbi sic ait: Si autem quis à principio Missæ audiat, & vsque ad communionem assistat, quamuis reliquum omittat, non erit peccatum mortale, quia illa non est pars notabilis. Sic ille. Et ante illum Caiet. *Verb. Festorum violatio vers. Secundum quoque*, per hæc verba: Qui verò, communicato Sacerdote, à Missa recedunt non expectatà benedictione, peccant absque dubio, non tamen mortaliter: quia non omittitur pars notabilis: doctrina siquidem, & sacrificium Missæ, iam completum est. Sic Caiet. & ex illo Riginald. *lib.* 19. *numer.* 24. *vers. Cæterùm.* Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *vers. Atqui.* Dicastillo, *num.* 36. *cit. in fine*, & communis.

QVÆSTIO XL.

An etiam satisfaciat præcepto, qui Introitum, & Epistolam, & etiam omnia, quæ Sacerdos, post sumptum sanguinem, dicit, omittit.

AFfirmat Hieron. Llamas 2. *part. Metho. c.* 5. §. 8. *pag.* 483. per hæc verba: Dummodo fiat ex rationabili causa, non omittitur Missa integra, etiamsi collectæ posteriores non audiantur, etiamsi quis ab Euangelij initio illam tantùm audierit; quia sicuti collectæ priores, non iudicantur pars essentialis, vel notabilis Missæ, sic nec posteriores, in quo aliquantulùm à Nauarro discedimus, & à Soto. Ita Llamas, post illum Bauny *tract.* 6. *de sacrif. Missæ, q.* 4. vt constat ex eius verbis relatis, supra *q.* 34.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Non satisfacere. Quia probabiliùs longè est, talem partem prætermissam, esse grauem, & notabilem Sic Nauar. *in cap. Quando, de consecr. dist.* 1. *notab.* 10. *num.* 17. *aliàs* 19. & insinuat in Man. *cap.* 12. *numero* 2. & tenent expressè Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 1. *col* 107. Ita dicens: Constat etiam partem notabilem omittere eum, qui principium Missæ, & Epistolam vnà cum his, quæ in fine Missę dicuntur, relinquit; vt si omittat etiam ea, quæ sacerdos dicit post sumptum Christi corpus. Sic ille. Et Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 2. *vers. Secundò sequitur.* Vbi hæc habet: si quis in principio vsque ad Epistolam inclusiuè omitteret, & postea statim post communionem Sacerdotis egrederetur, nimia esset licentia, nec careret scrupulo peccati mortalis: oportet ergo, vt saltem assistat vsque ad dimissionem populi, vel Sacerdotis benedictionem. Sic ille, & Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 6. *num.* 4. & 9. & (penes illum) Azor. *tom.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 2. *cap.* 7. & Nauar. *cap.* 13. *num.* 2. & Suarez loco à nobis citato. Sed ex his, quos citat Authores, nec Azor id docet *lib.* 3. *quæst.* 2. *cap.* 7. sed *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 2. Nec Nauar. *cap.* 13. *num.* 2. sed *cap.* 21. *num.* 2. Quamuis, nec hoc loco, expressè: cùm solùm dicat, quod ex vna particula principij Missæ, & finis eiusdem, possit constitui vna notabilis, Ægidius *quæst.* 83. *art.* 6. *dub. vnico, num.* 285. & Trullench, statim citandus.

QVÆSTIO XLI.

An ad minus, satisfaciat præcepto, qui ab initio Missæ, vsque ad Epistolam exclusiuè, & à post communionem, vsque ad finem Missæ, prætermittit?

NEgat Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub* 5. *num.* 10. per hæc verba: Vnde fit, si omitteret vsque ad Epistolam exclusiuè, non peccaret mortaliter; nisi statim post sumptionem recederet, quia tunc ex illis duabus partibus omissis integratur pars notabilis. Ita ille.

Alij verò id affirmant, & tenent satisfacere. Quia (inquiunt) hæc omissa pars, cùm sit ad summum, quarta, est leuis. Sic Suarez *loc. cit.* Ita dicens: Imò quamuis aliquid ex principio, & fine omittat, poterit non esse mortale, si ex vtroque non conficiatur notabilis quantitas, vt v. g. si à principio Epistolæ vsq; ad integram communionem Sacerdotis inclusiuè assistat: quia Epistola æquiualere censetur orationibus, quæ post communionem sequuntur. Sic Suarez & Fagundez *loc. cit.* & à fortiori Llamas, & Bauny, vt constat ex præhabitis, quæstione antecedenti.

Sed ego, qui probabilius teneo, quòd teneantur fideles ex vi præcepti audire vltimum Euangelium Missæ, vt infrà probabiliùs Respondeo: Non satisfacere præcepto; quia tunc, omissa pars verè est notabilis, vt constat. Secus dicerem, si cum Trullench assererem, non teneri quem, ex vi præcepti audiendæ Missæ, vltimum Euangelium audire; quia stando in hac sententia, verè pars omissa est leuis, & non grauis, vt meliùs vidit Suarez.

QVÆSTIO XLII.

An saltem satisfaciat, qui solùm abest ab Oblatione, quæ fit à Sacerdote, post Consecrationem vtriusque speciei?

NEgat expressè Bonacina *disp.* 4. *de Missæ sacrif. quæst. vlt. punct.* 11. *num.* 14. per hæc verba: Tertiò, eum non satisfacere præcepto, qui interest Missæ, dum fiunt tres partes substantiales sacrificij, quæ sunt, Consecratio, Oblatio, & Consumptio: non enim potest excusari ex materię paruitate, cùm omittatur pars pertinens ad substantiam sacrificij. Ita Henriquez *num.* 7. *ad finem.* Coninchus *num.* 285. & expressiùs tenet Nugnus, *quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. *in posteriori parte, post tertiam conclusionem, fol.* 517. & alij Recentiores. Huc vsque Bonacina. His Authoribus addi possunt Fagundez *lib.* 2. *de* 1. *præcep. Eccles. cap.* 6. *num.* 14. Qui etiam citat Henriquez, loco à Bonacina citato, & *lib.* 9. *cap.* 9. *initio*; Sed certè Henriquez hanc partem, saltem expressè, non sustinet; solùm enim docet, quòd dictæ tres partes, pertineant intrinsecè ad rationem sacrificij, vt partes necessarię,

non

non tantùm integrales, sed essentiales; & ita curare debet, ne quis desit dum fiunt in Missa dictæ tres partes. Hæc in vtroque loco citato, & nil amplius. Candidus *disquis. 25. art. 29. dubit. 6. dicto* 7. Trullench *loc. cit.* (citans pro hac parte Henriquez *lib. 9. cap. 21. num. 8.* Vbi nihil de hac re) quamuis in re, in oppositum se inclinet. Gesualdus *tract. 17. cit. cap. 2. num. 18.* & alij.

Negabunt etiam, & à fortiori, sustinentes in sola dicta Oblatione, esse sitam rationem sacrificij Missæ, vt Ioannes Ecchius, Clitoueus, Ruard. Scot. & Gabriel, quos citauimus *2. p. tract. 8. disp. 1. q. 12.*

Sed longè probabiliùs Respondeo: Satisfacere. Quia longè probabilius est talem Oblationem, nec pertinere intrinsecè ad rationem sacrificij; nec esse partem essentialem illius, vt diximus *loc. cit.* ergo cùm aliàs, sit pars leuis, & parua, vt constat, non erit omissio illius mortalis. Sic affirmare tenentur Suarez Vazquez, Hurtado, Lugo, Montesinos, & alij, quos *q. 12.* citata, retulimus. Legatur Suarez *disp. 88. sect. 2. vers. Denique vltimò.*

QVÆSTIO XLIII.

An deinde, satisfaceret precepto Missæ, qui præsens non adesset Consecrationi vtriusque speciei; si adesset reliquis Missæ partibus?

AFfirmat etiam Hurtado *disp. 5. de sacrif. Missæ, diff. 1.* Vbi sic ait: Omissio partis Missæ à consecratione inclusiuè, vsque ad *Pater noster*, etiam inclusiuè, est mortalis, ob dignitatem huius partis, non tamen omissio solius consecrationis, quamuis totius; bene tamen totius consecrationis, & sumptionis, quamuis assistatur intermedio, ob dignitatem harum duarum partium. Ita Hurtado. In cuius sententiam valde inclinat Suarez *in 3. p. disp. 88. cit. sect. 2. vers. Vltimo denique*, & Fagundez *num. 14. cit.* Vbi aiunt; non semper iniiciendum esse scrupulum, quando per breue tempus, vna prædictarum pars omitteretur, dummodo consecratio simul, & consumptio non omittantur: quia res hæc, moraliter est diiudicanda, & adhuc non satis constat, in quo præcisè consistat essentia sacrificij Missæ. Ita hi Doctores. Dicuntque id esse probabile Lugo *de Sacram. disp. 22. sect. 1. numer. 4.* & Diana *p. 5. tract. 13. resol. 61.* Debentque amplecti Albert. Martin. de Ledesma, & Ioannes de Cruce; Cùm existiment, in sola Sumptione vtriusque speciei, consistere essentiam sacrificij Missæ.

Sed probabiliùs Respondeo: Non satisfacere. Quia probabilius est, quòd tota ratio, & essentia sacrificij Missæ, sita sit in sola consecratione, vt cum D. Thoma, Suario, Vazquio, & aliis plurimis, diximus *2. par. tract. 8. disp. 1. q. 16.* ergo, qui consecrationi non est præsens, non adest sacrificij oblationi; ac proindè, nec Missæ: quia adesse Missæ, non solùm est, adesse corpore; sed offerre sacrificium simul cum Sacerdote: ergo qui non adest cōsecrationi, non offert sacrificium, ac consequenter, nec adest Missæ. Sic expressè Marchantius *in Resol. Pastoral. de Sacram. tract. 4. cap. 6. quæst. 4.* Bonac. *loc. nuper citat.* Reginald. *lib. 19. numer. 24. vers. Quoad partes*, ex Suario *sect. 2. cit.* Candid. *disquis. 25. artic. 29. dubit. 6.* Trullench. *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 5. num. 10.* Petr. Ledesma *tom. 1. sum. cap. 27. concl. 4. vers. Vltimamente.* Gesualdus *de Sacram. tract. 17. cap. 2. num. 18.* Fagundez *loc. it. cap. 6. num. 14.* Dicastillo *de Sacram. tract. 5. disput. 5. dub. 3. numer. 36.* Molfesius *in sum. tract. 3. cap. 17. num. 49.* & Cardin. Lugo, *de Sacram. disp. 22. sect. 1. num. 4. cit.* ait, ita esse tenendum; per principia intrinseca.

QVÆSTIO XLIV.

An saltem, satisfaceret præcepto, qui duntaxat consumptioni sacrificij non adesset?

NEgant adhuc Bonac. *num. 14. cit.* & penes ipsum Henriquez, Ægidius, & Nugnus. Necnon Suarez, Fagundez, & Candid. *loc. cit.* Petr. Ledesma, & (ni fallor) Trullench, & nouissimè Dicastillo, & Molfesius, *loc. cit.* Et negare, per principia intrinseca, tenentur, Alber. Ledesma, & Cruz; cùm affirment, essentiam sacrificij Missæ, in sola sumptione facta à celebrante consistere.

Sed probabiliùs Respondeo: Verè in hoc casu satisfacere. Quia probabilius est, præfatam sumptionem, nec partialiter adhuc pertinere ad essentiam sacrificij, vt diximus *2. p. loc. cit. q. 15.* ergo cùm aliàs, omissio huius partis sit leuis, & parua, non erit mortalis. Sic Hurtado, & Lugo *loc. cit.* Quod esse valde probabile, dicunt Suarez. & Fagundez *loc. cit.* & tenet, me citato, Diana *p. 10. tr. 14. Resol. 46.* & Caspensis & Pellizarius penes ipsum.

QVÆSTIO XLV.

An etiam satisfaceret præcepto, qui tempore consecrationis, ingrederetur Sacristiam, v. g. ad afferendum aliquid necessarium?

REspondeo: Etiam satisfacere. Quia in hoc casu, recedens à sacrificio, verè dicitur illi moraliter adesse, & facere vnum corpus cum aliis, qui sacrificio assistunt, vt in simili diximus, loquendo de Horis Canonicis *2. part. tract. 6. disp. 13. quæst. 17. in fine.* Sic Bonac. *disp. 4. cit. quæst. vltim. punct. 11. num. 18.* & apud illum Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 8.* Tabien. Syluest. & Anton. Sà, *verb. Missa auditio. num. 2.* Graff. *1. p. lib. 2. cap. 35. num. 11.* Barthol. ab Angelo *de Missa* §. 781. Sic etiam Layman. *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7. & tract. 7. cap. 3. num. 3. vers. Illud quoque.* Lugo *de Sacram. disp. 22. sect. 1. num. 4.* & ex illo Diana *part. 5. tract. 13. resol. 61.* Villalob. *in summ. tract. 8. diff. 35. num. 5.* Candidus statim citand. Trullench. *dub. 5. cit. num. 12.* Dicastillo, *de Sacram. tract. 5. disp. 5. dub. 3. num. 42.* & aliis, quod nouissimè iterum, me citato, tenet Diana *p. 10. tr. 14. res. 46.*

QVÆSTIO XLVI.

An item, qui tempore consecrationis, alioue, exit extra Ecclesiam, ad faciendum, vel deferendum aliquid ad Missam necessarium, censeatur adimplere præceptum?

NEgant Bonacina, & Trullēch *loc. cit.* & ex parte Suarez *disp. 88. cit. sect. 2. vers. Ex hac.* & Fagundez *lib. 2. cit. cap. 6. num. 10.* Vbi ex Suario sic ait. Si tamen contingat, aliqua, quæ præueniri poterant, ex obliuione fuisse omissa, & inter ipsam Missam solemnem esse quærenda, v. c. si deesset vinum, & extra Ecclesiam quærendum esset, tunc huiusmodi minister, si aliqualem moram faceret, teneretur aliam Missam audire, si posset: si autem non posset, excusaretur à peccato, ratione iusti, & debiti seruitij, vt docet Suarius citatus. Ita Fagundez. Ex Palao *tom. 4. tract. 22. disp. vnica punct. 16.* Et etiam Molfes. *in summ. tract. 3. cap. 17. num. 49.* dum absolutè docet; nullo modo satisfacere præcepto illum, qui à Templo recederet,

cederet, dum Sacerdos peruenit ad consecrationem aut ad sumptionem.

Sed probabiliter, Respondeo: Etiam in hoc casu adimplere præceptum. *Primò.* Quia ratio excusans à transgressione præcepti audiendæ Missæ, in casu præcedentis quæstionis, eademmet in ista militat. *Secundò.* Quia in vtroque casu, quidquid Missæ ille omittit, necessitate coactus omittit: ergo in vtroque, censeri debet totam Missam audire: Non ergo tenebitur postea aliam Missam audire, quamuis possit: licèt optimum sit consilium, vt illam audiat. Sic videtur sentire Candid. *disquis.25. art.29.dub.9.* Vbi absolutè, & sine limitatione, affirmat, inseruientes Missæ satisfacere præcepto, etiamsi toti Missæ non adsint. Syluest. *v. Missa 2.q.1. §. Dicitur quintò.* Henriquez, etiam, *loc.cit.* & clariùs, *lib.9.cap.25.numer.8.* Sic dicens: Qui seruiunt celebranti, quamuis aliquoties recedant pro afferendo libro, vino, thure, aut pro pulsatione cymbali, aut aliis ad Missam pertinentibus, censentur mortaliter adesse Missæ. Sic ille. Et clariùs adhuc Dicastillo *loc.cit.* Qui quamuis dicat quòd limitatio Bonacinæ, sit probabilis; addit tamen non esse necessariam, quia non censetur præsens Missæ, ex eo præcisè, quòd sit in Ecclesia, in qua sæpe sunt, qui non censentur corporaliter præsentes Missæ, vt patet maximè in magnis Ecclesiis, vt in Cathedralibus; sed tunc censetur quis præsens, quia seruit in eo, & cooperatur Missæ, quod potest præstare etiam extra Ecclesiam. Sic ille, & me citato, Diana *p.10. loc.* nuper citato.

Quæstio XLVII.

An satisfaciat præcepto, qui solùm à principio Missæ vsque ad dictum Pater noster, assistit?

Respondeo: Nullo modo satisfacere; nisi aliàs consuetudo excuset illum. Quia quæ orationem Dominicam subsequuntur, vere est pars notabilis, vt ex dictis constat. Dixi autem; *nisi consuetudo excuset*; quia talis reperitur in quibusdam locis recepta, ex tacito Episcoporum consensu, vt videlicet, dicto Pater noster, serui, & ancillæ excedant Templo. Sic Bauny *in Theolog. Morali tract.6. de sacrif. Missa quæst.8.vers. Assertio 2.*

Quæstio XLVIII.

An satisfaceret præcepto, qui à peracta consecratione vsque ad Pater noster exclusiuè, non assisteret?

Affirmatiuam sententiam videtur insinuare Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.1.* Quatenus, omissionem, à consecratione inclusiuè, vsque ad *Pater* inclusiuè, assignat pro omissione graui, & mortali; innuit ergo clarè, omissionem minorem, non esse mortalem. Videantur verba huius Doctoris relata *sup. quæst.43.*

Sed tanquam certum Respondeo: Non satisfacere præcepto, Quia certum videtur, quòd etiam omissio à peracta consecratione vsque ad initium *Pater*, sit grauis, ac notabilis, & consequenter mortalis. Nam adhuc dato, quòd hæc pars omissa sit, vt videtur, parua, & leuis in quantitate; non tamen est parua, sed grauis, & notabilis in dignitate, orta ex propinquitate ad substantiam sacrificij. Nam, vt bene Suarez *disp.88.cit.sect. 2. vers. vltimò denique,* & alij, in partibus Missæ non tam consideranda est temporis mora, quàm dignitas, & propinquitas, vel necessitas ad essentiam sacrificij. Vnde si quid eo tempore intermittatur, etiamsi tempus non sit longum, non adimpletur præceptum. Sic à fortiori, debent docere Bonac. Fagundez, Candid. & alij, qui docent, non adimplere præceptum audiendæ Missæ illos, qui non assistunt oblationi verbali, quæ fit à Sacerdote post consecrationem, de quo sup. q.42.

Quæstio XLIX.

An teneantur fideles, ex vi præcepti Missæ audiendæ, vltimum Euangelium Sancti Ioannis (aut alterius, quod eius loco legitur) audire?

Negant Suarez, Lugo, Hurtado, Trullench, Fagundez, Diana, & alij plures Authores, quos supra *q.63.* pro prima sententia, retulimus. Eo quòd existiment, huiusmodi Euangelium, nullo modo ad integritatem Missæ pertinere. Nam in antiquis iuribus, solùm præcipiebatur fidelibus, ne discederent ante benedictionem Sacerdotis, vt constat ex habitis suprà *quæst.30.* ergo in iure nullum extat præceptum de vltimo Missæ Euangelio audiendo: ergo signum est, quòd eius auditio non pertineat ad integritatem Missæ; ac proinde, nec venialiter peccare, qui post datam à Sacerdote benedictionem, statim ab Ecclesia discedit, non audito vltimo Euangelio. Et hanc opinionem esse æque probabilem, ac oppositam, sentit Petr. Ledesma *1.p. sum. cap. 27. post.3. conclusionem.*

Sed probabiliùs longè Respondeo. Teneri fideles ex vi præcepti Missæ audiendæ, vltimum Euangelium Missæ audire. Quia probabilius longè est, quod nunc iam sit pars Missæ, & ad eius integritatem pertineat; cùm apertè in Rubrica 13. Missalis, inter alias partes Missæ hæc absolutè numeretur, & his verbis, præscribatur: *Dicto* (ait Rubrica) *Placeat, datur benedictio, quæ à celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur Euangelium S. Ioannis, In principio, præmisso, Dominus Vobiscum, & Initium, vt moris est: quod Euangelium nunquam prætermittitur, in Missa, nisi quando fit de festo in aliqua Dominica, vel Feria, quod habet Euangelium proprium; quod legitur eius loco.* Sic ibi: ergo clarè constat, quòd Euangelium vltimum, iam nunc ad integritatem Missæ pertineat, & consequenter, quòd peccet venialiter, qui illud voluntariè, & sine legitima causa, omittit. Sic tenent aliqui Recentiores, in quorum sententiam videntur tandem inclinare Suarez *disp.88.cit. sect.2.vers. Ex hac certa,* & Fagundez *lib.2.cit.cap.6. num.8.* & bene faciunt, quia id ex eorum doctrina tradenda, quæstione sequenti, aperte conuincitur, vt videbimus. Hanc eandem sententiam tenet Dicastillo *de Sacrament. tract.5. disp.5. dubit.2.num.18.* Licèt innuat contrariam esse probabilem, *num.38.*

Ad fundamentum oppositum, dicendum est, verum esse quòd in antiquis iuribus, non extet præceptum de vltimo Euangelio audiendo; quia, licèt eius lectio, olim fuisset apud quosdam in vsu, vt constat ex cap. *Quidam. de celebr. Miss.* non tamen erat præcepta, sicut nunc, quoad omnes est, vt constat ex Rubrica citata. Legatur Gauantus *In dicta Rubrica.*

Qvæ

Quæstio L.

An etiam teneantur fideles, ex vi præcepti, audire confessionem, quæ fit à Sacerdote initio Missæ, ante gradus Altaris?

Negant aliqui, quos, tacitis nominibus, refere Suarez *sect. 2. cit. vers. Sed quæres.* Quia existimant, talem confessionem, non esse partem Missæ: ergo non tenentur fideles, ex vi præcepti audiendæ Missæ, illam audire; ac proinde, etiamsi quis illam voluntariè omittat, non peccabit adhuc venialiter. Quòd autem prædicta confessio, non sit pars Missæ, exprefsè tenet Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 4. pag. mihi 578. col. 2.*

Alij autem (apud eumdem Suarium) licèt concedant, illam confessionem esse partem Missæ, negant tamen peccare nec venialiter, eos, qui illam non audierint, quia, inquiunt, est minima pars.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Teneri audire dictam confessionem; ideoque peccare venialiter illum, qui videns Missam inchoari, non vult Ecclesiam ingredi, donec finita sit confessio Sacerdotis. Probatur. Quia probabilius longè est, confessionem, Psalmum, & versus, quos Sacerdos, ante gradus Altaris, dicit, esse partem Missæ; cùm sub titu. & nomine Missæ totum id comprehendatur, vt constat ex Rubrica 3. Missalis. Cuius titulus sic se habet: *De principio Missæ, & confessione facienda.* Et in textu *num. 1.* exprefsè habetur quòd *Sacerdos factâ prius Cruci, vel Altari profundâ reuerentiâ, aut si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti factâ genuflexione, erectus incipiat Missam, dicendo, In nomine Patris, &c.* ergo clarè ex Rubrica constat dictum Psalmum, confessionem, & versus, esse partem omnino integralem Missæ, ac proinde teneri quem illam, ex vi præcepti, audire; aut peccare venialiter, qui talem partem voluntariè, sine causa prætermiserit. Nec refert quidquam, quòd hæc pars omissa sit minima, ad hoc quòd non sit venialis: quia quamtumuis minima sit, eius voluntaria omissio, est omnino irrationalis, & consequenter venialis. Sic Suarez *loc. cit.* & bene: Quia ex hac eius doctrina, & sententia, roboratur nostra sententia, quæstione antecedenti, habita. Sic etiam expresiùs Dicastillo *tract. 5. de Sacram. disput. 5. dubit. 2. numer.* 18. *adiunctis* 31. *&* 41. *numeris.*

Quæstio LI.

An satisfaciat præcepto, qui vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, & altam ab alio, v. g. ab vno, à principio, vsque ad Consecrationem; & ab alio, à consecratione vsque in finem?

Negant Suarez, Fagundez, Lugo, & alij, quæstione sequenti, citandi: & quidem probabiliter.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Satisfacere. Quia qui prædicto modo Missam audit, verè dicitur audire integram Missam, quamuis à duobus Sacerdotibus: ergo verè satisfacit Ecclesiæ præcepto. Sic tenent communiter Doctores, vt fatentur Luysius Turrianus *in suis selectis p. 2. disput. 16. dub. 7. vers. Vnum est.* Sic dicens: Docet autem frequentiùs Doctores, per hoc non violare præceptum audiendi Missam grauiter, potest autem contingere duobus modis, altero, si prior pars priùs audiatur, & posterior posteriùs; & in hoc facile apparet, non esse grauem violationem, quando non est interruptio magni temporis &c. Sic ille; & post illum, Diana *p. 5. tract. 14. resol. 52.* per hæc verba: Non est dubium, quòd satisfaciat, si priorem partem Missæ priùs audiat, & posteriorem posteriùs. Ita ille, & alij quamplures, qui absolutè docent, adimplere præceptum illum, qui partem vnius Missæ, & partem alterius audit. Vnde maior difficultas est de illo, qui priùs posteriorem partem Missæ, & posteriùs priorem partem audiat; an scilicet, satisfaciat præcepto. Pro quo sit,

Quæstio LII.

An etiam, satisfaciat præcepto, qui ab vno Sacerdote, priùs posteriorem partem Missæ; & postea ab alio, priorem audit?

Negat Suarez *tom. 3. in 3. p. diss. 88. sect. 2. vers. sed tunc inquiri potest*, vbi oppositam sententiam, sibi semper fuisse suspectam, & parum consentaneam intentioni Ecclesiastici præcepti, & religioni, ac reuerentiæ debitæ, sacrificio Missæ, planè affirmat. Quare malè illum citant pro contraria parte Molfesius, Scortia, Filliuc. Hurtado, Philibertus, & Machado, vbi infrà. Negant etiam Fagundez *lib. 2. de 1. præcep. cap. 6. num. 12.* & Lugo *disp. 22. sect. 1. num. 8.* citantes pro hac parte Azorium *tom. 1. lib. 7. cap. 3. q. 3.* & Toletum, *lib. 6. cap. 7. §. Dico tertiò.* Sed certè, non ita bene. Nam vterque, ad minùs vt probabile, oppositum defendit. Negant etiam, apud Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 8. in Glossa*, Paez, Vera, & alij.

Sed probabiliùs adhuc, aut certè æque probabiliter, Respondeo: Etiam satisfacere. Quia etiam hæ duæ medietates constituunt vnam integram Missam: ergo, qui illas audit, verè satisfacit præcepto audiendæ integræ Missæ. Consequentia patet: antecedens verò probatur, quia quemadmodum vna dicitur Missa, & vnicum dicitur fieri sacrificium, quando deficiente vno Sacerdote post consecrationem, alter supplet, & perficit, quod ab altero fuerat prætermissum: Ita similiter, qui duas Missæ medietates audit, vnam dicetur audire Missam. Sic Bonac. *disp. 4. cit. quæst. vltima punct. 11. num. 13.* Ita dicens: Secundò colligitur, posse eum satisfacere præcepto, qui vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, aliam ab alio: vt si quis veniens ad Ecclesiam tempore eleuationis Missæ, reliquum illius audiat, & simul partem alterius vsque ad eleuationem. Sic ille. Qui & id, ratione à nobis facta, probat. Scortia etiam *lib. 2. de sacrif. Missæ cap. 20. num. 3. pag. mihi 161.* hanc partem, iis verbis docet: Potest (inquit) audiri Missa dimidiatè: hoc est, media ab vno, & media ab altero, maximè si posterior pars audiatur priùs. Sic ille. Qui vt constat, libentiùs concedit casum huius, quàm præcedentis quæstionis. Vnde valde miror, quòd Diana hos Authores non viderit, propterea que dixerit, *loc. cit.* neminem inuenisse, hoc dubium, præter Turrianum, tractare. Tractant enim illud prædicti Doctores, & alij, quos ipsi citant quatenus absolutè, & sine vlla distinctione docent; satisfacere præcepto secundùm substantiam, illum, qui à duobus Sacerdotibus, successiuè dimidium Missarum audit. Sic igitur Nauarrus *in sum. cap. 21. n. 2. & in cap. Quando, de Consecr. dist. 1. notab. 10. à num. 18.* Maior *in 4. dist. 12. quæst. 3. & dist. 45. quæst. 2.* Sotus *dist. 13. quæst. 2. art. 1.* circa finem, ita dicens: Neque verò si quis partem vnius Missæ, & reliquum alterius audierit, est condemnandus, quandoquidem omnia audit necessaria. Ita Sotus. Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 25. num. 8.*

*num.*8.& in margine *lit.K.* vbi expressè nostram sententiam docet Azor *lib.7. cap.3. quaest.3.* Tolet. *lib.6. cap.7. in fine* & Medina *c.14.§.9.* qui duo admittunt hoc, vt probabile saltem, Grassiùs *lib.2. decis. aur. cap.34.num.4.* Sic loquens: accusaretur tamen à mortali qui vnius Missæ dimidium, & alterum alterius Missæ audiret. Sic ille. Sà *verb. Missa auditio, num.2.* Nugnus *q.83. art.6. dub.2. vers. Ad hanc difficultatem.* Ægidius ibidem *num.* 287. Barthol. *ab Angelo de Missa* §.782. Moure *in examine Theol. par.2. cap.8. §.1.n.6.* Llamas *3.part. Methodi cap.5.§.8.pag. mihi* 483. Layman *tract.7. cit.c.3. in fine.* Luysius Turrianus *loc.cit.* Villalobos *diff. 35.cit.num.4.* Hurtado *disp.5. de sacrif. Missa diff.4.* Reginald. *lib.19.n.26.* Portel. *in addit.v. Missa,num.12.* Philibertus *tract. de Ordine, part.3. cap.17. n.6.* Candidus *disquis.25. art.25. dubit.5.* Castro Palao, *tom.4. tract.22. disp. vnica, punct.16. num.8.* Ioan. de Cruce *in sum.1. part. in 3. prec. Decal. art.2. concl.1.* Gesuardus *de Sacram. tract.18.cap.2. num.15.* Martinon *de Sacram.disp.40. sect.9.n.109.* Mulfes. *in sum.tr.3.c.17. num.35.* dicens, hanc opinionem esse communem,& veram; addens, talem etiam esse casu, quo quis partem Missæ illius diciab vno Sacerdote; & partē alteram de Missa votiua, aut Defunctorum &c. ab alio audiat. Bauny *tr.6. de sacrif. Missa p.9.* Fillиuc. *tract.5. cap.7. num.* 207. (Qui tamen, malè citat Suarium pro hac parte) Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.5. num.6.* Bassæus *verb. Missa 8.num.4.* (citans, & bene pro hac parte Azorium) Machado *lib.2. summ.p.4. tract.1. docum.2. num.7.* Qui pessimè citat pro contraria parte, Reginaldum, Nugnum, Ægidium,& Bonacinam; & pro hac, Suarium. Sic etiam Doctis. Iodocus *tom.1. verb. Missa,num.49.ver. Tertiò.* vbi sic ait: Aut poterit, partem alteram Missæ audire ab hoc celebrante, alteram ab alio, in eadem vel alia Ecclesia. Sic ille. Diana *loc. cit. & 1.part. tract.17. Resol.18. & part.8. tract.7. resol.99.* Auersa *de Euchar. quaest.11. sect.19.* Lublinus *tom.1. sum. verb. Festum num.17.* Ioannes Henriquez *in compendio casuum moral. cap.15. num.2.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.3. num.39.* citans pro opposita sententia, Toletum,& Coninck. Sed certè ex iis, Toletus saltem vt probabilem amplectitur nostram sententiam, vt diximus; Imo idem facit Coninck. *n.237. cit.* Ortiz. *de 3. prec. §.6. fol.103. pag.2.* Petr. Ledesma *1.p.sum.c.27. post.5. concl.* dicens hanc sententiam esse æquè, ac contrariam probabilem. Audebit nunc quis, quæso, post tot, tantosque Doctores, dicere, hanc sententiam non esse probabilem? Audebit certè, ignarus quis, qui illos, nec legerit, nec viderit; alius, nemo.

QVÆSTIO LIII.

An etiam satisfaceret præcepto, qui audiret integram Missam, audiendo tres, aut quatuor partes Missarum, trium aut quatuor Sacerdotum?

NEgabunt (& à fortiori,) omnes Authores nuper, pro prima sententia, adducti: & negauit quidam Modernus Theologus, dicens, id nec esse probabile, nec supportabile.

Sed adhuc consequenter loquendo, probabiliter æquè Respondeo: Etiam satisfacere. Hanc nostram responsionem euidenter esse probabilem, per principia intrinseca, ex nuper dictis, constat Quia certum, ac euidens est, quòd sit probabile, quòd ille, qui duarum medietates, Missarum audit, adimpleat præceptum; eo quòd sic audiendo, integram Missam audiat: ergo etiam erit certum, ac euidens, quòd sit probabile, quòd eodem modo adimplebit qui tres, aut quatuor partes Missarum, trium aut quatuor Sacerdotum audit; patet euidenter; cùm ex iis etiam possit integrari,& fieri vna Missa; Quia, vt bene arguit Lugo, sicut possunt coniungi duæ partes Missæ, ita poterunt tres, aut quatuor. Sic Henriquez *loc.cit.* per hæc verba: Satisfacit etiam præcepto, qui à pluribus Sacerdotibus per partes successiuè audit integram Missam; vt à duobus, vel tribus. Sic ille. Et Hurtado *loc.cit.* & nouissimè Doctissimus Dicastillo *loc. cit.* Ita dicens: Vnde non solùm à duobus, sed etiam à pluribus Sacerdotibus, potest quis per partes Missam audire. Sic ille, Constat ergo, tam ex ratione, quàm ex authoritate, hanc nostram sententiam esse valde probabilem.

QVÆSTIO LIV.

An etiam ille, qui audit duas partes Missæ successiuè, diuidendo partes principaliores; ita vt, in vna, quam audit, contineatur consecratio; & in altera, sumptio, satisfaciat præcepto?

NEgat Auersa *de Euchar. q.11. sect. 19.* per hæc verba, quæ refert Diana *part.8. tract.7. resol.89.* Item animaduertendum est, non satisfieri posse audiēdo successiuè partem vnius Missæ, & partem alterius, si in vna parte contineatur consecratio,& in alia sumptio; quia sic non assisteret quis vni integro sacrificio: nec ex parte vnius, & ex parte alterius perficitur vnum moraliter sacrificium. Et hoc ita esse videtur, etiam siquis seruato ordine harum partium, priùs assistat consecrationi vnius Missæ, & postea sūptioni alterius; quia ex iis non constituitur vnum moraliter sacrificiū. Multo magis id apparet, quando quis priùs assistit sumptioni vnius Missæ, & postea cōsecrationi alterius. Hæc,& alia, ille. Sed nimis scrupulosè. Propterea,

Probabiliùs Respondeo: Dicendum, quòd verè satisfaciat præcepto: etiam casu, quo quis audiat partem vnius Missæ, in qua contineatur offertorium; & alteram partem alterius Missæ, in qua contineatur consecratio; & alteram partem alterius tertiæ Missæ, in qua contineatur sumptio. Ratio est. Quia verè, ex omnibus iis partibus, integratur vnum moraliter sacrificium,& vna integra Missa: ergo, qui iis omnibus, adhuc successiuè, assistit; verè assistit integræ Missæ. Confirmatur. Quia in nostra,& probabiliori sententia, essentia totalis sacrificij Missæ, consistit in sola consecratione: ergo qui illi assistit, verè substantię totalis sacrificij, strictè sumpti, assistit: ergo, vt præcepto audiendæ Missæ satisfaciat, sufficiet ei, aliis partibus restantibus, in duabus aliis Missis, interesse. Sic sentit Diana *loc.cit.* & ni fallor, alij Doctores pro nostra sententia *q.52. & 53.* citati. Vnde. Ad fundamentum Aduersæ, negandum omnino est, ex prædictis partibus Missæ successiuè auditis, non integrari vnam Missam, vnumque moraliter sacrificium.

QVÆSTIO LV.

An saltem peccaret venialiter, qui absque causa, mediam Missam ab vno, & mediam ab alio, audiret?

NEgat Medina (saltem loquendo iuxta aliquorum sententiam (*instructio. lib.1.cap.14.§.9.* per hæc verba: [Tambien se tiene por probable sentencia, vno comple con oyr media Missa de vn Sacer-

dote,

dote, y la otra media de otro, y quiē siguiere esta opinion, no pecara, porque la tienen hombres doctos, aunque lo contrario es cosa mas llana, y segura.] Ita ille; & etiam Ioannes Henriq. *in compendio casuū Moral. c.15. n.2.* Sic dicens. [Licito es oyr media Missa de vn Sacerdote, y otra media de otro: como lo dize Nauarro *c.2. n.4.*] Hæc ille. malè citans Nauarrum, *c.2.*

Sed certe longè probabiliùs, Respondeo: Quòd peccaret. Quia transgreditur, absque causa, modum & perfectionem præcepti audiendi Missam. Sic Ægidius *loc. cit. num.* 288. ex Suario *disp.* 88. *sect.* 2. Reginald. *lib.* 19. *n.* 26. Candid. *disquis.* 25. *art.* 5. *dubit.* 5. *dist.* 11. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. §. *Ad hanc difficultatem.* Bauny *tract.* 6. *de Missæ sacrif. q.* 9. Layman, Scortia, Bonacina, Luysius, & Diana *loc. cit.* & communis.

QVÆSTIO LVI.

An etiam satisfaciat præcepto, qui, non successiuè, sed simul audit Missam à duobus Sacerdotibus; ab vno, scilicet, ab initio vsque ad consecrationem; ab alio, à consecratione vsque ad finem?

NEgant Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 2. *vers. Sed tunc inquiri potest*, dicens, oppositum esse valde absurdum, à nemine, quem ipse viderit concessum. Fagundez. *cap.* 6. *cit. n.* 11. vocant etiam oppositum, absurdum Luysius *in selectis disp.* 16. *cit. dub.* 7. asserens, contrarium, nec esse probabile, nec tutū in conscientia; eo quòd præceptum audiendi Missam, requirat attentionem veluti successiuam, circa partem Missæ proportionatam successionis actionis dicendi Missam. Ægidius *n.* 83. *art.* 6. *n.* 288. & Nugnus, ibidem *artic.* 6. *dub.* 2. Reginald. *loc. cit. v rs. e etiam videtur.* Molfes. *in summ. tract.* 3. *cap.* 17. *n.* 36. Lugo *loc. cit. num.* 10. Petr. Ledesma 1. *part. cap.* 27. *post* 5. *conclus.* dicens, oppositum sibi non videri probabile. Castro Palao *tom.* 4. *tract.* 22. *disp. vnica, punct.* 16. *n.* 9. Martinon. *de Sacram. disp.* 40. *sect.* 9. *num.* 109 Candid. *disquis.* 25. *art.* 28. *dubit.* 8. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 9. Et in id inclinat Bassæus *verb. Missa.* 8. *num* 4. & tenet etiam, Layman *tract.* 7. *cit. cap.* 3. citans pro hac parte Sotum *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Nauarrum *cap.* 21. *num.* 2. Medinam §. 9. *cit.* Sà *verb. Missæ auditio. num.* 2. & Toletum *lib.* 6. *cap.* 7. Sed omnes hos Auhores citat malè: quia nullus tractat de hoc casu; sed de casu habito quæst. 52. nempe de illo, qui successiuè vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, & aliam ab alio de quo casu loquendo, oppositum, vt vidimus, expresse tenent Sotus, Nauarr. & Sà, Toletus verò, vt probabile (ad minus) ait enim sic: Dico tertiò. Aliqui volunt, quòd si quis mediam Missam audiret ab vno Sacerdote, & residuum ab aliquo alio, quòd satisfaceret præcepto, nam Missam integram audiuit: Ita tenet Maior *dist.* 45. *q.* 2. Nauarr. *c.* 21. *n.* 2. Idē Soto 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. & mihi probabile videtur, quamuis si aliquis id fecisset, si tempus esset, quo vacaret audire sacrum vnum aliud, monerem, & consulerem vt audiret: nam profectò, non est visus audire Missam integram, sed duas medietates duarum Missarum, quæ inter se non faciunt integritatem. Sic Toletus, & eodem ferè modo loquitur Medina, citato loco, vt constat ex verbis eius relatis nuper *q.* 55.

Sed, his non obstantibus, probabiliter certè Respondeo: Etiā in hoc casu, satisfacere præcepto. Probo *Primò.* Quia probabile est (vt statim dicemus) quòd possit quis simul, & eodem tempore, audire tres Missas, & satisfacere præcepto Ecclesiæ, & voto, & pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus Missis: ergo etiam est probabile, & satis, quòd satisfaciat præcepto Ecclesiæ; qui mediam Missam ab vno, & mediam ab altero, eodem tempore audit: consequentia est euidens; quia sicut se habet totum ad totum; ita, & pars ad partem.

Secundò. Quia etiam est probabile, & satis, (licet contrarium probabilius, vt infra) quòd satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui sine interna deuotione Missam audit: ergo etiam erit probabile, quòd ad implendum hoc præceptum, non requiratur illa attentio successiua, quam, circa partes Missæ, Luysius requirit ergo, & quòd adimpleat præceptum, qui mediam Missam ab vno, & mediam illam ab alio, eodem tempore audit.

Tertiò. Quia valde probabile, imo ferè certum, est (vt infrà) quòd ille, qui tempore Missæ legit per librum, aut memoriter recitat Psalmos iniunctos; ro pœnitentia; aut Officium diuinum, satisfaciat præcepto audiendæ Missæ, vt diximus 1. *part. tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 54. & fatetur ipsemet Luysius, ibidem citatus: ergo improbabile, & valde, erit asserere, tanquam certum, & indubitatum; quòd præceptum audiendi Missam requirat attentionem successiuam, circa singulas successiuas Missæ actiones; patet, nam hæc attentio, non compatitur bene cum lectione Psalmorum, aut officij diuini; sine illa ergo adimpleri potest præceptum audiendi Missam, adhuc in sententia ipsiusmet Luysij: ruit ergo fundamentum ipsius, ac consequenter, fundata manet nostra sententia. Et ideò illam tenent, saltem vt probabilem, Azot 1. *part. l.* 7. *q.* 3. Sic dicens: Item, non video, si verum est, quod secunda opinio docet, quin satisfaciat præcepto, qui in Ædem Sacram ingressus duos Sacerdotes rem diuinam facientes audit simul per partes. Nam quòd pertinet ad attentionem, potest ad vtrumque, animū intendere. Sic ille. Et sic etiam Hurtado *tom.* 2. *de Sacram. disp.* 5. *de sacrif. Missa, diff.* 4. Faustus *de Eucharistia lib.* 2. *q.* 389. Diana 1. *part. tract.* 17. *resol.* 18. vbi pro hac parte citat D. Franciscum de la Riba Vicarium Generalem in Archiep. Panormitano, virum prudentiâ, morum probitate, ac doctrinâ celeberrimum, & 4. *part. tr.* 4. *res.* 107. & *part.* 5. *tr.* 14 *res.* 52. Bonac. *loc. cit. n.* 13. Molfes. *tom.* 1. *summ. tr.* 3. *c.* 17. *n.* 36. *in fine.* & Bauny *tract.* 6. *de sacrif. Missæ tit. de præcepto audiendi Missam, q.* 9. *pag.* 312. addentes tamen, & benè, in praxi consulendum esse oppositum, eo quòd sit magis pietati consentaneum. Item hanc nostram sententiam, asserit esse satis probabilem, Dicastillo *tract.* 5. *de Sacram. disp.* 5. *dubit.* 3. *n.* 40. vbi sic ait: Non desunt quoque Authores, qui satis probabiliter doceant, posse satisfieri præcepto Missæ, si simul tempore duas medietates Missæ quis audiat v.g. vnius Sacerdotis Missam vsque ad consecrationem, & alterius, eodem tempore, à consecratione vsque ad finem. Ita Bonac. *sup. num.* 13. quem sequuntur alij Recentiores post ipsum, &c. Sic ille. Gesualdus etiam *de Sacram. tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 16. vbi ita ait: Imò addo in rigore loquendo, eum satisfacere præcepto Missæ, qui duorum Sacerdotum simul in eadem Ecclesia celebrantium audit simul medietatem vnius, & medietatem alterius: vt si audiat Missam alicuius Sacerdotis, vsque ad consecrationem & eodem tempore audiat Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem. Sic Gesualdus. Citat etiam Bassæus *loc. cit.* pro hac sententia Emanuelem Sà *verb. Missa auditio num.* 8. Graffium *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 4. Rodriguez *cap.* 123. *num.* 1. & Dianam *resol.* 18. *citata.* Sed ex his Authoribus, Sà *num.* 8. nihil habet ad propositum. Num. autem 2. in quo de materia

Digitized by Google

materia sed hoc attinente tractat, solum ait; quòd satisfaciat præcepto, qui partem vnius Missæ audit, & reliquam alterius. Nec Rodriguez, saltem in correctiori impressione, vbi non *cap.123.sed* 122. de hoc præcepto agit. Graffius autem licèt de hac materia agat *cap.34.* (non 35.) *num.4.* non tamen expressè de hac quæstione; sed de quæstione 54. suprà habita vt constat ex verbis ipsius ibi relatis. lege Dianam *p.10. tr.15. Resol.3.* Vbi licèt iam sibi contrarius, oppositam sententiam vt probabiliorem teneat; nostram tamen, vt probabilem admittit.

QVÆSTIO LVII.

An item, satisfaceret præcepto, qui non solùm à duobus Sacerdotibus, duas partes; sed etiam à tribus, vel quatuor Sacerdotibus, tres, aut quatuor partes Missæ, eodem tempore, audiret?

NEgabunt (& à fortiori) omnes Authores nuper pro prima sententia adducti; & ex illis, expressè id negat Lugo *disp.22.num.10.* vbi ad probandam suam sententiam, à nobis, quæstione antecedenti, primo loco relatam, sic ab inconuenienti arguit: Quia si potest (inquit) simul à duobus audire primam, & secundam partem Missæ, & ita constare vnam Missam; poterit simul à tribus, vel à sex, vel à decem, ita vt intra duo minuta, vel tria, totam Missam integram audierit, & satisfecerit præcepto: sicut enim possunt coniungi duæ partes, poterunt & decem diuersorum Sacerdotum: consequens autem videtur satis alienum à mente omnium fidelium. Adde, quòd posset aliquis eodem modo satisfacere præcepto recitandi Horas, si simul audiret à tribus sociis tres lectiones, vel à nouem Sociis, omnes nouem lectiones, ab vno capitulum, ab alio Orationes &c. quia non requiritur attendere ad sensum, sufficit attendere ad Deum, & audire: consequens autem nemo concedet. Huc vsque Lugo.

Sed, consequenter loquendo, probabiliter sanè Respondeo: Etiam satisfacere præcepto, qui in debita distantia, cum sufficienti attentione, & aliis circunstantiis requisitis (mixta infrà dicenda;) à tribus, aut quatuor Sacerdotibus, tres aut quatuor partes Missarum audiret si ex illis tota, & integra Missa coniungeretur; quod sanè accideret, si ab vno audiret ab initio vsque ad Epistolam, ab alio, ab Epistola, vsque ad Præfationem, ab alio à Præfatione vsque ad sumptionè: & ab vltimo, & quarto; à sumptione vsque ad finem. Probatur ratione Lugi, pro hac responsione facta: Quia probabile est; & valde, vt quæstione antecedenti est habitum, quòd, qui simul, eodemque tempore, audit dimidiatè Missam à duobus Sacerdotibus, ab vno scilicet ab initio vsque ad Consecrationè; ab alio verò, à Consecratione vsque ad finem, adimplet præceptum audiendę Missæ: ergo etiam erit probabile, quòd, & adimplebit qui præassignatas quatuor partes à quatuor Sacerdotibus, simul audiret. Quòd antecedens sit probabile, est certum, vt constat ex authoritate. & rationibus pro illo probando, quæstione proxima allatis. Consequentia verò probatur: Quia, vt bene Lugo, sicut ex duabus partibus Missæ, nempe prima, & secunda, conflatur vna integra Missa; ita etiã conflatur ex quatuor partibus, nempe, ex prima, secunda, tertia, & quarta: ergo, si ille, qui audit simul prædictas duas partes Missę, adimplet præceptum; ita etiam, qui quatuor præassignatas.

Quod si inferas cum Patre Lugo: ergo etiam adimplebit præceptum, qui sex, aut decem partes Missarum, diuersorum Sacerdotum simul audiret; patet quia sicut vna Missa integra conflari potest; imò, & de facto conflatur, ex quatuor partibus; ita conflari potest, ex sex, aut decem: ergo si audiendo quatuor, implet quis præceptum, etiam adimplebit, audiendo sex, aut decem.

Respondeo *Primò.* Non valere consequentiam; est namque de minori ad maius, & ideò non infertur benè, ex eo quòd quis possit assistere humano modo, quatuor partibus diuersarum Missarum; quòd etiam possit sex; vel decem; dari namque potest facultas ad primum; & non ad secundum; quod Sole clarius lucet. *Secundò* Respondeo, quòd dato, per possibile, aut impossibile (quòd moraliter, & practicè loquendo, tale iudico) vt quis posset assistere; & interesse præassignatis decem partibus Missarum diuersorum Sacerdotum, in debita distantia, humano modo, sufficienti attentione, & deuotione, atque cum cognitione clara partium dictarum Missarum, & earum connexionis sufficientis ad integrandam vnam Missam, tunc verè adimpleret etiam præceptum audiẽdi sacrum; quia in vtroque casu, eadem militaret ratio. Nec est inconueniens, quòd dato casu practicè impossibili, sequatur aliud ferè; videlicet, quòd iste talis intra duo minuta, vel tria (verba sunt Lugi,) totam Missam integram audiret, & satisfaceret præcepto. Nam hoc est per accidens, vt bene vidit Suarez *sect.2. cit.* apponens exemplum in eo, qui in die festo recitat horas, & audit Missam; qui quidem, breuius tempus in diuinis rebus consumit, quàm si singula suis temporibus faceret; & nihilominus vtrumque adimplet præceptum. Adde, quòd nullo modo esset verum, etiã dato assignato casu, adimplere quem præceptum, intra duo, vel tria minuta; quia vt consideranti constat, plura, & satis, correspondent minuta decimæ parti Missæ conflatæ ex decem successiuis partibus diuersorum Sacerdotum.

Ad additum vero Lugi, Respondeo: Negando illud ex nostra sententia sequi; *Primò.* Quia in sententia omnium Doctorum exigentium attentionem, & deuotionem internam ad impletionem horum præceptorum; scilicet, recitandi Horas canonicas, & audiendi Missam, maior attentio requiritur ad primum, quàm ad secundum: & sic non infertur bene, quòd eodem modo possit quis satisfacere præcepto recitandi Horas; quàm præcepto audiendi Missam: quia attentio, quæ ad satisfaciendum huic, est sufficiens; potest non esse ad satisfaciendũ illi. *Secundò* Respondeo: Falsum esse, quòd adimpleret præceptũ recitãdi Horas, qui simul audiret à tribus Sociis tres lectiones & minùs, qui à nouem Sociis, nouem lectiones simul audiret; ab vno capitulũ, ab alio Orationes, &c. quia vt quis diuino Officio satisfaciat, vltra attentionem ad Deum, debet necessariò audire distinctè verba recitantium cum illo, aut legentium; quod nullo modo potest præstare, audiendo nouem socios, lectiones nouem diuersas recitantes, vt constat. Hæc autem ratio non currit in præcepto audiendi Missam, quia ad huius impletionem, non requiritur; quòd audiantur, adhuc in confuso, quæ à Celebrante dicantur; sed solùm quòd corpore, & mente, præsens quis sit sacrificio; quod quidem, sicut in pluribus Missis præstare id potest, ita & in pluribus partibus earum.

Nec existimes, ò Theologe, hanc nostram sententiam esse nimis laxam, aut contra bonos mores. Quia cùm omninò, moraliter loquendo, non sit practicabilis, nec laxa alicui, nec contra bonos mores videri potest. Est igitur speculatiuè, & metaphysicè, ex principiis intrinsecis, probabilis; practicè verò, moraliter loquendo, minimè: quia illud quod speculando asserimus, nequit ad praxim moraliter reduci,

reduci. Vnde ad praxim, nec prodest, nec obest hæc sententia, licet possit ad cognoscendam speculatiuam veritatem: lege tamen pro nostra sententia Escobar & Mendozam in Theol. Morali *tr.1.exam.11. p.1.cap.4. num. 97.* Gesualdum in Theolog. Moral. *tract.1.cap.2.num.16.* & Dianam *loc.cit.*

QVÆSTIO LVIII.

An possit quis audire simul tres Missa?

NEgatiuam sententiam tanquam probabiliorem videtur sequi Molsesius *in sum. tract.3.cap.17. num. 36.*

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Posse. Quia possunt Altaria ita esse coniuncta, vt verè dicatur audiens, esse præsens moraliter illis: ergo, si cum hac corporis præsentia, ad Deum attentionem habeat, verè dicetur talis, tres simul audire Missas. Sic tanquam certum tenet Lugo *loc. cit.* his verbis: suppono enim, posse aliquem simul audire duas, vel tres Missas. Sic ille. Et Dicastillo *tract.5.de Sacram.disp.5. dub.9.à n. 111.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.16.*& Thom. Sanchez *lib.1.sum.cap.14.num.12.* & omnes communiter, vt ex dicendis quæstione sequenti constabit.

QVÆSTIO LIX.

An qui, ex vi præcepti, voti & pœnitentiæ, obligatur audire tres Missas satisfaciat his omnibus obligationibus, audiendo eas simul?

NEgant Ægidius Coninx *num.188.cit.* loquendo in casu simili; & alij, quos, tacitis nominibus, refert Dicastillo, *infrà.*

Sed probabiliùs Respondeo: Satisfacere. Quia præfatus audiens, verè audit tres Missas: ergo verè satisfacit tribus obligationibus prædictis. Quod autem hoc faciat eodem, vel diuerso tempore, vnico, aut pluribus actibus, nihil obest. Sic tenent Faustus *de Euchar. lib. 2. q. 389.* quem citat, & sequitur Diana *4.p.tract.4. resol. 107. & 5. part. tract. 14. resol.52.* & antea *1.p. tract.17. resol. 18.* vbi pro hac parte refert Maiorem *in 4.d.12.q.8.dub.1.*Ledesmam *in sum.tract. de Euchar. cap. 27.* Sanchez *lib.1. Decalogi cap.14. numer.12.* & Scortiam *lib.2. de sacrif. Missæ cap. 20. num. 10.* Sic etiam Portel. *verb. Missa in Addit. n.10.* & tenet in simili & Candid. *disquis. 25. art.22.dub 7.* Ausonius *in sum. Dianæ v. Missam audire, num.13.* & Dicastillo *tract. 5. de Sacram. disp.5.num.40.* licèt hic id asserat, ex sententia aliorum: ex sententia tamen propria, *n.113.& 114.* citans pro se, Caietanum, Sotum, Medinam, Suarium, Sà, Graffium, Bonacinam, & alios.

QVÆSTIO LX.

An etiam, qui, ex pœnitentia iniunctu, ad audiendas duas, vel tres Missas, est astrictus, satisfaciat, audiendo illas simul?

NEgat Luysius *in selectis disp.16.cit. dub.7.* Quia est (inquit) contra intentionem Confessarij, qui communiter intendit in hac pœnitentia, imponere onus audiendi dictas Missas diuersis temporibus. Citat etiam Diana *tom.8.tract.7. Resol.89.* pro hac parte Lugum *disp.22.de Sacram. sect.1. n.10.* Sed omnino malè; quia ibi, nec verbum de hac quæstione habet. Meliùs citari potest Ægidius, loco nuper citato, vt citat Gesualdus, vbi infra.

Probabiliùs tamen Respondeo: Etiam satisfacere. Quia ex vna parte, verè audit tres integras Missas, quas pro pœnitentia confessarius imposuit; & ex alia, non constat, intentionem confessarij esse, vt illas, diuerso tempore audiat; (si namque constaret, non est dubium, quòd non satisfaceret:) ergo verè satisfacit. Sic tenent Bonac. *disp.4.cit.q.vlt.punct.11. numer.13.vers. Addo.* Citans Emanuelem Sà, *verb. Missæ auditio, numer.8.* Rodriguez *cap.123.numer.2.* Graffium *lib.1.cap.35. numer.4.* Azorium *1.part.lib.7. cap.3. quæst. 3.* Sed ex his, quos citat, Authoribus, Sà, nec in noua, nec in antiqua editione, habet quid ad propositum. Nec Rodriguez *in 1. editione* id docet *num.1.* Sed *tertiò*, nec Azor, & minùs Graffius, quid de hac quæstione loquuntur. Tenent tamen Villalob. *loc.cit.num.12.* Diana, & Dicastillo *loc. cit.* Qui etiam citat malè Rodriguez & Azorium. Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.17.* Qui item pro hac parte citat malè Rodriguez, Azorium, & Sà. & iterum, me citato, id tenet Diana *p.10. tract.15. Resol. 3.*

QVÆSTIO LXI.

An qui in festo, non potest integram Missam audire, potest tamen, vsque ad præfationem, vel consecrationem exclusiuè, teneatur hanc partem audire?

AFfirmat Bonacina *disp.2.de peccatis, q.8.punct.1. n.8.* versu *Ego verò existimo.* vbi varijs exemplis, ex obligatione adimplendi alia Ecclesiæ præcepta, id probare nititur.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri. Quia hæc pars, quæ audiri potest, licèt sit notabilis, & consideratione digna, non tamen est intenta per se à Superiori, cum in ea non contineatur ratio sacrificij, ad cuius assistentiam obligantur fideles: ergo ad eam partem audiendã, quando reliquæ audiri nequeunt, nullus tenebitur. Sic Ioan. Sancius *in selectis disp.15. num.5.* Lugo *disp.22.de Sacram. sect.1.num.6.* Molsesius *in sum. tract.3.cap.17. num.47.* dicens, esse communem opinionem. Ausonius *in sum. Dianæ.v. Missam audire, n. 11.* & penes ipsum Diana *p.3. tract.6. resol. 69. & p.5. tract. 13. resol.61.* Ioan. Escobar. *tom.1.de vtroque foro, artic.4.§.5.num.227.pag.160.* & alij.

Si cus tamen diceretur, si posset audire vsque, ad consecrationem vtriusque speciei inclusiuè, tunc nãque ad id teneretur; *Tum*, ob rationem mox dicendã, *Tum etiam*, quia sic tenent Nauarr. Suarez *disp. 88. sect. 2.* & Sanchez *l.1. sum. cap. 19. n.6.* Quos pro hac parte citat Molsesius *loc. cit.* licèt adhuc in hoc casu nõ teneri substineat iste Author his verbis: communis tamen opinio est, neminem teneri audire partem Missæ sed integram, quam si non possit audire ex iusta causa, excusatur à præcepto: Ratio est, quia præceptum est de audienda Missa, & sic de re indiuidua, non autem de audienda parte Missæ. Ita ille.

QVÆSTIO LXII.

An saltem, teneatur audire, qui à præfatione vel à consecratione, vsque in finem Missæ, audire potest?

NEgat adhuc Sancius *n.5. cit.* Vbi sic ait: Et maximè probabile iudico, accedentem ad audiendum Sacrum, tempore, quo Præfatio dicitur, & non

Digitized by Google

extet aliud celebrandum, minimè teneri reliquis illius Missæ interesse. Ita ille. Et antea Molfesius *loc. cit. n.47.* Quia (inquit vt vidimus) præceptum est de audienda Missa, & sic de re indiuidua, non autem de audienda parte Missæ.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Teneri. Quia hæc pars, quæ audiri potest, continet totam rationem formalem, & essentialem sacrificij, estque pars principalis (reliqua namque pertinent ad eius complementum) ideoque per se intenta à Superiore præcipiente: ergo tenetur quis illam audire. Nec est eadem ratio de præcepto ieiunij, aut officij diuini; cùm omnes eorum partes sint æquales, æqualiterque pertineant ad integritatem illorum. Quapropter loquendo de his præceptis, contrarium sustinuimus 2. *p. de Sacrament. tract. 6. disp. 13. quæst. 10.* Sic Ioann. Escobar *loc. cit.* per hæc verba: Si quis accedat dum vltima Missa est incœpta vsque ad Præfationem, vel vsque ad consecrationem, tenetur reliquum audire vsque ad finem, sub peccato, quia sacrificium integrum est, ex consecratione, & non potest dici, quòd diuiditur, & pars est notabilis, & principaliter ex præcepto intenta. Sic ille. Et antea, Sanchez *tom. 2. consil. l. 7. c. 2. dub. 47. & 1. p. sum. c. 19. n. 6.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 2. & tom. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 2.* Layman. *tom. 1. tract. 4. c. 19. n. 6.* Bonac. Alfonsius, Lugo, & Diana *loc. cit.* Machado *l. 1. p. 4. t. 1. docum. 1. n. 8.* & à fortiori, Bonacina, nuper citatus.

QVÆSTIO XLIII.

An si quis ad Missam accedat statim, ac peracta est consecratio, teneatur audire illam partem, quæ restat?

AFfirmauit Bonacina (& tenetur, si consequenter ad nuper *q. 61.* dicta loqui velit) & etiam forsitan Doctores, qui affirmant in sola sumptione vtriusque speciei, essentiam sacrificij consistere. Et certè, si hæc sententia esset vera, non dubito, quin verum etiam esset, teneri quem dictam Missæ partem audire. Cùm pro illa stet ipsamet ratio, quam pro nostra sententia probanda quæstione proximè antecedenti, attulimus.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri. Quia probabilius est (vt suprà est habitum) quòd essentia sacrificij in sola consecratione sit sita: ergo peracta consecratione, iam sacrificium Missæ peractum est: ergo, qui huic assistere non valuit, non tenebitur restantibus partibus assistere. Sic, à fortiori Ioan. Sanchez, & Andreas Molfesius *loc. cit.* Et tenet expressè Lugo, *sect. 2. cit. n. 6.* id probans, per hæc verba: Quia adesse Missæ, vt vidimus, non est solùm corpore adesse; sed offerre sacrificium, simul cum Sacerdote offerente: qui autem non adest tempore consecrationis, non offert sacrificium illud, nisi generali ratione, sicut omnes alij fideles: ergo non obligatur ad assistendum aliis partibus, sicut nec in die Parasceues obligatur propter eandem rationem. Sic ille. Alfonsius, & Diana *loc. cit.*

QVÆSTIO LXIV.

An qui partem notabilem Missæ omisit, teneatur ad satisfaciendum præcepto, audire aliam Missam, aut partem omissam?

REspondeo. Teneri, si potest, & sub mortali: siue talem partem inuoluntariè, vel ex causa, omiserit; siue voluntariè, & sine causa. Quia re vera, non implenit præceptum: ergo tenetur ad illud implendū audire aliam Missam, aut partem omissam tantùm: quia hanc tantum audire, in hoc casu sufficit, vt ex dictis suprà constat. Sic Filliuc. *tract. 5. c. 7. n. 206. & 207.* ex Soto, Azorio, & Suario. Fagundez etiam *lib. 2. cit. cap. 6. num. 17.* ibi: Si tamen alia postea dicatur Missa, teneris implere defectum, vt præceptum impleas, quia datâ aliâ Missâ, in qua possis implere defectum prioris, iam tollitur ratio excusationis, quod maximè procedit, in ea satis probabili sententia, quæ docet, eum, qui voluntariè omisit dimidiam Missam, non teneri postea audire Missam integram, sed sufficere si audiat aliam dimidiam, ab alio Sacerdote.

QVÆSTIO LXV.

An etiam, qui Missæ partem leuem omisit, teneatur similiter, sub veniali, supplere illum defectum, audiendo partem omissam?

NEgant Suarez *disp. 88. cit. sect. 2. vers. Sed quæres.* Fagundez. *lib. 2. de primo præcepto Eccles. cap. 6. num. 16.* & Filliuc. *tract. 5. cap. 7. num. 205.* Tibi sic ait: Quintò quæro, Quid faciendum sit ad peccatum vitandum, cùm quis aliquam partem Missæ omisit? Respondeo, & dico primò, si pars non est notabilis tunc aut inuoluntariè, vel ex causa omittitur, & sic nullum peccatum est, vnde non est supplendus eiusmodi defectus per aliam Missam; aut voluntariè, & sine causa; & sic semper est veniale saltem, neque tamen est obligatio supplendi per aliam Missam. Ita ille.

Sed probabiliùs respondeo: Teneri absolutè supplere illum defectum per auditionem partis omissæ, alterius Missæ, sub culpa veniali. Quia illa pars omissa, quantumuis sit leuis, potest suppleri in alia Missa: ergo si fieri potest, tenetur quis sub veniali ad illam supplendam. Antecedens, ex habitis suprà, constat: & consequentia, etiam constat, præcipuè loquendo de illo, qui inuoluntariè dictam partem omisit, eo quòd accedens ad Ecclesiam, animo audiendi integram Missam, inuenit aliquam inchoatam in orationibus, v.g. & illam audiuit; nam iste talis, tenetur postea supplere talem defectum in alia Missa, aliàs peccabit venialiter; sicut peccat in opinione Suarij, Fagundij, Filliucij, imò, & omnium ferè, qui accedens ad Chorum animo recitandi integrè officium, & inueniens Psalmum inchoatum, postea non vult illum recitare, peccat. Quæ ratio etiam facit pro illo, qui voluntariè omittit partem leuem Missæ, nolens ingredi Ecclesiam donec inchoetur Epistola; nam iste verè peccabit venialiter, vt expressè ex Suario docet Fagundez, loco citato; nisi fortè habeat animum, supplendi in alia Missa, omissam partem.

QVÆSTIO LXVI.

An satisfaciat præcepto, qui Missam, sine deuotione interna audit?

AFfirmat Syluest. *v. Missa 2. num. 6.* Dicastillo *tract. 5. de Sacram. disp. 5. dubit. 8. num. 95. & 100.* & penes ipsum, D. Thom. *1. 2. q. 100. art. 9.* Syluest. *verb. Hora, n. 12.* Durand. *in 4. dist. 15. q. 12. n. 4.* Palud. *q. 5. art. 2. concl. 4.* Anton. *3. p. tit. 13. cap. 4. §. 7.* Angelus, Rosella, Pisana, Gabriel, & alij. Lugo etiam *disp. 22. de Euchar. sect. 2. à num. 27.* Ægidius *q. 83. art. 6. dub. vnico num. 292.* Quibus adde Hurtadum *de sacrif. Missæ disp. 5. diff. 2.* & alios quos *2. p. tract. 6. disp. 13. quæst. 13.* (agendo de recitatione officij retulimus.) existimantes quòd ad satisfaciendum

præcepto, sufficiat assistere Sacro, cum debita attentione externa.

Sed probabiliùs Respondeo: non satisfacere. Quia probabilius profectò est, quòd ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa, necessariò prærequiratur interior aliqua ad Deum attentio; vt loquendo de præcepto recitandi Horas *loc. cit.* probauimus. Sic Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 3. Fagundez *de primo præcep. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 4. *&* 7. & penes ipsum, Caiet. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Nauarr. *in Man. cap.* 13. *n.* 17. *&* *c.* 21. *n.* 6. *& de Oratione cap.* 13. *n.* 19. Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 5. *concl.* 7. Ledesma, Tabiena, Gabriel & D. Thomas *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 2. Layman *tract.* 7. *cit. cap.* 3. *num.* 1. *Assertione* 2. Bonacina. *loc. cit. num.* 4. Moure *p.* 2. *sui Examinis, cap.* 8. *§.* 1. *n.* 2. Llamas *p.* 3. *Methodi cap.* 5. *§.* 10. Reginald. *lib.* 19. *n.* 13. Philibertus. *de Ordine tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 17. *num.* 11. Candidus *disquis.* 25. *art.* 25. *dub.* 14. vocans oppositum, improbabile. Bauny *tract.* 6. *de sacrif. Missa, q.* 2. *vers. Contraria tamen.* Iacobus de Graffis *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 34. *num.* 7. *&* 8. Molfes. *in sum. tract.* 1. *cap.* 4. *à num.* 13. *& tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 19. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 14. Villalob. *tract.* 8. *diff.* 35. *num.* 10. Bassæus *v. Missa.* 8. *n.* 1. *vers. An autem* Syluius. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *quæstio* 2. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 107. *& p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 61. Ausonius *in summa* Dianæ *v. Missam audire n.* 14. Luysius *in selectis, centuria* 4. *dub.* 28. dicens, oppositum, & esse improbabile, & perniciosum, cuius sententiam, simul, & censuram, approbat Ioann. Escobar *tom.* 2. *tract. de Horis Canon. q.* 4. *num.* 162. Iodocus. *v. Missæ auditio, n.* 49. *vers. Quartò sufficit,* & nouissimè Amicus *tom.* 5. *de iure & iust. disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 147. *& sequent.* & Gesualdus *de Sacram. tract.* 17. *c.* 2. *à n.* 6. & penes ipsum Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 160. *n.* 30. Azor 1. *p. l.* 10. *c.* 16. *q.* 6. Sayrus, Sà, & alij.

QVÆSTIO LXVII.

An qualibet, ad res diuinas, attentio sufficiat ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa?

RESpondeo, sufficere. Ideoque, vt quis attentè Missam censeatur audire, sufficit, vel quòd ad ea, quæ dicit, vel facit Sacerdos: vel ad Deum ipsum, cui sacrificium offertur: vel ad diuina arcana, quæ in sacrificio Missæ significantur: vel ad diuina beneficia, quæ per illud sacrificium conferuntur: vel ad alias res diuinas, attendat. Sic ex D. Thoma 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. docent communiter Doctores. Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 3. Azor *l.* 7. *c.* 5. *q.* 5. Candid. *disquis.* 25 *art.* 29. *dub.* 1. Trullench. *loc. cit.* Graffius etiam *cap.* 34. *cit. n.* 8. Vbi sic ait: Attentionem verò, quæ necessaria est sub præcepto ad audiendam Missam, dicimus non esse tantam, quanta est in officio diuino, sed sat est quòd sit actus humanus, & quòd sciat se esse ante Dei conspectum, idest, vt adsit animus attentè audiendi Missam, &c. Sic ille.

QVÆSTIO LXVIII.

An satisfaciat præcepto, qui dum Missam audit recitat Horas Canonicas: aut alias orationes, ex pænitentia, iuramento, aut voto, debitas?

NEgant (apud Martinum Bonacinam, & Ioannem Dicastillo) Angelus, *V. Feriæ, num.* 42. *&* 46. Syluest, *v. Missa* 2. *num.* 2. *&* Armilla *verb. Festum. num.* 22. *& verb. Missa. num.* 39. & apud Llamas, Maior, & Gabriel. Sed certè Angelus, quamuis id doceat *num.* 46. *cit.* minimè verò, *num.* 42. Et maior, & Gabriel, pro parte contraria, citantur à Suario, *vbi infrà.*

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Satisfacere. Quia præfatus, proposito modo assistens, verè assistit Missæ, non solùm corporaliter, sed etiam mentaliter, cùm habeat, vt supponimus, attentionem ad res diuinas: ergo. Sic Hurtado, *disp.* 5. *cit. diff.* 2. Ita dicens, Satisfaciunt tamen, qui dum assistunt, se vestiunt; quia facilè possunt ad Missam, vel ad alias res diuinas internis attendere: & etiam, qui dum assistit Missæ, recitat, aut Rosarium, aut Horas Canonicas, imo, & qui eas legit; quia etiam potest internis attendere ad Missam, vel saltem ad alias res diuinas, quod etiam sufficit ad satisfaciẽdum præcepto audiendi Missam, & simul etiam satisfaciet voto, aut præcepto Ecclesiæ recitandi Horas, & voto, aut præcepto Cõfessarij recitandi Rosarium, aut aliam orationem: quia audire Missam, non est moraliter incõpossibile cum attentione ad recitationem, vel saltem ad alias res diuinas, quod sufficit. Sic ille. Et antea Nauarr. *cap.* 21. *num.* 8. Suarez *disp.* 88. *sect.* 1. *in fine,* & penes ipsum, Maior, Gabriel, Caiet. Soto, Medina, & Adrianus, Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *n.* 5. Sà *v. Missæ auditio n.* 2. Graff *lib.* 2. *cap. mihi.* 39. *n.* 9. Bonacina *punct.* 11. *cit. n.* 25. *& lib.* 1. *de leg. q.* 1. *punct.* 9. *n.* 8. Toler. *lib.* 6. *cap.* 6. Sanchez *l.* 1. *summ. c.* 14. *n.* 11. Ægid. *loc. cit. dub. vnico diff.* 3. Azor *lib.* 7. *c.* 6. *q.* 3. Llamas 3. *p. Metho. c.* 5. *§.* 10. Reginald. *lib.* 19. *n.* 14. Lugo *disp.* 22. *cit. sect.* 2. *n.* 22. Philibert. *loc. cit. num.* 12. Candid. *art.* 29. *cit. dubit.* 3. Bauny, *tract.* 6. *de sacrif. Missæ quæst.* 6. Beja 1. *p. casu* 21. Aragon. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *ver. Est aliud dubium,* Molfes. *in sum. tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 43. *& sequent.* Scortia *cap.* 20. *cit. num.* 10. Trullench. *dub.* 5. *cit. num.* 16. Bassæus *Missa* 8. *num.* 2. Villalob. *tract.* 8. *diff.* 35. *n.* 11. Layman. *tract.* 7. *cit. c.* 3. *n.* 2. *vers. Tertium quod notant* Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 107. Iodocus, *v. Missæ auditio num.* 40. *vers. Quartò sufficit,* Ioann. Escobar *tom.* 2. *tract. de Horis Canon. q.* 4. *num.* 136. Dicastillo *disp.* 5. *cit. dub.* 9. *per totam.* Quintanaduennas *de Iubil. cap.* 8. *num.* 12. Gesualdus *de Sacram. tract.* 17. *c.* 2. *num.* 27. & alij quos nos 1. *p. tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 54. citauimus. Admonet tamen Graffius, & benè, quòd Ecclesiasticæ personæ debeant se abstinere ab Horis in Missa persoluendis, nisi in magna necessitate; quia ipsæ norma debent esse laicorum; & ad ipsarum vitam multi respiciunt.

QVÆSTIO LXIX.

An saltem peccet venialiter, qui dum audit Missam in die festo, recitat Horas, &c. ad quas est obligatus?

AFfirmat Villalob. *tract.* 8. *diff.* 35. *num.* 11. Ita dicens: [Assimismo puede vno rezar las Horas Canonicas, Psalmos, ô Rosarios quando oye Missa, porque esso no quita la suficiente atencion, como tiene Caiet. Soto, Medina, y Suarez, aunque seria pecado venial.] Ita ille. Et Caiet. *in sum. v. Festorum violatio. & opusc. de valore orat.* & alij apud Henriquez, *infrà.*

Sed longè multò probabiliùs, Respondeo: Nec venialiter peccare. Quia huiusmodi sic recitans, nec quid deordinatum contra substantiam, aut contra modum audiendi Sacrum facit; cùm reuera, vel ad Missam, vel saltem ad res alias diuinas per modum orationis attendat: ergo non est vnde illum, peccati adhuc venialis, damnemus. Sic innuunt communiter Doctores citati: & tenent expresse. Henriquez

lib. 9

l. 9. cit. c. 25. num. 5. & penes ipsum *lit. T.* Medina, Soto, Nauarr. Ledesma, & alij.

QVÆSTIO LXX.

An satisfaciat præcepto; qui dum Missam audit, examen suæ conscientiæ facit?

NEgat Bonac. *disp. 4. de Euchar. punct. 11. nu. 26.* ductus hac potissima ratione; quia Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orationis: at qui peccata sua confitetur, aut examen suæ conscientiæ facit tempore Missæ, non videtur assistere per modum orationis: ergo. Ita ille *loc. cit. vers. Hanc doctrinam*.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Satisfacere. Quia huiusmodi examinis actio, & est, ex vna parte, ad rem diuinam, nempe, ad confessionem Sacramentalem faciendam, ordinata, quam sufficere ex dictis *q. 67.* constat. Et ex alia, nullo modo est incompossibilis cum attentione requisita ad Missam: ergo. Sic post hæc scripta, inueni docentem Dicastillo *disp. 5. cit. dub. 10. n. 199.* per hæc verba: Quòd autem dicit (*Bonacina*) de examine conscientiæ, non verum puto; quamuis enim quis examen conscientiæ faciat inter assistendum Sacro: ita id potest facere, vt nec externis eius cogitationis signum præbeat, nec illa cogitatio sit ab eo loco, & tempore aliena; nam iuxta vulgatum iam satis modum faciendi examen conscientiæ coram Deo, obseruatis quinque punctis, omnia fiunt, aut fieri possunt, per modum orationis, & quidem satis congruentis cum sacrificio Missæ, summo propitiatorio pro peccatis. Sic ille. Ex quo iam constat, quid sit respondendum ad fundamentum Bonacinæ, neganda est enim minor.

QVÆSTIO LXXI.

An etiam satisfaciat præcepto, qui dum Missam audit, sua confitetur peccata?

AFfirmat expressè Reginald. *lib. 19. mor. 14. in fine*, per hæc verba: Secundùm propositam doctrinam, teneri quoque potest, confitentem Sacramentaliter, tempore Missæ, satisfacere posse obligationi de illa audienda: quia Sacramentalis quoque confessio, est opus tendens in diuinæ Maiestatis recognitionem, tanquam in finem. Ita ille. Cui videtur aliqualiter consentire Molfes. *tract. 3. c. 17. n. 45.* & alij Recentiores, inter quos est Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 4. sect. 2. n. 50.* vbi admittit tanquam probabilem opinionem Reginaldi; nec non & Lessius in Actuario casuum *confess. p. 2.* D. Thom. *verb. Missa, casu* 2. loquendo de illis, quibus, ratione negotiorum, non est aliud integrum sacrum audire.

Negant verò è contrà Lugo *disp. 22. cit. sect. 2. n. 22.* Candidus *disquis. 25. art. 19. dub. 10.* Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 1. dub. 5. num.* 16. Bassæus *v. Missa*, 8. *num. 7.* Bonac. (retractans contrarium, quod aliàs docuerat) *disp. 4. cit. punct. 11. num. 26.* & Dicastillo *num. 199. nuper cit.* Citant etiam hi Authores pro hac parte; Suarium *tom. 3. in 3. p. disp.* 88. *sect. 6. vers. Septimum caput*, & Azorium *tom. 1. lib. 7. cap. 7. q.* 8. Sed malè certè. Nam hi Doctores non agunt ibi de quæstione præsenti; sed solùm de illa quæ inquirit, An excusetur ab auditione Missæ, qui dum illa dicitur, confessionem facit Et respondent, quòd non excusetur, nisi fortè casu, quo occurrat præceptum faciendi confessionem, & nequeat quis illam, in aliud tempus, commodè prorogare; nam tunc potest (inquiunt) huiusmodi, tutâ conscientiâ Missam omittere, vt faciat præcepti confessionem. Quod quid dicendum sit, Vnde pro resolutione huius difficultatis,

Clariùs Respondeo: Dicendo sic. Qui confitendo peccata sua consumit notabilem partem Missæ, v. g. à principio vsque ad Euangelium inclusiuè, nullo modo satisfacit præcepto audiendi Missam: secùs verò casu, quo exiguam consumat partem. Sic tenent omnes Authores secundæ sententiæ. Et prima pars probatur. *Primò.* Quia Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orationis; at qui confitetur peccata sua tempore Missæ, non assistit per modum orationis: ergo.

Secundò. Quia, licèt actio confitendi, sit spiritualis, & ad rem supernaturalem ordinata; est tamen, nimis externa, & excludens ex se attentionem interiorem requisitam ad impletionem præcepti audiendi Missam, vt experientiâ constat; continet enim narrationem attentam peccatorum, ex parte pœnitentis; & ex parte confessarij, interrogationem, admonitionem, reprehensionem, & alia huiusmodi: ergo.

Secunda verò pars responsionis, ex suprà dictis constat, cùm paruitas materiæ à transgressione huius præcepti excuset; qua ratione excusari possunt Adolescentes, qui in Collegiis degentes, tempore Missæ peccata sua confitentur. Sic docent omnes Authores pro secunda sententia adducti, Lugo, Candidus, Trullench, Bassæus, & Dicastillo, necnon me citato Diana *p. 10. tract. 14. resol.* 45.

QVÆSTIO LXXII.

An saltem, satisfaciat præcepto Confessarius, qui dum Missam audit, (eo quòd illam non possit, aut nolit dicere) confessiones aliorum excipit?

AFfirmat absolutè Bassæus *loc. cit.* per hæc verba: Et ob easdem causas videtur posse excusari confessarius, si tempore Missæ confessiones audiat, modò simul intendat audire Missam, si illam non velit, aut possit dicere. Potest enim confessiones audiendo, simul attendere ad ea, quæ Sacerdos dicit, vel facit in Missa, non vltra progrediendo, nec distinctè intelligendo; sed solùm attendendo, vt ad rem quandam sacram: & hęc attentio est sufficiens, quia illa satis est, vt illa Missæ auditio, seu præsentia, sit humana moraliter, & ex obiecto religiosa. Ita Bassæus.

Sed ego clariùs, distinguendo, Respondeo: Satisfacere quidem præcepto, casu, quo vel paucas confessiones excipiat, & ideò leuem partem omittat Missæ; vel casu, quo licèt multas excipiat confessiones, ita vt toto tempore Missæ in hoc persistat, sint tamen confessiones continentes tantùm venialia, in quibus audiendis, nec est necessaria attentio nimia, nec interrogatio repetita, aut admonitio, seu reprehensio, & alia huiusmodi: Secùs verò dicendum, casu, quo, toto tempore, quo Missa dicitur, aut per notabilem eius partem, exciperet vnam, aut plures confessiones continentes peccata grauia, & mortifera, ad quorum notitiam perfectam habendam, necessaria esset attentio magna, interrogatio multiplex, admonitio, &c. quia in hoc casu, nullo modo satisfaceret præcepto, ob assignatam rationem, quæstione antecedenti.

QVÆSTIO LXXIII.

An satisfaciat præcepto, qui, dum Missæ interest, in contemplationem diuinorum, est per raptum eleuatus?

AFfirmant Trullench. *lib.3. in Decalog.c.1. dub.5. numer.*14. Ita dicens: Vnde, qui à sensibus abalienaretur, & per extasim ad Deum raperetur in Missa, maximè satisfacere; quia perfectè implet finem, præcepti, & alioqui voluntariè se applicuit (vt supponendum est) ad Missam audiendam, in qua formaliter, vel virtualiter persistit. Ita ille. Et ante illum, Petr. Ledesma 1. *part. summ. cap.*27. *post vndecimam conclusionem.* Suarez *disp.* 88. *sect.* 3. *vers. Alij verò, in fine,* & alij.

Sed probabiliùs, cum distinctione Respondeo, dicendum: quòd, si præfatus, ita per extasim, aut raptum ad Deum est eleuatus, quòd in eo nulla maneat cognitio sensûs, aut attentio ad Missam; tunc, nullo modo præcepto satisfaciat; quia in hoc casu, non censetur præsens Missæ, præsentiâ humanâ, & morali, Si verò, ita est ad Deum eleuatus, quod nihilominus tamen, maneat in eo aliquis cognitio, & attentio ad Missam, tunc verè satisfacit præcepto. Sic Luysius *in selectu p.*2. *disp.*16. *dub.*7. Quem citat, & sequi videtur, Logo *de Sacrament. disput.* 22. *sect.*2. *num.* 19.

QVÆSTIO LXXIV.

An satisfaciat præcepto, qui dum Missæ assistit; scribit aliquid, saltem ad Deum pertinens?

AFfirmare videtur Philibert. Marchantius *tract.*3. *de sacrif. Missæ, part.*3. *cap.*17. *num.*11. casu solum, quo ille scribit aliquid ad Deum pertinens. Ait enim sic: Vnde qui in Missa dormiret, vel attentissimè studeret, legendo, scribendo quæ ad Deum non pertinent, aut voluntariè distractus maneret, per notabile Missæ spatium, cogitando spontè res profanas, non sacras; non adimpleret præceptum. Ita ille. In quibus verbis clarè innuit hic Author, quod si prædictus scriberet aliqua ad Deum attinentia, satisfaceret præcepto: ait enim, *quòd non satisfaciat, qui scribit, quæ ad Deum non pertinent*: ergo, si pertinetent, satisfaceret.

Sed absolutè Respondeo: Quòd non satisfaciat; quæcumque sint, quæ scribat. Quia hæc actio scribendi, præcipuè quando exercetur cum attentione magna, planè excludit moraliter attentionem interiorem requisitam ad impletionem præcepti audiendæ Missæ: ergo. Sic tenent communiter Doctores, quatenus absolutè, & sine distinctione vlla, docent, Non adimplere præceptum, illum, qui dum Missæ adest, aliquid scribit. Bonacin. *punct.*11. *num.*14. & penes ipsum; Henriquez *lib.*9. *cap.* 25. *numer.*5. Nauarr. *cap.* 21. *numer.* 6. Azot. *lib.*7. *cap.*5. *quæst.*6. Angel. *ver. Feria*, *num.*43. Graffiis *lib.*2. *cap.*34. *num.*7. *aliàs*, *cap.*35. *num.*8. Caietan. *in summ. ver. Festorum violatio.* Barthol. ab Angel. *verb. Missa*, §.821. Suarez *disp.*88. *sect.*3. Ægid. *num.*198. & alij. Sic etiam Hurtado *disp.*5. *cit. diff.*2. Reginald. *lib.*19. *num.*13. Llamas 3. *part. Method.* §. 9. *in fine.* Iodocus *loc. cit.* Lugo *de Sacram. disputat.* 22. *sect.*2. *num.*25. Trullench *loc. cit. num.*15. & alij communiter.

QVÆSTIO LXXV.

An saltem satisfaciat præcepto, qui dum Missam audit, legit aliqua, saltem spiritualia?

REspondeo, dicendum: Quòd verè satisfaciat, si ea, quæ legit sint Psalmi, aut aliæ orationes spirituales, in honorem, & venerationem huius venerandi Missæ sacrificij composita, & huiusmodi. Secus verò dicendum, si ea, quæ legit sit historia, aut aliæ res profanæ. *Prima pars*, constat. Quia sic tenet vsus fidelium, & ipsamet ratio suadet; cùm hæc actio, & sit religiosa, & compatibilis cum attentione requisita ad Missam. Nec est eadem ratio de illo, qui scribit res pertinentes ad Deum; quem superiori quæstione, adimplere præceptum, negauimus: Nam actio scribendi, ex se magis laboriosa, & magis distractiua est ipsius à debita attentione, quam Missæ auditio requirit, vt experientiâ patet. *Secunda verò*, etiam constat; quia actio legendi historiam, aut alias res profanas, nec est religiosa, nec compatibilis cum auditione Sacri. Sic, quoad primam partem, tenet Hurtado *disputat.*5. *cit. diffic.*2. Cuius verba adduximus sup. *quæst.*68. Et quoad secundam, Lugo *de Sacrament. sect.*2. *num.*25. & innuit vtramque Philibert. *loc. cit.*

QVÆSTIO LXXVI.

An satisfaciat præcepto, qui, dum Missæ adest, pingit aliquid?

REspondeo, vt quid certum; Quòd non. Quia hæc pingendi actio, nec est ex se religiosa, nec compatitur cum attenta Missæ auditione; cùm potiùs mentem ab illa distrahat, impediatque cultum externum sacrificandi, seu ostendendi se assistentem sacrificio, & offerentem cum Sacerdote. Sic Henriquez, Nauar. Azor, Angel. & alij omnes ferè citati pro nostra parte *q.*74. Bailæus *Missa* 8. *num.*6. Lugo *num.*25. *cit.* & alij, docentes idem, de illo, qui docet alios, disputat, clamat, &c. Sic etiam Gesualdus *de Sacram. tract.*17. *cap.*1. *n.*25. Bonacina *de Euchari.* *disputat.* 4. *quæst. vltim. punct.* 11. *num.*24. & penes illum, Ægidius, Filliuc. & alij. Et est communis.

QVÆSTIO LXXVII.

An satisfaciat præcepto, qui toto tempore, Missa, quam audit, continuò cum altis confabulatur, ludit, ridet, &c.

AFfirmat Ioann. de Medina *C. de pœnit. q. de pœnitentia tempore Missæ impleta*, docens; satisfacere præcepto Missæ illum, qui ei assistens, diebus festis, toto tempore illius, cum Mercatoribus de commerciis mercaturæ agit: aut cum alijs amicis amicè confabulatur, ad illam non attendens. Huic sententiæ videtur assentire Sotus *in* 4. *dist.*13. *q.*2. *art.*2. *ad finem*, §. *In calce demum*, dum hæc verba profert: Hinc colligitur, attentionem, quæ sub præcepto necessaria est ad audiendam Missam, non esse tantam, quantam in officio Canonico persoluendo requiritur, sed sat est, quòd sit intus humanos. Quocircà, quamuis indecentia sint colloquia inter audienda sacra, non tamen propterea transgressio sit præcepti. Possent tamen voces, & cachinni in tantum prorumpere, vt per se essent peccatum irreuerentiæ, & scandali. Quemadmodum, siquis sinistro animo audiendi sacrum

Eccle

Ecclesiam adeat, quamuis illud propositum, peccatum per se sit, nihilominus, si Missam audiat, præceptum implet, quantùm ad substantiam præcepti: cauet enim peccatum omissionis audiendi Missam. Huc vsque Sotus. Quibus verbis clarè docet, fabulantes in Missa, satisfacere Ecclesiæ præcepto. Et hanc sententiam esse probabilem clarè innuit Bauny, *vbi infrà.*

Sed tanquam certum Respondeo: Nullo modo satisfacere. Quia nullam habet attentionem, nec internam, nec externam: ergo nequit præcepto Missæ audiendæ satisfacere. Consequentia ex dictis est euidens. Antecedens verò probatur. Et quidem, quòd non habeat prædictus attentionem externam, constat, quia attentio externa consistit in negatione distractionis externæ, id est, alicuius negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distrahat mentem ab auditione Missę (vt bene Lugo, *vbi infrà*) at sic est, quòd ille, non habet talem negationem distractionis, sed potiùs positiuè occupatione externa est distractus: ergo. Quòd item, nec habeat attentionem internam, cõstat etiam; cum nullo modo compatiatur cum illa externa distractione, & occupatione. Sic Suarez *disp.*88. *cit. sect.*3. *vers. Ex his autem.* Dicens grauiter errasse Medinam, contrarium asserendo. Lugo, *loc. cit. sect.*2. *num.*25. Fagundez *lib.*2. *de primo precept. Eccl. cap.*7. *num.*5. Medina *in summ. cap.*19. §.9. Llamas 3. *part. Method. cap.*5. §.10. *initio.* Hurtado *disp.*5. *cit. diff.*2. Layman *tract.*7. *cit. cap.*3. Candid. *disquis.*25. *art.*29 *dubit.*2. ex Nugno *qu.*83. *art.*6. *dub.*2. *vers. Circa tertiam partem.* Bauny *tract.*6. *de sacrif. Missæ, q.* 2. Vbi sic ait: Dico probabiliùs mihi videri, eos moraliter peccare qui confabulantur toto Sacri tempore, aut maiori eius parte. Bonacina *disp.*4. *de Eucharist. qu. vltima punct.*11. *num.*24. Filliuc. *tract.*5. *cap.*7. *num.*213. Bassæus *Missa*, 8. *num.*6. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap*1. *dub.*5. *num.*15. Dicastillo *tr.*5. *de Sacram. disp.*5. *num.*109. & penes illum, Nauarrus, Henriquez, Caietan. Azor, Ægidius, & Gesualdus etiam *loc. cit. num.*24.

Quæstio LXXVIII.

An saltem, satisfaceret, qui, etiamsi toto Missæ tempore cum aliis confabularetur, luderet, &c. hoc non faceret continuò, sed interpolatè: modò ad Missam attendendo, & modò confabulando, &c.

RESpondeo: Satisfacere in hoc casu: dummodo attentè assistat consecrationi, & aliis, quæ in Missa principalia sunt. Quia cætera, quæ interpolatè attentè non audit, pro parua materia reputanda sunt. Peccabit tamen venialiter, eo quòd rem diuinam, non ita religiosè, ac decenter audiat. Sic expressè Layman *loc. cit.* hæc dicens verba: Quam ob rem licèt reprehendendi sunt, non tamen statim peccati mortalis damnandi aulici, aut mercatores, qui inter Missarum solemnia, modò attendunt, modò confabulantur. Atque ita docent Soto *in* 4. *dist.*13. *q.*2. *art.*1. §. *in calce demum articuli.* Suarez 3. *part. tom.*3. *disp.*88. *sect.*3. Sic Layman. Et omnino bene, si non citasset Sotum pro hac parte, cùm vt vidimus, absolutè, & sine vlla distinctione, satisfacere præcepto cum Medina sentiat. Hurtado, Fagundez. *& alij loc. cit.* Ægidius *num.*298. dicens etiam, cum hac moderatione esse intelligendum Sotum, suprà citatum, eiusque dictum, ne falsum sit, explicandum. Trullench, *loc. cit.* Sic dicens: si tamen ita confabulatur, aut ridet, vt non omnino impediatur attentio requisita, vt si confabulatio esset discontinua, partim, scilicèt, loquendo, partim attendendo, vt communiter fieri solet, vel de re non seria, sed leui, non esset mortale, sed veniale peccatum, fieretque satis præcepto Missæ, vt cum Soto *in* 4. *d.*13. *q.*2. *art.*3. *ad finem*, tenent Filliuc. *tract.*5. *cap.*7. *q.*8. *num.*216. Bonac. *q.*4. *punct.*11. *de sacrif. Missæ*, *num.*34. hic enim videtur interesse Missæ, corporaliter, & mentaliter. Huc vsque Trullench. Et benè, excepto quòd Sotum citat malè; cùm de hac re, non agat *dist.*3. sed 13. non *art.*3. sed 1. & Bonacinam *num.* 24. non 34. sed hi errores sunt Typographi. Tenent tandem hanc sententiam omnes DD. communiter, præcipuè Dicastillo, & alij penes ipsum *loc. nuper citato.*

Quæstio LXXIX.

An satisfaciat præcepto, qui dum Missam audit, huc & illuc profanè respicit?

NEgat absolutè Hurtado *disp.*5. *cit. diff.*2. vbi expressè docet; nullo modo satisfacere præcepto Missæ, illos, qui dum illi assistunt, confabulantur profundè, aut huc, & illuc circumspiciunt. Et ante Hurtadum, idem docere videtur Llamas, *loc. cit.* loquendo de illis, qui ferè totaliter profanè intendunt fœminis aspiciendis comptis, & compositis.

Sed clariùs, & distinctiùs, iuxta nuper dicta; Respondeo dicendum. Quòd nullo modo satisfaciat, casu, quo toto tempore Missæ ita oculis vagetur, huc, & illuc, quæcumque circumspiciens, vt omnino impediatur habere attentionem ad Missam; secus verò, si aliqualiter, tantùm impediatur; aut non continuè, & totaliter, sed discontinuatè fœminis aspiciendis intendat; quia tunc, verè satisfaciet Missæ, vt ex nuper dictis constat. Et innuunt Henriquez *lib.*6. *c.*25. *n.*5. & Gesualdus *loc. cit. n.*26.

Quæstio LXXX.

An satisfaciat præcepto Missæ; qui dum illi assistit, se vestit?

NEgare Diuum Anton. penes Nauarrum *de Oratione notab.*13. *num.*47. aliàs, *cap.*13. *num.*45. ait Bonacina, *Vbi infrà.* Sed certè malè id affirmat hic Author; sicuti priùs, etiam malè affirmauerat, Henriquez *loc. cit. in Glossa litt. N.* Nam imprimis D. Antoninus, loco à Nauarro citato, solùm agit de illo, qui dum se vestit, recitat Horas Canonicas (non de illo, qui Missam audit) de quo loquendo, tantummodo dicit; quòd vix satisfaciat præcepto. Sic enim ait: Et si per totam Horam hoc faciat, vel pro maiori parte, vix satisfacit præcepto. Sic ille, 2. *p. tit.*9. *c.*12. §.3. Tunc ego: sed qui dicit; Quòd vix satisfacit præceptu, non dicit, quòd non satisfaciat, vt optimè notat meus Nauar. *loc. cit.* sic dicens: Nec D. Antoninus dicit, eos non adimplere præceptum, sed vix illi satisfacere; & vt ait Bonifacius VIII. *cap. Per Catechismum, de cognat. spirit. lib.*6. quòd vix fit, fieri tamen dubium non existit. Huc vsque Nauarrus. Ergo non negat D. Anton. quòd satisfaciat præcepto Missæ ille, qui dum illi assistit, se vestit. Vnde,

Tanquam certum, Respondeo: Satisfacere. Quia hic non exercet actum ita externum, & occupatum; vt non possit facillimè ad Missam attendere, si velit. Sic Nauar. *loc. cit.* Henriq. *loc. cit.* & penes ipsum, Caiet. & Maior, Graff. *lib.*2. *c.*35. *n.*9. Bonac. *punct.*11. *cit. n.*24. *vers. Existimo tamen.* Hurtado *disput.*5. *cit. diff.*2. Dicastillo, *tract.*5. *de Sacram. disp.*5. *n.*109. addens tamen, & benè, hunc, qui ita Missam audit, vix à grauissima culpa veniali excusari posse.

Quæ

QVÆSTIO LXXXI.

An ad satisfaciendum præcepto Missæ, necessaria sit intentio, seu voluntas libera audiendi illam?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia ad implendum quodcumque præceptum, necessaria est intentio, seu voluntas implendi illud; seu, quod idem est, voluntas faciendi opus præceptum. Sic tenent omnes Doctores. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 88. *sect.* 3. *vers. Circa posteriorem partem.* Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. *num.* 210. Lugo *de Sacram. disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 23. Molfes. *in summ. tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 30. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 17. Fagundez *de* 1. *precept. Eccles. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 11. & Dicastillo *tract.* 5. *de Sacram. disp.* 5. *num.* 64. & penes illum, Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *ad q.* 10. *in exposit. art.* 9. *num.* 5. Sic etiam Amicus *tom.* 5. *de Iure & iust. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 44. & communis.

QVÆSTIO LXXXII.

An ad satisfaciendum huic præcepto, præter voluntatem audiendi Missam, sit etiam necessaria formalis, vel expressa voluntas audiendi, sub intentione implendi præceptum?

AFfirmant Ioann. de Medina *C. de Oratione q.* 16. Nugnus *q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. & Petr. de Ledesma 1. *part. summ. cap.* 27. *concl.* 10. citans pro se D. Antoninum 2. *par. tit.* 9. *cap.* 10. §. 11. & Nauarrum *in cap. Quando not ab.* 13. *num.* 27. [Porque (inquit Ledesma) para complir con el precepto, es necessario que aya voluntad de quererlo complir, porque el complimiento del precepto es obra de obediencia luego es necessaria la tal intencion.] Sic ille. Vnde malè citatur à Dicastillo *n.* 26. vbi *infrà*, pro opposita parte.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Nullo modo esse necessarium formalem, & expressam voluntatem audiendi Missam, sub intentione adimplendi præceptum. Quia, nec dum virtualis est necessaria, vt statim dicemus. Sic docent communiter Doctores, præcipuè statim pro vtraque parte citandi.

QVÆSTIO LXXXIII.

An saltem, ad satisfaciendum præcepto, sit necessaria intentio, seu voluntas implicita, vel virtualis audiendi Missam, sub intentione implendi præceptum de illa audienda?

AFfirmant Suarez *disp.* 88. *sect.* 3. Rodriguez 1. *p. sum. cap.* 122. *concl.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 15. *q.* 14. Quos citat, & sequitur Villalob. *tract.* 8. *diff.* 35. *num.* 9. Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 7. *n.* 11. (sibi tamen contrarius *num.* 12. vt infrà) Philibert. *de Sacram. Ordinis cap.* 17. *cit.* à *n.* 8. Molfesius *in summ. tr.* 10. *c.* 1. à *num.* 27. & alij. Docentes; quòd, quamuis ad impletionem præcepti, non sit necessaria voluntas formalis, & expressa audiendi Missam, sub intentione implendi præceptum; sit tamen necessaria virtualis intentio, seu voluntas satisfaciendi præcepto auditione Missæ, quam quis haberet, si cogitaret actu de præcepto.

Sed probabiliùs adhuc Respondeo: Nec esse necessariam talem intentionem, aut voluntatem implicitam, vel virtualem, ad satisfaciendum præcepto Missæ. Quia probabilius est, quòd ad impletionem præceptorum, non sit necessum, quòd eorum actus fiant ex intentione formali, aut virtuali adimplendi illa. Nam præcepta solùm obligant ad actus, quos præcipiunt; ergo, vt præcepta impleantur, sufficit efficere actus præceptos. Sic Sanchez *lib.* 1. *summ. cap.* 13. *num.* 9. Vasquez *in* 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *in explicat. litera, num.* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct. vltimo.* & Hurtado *disputat.* 5. *de sacrif. Missæ, diff.* 3. Bonac. *infrà citandus, & tom.* 2. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 10. *num.* 9. Salas, *de legib. disp.* 9. *sect.* 2. Fagundez *loc. cit. num.* 12. vbi (iam sibi contrarius) ex Vasquio, Sanctio, & Valentia citatis, expressè hanc sententiam docet Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 211. Lugo *de Sacram. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 24. Trullecnh *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 19. Diana 3. *p. tract.* 6. *Resol.* 68. & 77. Ausonius *in summ. Diana, v. Missam audire, num.* 14. Ioann. Escobar *tom.* 1. *de vtroque foro, art.* 6. §. 4. *num.* 124. *pag.* 295. Dicastillo, *tract.* 5. *de Sacramentis, disp.* 5. *dubit.* 5. *num.* 64. & Amicus *loc. cit. num.* 44. & alij.

QVÆSTIO LXXXIV.

An satisfaciat præcepto Missæ ille, qui, ignorans esse diem festum, eam audit?

NEgant P. Ledesma *cap.* 27. *cit. concl.* 108. *vers. A esta dificultad.* Et (apud Hurtadum) Medina, & Nugnus.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Satisfacere; ideóque, non teneri posteà aliam Missam audire, quamuis, non elapso meridie, intelligat, esse diem festum. Quia re vera audiuit Missam in die festo, & fecit, saltem materialiter, quod ei erat præceptum: ergo. Sic Sanchez, Vasquez, Valent. Hurtado, Lugo, Filliuc. Trullench, Dicastillo; Amicus, Diana, Escobar, *loc. cit.* Bonac. *punct.* 11. *n.* 22. Henriquez *lib.* 9. *c.* 25. *n.* 6. Ægid. *q.* 83. *art.* 6. *dub. vnico, n.* 308. Quamuis expressè de hoc casu non loquatur. Fagundez *loc. cit. num.* 12. & 13. Philibert. *loc. cit. cap.* 17. à *num.* 9. & alij. Suarez etiam, Rodriguez, Azor, & Villalob. eo quò existiment, dari in dicto ignorante diem festi, voluntatem virtualem satisfaciendi præcepto Missæ. Sic etiam Gesualdus *de Sacram. tract.* 17. *cap.* 2. *n.* 12. Qui & citat D. Thomam 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. *ad* 2. & Syluestrum *verb. Hera, num.* 14.

QVÆSTIO LXXXV.

An qui accedit ad Ecclesiam, animo videndi amicum, aut meditandi res sacras, & non audiendi Missam, si postea accedat ad Missam audiendam, satisfaciat præcepto?

NEgatiuam sententiam, (in quæstione sic proposita) tenere Sanchez, & Bonacinam, affirmat Diana 3. *part.* 6. *Resol.* 78. per hæc verba: Hinc infertur, contra Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. & Bonacinam, *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 10. *num.* 4. accedentem ad Ecclesiam animo meditandi res diuinas, si Sacerdos interim adeat ad Altare ad celebrandam Missam, satisfacere præcepto audiendi Missam, licèt cùm primùm accessit ad Ecclesiam non habuerit animum audiendi Sacrum. Ita Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 7. Huc vsque Diana. Sed profectò, malè pro hac negatiua parte, citat Sancium, & Bonacinam. Nam hi, solùm loquuntur de illo, qui ad Ecclesiam veniens ad meditandum res sacras, nullo modo habuit animum audiendi Missam, in quo casu verum est, quòd iste talis, non satisfaciat præcepto: non verò de illo, qui ad Ecclesiam veniens ad

meda

meditandum; postcà accedit ad audiendam Missam; licèt cùm primùm ad Ecclesiam venerit, non habuerit animum audiendi illam, vt fingit Diana. Sic enim, ait Bonacina ex Sancio, *loc. cit.* Quia Diana; Secundò, eum, qui ad Ecclesiam, vel aliquam Capellam accedit, vt det operam meditationi rerum diuinarum, non satisfacere præcepto audiendæ Missæ, si Sacerdos interim adeat Altare ad celebrandum Missæ sacrificium. Ratio est, quia non habet intentionem audiendi Sacrum, sed solummodo dandi operam meditationi, Ita Sanchez *loc. cit. num.* 3. Huc vsque Bonacina. Et benè. Quia, sicut ipse *num.* 1. ait, & nos suprà diximus; ad hoc, vt præceptum impleatur, requiritur voluntas, seu intentio faciendi opus, quod præcipitur. Vnde, si prædictus ad Ecclesiam veniendi nec priùs, nec posteà habet voluntatem audiendi Sacrum, nullo modo satisfaceret præcepto audiendi illud. His ergo, in fauorem horum Doctorum, habitis. Ad propositam quæstionem.

Tanquam certissimum Respondeo dicendum: Quòd prædictus, verè satisfaciat præcepto Missæ. Quia ad hoc, sufficit, quòd, postquàm Sacerdos ad Altare, ad Sacrum faciendum venit, habeat animum, & voluntatem audiendi illud, quamuis priùs talem voluntatem non habuerit. Sic Diana, Palao, & Sanchez, *loc. cit.* Bonac. etiam, *loc. cit. & tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 11. *num.* 21. Lugo, *disp.* 22. *cit. num.* 23. Fagundez, *loc. cit. num.* 16. Nauarr. Henriquez, Suarez, & alij, penes ipsos, & Ioann. Escobar, *tom.* 1. *art.* 6. §. 4. *n.* 130. & omnes. Legantur quæ dicentur infrà, *quæst.* 94.

QVÆSTIO LXXXVI.

An, etiam satisfaciat præcepto, qui, per vim absolutam, seu, omnino inuitus, cogitur interesse Missæ, casu, quo illam audire non intendat?

Affirmauit Victoria (vt refert Salas *infrà citandus*) cuius sententiam, esse probabilem, affirmat Bonacina.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo: Non satisfacere in dicto casu. Quia certum est, quòd ad satisfaciendum cuilibet præcepto, requiritur voluntas, seu intentio faciendi opus præceptum; vt suprà, ex communi omnium sententia, est habitum: at in casu posito, præfatus caret tali voluntate: ergo. Sic Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 10. *num.* 6. & penes illum, Sotus 2. *de Iust. q.* 3. *art.* 9. Azor 1. *p. lib.* 7. *c.* 2. *q.* 6. Salas *de legib. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 34. Medina *q.* 100. *art.* 9. *n.* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 88. *sect.* 3. *vers. Circa posteriorem partem, & lib.* 3. *de legib. c.* 19. *n.* 4. Sanchez *lib.* 1. *sum. c.* 13. *n.* 5. & Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. *n.* 9. Fagundez *lib.* 2. *de* 1. *præcept. c.* 7. *n.* 10. Lugo, (licèt non ita specificè) *de Sacram. disput.* 22. *sect.* 2. *n.* 23. Philibert. *c.* 17. *cit. n.* 8. & Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 17. Dicastillo *tract.* 5 *de Sacram. disp.* 5. *dub.* 6. *n.* 70. Amicus *tom.* 5. *de iure, & iust. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 45. & communis.

QVÆSTIO LXXXVII.

An satisfaciant præcepto Missæ Pueri, qui, quamuis attentè illam audiant, non tamen audiuissent, si præceptor eos, ad illam audiendam, non traxisset?

Negant D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 10. §. 2. Sotus, & Suarez 3. *part. disp.* 88. *sect.* 3. penes Molfesium, quos ipse sequitur *in sum. tract.* 3. *cap.* 17. *n.* 46. Sed ex his, malè citat Suarium, pro hac parte; cùm oppositum expressè teneat, imò, & Sotum, vt infrà q. seq. videbimus.

Sed, longè multò probabiliùs, Respondeo: Satisfacere, quia prædicti pueri, in tali casu, re vera audiunt Missam, cum debita intentione, & attentione, vt supponimus: ergo verè satisfaciunt Missæ præcepto. Verumtamen est, quòd, vt statim dicemus, peccarent; & mortaliter, dicti pueri, si haberent actualiter conditionalem intentionem non audiendi Missam, si Præceptor eos, ad illam audiendam, non traxisset; quia haberent tunc affectum transgrediendi præceptum. Sic Sanchez *lib.* 1. *sum. c.* 13. *n.* 8. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *c.* 26. *n.* 12. & *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 3. *cit.* Salas *loc. cit. sect.* 2. *n.* 32. Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 10. *n.* 5. Fagundez *loc. cit. n.* 17. Ioann. Escobar §. 4. *cit. n.* 126. Lugo *de Sacram. disp.* 22 *sect.* 2. *n.* 23. *vers. Hinc infero.* Dicastillo *dub.* 5. *cit.* Amicus *loc. cit.* & communis.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An præfati pueri, qui, coacti à præceptore, audiunt Missam, satisfaciant etiam præcepto, si dum Missam audiunt, hunc actum eliciant: Non audiremus, nisi cogeremur?

Negat Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 3. *vers. Circa posteriorem partem.* per hæc verba: Et iuxta hoc intelligendum est, quod Anton. ait, famulos, seruos, & alumnos, vel similes, qui Missæ adsunt, quasi coacti à Dominis, seu pædagogis, aliàs non adfuturi, non implere præceptum; hoc enim est verum, quando ipsi habent illam actualem voluntatem, etiam dum actu audiunt Missam, & maximè, si ratione illius, non sunt attenti, sed distracti. Ita ille, & Petr. Ledesma *in sum.* 1. *p. cap.* 27. *post.* 10. *conclusion.* Molfesius *tract.* 3. *cit. cap.* 17. *num.* 46. & penes ipsum C. Anton, Sotus, & alij. Sed ex his, oppositum docet expressè Sotus, vbi infrà.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam satisfacere præcepto Missæ. (Quamuis aliàs peccent mortaliter, ob prauum affectum, vt nuper diximus.) Quia re vera faciunt opus, vel exercent actum, quem præceptum intimat: ergo verè illi satisfaciunt. Sic Sanchez *lib.* 1. *summ. cap.* 13. *n.* 7. 8. & 17. Sotus 2. *de iust. q.* 1. *art.* 9. & Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 12. *q.* 9. Quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 7. *num.* 18. Philibert. *c.* 17. *cit. num.* 8. & alij.

QVÆSTIO LXXXIX.

An satisfaciat præcepto Missæ, qui animum habet expressum, non satisfaciendi præcepto, auditione illius Missæ, cui assistit?

Negant (apud Bonacinam) Nauarr. *de Oratione cap.* 16. *num.* 74. Medina *tract. de Orat. q.* 16. Azor 1. *p. lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 6. & *lib.* 10. *cap.* 12. *q.* 8. & Rodriguez 1. *p. summ. cap.* 144. *num.* 2. Quos omnes pro hac parte citat Bonacina *disput.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 10. *num.* 19. Ex quibus, idem met, *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vltim. punct.* 11. *num.* 23. refert pro contraria parte Nauarrum in *summ. cap.* 21. *num.* 42. Rodriguez *cap.* 123. *n.* 2. Azorium, (cuius non citat locum,) Sed ex his, malè citantur Nauarrus, & Rodriguez pro contraria parte. Nam nec verbum de hac re loc. citatis, agunt. Tenent tamen hanc negatiuam partem, præter citatos à Bonacina, Nugnus *quæst.* 83. *art.* 6. Petr. de Ledesma ibi *cap.* 27. *post* 10. *concl. vers. A esta dificultad,* citans ibi, Martinum de Ledesma, & *tom.* 2. *summ. tract.* 9. *cap.* 4.

Suarez *tom.3.in 3.p.disp.*88.*sect.*3. vt de notant verba eius relata *quæstione* 88. Escobar *loc.cit.*§.4 *num.*127. Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 7. *num.* 27. dicens, in hanc opinionem, se magis inclinare; eo quòd plures Doctores habeat, & grauiores rationes, & sit tutior, ac securior. Citatque pro sua opinione Henriquez *lib.9. cap.25.num.*6. & Iosephum Angles *in Florib.* 1.*p.* vbi *de Oratione, q.4. diff.*4. Et bene Philibert. *cap.* 17. *cit. num.* 10. Syluius 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *concl.* 3. Molfesius *in summa tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 31. Nicolaus Baldellus *in Theolog. Morali, lib.* 5. *disputat.* 25. *num.* 20. & alij.

Sed, probabiliùs nihilominus, Respondeo: Satisfacere præcepto; ideoque non teneri Missam aliam audire. Ratio est. Quia præfatus, sic Missam audiens, verè audiuit Missam, cum debita attentione, & vera intentione audiendi illam, (vt supponimus) ergo verè fecit omne, quod sibi, per hoc Ecclesiæ præceptum, iniunctum, & præceptum est: ergo verè illud adimpleuit, quamuis animum expressum habuerit illud non adimplendi, auditione illius Missa; hoc namque animo non potest prorogare sibi obligationem præcepti; quia non potest, (sicut non potest denuò illam sibi imponere) cùm non sit sibi superior. *Confirmatur Primò.* Quia, qui sciens, & volens facit opus præceptum; verè facit quidquid à Superiore est ei præceptum: ergo ad impletionem veram præcepti, nil aliud restat, nec obstat. Nam quòd habeat voluntatem expressam non adimplendi, nihil profectò refert, quando aliàs, in re sciens, & volens fecit, quod Ecclesia vult. *Confirmatur secundò*; ex suprà dictis. Nam nullus præceptum transgreditur, eo quòd nolit id, ad quod præceptum non obligat: at sic est, quòd præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi: ergo non violantur habita contraria intentione, scilicet, non satisfaciendi: ergo &c. Sic Bonacina *disput.*1.*de legib. quæst.*1. *punct.* 10. *num.* 16. & *disputat.* 4. *de sacrif. Missa, quæst ultima, punct.* 11. *num.*23. & *disput.* 1. *de Horis Canon. qu.* 3. *punct.*2.§.1. *num.* 31. & 32. Quibus in locis citat pro hac parte Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25.*num.*6. Suarez 2. *de Relig.lib.*6. *cap.*26. *num.*8 & *lib.* 3.*de legib. cap.*29. *num.* 12. Lessium *de Horis Canon. dub.* 10. *num.* 59. Vasquez 1.2. *quæst.* 100. *art.* 9. *dub.* 1. Sanchez *lib.* 1. *summ. cap.* 13. *n.*13. Aragonium 2.2. *quæst.*83. *art.* 3. Valentiam *tom.* 3. *disput.*6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *de Horis Canon.* Paulum Squillas *part.* 1. *dub.* 22. Molfesium *tract.*5.*cap.*2. *num.* 40. & 52. Garcias *de Benef. tract.*1.*part.*3. *cap.*1. *num.*198. Naldum *v.r.diuinum Officium, num.* 3. & 8. Filliucium *tom.* 2. *tract.* 23.*c.*8. *num.* 151. Reginaldum *lib.* 18. *num.*150. & Francolinum *de tempor. cap.* 27.

Sed ex his Authoribus: Quos pro hac parte citat Bonacina, oppositam tuetur Henriquez *loc. cit.* vt meliùs vidit Fagundez. Suarez verò licèt hanc partem amplecti videatur, locis à Bonacina citatis, & *tom.*2. *de Relig. lib.* 4. *de Horis, cap.* 26. *à numero* 10. contrariam tamen amplectitur *tom.* 3. *in* 3. *part. loc. citat.*

Tamen præter relatos Authores, tenent etiam nostram sententiam Lugo *de Sacram. disputat.* 22. *sect.* 2. *num.* 24. Castro Palao *de legib. disputat.* 1. *punct.*17.*num.*11.& 12. Barthol. à S. Fausto *de Horis Cannic. quæst.* 152. 153. & 154. Trullench. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 27. (vbi malè citat Henriquez pro hac parte) & *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 19. Bassæus *V. Missa,* 8. *num.* 5. & *verb. præceptum, num.* 6. Vbi etiam citat malè Suarium, *tom.* 3. *in* 3. *part disputat.* 88. *sect.*3. (cùm ibi oppositum sequatur) & Fagundium, *præcept.* 1.*lib.*2.*cap.*87. *n.*14. Nam hic Author primam sententiam amplectitur, loco à nobis citato. Sic etiam Caspensis *tract. de legib disput.* 3 *sect.*5. *à num* 62. Ægidius *loc. cit. n.*309. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resolut.* 37. & 3.*part. tract.*6. *resol.* 68. *vers. Vnde ex his.* Vbi pro contraria sententia; citat Aragonium 2. 2. *quæst.*83. *art.*13. Lessium *lib.*2. *cap.*37. *num.*59. Suarium *in* 3. *part. disp.*88. *sect.*3. & Azorium *tom.*1. *lib.*7. *cap.*2. *quæst.*6. Et pro hac nostra, & sua, Stephanum Fagundez *præcept.*1. *lib.*2. *cap.*87. *num.*14. Sed imprimis Diana malè citat Fagundez pro hac nostra sententia cùm oppositam verè doceat (vt vidimus) *lib.*2. *cap.*7. (non 87. vt citant Bassæus, & Diana, cùm dictus liber, solùm contineat nouem capita) *num.*27. Rursus, etiam citat malè pro contraria parte, Aragonium, & Lessium (nisi per forsan pro quadam parte suæ sententiæ eos adducat.) Vnde ipsemet Diana *resol.*77. *vers. Notandum,* vbi iterum hanc sententiam docet, & pro ea refert Lessium, eodem loco, quo pro opposita *resolut.*68. citauerat. Tenet etiam nostram sententiam, ni fallor, Machado *lib.*2. *summ. part.*4. *tract.*1. *docum.*3.*num.*4. Qui etiam haud bene citat Fagundez pro hac parte. Tenent tandem Dicastillo *tract.*5. *de Sacram. disp.*5. *dubitatione* 5. *num.*66. Gesualdus *de Sacram. tract.*17. *c.*2. *num.*22.

Qvæstio LC.

An qui in festo audit Missam, intendens aliam audire ad implendum præceptum; teneatur Missam aliam audire?

AFfirmant expressè vterque Ledesma, Nauarr. Azor, & Escobar, Baldellus, Medina; & alij nuper pro prima sententia adducti.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri aliam Missam audire. Quia auditione primæ Missæ, verè adimpleuit præceptum, vt ex nuper habitis constat. Sic Sanchez, Vasquez, Bonacina, Palao, Lugo, Dicastillo, Bassæus, & alij, quæstione antecedenti pro nostra sententia adducti. Præcipuè Gesualdus *loc. cit. num.*23. vbi sic ait: Hinc etiam sequitur; Eum, qui auditâ Missâ, siue recitatis horis Canonicis, agitatus scrupulis debitæ attentionis, dicit: Habeantur pro non dictis; iterum Missam audiam: Non teneri, depositis scrupulis, horas repetere, aut aliam Missam audire, quia re ipsa adimpleuit præceptum. Sic ille.

Qvæstio LCI.

An qui Missam audiuit, animo non adimplendi præceptum, simùlque animo non audiendi aliam Missam; adimpleat adhuc præceptum?

NEgant (& à fortiori) Nauarr. Medina, Azor, Escobar, & alij pro parte negatiua *quæst.*89. & 90. *cit.*

Sed probabiliùs Respondeo: Adimplere adhuc præceptum. Quia re vera præstat opus ab Ecclesia præceptum. Verum est, quòd ille peccabit mortaliter, ob prauum affectum ad transgressionem præcepti, si credat per Missam à se auditam, non adimpleuisse præceptum, secùs verò, si crederet se iam adimpleuisse. Vt statim dicemus. Sic communiter Doctores pro nostra parte nuper citati. Legantur Sanchez, *lib.*1. *summ. cap.*13. *n.*15. Layman *lib.*1. *tract.*4. *c.*4. Bonac. *disp.*1. *de legib. q.*1. *punct.*10. *n.*20. Bassæus *v. Missa,*8. *num.*5. & alij.

Qvæ

Qvæstio LCII.

An qui Missam audiuit animo non adimplendi præceptum, auditione talis Missæ: teneatur ad minùs, casu, quo aliam nolit audire mutare animum intra tempus obligationis, & velle adimplere præceptum, per Missam, auditam?

AFfirmant teneri præfatum, animum mutare, & alium voluntatis actum elicere, quo velit adimplere præceptum Missæ, per Missam à se auditam, Suarez *tom.3. in 3.part.disput.*88. *sect.3.* Aragon 2.2. *quæst.*83. *art.*13. Lessius *de Horis Canon. dub.*10.*n.*59. Azor *loc.cit.* Trullench *lib.1. in Decalog. cap.7. dub.16. num.14. & lib.2. c.2. dub.16. n.27. & lib.3. cap.1. dub.5. n.19.* Escobar *tom.2. tractat. de Horis Canon. quæst.4. n.*182. *& sequent.* & Ægid. *q.*83. *art.6. n.*309. ex parte solùm; ait enim, teneri quidem mutare illam voluntatem, ne pergat peccare contra virtutem obedientiæ, non autem vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ. Eodémque modo locutus fuit postea Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. c.26. à n.10.*

Sed clariùs, & probabiliùs Respondeo, cum distinctione, dicendo. Quòd vel ille, qui audiuit Missam animo non adimplendi præceptum auditione talis Missæ, habuit animum audiendi posteà aliam ad implendum; vel non: Si habuit animum audiendi aliam; postea tamen non vult; dico, quòd non tenetur mutare animum, aut elicere alium actum voluntatis, quo velit satisfacere præcepto, per Missam à se auditam, sed sufficit ei aduertere, quòd iam satisfecit præcepto per Missam à se auditam; vt non teneatur aliam audire, & etiam vt non peccet peccato violationis affectiuè, vt bene probant Lugo *num.24. cit.* & Ægidius, vt statim videbimus.

Si verò prædictus ita audiuit Missam, animo non adimplendi (auditione illius) præceptum, vt simul habuerit animum non audiendi aliam; tunc dico, quòd iste talis verè adimpleuit præceptum, vt *q.91.* est habitum, & ideò ad hoc, non tenetur mutare animum, aut voluntatem, qua applicet Missam à se auditam. Tenetur tamen desistere ab animo peccaminoso, quem non adimplendi præceptum, ab initio habuit, vt sic tollat actualem affectum ad peccatum. Sic, licèt non ita distinctè, Sanchez *lib.1. cap.14. num.14.* Salas *de legib. disp.9. sect.2. num.3.* Bonacin. *disp.1. de legib. quæst.1. punct.10. num.22.* Lugo *loc.cit.* Bussæus *v. Missa, 8. num.5. & verb. Præceptum, num.6.* Diana *3. part. tract.6. Resolut.38. in fine*, & ex parto Suarez, & Ægid. *loc.cit.* vbi sic ait: Is verò, qui manè audit Sacrum, intendens per illud non satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed solùm propriæ deuotioni, & posteà audire aliud, vt satisfaciat præcepto Ecclesię; verè huic satisfacit per priùs Sacrũ; nec ad aliud quidquam postea tenetur, nisi vt posito quòd postea nolit audire aliud Sacrum, simul etiam desinat habere voluntatem non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ per Sacrum quod iam audiuit. Nam si pergeret velle non satisfacere Ecclesiæ per Sacrum auditum, & tamen simul nollet audire aliud, implicitè vellet non obedire Ecclesiæ: atque ita peccaret contra virtutem obedientiæ. Non tamen tenetur positiuè illam voluntatem reuocare, quia mala non fuit, sed bona; quia fuit voluntas audiendi plura sacra: atque ita sufficit, vt negatiuè se habeat. Sic ille.

Qvæstio LCIII.

An qui audit Missam, animo non satisfaciendi voto, ad quod tenetur: teneatur audire aliam, vt voto satisfaciat?

AFfirmant Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Horis Canon. cap.26. num.8.* Ledesma, *1. p. summ. c.27. post 10. concl. vers. Acerca desto.* Baldellus, *in Theolog. Morali, lib.5. disp.25. num.21. versu, Neque est similes*, & alij, pro contrariis sententiis, nuper adducti. Quia (inquiunt) in hoc casu, tacitè prorogat votum; quod verè potest, cùm ab ipso pendeat.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri aliam Missam audire ad satisfaciendum voto. Quia verè, & integrè illi fecit satis, per Missam à se auditam; cùm verè præstiterit illud, quod vouit. Neque enim per intentionem illam, non satisfaciendi voto, per dictã Missam, quam audiens habuit, voluit prorogare suum votum, aut denuò vouere, licèt posset; sed solùm voluit per aliam Missam voto satisfacere: ergo si iam ei satisfecit, nihil illi restat, vt satisfaciat. Sic Sanchez *lib.1. cap.13. cit. num.18. & lib.4. cap.13. num.40.* Bonac. *tom.2. disp.1. quæst.1. punct.10. num.21.* Trullench *lib.2. in Decalog. cap.2. dub.16. num.27.* Diana *3. p. tract.6. resol.77.*

Qvæstio LCIV.

An satisfaciat præcepto, qui venit ad audiendam Missam ex fine prauo; v.g. videndi fœminam ad finem turpem?

NEgant D. Antoninus *2. p. tit.9. c.10. §.2.* Adrianus *in 4. Vbi de confess. q.5. dub.4.* Maior. *in 4. dist.15. quæst.3.* Carthusianus *1. dist.17. q.2. & 2. dist.17. q.1.* quos pro hac parte refert Sanchez *lib.1. sum. cap.14.* (non *cap 2. num.14.* vt inuenies apud Dicastillum.) Et alij.

Sed tanquam certum Respondeo: Satisfacere; licèt aliàs contrà castitatem peccet. Quia nihil obstat, vt quis opere malo, possit adimplere præceptum, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.100. art.9.* & cum eo omnes Theologi, ibi: Ergo si huiusmodi ponat totum quod requiritur ad præceptum audiendi Missam, licèt aliàs peccet, verè adimplebit præceptum. Sic Nauarr. *in Man. cap.21. num. mihi 6.* Suarez *tom.3. in 3. part. disp.88. sect.3.* Lugo, *de Sacram. disp.22. n.23.* Bassæus, *v. Missa 8. num.2.* Ioann. de Medina, *C. de Confessione, quæst. de pœnitentia iniuncta, tempore quo Missa celebratur.* Sanchez, *loc.cit.* & (penes ipsum) Sotus, *2. de iust. q.3. art.9. conclus.2.* Ledesma *2. part.4. quæst.16. art.6. in 1. p. dub.6. & in 2. p. dub.1. & q.17. art.1.* & Azor, *tom.1. lib.7. c.6. q.1.* Sic etiam Dicastillo *tract.5. de Sacram. disputat.5. dubit.7. num.78.* Molfesius *in summ. tract.3. cap.17. num.30. & tract.10. cap.1. num.32.*

Qvæstio LCV.

An, vi huius præcepti, teneantur fideles assistere Missæ, non solùm mente, sed corpore?

REspondeo, tanquam quid certum: Teneri. Quia assistere Missę, est actio quędam corporalis: ergo necessariò requirit pręsentiam corporalem eius, qui dicitur assistere. Hęc autem pręsentia corporalis, intelligenda est moraliter; ita vt in quantùm est in eo, qui assistit, possit aliquo modo cognoscere quid Sacerdos agat. Sic Suarez *disputat.88. cit. sect.3 vers. In hac re*, & penes ipsum, D. Anton. Syluest.

Nauarr. Caiet. & Soto. Henriq. *lib.9. cap.25. num.4.* Bonac. *disp.4. de Missa sacrif. q.vlt.punct.11.n.1. & 3;* Fagundez *de 1. præc. Eccles. lib.2. c.7. num.2.* Lugo *disp.22.num.20.*Reginald. *lib.19.n.12.* Dicastillo, *vbi infrà,* Bassæus *v.Missa,8.n.1.*& omnes Doctores, sic explicantes, quid, *nomine auditionis Missæ,* quo Ecclesiæ præceptum intimatur, intelligatur?

Ex quo colligitur, quòd nullo modo satisfaceret præcepto audiendæ Missæ, qui sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, domi manens per totum Missæ tempus, mentem suam circa illius mysteria applicaret, eo quòd solùm mentaliter, & non corporaliter Missæ assisteret. Sic Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dubit.2. num.19.& 22.* Suarez *loc.cit.* Filliuc. *tract.5. cap.7. num.*208. Bonac. *loc.cit. numero 3.* & omnes.

Addo tamen ego, quòd licèt prædictum exercitium meditandi (domi manens) mysteria Missæ, offerendique omnia illius sacrificia, quæ in tota Ecclesia, Deo Patri per Sacerdotum manus offeruntur, non sufficiat ad satisfaciendum præcepto de audienda in festis Missa; sit valdè tamen perutile, maximéque fructuosum, & meritorium illis personis, quæ non possunt accedere ad Ecclesiam ad audiendam Missam; Imo, & aliis, quæ iam per illius auditionem præcepto satisfecerunt.

QVÆSTIO LCVI.

An, vt quis præcepto Missæ satisfaciat, debeat necessariò videre Sacerdotem celebrantem, & eius verba audire?

AFfirmare videtur Llamas *3. part. Method.§.9.* per hæc verba: Vnde colligitur, quòd cultus, corporeis sensibus, exhibendus in adimpletionem huius præcepti, est audire, & videre. Vnde in aliquibus nostræ Hispaniæ Prouinciis, dicitur, *Audire Missam:* in aliis, etsi paucioribus, dicitur; *Videre Missam:* & sic, qui commodè potest, ad vtrumque hoc præcepto obligatur, scilicet, ad audienda, quæ dicuntur, & principaliùs ad videnda quæ aguntur, præcipuè ad adorandum Redemptorem nostrum, visum sub speciebus Sacramentalibus. Ita Llamas.

Sed tanquam certum Respondeo: Nullo modo esse necessarium simpliciter, ad satisfaciendum præcepto audiendæ Missæ, quòd quis videat celebrantem, aut eius verba audiat; sed solùm quòd mente, & corpore intersit, vt explicatum est. Sic Caiet. *in summ. v. Festos d es.* Suarez, Reginald. Bonac. citati, & alij statim citandi, & omnes communiter.

QVÆSTIO LCVII.

An saltem, qui commodè potest audire, & videre celebrantem, teneatur ad vtrumque, ex vi huius præcepti?

AFfirmant Llamas, vt nuper vidimus, & Ioan. de Cruce in sua summa, vbi *de 3. præcepto, art.2. concl.2.* per hæc verba: Etsi non sit necesse, ait Soto, & Ludou. Lopez, audire Missam, vt patet in procul astantibus, debes tamen interesse Missæ mente, & corpore: ita vt si commodè possit, oculis videas, & auribus Missam audias. Qui enim de industria auertit oculos, obstruit aures per bonam partem Missæ, non satisfacit, etsi aliàs mente attendat Missæ. Ita Cruz.

Sed, tanquam certum mihi, Respondeo: Nec teneri audire, nec videre celebrantem vi huius præcepti, etiamsi commodè quis possit. Ratio est. Quia si hoc requireretur, ex vi præcepti Missæ audiendæ, non illo obligaretur Surdus, aut Cœcus, quod nemo admittit. Addo; Quòd (vt nuper est habitum) Audire Missam in iure, non accipitur nisi pro hoc, quòd, est interesse Missæ mente, & corpore, aut humano modo: at sic est, quòd optimè potest quis interesse Missæ humano modo; aut mente, & corpore, absque eo, quòd videat, aut audiat celebrantem: ergo. Sic Tolet. *lib.6. summ. cap.6. num.1.* per hæc verba: Imprimis non est audire Sacrum, intelligere, & intellectu percipere, quæ in Missa dicuntur; non enim rustici Missam audirent. Rursus, non est auribus voces percipere; Surdi enim tunc audire Sacrum non possent; nec ij, qui longè à Sacerdote celebrante distant, quos tamen certum est implere præceptum. Rursus, non est videre ea, quæ in Missa aguntur; nam Cœci tunc non possent implere præceptum, quos tamen implere certum est: vnde potest aliquis clausis, ne diuagetur, oculis, Missam audire. Sic Toletus. Et expressè Ægidius, *quæst.83. art.6. dub.vnico, num.299.* Vbi sic ait: Patet tertiò etsi quando commodè fieri potest, omnino deceat nos ita Sacro interesse, vt possimus videre ipsum celebrantem, & aliquo modo audire quæ dicit (hoc enim modo perfectiùs ei in precibus communicamus, & excitamur ad deuotionem) tamen absolutè non est necessarium. Ita communiter DD. Sic Ægidius. Et Lugo, *disp.21. num.19.* Dicastillo *loc. cit. num.19.* Gesualdus *de Sacram. tract. 17. cap.2. num.19.* & Graffius *lib.2. cit. cap. mihi, 34. numer.8.* ita dicens: Vtrum autem audiantur, vel non audiantur distinctè verba Missæ, hoc non cadit sub præcepto. Alioquin præceptum non adimpleret Surdus, & qui in magna Ecclesia Sacerdotem à longè spectaret, licèt non audiret. Sic ille. Et omnes communiter.

QVÆSTIO LCVIII.

An Cæci, vel Surdi, teneantur ad Missam audiendam?

REspondeo, Tanquam certum: Teneri. Quia huiusmodi, optimè possunt interesse Missæ, humano, & religioso modo; aut (quod idem est) mente, & corpore: at hoc est audire Missam, vt habitum est; ergo ad id tenentur. Sic Nauarr. *cap.21. n.8.* Azor *lib.7. cap.3. quæst.4.* Toletus, & Ægidius *loc. citat.* Bonacin. *disput.4. de sacrif. Missæ, quæst. vlt. punct.13. num.19. & 20.* Llamas *loc. cit. cap.5. §.9.* Fagundez *de 1. Eccles. præcept. lib.2. cap.6. num.18. & cap.7. n.2.* Lugo *disp.22. num.19.* Bassæus, *v. Missa, 8. n.5.* Dicastillo *loc. cit. num.28.* Gesualdus, & Graffius, *loc. cit.* Diana *p.5. tract.6. Resol.8.* & omnes.

QVÆSTIO LCIX.

An etiam, qui simul est Surdus, & Cæcus, teneatur audire Missam?

NEgat absolutè Llamas *loc. cit.* per hæc verba: Qui autem duobus sensibus, visu, scilicet, & auditu, careret, ad hoc præceptum non teneretur, sicuti impotens omnino. Ita ille.

Sed, certissimè ferè, Respondeo: Etiam teneri. Quia huiusmodi Surdus, & simul Cœcus (præcipuè si à Natiuitate talis non sit) optimè potest audire Missam, cùm possit illi mente, & corpore interesse: ergo ad id tenetur. Sic Fagundez *lib.2. cit. cap.7. num.3.* docens, id esse verum, loquendo etiam de illo, qui non solùm est Surdus, & Cœcus, verum & Mutus. Sic enim ait: Hinc patet euidenter teneri illum, qui

simul

Digitized by Google

simul est Mutus, Surdus, & Cæcus, Missam audire; cùm moraliter loquendo, sensu aliquo externo præsentialiter adesset, & ad id, quòd fit, posset attendere, idque percipere. Sic ille.

QVÆSTIO C.

An, vt quis præcepto Missæ satisfaciat, debeat esse intra Ecclesiam, in qua Missa celebratur?

AFfirmare videtur Filliuc. *tom.1. tract.5. num.*209. dum hæc ait: Qui domi è regione v.g. fenestræ, vel portæ Ecclesiæ, Missam audit, vel videt, non dicitur moraliter præsens, ideò nec satisfaciet. Ita ille. Et ex illo Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.5. n.13.* & Machado *lib.2. part.4. tract.1. docum.3. n.3.* cuius verba infrà *q.*102. referam. Gesualdus *de Sacram. tr.17. cap.2. n.*34. Qui citat pro se Bonacinam *tom.1. disp.4. q.8. p.12. num.*4. Sed omnino malè: quia de hac quæstione nil Bonacina agit. Solùm namque in noua editione addit, & notat, extare decretum Sacræ Congregationis, quo cauetur, vt licentia celebrandi Missam in priuato Oratorio concedatur cum hoc onere, vt solùm priuilegiatus, & ipsius familiares satisfaciant præcepto, audiendo diebus festis Missam in præfato Oratorio; alij verò non satisfaciant. Hæc ibi Bonacina. Sed non ad propositam quæstionem. Vnde ad illam resoluendam,

Respondeo, tanquam mihi certum: Quòd, vt quis Missæ præcepto satisfaciat, non debeat necessariò esse intra Ecclesiam, in qua Missa dicitur. Quia optimè potest quis, stando extra Ecclesiam, dici, & esse, moraliter præsens corpore, Missæ, quæ intra Ecclesiam celebratur, cùm facilè possit, aliquo modo cognoscere quid celebrans agat, & in qua parte Missæ versetur: ergo, stando extra Ecclesiam, optimè potest quis audire Missam; & consequenter satisfacere præcepto. Sic Hurtado *disputat.5. de sacrif. Missæ diff.*1. per hæc verba: Nomine autem audiendi Missam, quod præcepto, seu iure Ecclesiastico, præcipitur, intelligitur assistentia corporalis, & moralis, quâ quis corporaliter, & humano modo assistat, seu adsit Missæ, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel saltem, ita comitando, seu sociando alios videntes, aut audientes, quamuis sit extra Ecclesiam (vt contingit quando locus in quo Missa celebratur, non capit multitudinem confluentem ad audiendam Missam) & ex signis, & gestu, aliqua Missæ colligere possit, & ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere. Sic ille. Reginald. etiam *lib.*1*9*. *n.*12. Lugo *de Sacram. disp.22. num.*20. Portel, & Diana, vbi infrà. Pasqualigus *in decis. moral. decis.*173. *n.*4. Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. n.*43. *in fine*, & Lublinus, & alij statim citandi.

QVÆSTIO CI.

An satisfaciat præcepto, qui ex atrio, aut Cæmeterio Ecclesiæ, Missam audit?

NEgabunt consequenter Filliuc. Trullench, Gesuald. & Machado, si in suis sententiis permaneant, vt constat ex nuper relatis.

Sed certissimè Respondeo: Satisfacere, si ex atrio, aut Cœmeterio videat, cognoscatve aliquo modo quid celebrans agat. Quia in hoc casu, talis verè dicitur esse præsens moraliter corporaliter Missæ: ergo, & satisfacere. Sic Portel, *in Addit. ad dub. regular. verb. Indulgentia, num.*7. Vbi ita ait: Nam existentes in atrio habent assist. etiam moralem ad diuina officia; ita vt non valentes intrare, ex atrio, Missæ audiendæ præcepto satisfaciant; vt patet in Ecclesiis campestribus, quæ aliquando sunt paruæ, & populus multus. Sic ille. Reginald. & Hurtado *loc. cit.* Diana *p.4. tract.4. Resol.154. in fine*, & penes illum, Gordonus *tom.2. lib.6. quæst.7. cap.2. §.3. num.*12. Sic etiam Dicastillo, *vbi suprà, num.*59. & Lublinus, *verb. Festum, num.*13.

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

QVÆSTIO CII.

An satisfaciat præcepto, qui, quando Missa celebratur in aliqua platea, seu vico, è fenestra domûs illam audit?

REspondeo, Tanquam certum: Satisfacere; modò videat, vel aliquo modo intelligat quid Sacerdos agat. Quia sic verè est præsens moraliter Missæ, quæ in platea celebratur. Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.5. num.13. in fine.* Ex Filliucio *tract.5. cap.7. num.*209. & innuit Dicastillo *loc. cit. num.*59. & alij.

QVÆSTIO CIII.

An etiam satisfaciat, qui Missam, quæ in Ecclesia celebratur, è fenestra domûs suæ, audit?

NEgant expressè Filliuc. *loc. cit.* & Trullench. Quorum verba (eadem enim sunt) habes sup. *q.*100. Quibus addi possunt Diana, *p.4. tract.4. Resol.*154. Portel, *v. Indulgentia, n.8. cit.* & (ni fallor) Machado, *lib.2. p.4. tract.1. docum.3. n.*3. Cùm hanc opinionem in vltimo referat loco, ita dicendo: [Si bien Filiucio, y otros graues Authores son de contrario parecer; porque no parece que està moralmente presente el que oye la Missa desde la ventana de su casa, o desde fuera de la Iglesia.] Ita ille.

Sed probabiliùs multò, Respondeo: Etiam satisfacere; dummodo è dicta fenestra, possit videre, aut audire, aut aliquo modo cognoscere, quid in Missa agat Sacerdos. Quia sic audiens, verè dicitur adesse Missę presens moraliter; eodem modo, ac dicitur, adesse præsens ille, qui, è fenestra domûs suæ, audit Missam quæ in platea celebratur: ergo si iste, in sententia Filliucij, & Trullench, adimplet præceptum; etiam ille alios adimplebit. Nec refert ad propositum, quod inter fenestram, & Ecclesiam, mediet, aut non mediet vicus; si etiam, hoc mediante, possit quis è fenestra Missam audire, vt casus supponit. Sic Lugo *disp.22. cit. num.*21. dicens hæc: Quia potest contingere esse adeo vicinam fenestram Altari, vt moralem presentiam non impediat; prout de facto in hoc nostro Collegio Romano habemus sacellum priuatum, cuius Altare à fenestris domûs aduersæ, non plusquam triginta passus distat, & proinde ab illa fenestra audiri potest, vel percipi Missa, licèt via publica intercedat, ac si intra Ecclesiam paruam audiretur ab aliquo ibi existente. Videtur autem fauere huic doctrinę P. Iac. Gordonus *tom.2. Theol. Moral. lib.6. q.7. c.2. §.3. n.*12. Hucusque Lugo. Cuius sententiam sequitur Dicastillo, *tract.5. de Sacram. disp.5. dubit.4. n.*59. & dicit probabilem Machado. Fauetque satis Zacharias Pasqualigus *in suis decis. moral. decis.*173. Vbi affirmat, verè satisfacere præcepto, illum, qui ex aliqua fenestra muri, aut alio loco simili, assistit Missę, quę in Oratorio aliquo celebratur. Legantur Diana *p.10. tract.1. Resol.7. in fine*, & iterum *tract.14. Resol.*47. & alij quos citat.

QVÆSTIO CIV.

An qui, existentes in Choro structo post Altare, Missam audiunt, satisfaciant praecepto?

NEgat Llamas, 3. part. *Method. cap. 5. §. 9.* ita dicens: Et sic, qui esset trans parietem vbi Missa celebratur, etiam trans illum, cui hæret Altare, Missam non audit, neque præcepto satisfacit, etiamsi verba audiret, dummodo nihil videret. Ita ille.

Sed probabiliùs longè, imo tanquam certum, Respondeo: Satisfacere, etiamsi nihil Altaris videant; dummodo, vel verba celebrantis audiant; aut aliquo alio signo cognoscant, quid Sacerdos agat, aut in qua parte Missæ versetur, Quia sic verè dicuntur præsentes esse moraliter, imo & physicè, Missæ sacrificio. Sic Lugo *disput. 22. cit. sect. 2. num. 20.* per hæc verba: Ad hoc autem, vt dixi, non requiritur videre Altare: nam Religiosi, qui in Choro cantant, non vident Sacerdotem, iuxta vsum Romanum, vbi Chorus Regularium haberi solet post Altare maius, muro interposito; & tamen satisfaciunt præcepto: quia re vera assistunt moraliter illi sacrificio, & vident partem posteriorem Altaris Choro correspondentem. Sic ille & antea Gordonus *tom. 2. cit. lib. 6. q. 7. c. 2. num. 12.* & Reginald. *lib. 19. num. 12.* vt eius verba statim referenda, apertè demonstrabunt.

QVÆSTIO CV.

An etiam satisfacerent præcepto, qui existentes post parietem Ecclesiæ, Missam audirent?

NEgat Llamas *loc. cit.* Et negare tenentur Filliuc. Trullench, & Machado, vt colligitur ex doctrina eorum tradita suprà *q. 100. & 102.*

Sed probabiliùs respondeo: Etiam satisfacere, dummodo aliquo signo, aut quouis alio modo cognoscant, quid Sacerdos in Missa agat. Quia, vt quis satisfaciat præcepto audiendi Missam, non est necesse, quòd ingrediatur Ecclesiam, sed quòd moraliter accedat ad illam, ad Missam audiendam, non enim de ratione accessûs, est ingressus ad quem acceditur; at sic est, quòd illi, qui existentes post parietem Ecclesiæ audiunt Missam, modo prædicto, accedunt ad Ecclesiam, & assistunt Missæ cum sufficienti præsentia morali: ergo. Sic Reginald. *num. 12. cit.* per hæc verba: Neque obstat quòd maneat post Altare, aut post parietem, etiam extra Ecclesiam (vt fieri solet, cùm locus capax non est totius multitudinis, quæ ad audiendum confluxit) dummodo moraliter censeri possit de numero esse eorum, de quibus in Canone Missæ dicitur; *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Sic ille. Cui consonat Gordonus *loc. cit.* & tenet expressè Lublinus *verb. Festum, num. 13.* Legatur Diana *part. 10. tract. 14. Resol. 47.*

QVÆSTIO CVI.

An si dicatur Missa in alta turri, satisfaciat præcepto, qui foris assistit illi?

NEgat Fagundez *lib. citat. cap. 7. num. 3.* per hæc verba: Si tamen Missa diceretur in alta turri, non satisfaceret illius præcepto, qui foris assisteret, nihil videns, audiensve: nam is re vera non assisteret, quia assistentia, quæ requiritur ad Missam audiendam, est quædam assistentia (vt dixi) seu præsentia moralis: est autem præsentia moralis illa, in qua percipitur sensu aliquo externo id, quod fit. Ita ille.

Sed probabiliùs, & distinctiùs, Respondeo dicendum. Quòd præfatus, verè possit satisfacere præcepto Missæ, adhuc dato casu, quo nec Sacerdotem videat, nec audiat; dummodo aliqua ratione intelligat quid in Missa celebrans agat, aut in qua parte versetur. *Primò.* Quia hoc solùm sufficere, & esse necessarium ad impletionem præcepti audiendæ Missæ, sæpè diximus.

Secundò, id probo ex doctrina ipsiusmet Fagundij. Quia ipse concedit (& bene) quòd ille, qui in magna frequentia pone aliquam Ecclesiæ columnam, Missam audit, verè satisfacit illius præcepto; quamuis nec Sacerdotem videat, nec verba illius audiat; tamen is (inquit Fagundez) & surgit, & assurgit, & genuflectit, ac pectus tundit cum aliis; & ita assistit, & præsens est, vt moraliter loquendo attendere possit ad id, quod fit. Ita ille, & post illum, Hurtado, & Lugo, quos sequitur Dicastillo, *num. 59. cit. in fine.* Nunc ego: Ergo similiter, etiam satisfaciet præcepto Missæ audiendæ, ille, qui extra turrim existens, eodem, vel diuerso modo, attendit, quid à Sacerdote celebrante fit, etiamsi nec illum videat, nec audiat.

QVÆSTIO CVII.

An vt quis satisfaciat præcepto Missæ, sufficiat quòd sit præsens intra eandem Ecclesiam, in qua dicitur; & habeat intentionem audiendi illam?

NEgat ex parte Lugo *disp. 22. cit. num. 20.* ita dicens: Poterit aliquis dici præsens Missæ, quando est pars multitudinis, quæ dicitur præsens, & coniungitur moraliter cum aliis, qui sunt in conspectu altaris; dum tamen distantia, etiam tanta non sit, vt iam extrahat illum ab humana præsentia. Non sufficit ergo esse aliquem intra eandem Ecclesiam: v. g. si in aliquo Altari fiat Missa priuata in basilica Romana S. Petri, non sufficit si aliquis intra eandem Ecclesiam habeat intentionem audiendi illam Missam, quam scit tunc dici in aliquo loco eiusdem Templi: sicut nec è contrà, requiritur esse intra Ecclesiam, vt audiri possit Missa, quæ in ea dicitur: sed totum hoc regulandum est per prudentis arbitrium ad iudicandum, an homo dicatur moraliter præsens illi actioni, ita vt humano modo dicatur illi assistere. Ita Lugo. Et etiam Dicastillo, *num. 43. in fine.*

Sed ego, cum distinctione aliqua, Respondeo dicendum. Quòd licèt sit verum, quòd absolutè loquendo, non sufficiat, esse aliquem intra eandē Ecclesiam, cum intentione audiendi Missam, quæ in illa dicitur, ad satisfaciendum præcepto; vt si quis (v. g.) esset iuxta portam Basilicæ Romanæ Sancti Petri, & diceretur aliqua Missa priuata in aliquo Altari valde à porta remoto, ita vt nullo modo posset videre neque audire Celebrantem; nec ex aliquo alio signo cognoscere quid in Missa ageret; tunc certè iste talis, sicut non diceretur esse præsens moraliter; ita nec satisfacere præcepto. Nihilominus tamen, non est hoc ita absolutè verum, quòd non possit contingere contrarium, adhuc loquendo in casu, quem assignat Lugo. Nam si quis existens iuxta portam Basilicæ S. Petri haberet intentionem audiendi Missam, quæ solemni ritu celebraretur in Altari maiori, tunc re vera, si aliquo sensu perciperet quid in Missa ageret Sacerdos, verè diceretur assistere, morali præsentiâ, tali Missæ, & consequenter satisfacere præcepto, etiamsi magna intercedat inter audientem Missam, & celebrantem distan-

Digitized by Google

distantia. Rursus, si huiusmodi audiens coniungeretur multitudini, quæ esset præsens moraliter Missæ, & efficeretur pars illius; ita vt esset verum dicere, esse de numero eorum, de quibus in Canone Missæ dicitur: *Et omnium circumstantium*: Tunc re vera, quantumuis Missa diceretur in Altari valde remoto, & esset priuata, verè diceretur moraliter præsens illi, ac proinde satisfacere, quamuis nec Sacerdotem videret, nec audiret; quia sufficeret ei, esse partem multitudinis, quæ moraliter est præsens, surgere, & genuflectere, ac pectus tundere cum aliis, &c. Lege Dianam *part.10.tract.14.Resol.47.* vbi refert hanc meam sententiam, & transiit.

DISPVTATIO II.

De Causis excusantibus, ab audienda Missa præcepta.

QVÆSTIO I.

An dentur aliquæ causæ, ab auditione Missæ excusantes?

RESPONDEO, Tanquam certum: Dari. Quia hoc præceptum est de iure positiuo Ecclesiastico: ergo possunt dari aliquæ causæ, quæ excusent fideles ab adimpletione illius. Sic omnes Doctores. Nauarr. *in Man. c.21. à num.3.* D.Anton. *2.part.tit.9.c.10.§.2.* Caietan. *2.2. q.122. art.4.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.1. & lib.2. de iust. quæst.4.* Syluester *Missa 2. §.1. & 2.* Tabiena *§.46.* Angelus *verb. Feria, num.42.* Suarez *tom.3. in 3.part. disputat.88. sect.6.* Henriquez *lib.9. cap.25.* (non 21. vt inuenies apud Bassæum) *num.10.* Toletus *lib.6.cap.8.* Grassius *lib.2. decis. cap. mihi 35. num.1.* Molfesius *in summ. tractat.3. cap.17. à num.51.* Fagundez *de 1. precept. Eccles. lib.2. cap.8. & 9.* Azor *1.part. lib.7. cap.7.* Filliuc. *tract.5. cap.7. à numero 224.* Reginald. *lib.19. à num.16.* Ægid. *quæst.83. art.6. dub. unico, in fine.* Iodocus *tom.1. verb. Missæ auditio, §.50.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.6.* Bassæus *verb. Missa 7.* Petr. Ledesma *tom.1. summ. cap.27. conclus.16.* Villalob. *tract.8. diffic.36.* Machado *lib.2. summ. part.4. tract.2.* Rodrig. *1.part. summ. c.122. aliàs 123.* Bonac. *disputat. vltim. quæst. vltim. punct. vltim.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.10. à n.127.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. c.2. n.35.* & alij.

QVÆSTIO II.

Quot, & quales sunt causæ, quæ excusare possunt fideles, ab obseruatione huius præcepti?

RESpondeo, Quòd variæ à variis nominantur Authoribus. Nam alij quatuor; alij quinque; alij verò sex causas excusantes assignant. Ego verò cum aliis, septem assigno. Sunt autem, Impotentia, Nocumentum, Ignorantia, Consuetudo, Obedientia, Pietas, & Bona fides. De quibus omnibus nunc.

QVÆSTIO III.

An impotentia, tam physica, quàm moralis, excuset ab audienda Missa?

REspondeo: Excusare. Quia nemo ad impossibile tenetur. Vt tradunt omnes Doctores *ex l. si quis in graui, in princ. ff. ad Syllan. l. si stipuler, ff. de verb. obligat. l. Paulus, ff. quæ sentent. sine appellat. resc.* Et est axioma iuris: de quo Augustinus Barbosa *in expositione Axiomatum Iuris. Axioma 118. n.7.* & penes illum, Oldrad. Iacobus de Leon, Surdus, Flamin. Bellet, Tuschus, & alij.

QVÆSTIO IV.

An qui personaliter est interdictus, vel excommunicatus, excusetur ab audienda Missa in festo?

NEgant nonnulli, quos tacitè refert Azor, *vbi infrà*, existimantes, quòd huiusmodi abstinentes se ab auditione Missæ, denuò culpam contrahant, ac mortaliter peccent.

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Omnino excusari; & consequenter nullo modo, peccato nouo se astringere, Missam non audiendo. Quia nemo obligatur ad id, quod absque peccato facere nequit: Sed sic est, quòd, qui est personaliter interdictus, aut excommunicatus, nequit absque peccato Missæ assistere: ergo ad id non obligatur: ergo si ad audiendam Missam non obligatur, non peccabit illam omittendo. Quod quidem verum censeo, quamuis quis suà culpà talem censuram contraxerit; quia quamuis in eo peccauerit, tamen postquam iam est factus impotens ad audiendam Missam, non peccat non audiendo. Sic communiter omnes. Angel. *verb. Missa, num.57.* Syluest. *eo verbo. num.1.* Nauarr. *cap.21. num.3.* Suarez *disp.88. cit. sect.6. vers. Prima igitur.* Azor *1.part. lib.7. c.7. quæst.1.* Henriquez *lib.9. c.25. num.11.* Reginald. *lib.19. num. 16. vers. Postremo.* Fagundez *lib.2. cit. cap.8. num.1.* Bonacina *disp.4. de Missæ sacrif. quæst. vltim. punct. vltim. num.18. & 19.* Scortia *lib.2. de sacrif. Missæ, cap.20. num.8.* Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.6.* Layman *tract.7. cap.4. num.3.* Bartol. ab Angel. *verb. Missa, num.827.* Iodocus *verb. Missæ auditio, §.50. vers. Primò excusantur.* Grassius *loc. cit. num.4.* Trullench *loc. cit. dub.7. num.17.* Filliuc. *loc. cit. num.225.* Philibertus *tract.2. de sacrif. Missæ, part.3. cap.17. num.3. & 17.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.45.* & alij citati, & citandi.

QVÆSTIO V.

An saltem, si huiusmodi excommunicatus, aut interdictus, facilè possit absolutionem à censura obtinere, excusetur à præcepto Missæ, si illam non obtineat?

NEgant, in dicto casu, excusari à præcepto; ideoque, aiunt, nouam culpam committere, dictum excommunicatum, aut interdictum non audiendo Missam, Nugnus *in 3. part. q.83. art.6. post secundum dub. vers. Dubium tamen.* Quem sequuntur aliqui Recentiores.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Etiam in hoc casu excusari à præcepto audiendæ Missæ. Quia hoc præceptum, solùm obligat eos, qui non sunt impediti: at sic est, quòd prædictus excommunicatus, aut interdictus, est impeditus ab Ecclesia participare in

diuinis: ergo. Secundò. Quia Ecclesia non obligat eum, qui censurâ est innodatus, absolutionem censuræ acquirere, vt Missam audiat; cùm potiùs priuet eum auditione Missæ in pœnam peccati: ergo nullo modo peccabit mortaliter, contra hoc, de audienda Missa, præceptum, non audiendo illam. Sic omnino Bonacina *loc. cit. num.* 22. & *de censuris disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. §. 1. *num.* 4. Et (penes illum) Nauarr. *cap.* 21. *num.* 3. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 13. §. 13. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. Aula 2. *part. cap.* 6. *disp.* 4. *dub.* 7. Suarez *disp.* 88. *sect.* 6. Ægidius *disp.* 14. *dub.* 7. *num.* 56. Azor *loc. cit.* Sà *ver. Missæ auditio, n.* 3. & Naldus *verb. Missa, num.* 19. Quibus addi possunt, Hurtado, Scortia, Philibert. Ledesma, Villalob. Fagundez, Graffius, Trullench, & alij *loc. cit.* Diana *part.* 9. *tract.* 9. *res.* 88. Dicastillo *disp.* 5. *cit. dub.* 10. §. 2. *num.* 144. & 149. Gesualdus *loc. cit. num.* 46.

An autem: Qui non procurat absolutionem à Censuris, vt Missam audiat, peccet aliquo alio peccato, quod non sit contra præceptum audiendi Missam, dicemus alibi: Nunc sufficiat dicere, quod affirment nonnulli, negent alij.

QVÆSTIO VI.

An commorantes in loco interdicto, excusentur à præcepto audiendi Sacri; casu quo commodè possint ire ad locum non interdictum?

AFfirmat Llamas 3. *part. Methodi, cap.* 5. §. 11. *pag.* 492. vbi quæstioni propositæ, per hæc respondet verba: Scio tempore Ioann. And. supra cap. Alma de sent. excom. in 6. & Archidiac. iam hanc quæstionem fuisse motam, illo asserente, isto negante: nos verò dicimus, quòd, re benè, & in rigore perspecta, nemo tenetur ex vi præcepti, ad audiendam Missam extra suam ciuitatem; imo neque extra suum locum: ampliùs dixerim, neque extra suum pagum, siue vicum ire: nam præcepta iuxta communem sensum, & consuetudinem sunt intelligenda, vt habetur *l. De quibus ff. de legibus*: at communi omnium consensu, si Missa deest in proprio loco, nemo se teneri existimat adire in alium; & qui abit, credit se ex supererogatione operari. Huc vsque Llamas. Et idem sentit Aula *de Censur. part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 6. *concl.* 2. vbi sic ait: Nam si diceretur Missa in aliqua Ecclesia, in tali distantia, quòd non comprehendatur intra continentia mœniorum, quamuis distantia non sit tanta, vt de obligaret homines ab audienda Missa, quando non est interdictum, non tenentur homines illuc ire, tempore interdicti ad audiendam Missam. Ita Aula.

Sed, probabiliùs multò longè Respondeo: Nullo modo excusari à præcepto audiendi Missam, casu, quo dicti queant ire, absque graui incommodo, ad locum non interdictum. Ratio est. Quia personæ loci interdicti, optimè possint audire Missam in loco non interdicto, vt omnes Doctores fatentur: ergo si possunt ad hunc locum adire, ad audiendam Missam, absque graui incommodo, tenetur. Sic communiter Doctores. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 4. vbi nostræ quæstioni respondet: sic respondeo, eò so conferre, vt rem diuinam audiat, debere, si commodè queant; secus verò minimè; vt puta si huiusmodi templum procul absit ab vrbe, vel oppido, aut si paruum sit sacellum, quod plures simul capere non possit, & iam ante alij occuparunt, & repleuerunt. Sic Azor, Hurtado etiam, *disp.* 5. *de sacrif. Missæ diff.* 7. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 24. & *dub.* 7. *n.* 17. Bonac. *disp.* 5. *de interdicto, punct.* 1. & *disp.* 4. *de sacrif. Missæ q. vltima punct. vltimo, n.* 21. Qui cum aliis docent, quòd fideles non teneantur tempore interdicti procurare priuilegium audiendi Missam. Quod cum Henrico Henriquez testatur Dicastillo *disp.* 5. *cit. n.* 158. *pag.* 955.

QVÆSTIO VII.

An excusentur à præcepto Missæ, tempore interdicti, qui habent priuilegium, vt audire possint Missam tempore prædicto interdicti?

AFfirmant (penes Dianam (Aula *de Censur. p.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 6. vbi affirmat hoc ipsum docuisse Victoriam, & Canum. Llamas *in summa part.* 3. *cap.* 5. §. 11. Alternus *de Censur. tom.* 2. *disp.* 2. *de interdicto cap.* 3. *in fine.* Ægidius *de Sacram. disp.* 19. *n.* 28. Ledesma *in summ.* 1. *part. cap.* 27. & Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 6. Quos omnes pro hac parte citat, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *Resol.* 2. & *part.* 4. *tr.* 4. *Resol.* 80. Sed an bene hos omnes Doctores pro sua sententia citet, statim videbimus. Affert etiam Fagundius pro hac parte Emanuelem Rodriguez 1. *p. summ. cap.* 249. *num.* 14. Ludouicum Lopez 1. *p. instruct. cap.* 79. *vbi de Euchar. pag.* 99. Aulam, Llamam & Lesdemam, locis à Diana citatis. Sed ex his Authoribus, malè citantur pro hac parte Suarez, Ledesma, & Rodriguez, vt infrà. Vnde,

Longè probabiliùs Respondeo; Non excusari; sed potiùs obligari ad audiendam Missam diebus festis. Quia hoc præceptum Missæ audiendæ obligat omnes, qui Missam audire possunt; at qui tempore interdicti habent priuilegium missam audiendi, possunt illam audire: ergo ad id tenentur. Sic Suarez *disp.* 88. *cit. sect.* 6. *vers. solet etiam.* Vbi contrariam opinionem vocat practicè improbabilem, his verbis. Propter hoc aliqui censent partem negatiuam probabilem: sed mihi non videtur practicè probabilis. Vnde non est dubium, quin habens hoc priuilegium teneatur Missam audire, vt tenent Nauarr. *cap.* 21. *num.* 3. Soto *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. & *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Et ratio est, quia interdictum in tantùm excusat ab obligatione audiendi Missam, in quantùm ponit impedimentum ad audiendam illam: ergo quacumque ratione hoc impedimentum tollatur, obligatio præcepti suam vim retinet, & tollitur excusatio. Huc vsque Suarez. Vt videas quàm malè citetur à Diana pro parte contraria. Sic etiam Petr. Ledesma *cap.* 27. *post.* 16. *concl. pag. mihi* 185. respondens nostræ quæstioni, per hæc verba: [A esta duda se responde que muy mas probable es, y casi cierto, que està obligado à oyr Missa.] Sic ille. Malè ergo citant illum Diana, & Fagundez. Sic etiam Rodriguez *ad Bullam* §. 5. *dub.* 1. *num.* 6. & *in summa cap.* 123. *n.* 9. vbi ita dicit: [Y nota, que en tiempo de entredicho, nadie puede oyr Missa, si no es por razon de algun priuilegio, y los que le tienen, obligacion tienen de oyrla, como lo expliqué en la declaracion de la Cruzada.] Sic Rodriguez. Nec *in cap.* 249. *num.* 14. vbi citatur à Fagundio, oppositum docet; quia in hoc capite, nec verbum de hac re dicit, nec habet numeros, nisi quatuor: Ex omni ergo parte, citat illum malè Fagundez pro opposita parte. Sic etiam Ludouic. Lopez *eodem cap.* 79. quo pro opposita sententia citat illum Fagundez *vt infra.* Sic tandem Nauarr. & Sot. *loc. cit.* à Suario; Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 11. dicens falsum esse oppositum. Azor *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 5. Reginald. *lib.* 19. *num.* 16. *in fine.* Nugnus *in* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *versus fin.* Bonac. *disp.* 4. *de sacrif. Missæ, quæst. vlt. punct. vlt. num.* 23. &

disp. 5.

Digitized by Google

disp.5. de interdicto, punct.4.n.19. Sà *verb. auditio Missæ.num.4.* Hurtado *disp.5.de sacrif. Missæ, diff.6. & tract.de interdicto, num.21.* Tannerus. *in 2.1.disp.5. q.6. dub.1. num. 25.* Sancius *in selectis disp.15. num.2.* Lugo *de Sacram. disp.22. num.13.* Barbosa *in Collectan. tom.2.lib.5.tit.33. cap.25.n.7.* Acosta *in explicat. Bullæ q.28.* Cenedo *in qq. Cano. q.44.* Moure *in Examine Theol. Moral. par.3. cap.9. §.3. num.1.* Scortia *lib.2. de sacrif. Missæ, cap.20. num.8.* Villalob. *1.p. tract.8. diff.36. & tract.19. num.14.* Philibert. *3.p. eu. cap.17. num.4. pag. mihi 451.* Fagundez *de prac. Eccles.lib.2.cap.9. num.8.* (vbi citat pro hac parte Ludouicum Lopez, & Ledesmam, eisdem locis, in quibus pro opposita citauerat.) Valdes etiam *tract. de Eleemosyna 1.p. vers. Quæritur.* Vmaldum *2.p. Candelab. tit.de interd. n.310.* Medinam *1.p. sum. cap.11. §.13.* Antonium *de Campis tract. de Cessat. à diuinis, n.40.* & Gomez *de Bulla ad 5. & 6. Clausulam.* tenent insuper, hanc sententiam, Trullench. *in exposit. Bullæ, lib.1. §.3. dub.6. num.2. & lib.3. in Decalog. c.1. dub.5. n.24.* Filliuc. *tract.5. c.7. n.225.* Bassæus, *v. Missa, 9. n.6. in fine.* Lublinus *1. p. summ. v. interdictum, num.29.* Tolet. *lib.6. c.9. num.1.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. n.159.* Molfes. *in sum. tract.3. cap.17. num.54.* Gesuald. *de sacram. tract.17. cap.2. num.47.* & communis.

QVÆSTIO VIII.

An excusetur ab audienda Missa, qui non habet aliam Sacerdotem nisi excommunicatum; toleratum tamen, & non denunciatum?

RESpondeo: Non excusari. Quia licitè potest ab illo audire Missam. Nam post Concilium Constantiense, & Extrauagantem Martini V. nullo modo tenemur vitare excommunicatos toleratos, adhuc in Sacramentorum administratione, aut receptione, aut in communicatione in diuinis: ergo si licitè possunt fideles ab illis audire Missam, ad id tenebuntur. Sic omnes DD. Legantur Suarez *tom.5. de Censur. disp.11. sect.4.* Sotus *in 4. dist.13. q.1. art.9.* Fagund. *de 1. Eccles. prac. lib.2. c.5. à n.18.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An saltem, excusetur, qui non habet alium Sacerdotem, præter excommunicatum, nominatim denunciatum?

RESpondeo, Tanquam certum: Excusari, in hoc casu, à Missa audienda. Quia nemo potest obligari ad id, quod sine peccato præstare non potest: Sed sic est, quòd nemo potest communicare in diuinis cum excommunicato iam denunciato, absque incursione peccati mortalis, vt omnes docent: ergo, qui non habet alium Sacerdotem, nisi præfatum, verè excusabitur à Missa audienda. Sic D.Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. art.4. q.3. ad 2.* Nauarr. *cap.27. n.20.* Siluest. *v. excommunicatio 4. num.5.* Henriquez *lib.9. cap.24. num.23.* Suarez *loc. cit.* Azor. *1.p. lib.7. cap.7. q.15. col. 720.* Scortia *lib.2. de sacrif. Missæ, cap.20. num.8.* Bonac. *disp.4. cit. quæst. vlti. punct. vlt. n.29.* Fagundez *c.5. cit. n.25.* Villalob. *tract.8. diff.36. n.9.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.28.* Molfesius *tract.3. cit cap.17. num.53.*

QVÆSTIO X.

An item, excusetur ab audienda Missa qui non habet alium Sacerdotem, nisi publicum percussorem Clerici?

RESpondeo, Etiam tanquam certum: Excusari. Quia post Concilium Constantiense, & Extrauag. Martini V. etiam tenemur vitare publicum, ac notorium percussorem Clerici: ergo si præter hunc, quis non habet Sacerdotem alium, liber erit ad audienda Missa. Sic omnes. Legantur citati; præcipuè Fagundez *cap.5. cit. à num.1.* vbi latè declarat, quis censeri debeat publicus, & notorius Clerici percussor, dicitque illum censeri talem, cuius percussio, nulla possit tergiuersatione celari, nulloque iuris remedio excusari. Legantur etiam Couarr. *in cap. Alma mater, 1.p. §.2. n.7.* Molfesius *in sum. tract.3. cap.17. num.53.* & alij suprà citati.

QVÆSTIO XI.

An etiam excusetur, qui non habet alium Sacerdotem, nisi personaliter interdictum?

AFfirmant Azor *tom.1. lib.7. cap.7. q.15.* Faber, *de Censur. dist.15. q.1. disp.5. cap.2. num.47.* Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vltim. punct. 12. num.1. & punct. vltim. num. 20.* Molfesius *loc. cit.* & alij, eo quòd existiment, neminem absque peccato audire Missaum à Sacerdote personaliter interdicto posse.

Sed æquè probabiliter Respondeo: Non excusari. Quia æquè probabile est, quòd possit quis licitè audire Missam à Sacerdote personaliter interdicto; dummodo, non sit simul nominatim excommunicatus; nec inducat illum ad dicendam Missam; nec ei communicet in Missa administranda; sed duntaxat ei assistat. Nam in hoc casu, nec ius aliquod prohibet talem auditionem Missæ; nec adest species aliqua cooperationis peccato celebrantis: ergo licitè potest Missam prædicti Sacerdotis audire; & consequenter tenetur. Sic Mercerus *in 3. part. q.24. de interdicto, dub.3.* Filliuc. *tra.18. c.3. num.77.* ex Suario *disp.2. num.4.* Fagundez *de 1. Eccles. prac. lib.2. c.5. num.40.* Et id esse probabile affirmat Diana, *part.9. tract.10. Resol. 63.* & innuit Gesualdus *num. 28. citato*: Vbi docet, à quocumque Sacerdote posse quem audire Missam; præterquam à Sacerdote excommunicato publico, & declarato, siue degradato, & suspenso.

QVÆSTIO XII.

An saltem excusetur à Missa audienda, qui non habet alium Sacerdotem, præter publicum ac notoriam concubinarium?

AFfirmant Nauarrus *in Man. cap.25. num.78. & seq.* (non *cap.17. num.76.* vt inuenies citatum apud Machadum) & penes illum, D.Thomas *in quodlib.11. art.8.* Et cum illo omnes ferè antiqui. Card. Turrecrem. Panormitan. & alij. Salced. Bern. Diaz, & alij apud Fagundez *vbi infrà.* Quia existimant, non posse quem audire Missam à tali Sacerdote, nisi peccando mortaliter.

Sed iam probabilius Respondeo: Non excusari ab audienda Missa. Quia probabilius est, quòd iam possit quis licitè audire Missam à Sacerdote concubinario publico; cùm hic, post Concil. Constantiense, non sit vitandus. Sic Suarez *tom.5. de Censur disp.31.*

H 4 *sect.4.*

sect.4. Sotus *in 4. dist.13. q.1. art.9.* Gabr. Maior, & Adrianus, apud Nauarrum, Henriquez *lib.9. cap.25. num.13.* Couarr. *in cap. Alma 1.part.§.2. n.10.* Azor 1. *p. lib.7. cap.7. q.16.* Scortia *lib.2. de Missa cap.20. num.8.* Bonac. *disp.4. de Euchar. q. vltim. punct.12. n.1.* Fagundez *lib.2. cit. cap.5. num.42. & 50. & cap.9. num.13.* (vbi malè citat Nauarrum pro hac parte.) Aula *de Censur. disp.5. p.3. dub.2.* Saytus *lib.4. cap.16. num.24.* Garcia *de benef. part.7. cap.14. num.36. & 43.* Quos pro hac parte refert Machado *lib.2. part.4. tract.2. docum.3. in fine.* Ipse tamen, nec istos, nec alios contrarios, quos refert Authores, sequitur. Sic etiam Gesualdus *de Sacram. tract. 17. cap. 2. num. 28.* Molfesius *in sum. tract.3. cap.17. num.55.* & alij communiter.

QVÆSTIO XIII.

An infirmi, seu ægroti, excusentur ab audienda Missa?

RÉspondeo: Excusari, casu, quo prudenter timeant, si Ecclesiam adeant, aliquod damnum considerabile in salute aut moram in conualescentia. Sic omnes, præcipuè Ledesma *cap.27. cit. post 16. conclus.* per hæc verba: [Lo segundo se puede escusar, si vno teme quebra en la salud. Por esta razon se escusan los enfermos, nu solamente quando estan en graue enfermedad, que no se puedé leuãtar de la cama, ni uyr Missa; sinò tabien quando no la pueden uyr, ni leuãtarse de la cama sin algun detrimento de su salud que sea de algun momento; y aunque pueda, y aya commençadu à conualecer, si ay peligro de boluer à caer, ò que notablemente se tarde en cunualecer, està escusadu legitimamẽte de oyr Missa.] Sic ille & antea Caiet. *2.2. q.122. art.4. & in summ. verb. Festum,* Nauarr. *cap.21. num.3.* Sotus *in 4. d.13. q.2. art.1. ad finem.* Suarez *disp.88. sect.6.* Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Bonacin. *punct. vltim. cit. n.1.* Hurtado *disp.5. diff.6.* Scortia *lib.2. cit. cap.20. pag.164.* Fagundez *lib.2. cit. cap.9. num.2.* Tolet. *lib.6. cap.9. num.1.* Azor *lib.7. cap.7. q.1.* Reginald. *lib.19. n.16.* Philibert. *cap.17. cit. n.18.* Bassæus *v. Missa, 9. n.1.* Ausonius *in summa Dianæ, ver. Missam audire, n.17.* Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.9. num.4.* & Dicastillo *disp.5. cit. num.164. & 173.* Gesualdus *tract.17. cit. cap.2. num.38.* & omnes.

QVÆSTIO XIV.

An etiam ægroti conualescentes, excusentur ab audienda Missa?

REspondeo: Excusari etiam, quando timent, quòd exeundo domo ad Missam, incurrent periculum maioris morbi; non verò si id non timeant; aut iam ita sint fortes, vt ad alia negotia tractanda domo exeant: nàm in hoc euentu, non excusarentur ab audienda Missa, vt bene notant Ledesma, & Dicastillo, *loc. cit.* In casu verò, quòd Conualescentes dubitent an incurrant periculum morbi maioris, annò exeundo ad Missam; tunc debent petere consilium à Medico, vel à Superiori, vel Parocho, aut ab alio viro prudenti, nisi ipse talis sit, vt in hoc ferre etiam iudicium possit. Manente autem dubio, rectè potest (illo practicè deposito) non exire domo ad Missam, ne se exponat periculo maioris morbi. Sic ferè Bonacina, Trullench, Dicastillo, & Gesualdus. Et absolutè loquendo de prima parte nostræ conclusionis, sic docent omnes: præcipuè nuper citati.

QVÆSTIO XV.

An item, excusentur à Missa Ministri, seu, Custodes infirmorum?

AFfirmant multi absolutè, & absque distinctione vlla. Et imprimis Layman *lib.4. tract.7. cap.4. num.3.* dicit excusari, Qui infirmi sunt, & qui infirmis seruiunt. Iodocus *tom.1. verb. Missæ §.50.* dicit, quòd excusantur, Ministri infirmorum: & ita, eodemque modo, loquuntur Graffius *lib.2. decis. aur. cap.35. numero 5.* & alij: Sed certè, nimis confusè. Vnde,

Clariùs Respondeo: Excusari item, sicut excusantur infirmi, quibus seruiunt; non tamen semper, aut absolutè, sed solùm in casu, quo Custodes infirmorum, non habeant alios, quos ad custodiam infirmorum substituant: aut infirmi ita grauiter ægrotent, vt ope infirmariorum egeant: aut casu, quo timeatur, mœrore esse afficiendos, si à prædictis infirmariis deserantur. In his ergo casibus verè excusantur prædicti Custodes, aut Ministri infirmorum, aut infirmarij ab audienda Missa; non tamen casu, quo haberent alium socium; quem ad custodiam infirmi substituerent. Sic omnes. Nauarr. *cap.21. num.3.* D. Anton. *2. p. tit.9. cap.10. §.2.* Sotus *dist.13. q.2. art.1.* Suarez *disp. 88. sect.6.* Henriquez *num.10. cit.* Siluest. Angel. Armilla, Nugnus, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.3.* Azor, Hurtado, & Scortia, *loc. cit.* Villalob. *diff. 36. cit. num.6.* Ledesma *cap.27. cit. vers. la quarta manera.* Fagundez *lib.2. cit. cap.9. num.7.* Llamas *3. part. Method. cap.5. §.13.* Philibert. *loc. cit. n.19.* Bassæus *v. Missa 9. num.1.* Dicastillo *disp 5. citata num.189.* Gesualdus *loc. cit. num.38.* Molfes. *loc. cit. num.60.* Trullench. *loc. cit. num.4.* Filliuc. *tract.5. cap.6. num.227.* Qui vterque, cum Suario, addit; Quòd si quis, bona fide, Missam propter infirmos relinquat, etiamsi sua assistentia non esset admodum necessaria, rarò peccabit mortaliter; quia satis est, si sit vtilis, & quod bona fides excuset. Sic illi. Sed ego addo, & adimo limitationem eorum, dico absolutè; quòd nec rarò mortaliter peccabit; quia nunquam, stante prædicta bona fide, vt infrà.

QVÆSTIO XVI.

An qui in vinculis detinentur, excusentur à Missa?

REspondeo: Excusari. Quia non possunt illam audire. Sic omnes. Suarez *disp. 88. sect.6.* Azor 1. *p. lib.7. c.3. q.1.* Tolet. *lib.6. cap.9. num.5. vers. vltima causa.* Bonac. *disp.4. q. vltim. punct. vltim. num.13.* Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ diff.6.* Layman *lib 4. tract.7. c.4. num.3.* Ledesma *c. 27. post, 16. concl. vers. desta manera.* Henriquez *lib.9. c.25. num.11.* Filliuc. *tract.5. c.7. num.224.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.5. num.24. & dub.7. numero 12.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. num.164.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.36.* Ausonius *in summ. Dianæ. vers. Missam audire, numero 17.* Bassæus *v. Missa, 9. numero 3.* & alij. Qui idem dicunt de illis, quibus domus, loco carceris constituta est.

Quæ

QVÆSTIO XVII.

An saltem, si in Hospitali, aut carcere, dicatur Missa, teneantur illam audire infirmi, & incarcerati?

RESpondeo: Teneri, quia possunt, & sine incommodo, illam audire: ergo ad id tenentur. Sic communiter Doctores. Llamas *3. p. Metho. c. 5. §. 11.* vbi sic ait. Item excusantur clausi in carcere, quamuis vbi bona viget institutio, prouidetur de Missa in carceribus, vt ipsi audiant vincti, & tunc tenentur. Sic ille, & alij omnes.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam, si quis, diebus festis, è carcere soluatur, teneatur audire Missam?

RESpondeo: Etiam teneri. Quia iste optimè potest audire Missam ad implendum præceptum: ergo tenetur. Sic Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 11.* Ita dicens: Detentus in carcere, cui, solutis vinculis, datur licentia exeundi ad Missam, tenetur audire. Nam priuilegium, licèt non addat nouum onus præcepti, antiquum tamen præceptum obligat hunc actu, cui solutum est vinculum, & impedimentum: nec auditio Missæ est onus, & odium; sed fauor. Sic ille. Suarez *disp. 88. sect. 6. vers. solet etiam.* Trullench. *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 5. num. 24.* & omnes.

QVÆSTIO XIX.

An item, qui domi, per vim, vel ægritudinem, vel loco carceris, detinetur; si habeat ibi Oratorium approbatum, teneatur quærere Sacerdotem, vt ab eo ibi Missam audiat?

AFfirmant Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* (apud Dianam) Genedo *lib. de qq. Canon. quæst. 44. num. 11.* & Nunius, *quæst. 83. art. 6. prope finem, vers. Dico secundò,* casu tamen, quo commodè, aut saltem cum stipendio possit Sacerdotem adducere. Horum sententiam esse probabilem, expressè dicunt Ledesma, Dicastillo, Suarez, & Fagundez, *vbi infrà.*

Sed probabiliùs Respondeo, dicendum: Non teneri. Et quidem, si necessarium sit quærere Sacerdotem stipendiarium, certum est quòd nemo ad hoc teneatur; nam ratione præcepti solùm tenemur ad audiendam Missam, quæ in Ecclesia dicitur; non ad procurandam, etiam dato stipendio Sacerdoti. Deinde, quòd nec adhuc teneatur quærere Sacerdotem, quantumuis commodè, & sine stipendio id adipisci possit: probabilius est; quia nemo obligatur advtendum tali priuilegio, vt possit aliud præceptum Ecclesiasticum implere, vt bene probat Suarez *disp. 88. sect. 6. vers. Secundum caput.* Sic ille. Bonac. *punct. vltim. cit. num. 14.* Ledesma *cap. 27. post. 16. conclus. vers. Aesta duda,* Fagundez *de 1. præc. Eccles. lib. 2. c. 5. num. 9.* Filliuc. *tract. 5. cap. 7. num. 224. vers. Ad hoc caput.* Diana *part. 4. tract. 4. Res. 80.* Villalob. *tract. 8. diff. 36. num. 4.* Sic dicens: [Y añade Suarez, que el enfermo no tiene obligacion a buscar vn Clerigo, que pagandoselo venga à dezir Missa à su casa, que no obliga el precepto a esto: si està obligado à vsar del priuilegio, si le tiene para que le digan Missa en su casa, que aqui es verdad el dezir, que *Nemo cogitur vti suo priuilegio,* que este priuilegio formalmente, no quita el impedimiēto, sino es necessario vso *quasi actiuo* del priuilegio, loqual no acontece en el caso de arriba (*intellige de priuilegio interdicti*) y tambien; porque este priuilegio es menos decente, para la reuerencia de este Sacramento.] Sic ille. Trullench. *in exposit. Bullæ lib. 1. §. 5. dub. 6. n. 9. & lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 7. num. 12.* Bassæus *v. Missa 9. num. 3. in fine,* Dicastillo *disp. 5. cit. num. 168.* Gesualdus *loc. cit. num. 39. & 40.*

QVÆSTIO XX.

An si infirmus in procuranda sua salute; & incarceratus in procuranda sua libertate, sit negligens, & ideò Missam omittat, peccet specialiter contra audiendæ Missæ præceptum?

REspondeo: Negatiuè. Quia hoc præceptum non obligat ad tollenda impedimenta tam remota. Sicuti diximus suprà, loquendo de illo, qui est negligens in obtinenda absolutione à censura, quòd scilicet, non peccet specialiter contra huiusmodi, audiendi Missæ præceptum. Sic Suarez *disp. 88. sect. 6. vers. Prima igitur.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 3.* & Diana *part. 5. tract. 9. Resol. 88.* vbi expressè docet. quòd, qui culpâ suâ detinetur in carcere, & non vult soluere debitum, cum aliàs deberet, quamuis peccet contra iustitiam, non tamen peccat non audiendo Sacrum. Legatur Ausonius *in summ. Diana verb. Missam audire. n. 18.* Sic Gesualdus *de Sacram. tr. 17. cap. 2. n. 46.* & penes ipsum, Syluester *verb. Missa n. 1.* Angelus *n. 7.* Nauarr. *c. 21. n. 3.* & Azor *1. part. lib. 7. c. 7. quæst. 1.*

QVÆSTIO XXI.

An qui longè distat ab Ecclesia, excusetur à Missa audienda in festo?

NEgat, quamuis cum limitatione, Iodocus *tom. 1. Thesauri, verb. Missa, §. 50. vers. Quinimò excusantur,* sic dicendo: Longinquitas tamen itineris non excusat robustos, & senes in maioribus festiuitatibus. Ita ille, qui, & citat Nauarrum in *consil. 3. de Feriis, lib. 2.* Sed certè Nauarrus non docet absolutè, quòd longinquitas itineris non excuset ab audienda Missa; sed talis longiuquitas, nempe trium milliarium; vt infrà. Vnde,

Certissimè Respondeo: Excusari. Quia nemo tenetur ad audiendam Missam, cum graui incommodo aut admodum itineris molestiâ. In hoc omnes Doctores conueniunt (nec credibile est, ab eis discedere Iodocum.) Sed non in assignando, quæ necessaria sit distantia, vt quis excusatus maneat à præcepto audiendi Missam, vt mox videbimus.

QVÆSTIO XXII.

An absolutè loquendo, distantia vnius leucæ (Italicè, Trium milliarium) *sit sufficiens, vt quis à Missa excusetur; casu, quoad illam audiendam, iter pedester acturus sit?*

NEgat imprimis, Bonac. *disput. 4. de Euchar. punct. vltim. num. 12.* docens, quòd, vt quis ab auditione Missæ excusetur, necessum sit, quòd distet ab Ecclesia, ad minùs per duas leucas, id est, per sex milliaria. Consonat huic opinioni Ledesma 1. *tom. summ.*

tenus *summ.c.27.post 16.concl. vers. Aesta manera*, qua asserit, quòd distantia sufficieos ad excusandum quem à Missa, debeat esse leucæ cum dimidio, aut duarum leucarum: Ita enim ait: [Por esta razon se escusa legitimamente, del precepto de oyr Missa, si es necessario para oyr Missa, ir a pie vn largo camino, como seria legua, y media, ò dos leguas: y lo mismo seria aunque no fuesse tan grande la distancia, si fuesse notable, y por otra parte huuiesse gran lluuia: ò tempestad, de suerte, que se tuuiesse por graue detrimento.] Ita ille.

Negat etiam Nauarr. *lib. 2. consil. consil. 3. de Feriis in 2. edit. fol. mihi* 84. non tamen absolutè, sed loquendo solùm, de viris robustis; per hæc verba: Secundò, quòd mea sententia, viri, de quibus in quæstione, qui præsupponuntur esse robusti, & operarij, nullatenus sunt excusandi, eò quòd tribus milliaribus à loco, vbi audienda est Missa, distent. Ita Nauar. & ex illo Henriquez *lib. 9. cap. 25. num.* 10. Ita dicens Rustici, aut operarij valentes, & robusti, non excusantur eo quòd per leucam distent ab oppido, vbi celebratur. Ita ille. Rodrig. *in summ. cap.* 123. *n.* 8. & Vega *in summ. cap.* 114. *casu 4. col. mihi* 1126. Quamuis addat: [Que en esto no se puede dar regla cierta, sino que se ha de dexar al aluedrio del sabio, y prudente varon, miradas la circunstancias del tiempo, y lugar.] Ita ille.

Sed probabilissimè, absolutè Respondeo: Sufficere dictam vnius leucæ, seu trium milliarium distantiã, ad excusandum quemquam, etiam robustum virum, aut operarium valentem, ab auditione Missæ. Quia cùm hæc distantia duplicari debeat; eundo, scilicet, ad Ecclesiam; & redeundo ad locum, à quo exiuit, verè non breuis, sed longa satis, existimanda est, & consequenter, sufficiens ad excusandum quemlibet à Missa. Sic Suarez, *disp. 88. sect. 6. vers. Tertium caput est.* Villalob. *tract. 8. disp. 36. num. 5.* Sic dicens: [Tambien se juzga por impotentia moral, quando la Iglesia esta distante vna legua; y fuesse necessario ir à pie; y aunque diste menos, como sea bien lexos, y lluuia, o aya tempestad.] Fagundez etiam, *de 1. prac. lib. 2. cap. 9. num.* 10. per hæc verba. Quinta causa excusationis est longa distantia Ecclesiæ, & ratione illius excusantur illi; quibus necessarium est longum iter pedibus conficere, v.c. vnius leucæ: idemque dicendum est, si non sit distantia vnius leucæ, sed notabilis, & alioqui pluuiæ, & tempestates ingruant, vt optimè docet Suarez, &c. Sic ille. Fillıuc. *tract. 5. c. 7. n. 226. in fine.* Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 1. dub. 7. num.* 8. Castro Palao *tom. 4. tract. 22. punct. vlt. num.* 4. Qui tamen malè citat Henriq. & Bonac. pro hac parte, vt ex dictis patet. Dicastillo *disp. 5. cit. n.* 184. Gesualdus *de Sacram. tract. 17. cap. 2. n.* 62. ita inquiens: Quintò excusat quodcumque graue incommodum, siue spirituale, siue corporale, quod probabiliter timetur incurri, causâ auditionis Missæ; vt si quis pedester circa tria milliaria pergere debeat ad audiendum Sacrum, siue etiam duo cum pluuiis, & tempestate, siue magno calore Solis, tempore æstatis, quando aliter ad Missam audiendam pergere non posset, tunc in huiusmodi casibus excusarentur tales ab auditione Missæ. Non enim Ecclesia præcipit Missæ auditionem cum tanto onere, sed piè, & rationabiliter. Sic ille. Et sic alij Recentiores, quos tacitè refert, nec improbat Henriquez *loc. cit. in Glossa lit. M.* & à fortiori Philibertus, & Ortiz, statim citandi, tenent nouissimè me citato, Diana *p. 10. tr. 15. Resol. 35. legatur ipse ibidem tr. 11. Resol. 8.*

QVÆSTIO XXIII.

An etiam absolutè loquendo, non solùm distantia vnius, sed etiam dimidiæ leucæ, plus minùsve, sit sufficiens ad excusandum quemcumque ab audienda Missa?

NEgant omnino (& à fortiori) Authores nuper pro prima, & secunda sententia adducti, cùm omnes vnius ad minùs leucæ distantiam, ad excusandum quem à Missa, requirant.

Affirmant nihilominus, Philibertus Marchinus *de sacrif. Missa, tract. 3. p. 3. cap. 17. num.* 19. docens milliarium sufficere ad excusandum quemlibet à Missa. Sic enim ait: Similiter excusantur, quando Templum esset distans per milliarium, vel si esset propius, essent pluuiæ, & tempestates. Ita ille. Et Ortiz, *in Compend. summ. prac. 3. Decal. §. 7. fol. mihi* 104. *pag.* 1. per hæc verba: [Y los que estan en alquerias, no estan obligados a oyr la Missa, si donde se dize, està mas de media legua.] Ita Ortiz.

Sed ego, cum distinctione, sic Respondeo; dicendum: Quòd absolutè loquendo, & respectu omnium personarum, quas hoc præceptum audiendæ Missæ, obligat; nullo modo sit sufficiens distantia dimidij leucæ ad excusandum à Missa: benè tamen loquendo non absolutè sed respectiuè; hoc est respectu aliquarum personarum. Ratio huius resolutionis est nota. Nam cùm hoc Ecclesiæ præceptum, obliget omnes fideles vtriusque sexûs, statim ac ad annos discretionis aduenerint (vt sup. *disp. 4. q. 14.* est habitum) & istorum, alij sint teneræ ætatis, alij maturæ, alij robustioris, vt sunt operarij valentes; alij debilioris, vt senes, & fœminæ, hinc est, vt cogamur necessariò asserere, quòd illa distantia, quæ respectu vnius, censetur breuis, & facilis; respectu alterius censeatur longa, & difficilis; & consequenter, quòd loquendo de pueris, aut puellis ætatis teneræ; ac de senibus, aut aliis viris habentibus vires debiles, sufficiens est distantia assignata, nempe dimidium leucæ, ad excusandos illos à præcepto audiendi Missam: loquendo verò de iuuenibus, aut viris robustis, operariis valentibus, fœminisque fortibus, non sit sufficiens dicta dimidij leucæ distantia ad eos à Missa excusandos. Sic Dicastillo *tract. 5. de Sacram. disp. 5. num.* 184. Vbi docet, quòd fœminæ delicatæ, & alicujus authoritatis, non teneantur pedestres ire vltra vnum milliare: secus verò fœminæ mediæ, aut infimæ plebis. Sic etiam tenet nouissimè Diana *Resol. 35. cit. in fine.*

QVÆSTIO XXIV.

An item, distantia vnius leucæ, seu trium milliarium, sit etiam sufficiens ad excusandum à Missa eum; qui illam equester peragendus est?

NEgare tenentur, Suarez, Fagundez, Trullench, Bonac. Ledesma, Villalobos *suprà, quæst. 22.* relati: Cùm, vel negent (vt aliqui istorum faciunt) talem distantiam esse sufficientem ad excusandum eos, qui illam pedibus conficere debeant; vel si concedunt, est solùm loquendo respectu illorum, qui dictum iter pedestres sint acturi. Negat etiam nouiter contra me Diana *p. 10. tr. 15. Res. 35* his verbis: Sed vt verum fatear huic posteriori sententiæ non adhæreo nam nō videtur concedendum quòd eadem distantia sufficiat pro itinere pedestri ac equestri: nam itinere equestri minùs laboratur: ergo maiorem distantiam requirit. Vnde ego puto, quòd saltem distantia

vnius

vnius leucæ & mediæ sit necessaria ad excusandum ab auditione Missæ. Hæc Diana.

Sed probabiliter Respondeo: Talem distantiam, etiam sufficere ad excusandos à Missa illos, qui equestres adhuc, eam aggredi possunt, saltem regulariter loquendo. Quia etiam respectu illorum, distantia duarum leucarum, quas, eundo ad Ecclesiam, & ab illa redeundo, confici est necessum, non leuis, & facilis; sed longa, & difficilis censeri debet: ergo sufficiens ad excusandum quemquam ab auditione Missæ. Adde hoc mihi non solùm probabile, sed certissimum esse, in casu, quo tempus non sit serenum; aut in via sint flumina, torrentes, & huiusmodi; aut denique, equus, mula, vel asinus, in quo iter quis acturus est, sint tardi, &c. Ita clarè innuit Dicastillo *disp.5. cit. num.*184. ait namque, se, virum alioquin sanum, tempore sudo, & sereno, non putare excusati duobus tantum milliaribus Italicis distantem à loco Missæ; id enim (inquit, Dicastillo) facilè ab huiusmodi hominibus animi gratiâ solet percurri, etiam pedestri itinere. Quòd si sint nobiles, & prædiuites homines, faciliùs id præstabunt equo, vel curru, vel lectica; &c. Sic ille. Vnde clarè indicat excusare virum sanum à præcepto audiendæ Missæ, si tribus milliaribus ab Ecclesia, vbi celebratur, distaret. Nec argumentum Dianæ huic meæ opinioni obstat. Nam respondeo ad illud, quòd licèt, qui pedester iter agit, magis laboret, quàm qui equester; tamen inde non sequitur quòd ille qui equester iter conficit, non laboret sufficienter, vt excusatus maneat ab auditione Missæ. Addo contra ipsum, quòd leucæ in Hispania non sunt multoties æquales, nam illa, quæ est, *entre Mancanares. y la solana*, satis itinerantibus nota, bene æquiualet leucæ & mediæ &c.

QVÆSTIO XXV.

An Tempore niuis, aut magnæ pluuiæ, excusetur quis ab auditione Missæ, quamuis solùm per milliarium distet ab Ecclesia?

RESpondeo: Excusari, casu quo Ecclesiam sine graui incōmodo, aut detrimento adire nequeat; aliàs minimè; vt ex dictis constat. Vnde benè aduertit sapientissimus Nauarr. *lib.2.consil.3.de Feriis, edit.* 2 quòd in omnibus casibus, suprà à nobis assignatis, maxima habenda sit ratio personarum, vitæ, temporis, loci, & consuetudinis; quia fieri potest, quòd qui tempore sereno non excusatur à præcepto Missæ audiendæ, ob spatium breue; excusetur tempore niuis, pluuiæ, aut tempestatis. Sic Nauarr. *loc. cit.* Henriquez *lib.9.cap.25.num.*10. Suarez, *disp.*88. *sect.*6 Filliuc. *c.7. cit. num.226. in fine.* Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.*3. Bonac. *loc. cit. n.*12. Scortia *lib.2. de sacrif. Missæ, c.*20. Fagundez *lib.2. cit.c.9.n.*10. Trullench. *lib.5.in Decalog.c.1.dub.7.n.*10. & Dicastillo *disp.5.cit. num.*185. & alij.

QVÆSTIO XXVI.

An solùm, ob distantiam ab Ecclesia, excusabantur olim ab auditione Missæ veteres Monachi, aut Heremitæ?

AFfirmant aliqui, quos approbat Fagundez *loc. cit.* existimantes, prędictos Monachos, & Heremitas, ideò ab audienda Missa excusari; & quia videlicet, procul ab Ecclesia in vasta solitudine degebant; & quia per æstum diuini Spiritus, recenti adhuc Christi sanguine, illuc se conferebant, obligationem huius præcepti in aliam multò maiorem, ac grauiorem commutantes: nam in Missa per exiguum tempus Deo vacatur, illi, verò, die, ac nocte, & diuinis laudibus, orationibus, & contemplationibus in eremo vacabant, vt constat ex Historiis sacris. Ita Fagundez *loc. cit.*

Sed certè hæc duplex causa excusandi veteres Monachos à Missa, non omnino placet. Non prima; quia illa distantia poterat facillimo negotio minui, & ideò ad id tenebantur, vt adimplere Ecclesiæ præcepta possent. Nec secunda, quia nemo potest pro libito suo commutare præcepta Superiorum in alia opera, quantumuis multò maiora, & grauiora sint (nisi aliàs in bonum commune dirigantur, & ideo à Superioribus approbentur) ergo propter commutationem huiusmodi, nullo modo excusabantur veteres Monachi à præcepto audiendæ Missæ: aliàs nunc etiam possent alij; quod nemo concedet. Vnde,

Alij docent, nullo modo, ob hanc causam, fuisse dictos Monachos ab audienda Missa excusatos; sed solùm ob eam tantùm, quia videlicet tunc nullum extabat in Ecclesia præceptum de audienda in festis Missa. Sed hæc causa excusandi illos, falsa est. Constat enim ex dictis *sup. disp.1.qu.*12. quòd præceptum audiendi Missam in festis, ortum habuerit à primis Ecclesiæ temporibus. Vnde,

Probabiliùs omnino Respondeo: Prędictos veteres Monachos excusatos olim fuisse ab audienda Missa in festis, non ratione distantię ab Ecclesia præcisè; sed ratione consuetudinis scitæ, & toleratæ à Pastoribus Ecclesiæ, quę tunc omnino vigebat, sicut nunc alię vigent. Sic etiam Fagundez *loc. cit. n.5. in fine:* Ita concludens. Pręterea hoc pręceptum est Ecclesiasticum, & humanum, contra quod pręualere potest consuetudo scita, & tolerata ab Ecclesię Pastoribus; & tunc quidem ea consuetudo vigebat, quę modo iam non viget.

QVÆSTIO XXVII.

An Excusetur ab audienda Missa, mater, quæ domi ad custodiendas filias remanet; eo quòd nequeat solas, absque periculo, relinquere?

AFfirmant Henriquez *lib.9. cap.25. n.*10. *ibi, lit. Y*, citat Sotum *lib.2. & dist.13.* Caiet. *quæst.*122. *art.4. col.*4. Fratr. Medinam §.40. & Nauarrum *cap.21. n.9. & c.14. n.*19. (Sed an omnes citet benè, infrà videbimus.) Affirmat etiam Vega, *1. p. summ. cap.*114. *casu 4. circa finem.* Et alij.

Sed ego clariùs Respondeo: Excusari quidem à Missa, casu tamen solùm, quòd, neque filias possit solas domi, absque periculo, relinquere; nec secum absque periculo ad Ecclesiam portare. Nam si ad Ecclesiam secum posset illas absque periculo ferre, omnino ad id teneretur, nec posset tunc licitè domi cum filiabus manere. Sic intelligendi sunt Authores citati ab Henrico, ex quibus Nauarrus id non docet *c.*14. *num.*19. Sed *cap.21. num.9. cit.* Sotus verò, cuius librum, & distinctionem tantùm citat, id docet *lib.2. de iust. quæst.4. art.4. & dist.13. quæst.2. art.*1. Sed expressè nostram sententiam tenent Suarez, *disp.*88. *sect.*6. Scortia *lib.2. cit. cap.*20. *num.*8. Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.*1. Graffius *1. p. lib.2. cap.36. num.*5. Bartho. Ab Angelo *de Missa*, §.827. & 830. Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vltim. punct. vltim. n.*2. Qui tamen malè citat Henriquez *cap.21. num.*12. Quia ibi nihil hic author, nec dictum caput habet, nisi octo numeros. Syluest. *v. Missa 2. n.*1. Toler. *lib.6. cap 9. num.*1. Fagundez *de 1. præcept. Eccles. lib.2. cap.9. num.*1. Llamas *3. part. Method. cap.5. §.11. pag.*493.

Trullench.

Digitized by Google

Trullench.*lib.3 in Decalog.cap.1.dub.7.num.3.*Bassæus *v.Missa 9.n.2.*Dicastillo *tract.5.de Sacramentis,disp.5.num.*217. Gesualdus *de Sacram. tract.* 27. *cap.2.num.*57. Molfes. *in summ. tract.3. cap.17.num.*57. & communis.

QVÆSTIO XXVIII.

An excusetur à Missa, Mater, Nutrix, aut Famula, quæ, nec potest infantulos suos domi, absque periculo, relinquere; nec habet aliquem, cui illos commendare possit?

NEgant, ob id solùm, excusari, nisi aliàs nequeat etiam dictos infantes, ad Ecclesiam, absque molestia celebrantis, secum ferre, Bonacina *loc. cit. n.5.* Hurtado *disp.5. diff.6.* & Villalob. *tract.8.diff.36. n.7.* Ita dicens: [Y tambien las amas, que no pueden comodamente lleuar a la Iglesia los niños: aunque esto raras vezes escusa, sino fuesse en grande incomidad del niño.] Ita ille. Bassæus *loc. cit. num.1. in fine.* Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Vbi expressè ait, quòd excusetur à Missa Nutrix, quæ lactantem nequit secum ferre ad Missam. Citatque pro hac parte (non citando loca) Nauarrum, Syuestrum, Toletum, Tabienam, Anton. & Angelum. Ita etiam Trullench, *lib.3.cit. cap.1. dub.7. num.5.* Gesualdus *de Sacram.tract.17. cap.2.num.55.* citans pro se, Nauarrum *cap.21.num.10.* Graffium *1.p. decis.lib.2. cap.36. num.5.* Henriquez *cap.21. num.10.*& Bonacinam, *n.5. citato.*

Sed ego magis absolutè, Respondeo: Excusari quidem, eo tantùm modo, quòd nequeant dictos infantulos suos alteri commendare. Quia, vt experientiâ constat, nec Mater, seu Nutrix, potest eos ad Ecclesiam, absque molestia celebrantis, & adstantium perturbatione, ferre; nec domi, absque probabili, & prudenti timore alicuius magni damni, solos relinquere: ergo absolutè est dicendum, quòd, vt prędicta Mater, seu Nutrix, excusetur à Missa, sufficiat non habere, aut inuenire aliquam personam, cui infantes suos dum Missam possit audire, commendet. Sic videntur sentire Layman *lib.4. tract.7.cap.4. num.3. vers.Causa verò*, quatenus docet absolutè, quòd ab audienda Missa excusentur Matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent. Et Llamas, *3.part. Method. c.5. §.11. pag.493.* per hęc clariora verba: Excusantur, & omnes nutrientes infantes teneros, à quorum cura discedere non licet, quia inquieti sunt, & nimis plorant, & tales in Ecclesias deferre, potiùs vitio adscribendum est; cùm perturbent diuina officia vagitibus. Fauet Nauarr. *cap.21. num.3.* Vbi absolutè ait, excusari nutrices, quæ sine periculo non possunt relinquere eos quos lactant. Sic ille. Nunc ego; sed sic est, quòd non possunt Nutrices relinquere absque periculo quos lactant, nisi habeant aliquem, cui talem curam committant: ergo si hunc non habeant, verè excusantur ab audienda Missa. Legantur etiam Scortia *cap.20. cit.vers.Ex secundo capite.* Iodocus, *verb. Missa, §.50. vers.Primo excusantur.* Molfes. *in sum. tract.3.cap.17. num.60.* Vbi clarè excusat à Missa Nutrices, quæ non possunt infantes alteri commendare, donec Sacrum audiant, sic tandem, me citato, tenet Diana *p.10. tr.15.Resol.36.* ex Ægidio & Palao.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam excusetur à Missa, fœmina, cui commissa est custodia paruulorum; si non habeat aliquam personam, cui illos commendet?

REspondeo: Etiam excusari. Quia eadem militat ratio in hoc casu, ac in præcedenti. Cùm nec possit dicta fœmina pueros solos relinquere domi, absque graui periculo; nec secum ad Ecclesiam ferre, & ibi retinere absque graui molestia celebrantis, & adstantium: ergo si non inueniat aliquem, cui, interim, custodiam eorum commendet, sufficientem excusationem habet non audiendi Missam. Sic docere debent Authores pro nostra sententia nuper adducti cùm eadem sit in vtroque casu ratio, vt concedunt Bonac. Bassæus, & Trullench. & alij, qui de vtroque agunt casu.

QVÆSTIO XXX.

An Pragnantes, ab auditione Missæ excusentur?

REspondeo: Non excusari absolutè; nisi solùm casu, quo prudenter credatur, exitum è domo nociturum illis. Quia tunc propter damnum euenturum, si è domo exirent, excusantur. Sic Llamas *3.part. Meth.cap.5.§.11.pag.490.* Azor *lib.7.cap.7.q.1.* Scortia *lib.2. de Missa cap.20.num.8.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2.n.55.* ibi: Similiter etiam mulier grauida, quando timetur periculum aborsûs. Molfes. *tr.3. cit.cap.17.n.60.* & penes ipsum Nauarr. *cap.21. n.3.* Sotus, Syluester, Suarez, & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An excusetur à Missa uxor, quæ sine rixa, vel ira mariti, exire domo non potest?

AFfirmat absolutè Vega *1. part. summ. cap.114. casu 4. col.1127.* Ita dicens: [Tambien no peca la muger dexando de oyr Missa, quando su marido no quiere que salga de casa, y si sale riñe, y ay poca paz.] Ita ille. Et alij.

Sed clariùs, cum distinctione, sic Respondeo: Excusari quidem casu, quo, ex accessu ad audiendam Missam, grauem rixam, aut iram mariti timeat; non verò si leuem, quia hanc facilè sustinere pro Dei amore potest, & dissimulare; illam verò difficiliùs, quia grauiùs lędet. Sic D.Anton. *2.p. tit.9.c.10. §.2.* Nauarr. *c.21. n.5.* Sic dicens: Excusatur etiam nupta, quæ sine magno mariti scandalo, Missæ interesse non potest. Henriq. *lib.9.c.25.num.10.* & 13. Sotus *lib.2. de iust q.4.art.4.& in 4.dist.13.q.2.art.1.* Suarez *disp.88. sect.2. vers.Quartum cap.* (non, *Quintum caput*, vt inuenies apud Trull.) Bonacin. *punct.vlt. cit.n.10.* Azor *lib.7. c.7. q.1.* Scortia *c.20. cit.n.8.* Iodocus *tom.1.Thesauri, ver. Missa, §.50.vers.Hinc excusatur.* Trull. *lib.3. in Decal. c.1.dub.7. num.9* Dicastillo *disp.5. cit.n.211. pag.961.* Gesualdus *loc. cit.n.64.* Molfesius *loc.cit.n.58.* Castro Palao *tom.4.tract.22.punct.vltim.n.4.*

QVÆSTIO XXXII.

An similiter, excusetur ab auditione Sacri, vxor casu, quo maritus ob zelotypiam, nolit eam domo egredi?

NEgare videtur D.Anton. *2.part. tit.9. cap.10. §.2.* Quatenus expressè docet, quòd coniugatæ

non

non debent omittere Missam, ex hoc quòd aliquantulùm indignentur eis viri, quia non ita bene præparantur eis necessaria: & multò minùs, quando ex zelotypia mouentur. Sic D. Anton. Vnde pro hac negatiua parte absolutè citatur ab Henriquez *lib.9. cap.25.n.13.in Glossa, litt.T.*

Affirmant verò alij absolutè docendo; Excusari. Sic Graffius *lib.2.decis. cap.35. num 5.* his verbis. Parere etiam debet vxor, si à marito zelotypo prohibeatur, ne ad Sacra accedat. Sic ille. Et alij.

Sed, tanquam certum sub distinctione, Respondeo, Etiam excusari; casu, quo, vt diximus ire ad Missam nequeat, sine suo graui incommodo: secus aliàs. Sic Suarez *loc.cit.* Qui explicat D. Antoninum contrarium asserentem, dicens qui solùm casu, in quo non sit periculum grauis incommodi, sed leuis tantùm, quia in hoc casu non debet mulier marito obtemperare. Sic etiam Llamas, §.11. *cit.in fine.* Vbi ait, quòd de hac re consultus, respondit cuidam nouæ Nuptæ, non teneri ire ad Missam, quia eius maritus zelotipiâ infirmabatur, & suspicabatur, quòd eundo, vel stando in Ecclesia, colloquebatur, vel signa faciebat viro alteri, vel dabat, vel recipiebat literas. Sic ille. Et Henriquez *lib.9.cap.25.n.10. & 13.vbi in Glossa litt.T.citat.* Nauarrum *cap.21.n.9. & cap.14.num.13.* Medinam, & Sotum. Sed ex his, Nauarrus solùm id innuit *cap.21.num.5.* vt ex verbis eius relatis, *q.31.* constat; non verò *num.9. nec cap.14. num.13.* Quia in his locis, nihil habet ad propositum. Tenet tamen Azor. Bonac. Trullench, Dicastillo, Gesualdus, Molfesius, *loc.cit.* Castro Palao *tom.4. tract.22.punct.vltim.n.4.* & communis.

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam excusentur famuli (vel famulæ) qui prudenter timent rixas, aut verbera, si ad Missam accedant?

RESpondeo etiam excusari, casu, quo grauem rixam, secus, si leuem, aut expulsionem a domo, aut verbera timent. Quia nemo tenetur huiusmodi adimplere præcepta cum incommodo, aut detrimento graui; licet teneatur cum leui, vt habitum est. Sic Azor *lib.7. cap.7. quæst.4.* Bonac. *num.10. cit.* Hurtado *disp.5.diffic.6.* Tolet. *lib.6.c.9. r.2.* Bassæus, *Missa 9. num.3.* Fagundez *de 1.præc. lib.2.c.9.num.4.* Trullench *lib.3. in Decalog.c.2. dub.7.num.9.* Henriquez *lib.9. c.25.num.13.* Dicastillo *d. p.5. cit.n.211.* Gesuald. *de Sacram. tract.17.c.1. num.64.* Palao *n.4. citato.* Qui bene addunt, in tali casu, non excusari Dominos à peccato, si famulis præfatis tempus ad Missam non concedat, quando absque notabili suo damno, possunt.

QVÆSTIO XXXIV.

An item, excusentur famuli; qui, vt obediant Dominis suis, aliquid eis præcipientibus, Missam non audiunt?

AFfirmat absolutè Sà, *verb. Missa auditio, num.2.* Vbi sic ait: Excusat Missam non audientem legitimum impedimentum, & quæuis rationabilis causa; vt si herus impediat, &c. Ita Sà. Cui videntur consentire Graffius *libro 2. decis. aurear. cap.35. num.5. vers. Tertia.* Vbi absolutè ait: Quòd serui, & famuli, dum herus, vel alter eis imperat, vel aliud negotium, licèt Sacrum non audiat, non peccent. Et Layman *lib.4. tract.7. cap.4. num.3.* per hæc verba: Item excusantur, *intellige, famuli*, quibus imperium Domini obstat, quo minùs ad Templum accedere liceat; dummodo id non cedat in Religionis contemptum. Quòd si famulus frequenter, & quasi ordinariè, sine causa iustæ necessitatis, impediatur à Missa audienda, ait Suarez *cit. sect.6. cap. Quintum excusationis*, oportere illum, oblata opportunitate, tale ministerium relinquere, & alteri domino adhærere, apud quem Ecclesiæ præcepta seruare possit. Huc vsque Layman. Et ante illum Vega, *2. p. sum. cap.41. casu.36.col.558.* addens, quòd in dicto casu: [No està obligado a dexar a su amo por ello, sino fuesse que entendiesse, que lo hazia su amo por menosprecio, y odio del Christianismo: y quando por esto no lo haga, el amo dara cuenta a Dios de como no diò lugar à sus criados para oyrla. Concuerda Fray Domingo de Soto *in 4.d.13. q.2. art.1. in fine.*] Ita Vega. Sed in hoc addito, quod est contra doctrinam ex Suario, à Laymanio traditam, non benè. Quapropter.

Clarius Respondeo: Non excusari absolutè; ob imperium Domini; nisi aliàs timeant aliquod sibi graue damnum, vel incommodum imminere. Quia quilibet tenetur adimplere Ecclesiæ præcepta, si potest, absque graui incommodo, aut damno: ergo, secluso isto, solùm imperium Domini nequit famulos ab auditione Missæ excusare. Et fortè id tantùm volunt Sà, & Layman, citati. Sic Azor *tom.1. lib.7. cap.7.q.1.* Suarez *loc.cit.* Ægid. *q.83.art.6. num.315.* Nugnus, *q.83. art.6. dub.2. vers. Sextum impedimentum.* Bonacin. *loc. citat. num. 10. vers. Non desunt,* Trullench, *loc.cit. num.9.* Et innuit Henriquez *lib.9. cap.25. numero 13.* quatenus solùm dicit, quòd famulus interdum excusetur à Missa, ob mandatum sui Domini. Sic etiam Dicastillo *disputatio 5. cit. num.212.*

QVÆSTIO XXXV.

An deinde, excusentur illi, qui, vbi vnica Missa celebratur, remanent domi, ad illius custodiam, vel ad præparandos cibos, &c.

AFfirmat absolutè Bonacin. *disput. 4. de Euchar. q.vltim.punct.vlt.num.7.* & (penes ipsum) Tolet. *cap.9.* Henriquez *cap.21. num. 10. in comm. lit.I.* Azor, *cap.7.q.1.* Rodriguez *cap.123. num.6.* Graffius *cap.36. num.5.* Barthol. ab Angelo *de Missa, 2 num.2.* Armilla, *num. 30.* & Tabiena, *num. 47.* Sed ex his Authoribus, quos pro se hic Author citat imprimis id non docet Henriquez, *cap. 21. numero 10. lit. I.* Quia illud caput, nec agit de hac re; nec habet numeros nisi 8. Bene tamen (licèt cum aliqua limitatione, vt infra) *cap.25. num. 10.* (vbi de hac materia tractat.) *& in com.lit.I.* Vbi præter Authores pro hac parte citatos, citat etiam Palud. Pedraza, & Canum. Rursus, nec Azor, id expressè *loc.cit.* docet, nec Nauarr. *num. 3.* vt citat Bonacina, *nec num.5.* vt Henriquez cit. Nec Graffius, loco, à Bonacina citato, de hoc casu in specie loquitur: sicut nec Rodriguez.

Sed clarius, Respondeo: Excusari quidem, casu tamen solùm, quo timeantur latrones; aut quando cibi, alio tempore, minimè præparari queant. Quia in hoc euentu, satis rationabilis in est causa, vt famula, seu famulus excusetur à Missa; minimè autem si nullum sit periculum latronum; aut alio tempore, etiamsi cum incommodo aliquo leui, præparari possint cibi: quia in hoc casu, nulla datur excusationis causa, vt ex dictis constat. Sic docet Trullench *lib.3.in Decalog. cap.1.dub.7.n.8.in fine.* Et ex parte, Llamas

lib.3. Method.c.5. §.11. *in fine.* Sicque intelligendus est, Henriquez, vt denotant eius verba *in marg. lit.I.* apposita; ait enim, quòd excusetur à Missa vxor, vel famula, quæ remanet domi; vt custodiat domum ab alijs disiunctam, vel præparet cibos præsertim dum sunt conuiuæ, aut nuptiæ: & his licet manere, etiam absque Superioris præcepto, ne domum relinquant solitariam cum periculo. Sic ille. Legantur Dicastillo, *disp.5.num.*210. Gesualdus *de Sacram. tract.*17.*c.*2. *num.* 58.

Qvæstio XXXVI.

An excusentur à Missa, fœminæ honestæ, quæ quia carent decenti veste, non possunt ad Ecclesiam decenter ire?

Affirmant absolutè, excusari dictas fœminas, Sà, *ver. Missæ auditio, num.*3. Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.*6. Layman, *lib.4. tract.7. cap.4. num.*3. Scortia *cap.* 20. *cit. pag. mihi* 164. & antea Nauarr. *cap.*21. *numer.*3. (non 5. vt inuenies apud Bonac.) Syluest. *verb. Missa* 2. §.a. Tabiena *num.*47. Azor. *lib.7. cap.7. quæst.*1. Henriquez *lib* 9. *cap.*25. *num.*10. Tolet. *lib.6. cap.9. num.*3. Fagundez *lib.2. cap.9. num.*5. Trullench, *loc. cit. num.*7. Vbi sic ait: Quintò excusatur fœmina honesta, quæ caret veste conueniente suæ personæ; *Como son calçado, ò manto* (idem dic de viro) aut sociâ, pedissequâ, sine quibus irrideretur, aut magno pudore suffunderetur, nec commodè potest, vestem, aut sociam habere. Ita ille, ex Nauarr. *num.*5. Sed [illegible] diximus, id non docere Nauar. *vi[illegible] n.*3. melius diceret, ex Bonacina *loc. cit. num.*8. Tenent etiam Bassæus *v. Missa*, 9. *num.* 3. Rodriguez, Graff. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *loc. cit.* Gesuald. *de Sacram. tract* 17. *c.*2. *n.*56. Vega 1. *p. summ. cap.*114. *casu* 4. *col.*5127. & alij.

Sed clariùs, ac distinctiùs, Respondeo: Excusari quidem ab audienda Missa; nisi aliàs, possint in secreto, multò manè, vel in Ecclesia, à concursu populi remota, Missam audire, absque nota vlla; quia tunc non excusaretur; cùm non esset difficilè vitare incommodum dedecoris, & implere præceptum audiendi Missam. Sic expressè Suarez, *disp.*88. *sect.*6. *vers. Tertium caput.* Petr. Ledesma *cap.*27. *post* 15. per hæc verba: [Por este titulo escusan tambien deste precepto a aquel que no puede ir a la Iglesia tan decentemente vestido, como pide su estado. Porque no le hemos de obligar que parezca en publico con afrenta suya. Por la misma se escusa vna muger noble, que no puede salir de casa decentemente acompañada, conforme a su estado. Loqual tiene tambien lugar en los hombres. Todas estas cosas se han de mirar con prudencia, mirandos la calidad de las personas, y la costumbre de la tierra, y del lugar, y no se ha de dar demasiada licencia, ni estender se a vestidos superfluos, y demasiados, como lo estienden las mugeres. Porque pueden en semejantes casos, leuantarse de mañana à oyr Missa secretamente, ò en vna Iglesia apartada del concurso del pueblo. Porque desta manera pueden euitar el daño de la honrra, y cumplir con el precepto. Y assi auiendo esta comodidad, no se escusan de oyr Missa.] Sic Ledesma, & Villalob. *tract.*8. *diff.*36. *num.*5. Dicastillo *disp.5. cit. num.*176. *pag.* 958. & Molfesius *in summa tract.*3. *cap.*17. *num.* 56.

Qvæstio XXXVII.

An etiam excusentur à Missa, Fœminæ nobiles, quæ carent decenti comitatu, sine quo absque magno pudore, exire domo non possunt?

Affirmant etiam absolutè, excusari: Scortia *loc. cit.* & (penes ipsum) Nauar. Syluest. Henriquez, & Suarez. Sed certè Nauar. non de hoc casu, sed de præcedenti, loquitur *loc. cit.* Nec Suarez, id sine limitatione docet, vt infrà. Affirmant verò Henriquez, Bassæus, Trullench, & nonnulli alij.

Sed, iuxta nuper dicta Respondeo clariùs dicendo quòd verè excusentur à præcepto audiendi Missam; nisi aliàs, aut fortè decentem comitatum inueniant (quamuis hunc requirere, non teneantur, vt infrà) aut sine illo, manè audire Missam possint. Sic Bonac. Petrus Ledesma, Suarez, Villalob. Molfes. Palao *loc. cit.* & Dicastillo *loc. cit. num.*175. & alij.

Qvæstio XXXVIII.

An item, excusentur à Missæ præcepto pauperes, qui iuxta suum statum, decenti veste carent?

Respondeo: Item excusari, casu tamen, quo nequeant aliàs sine magno rubore audire Missam, eo quòd careant, licèt vilibus vestibus, quibus alij viri, seu fœminæ suæ conditionis vtuntur. Sic Nauarr. & Henriquez *loc. cit.* Fagundez *lib.2. cap.9. n.*5. excusans, ob hanc causam ab auditione Missæ agricolam, non habentem ocreas, aut calcem, si alij suæ conditionis Missam cum illis audire soleant. Sic etiam Llamas 3. *part. Method. cap.*5. §.11. *pag.*493. per hæc verba: Excusantur, & pauperes, quibus non est vestitus, vel calcei, vt sine verecundia apparere non possint, cùm sint ea honoratis parentibus, & habeantur vt tales: nam alij quibus non est periculum ruboris, qui vt tales cogniti sunt, tenentur, etsi nudi, ad audiendam Missam. Sic ille. Et Graffius, *lib.2. decis. c.*35. *num.*5. & communis.

Qvæstio XXXIX.

An fœminæ honestæ (seu viri) carentes decenti veste, aut comitatu; teneantur, vt excusentur à præcepto Missæ, requirere priùs vestem mutuatam, aut sociam conuenientem?

Affirmant ad hoc teneri, vt liberæ sint à præcepto, Bonac. *disp.4. de Euchar. q. vltim. punct. vltim. n.*8. vbi sic ait. Septimò excusari fœminam honestam, quæ caret veste conueniente suæ personæ, aut sociâ, seu pedissequâ, sine quibus, aut irrideretur, aut magnò pudore funderetur, nec commodè potest vestem; aut sociam habere. Ita ille, & Trullench. *lib.3. cap.1. dub.7. cit. n.*7. Et Villalob. *tr.*8. *diff.*36. *num.*5. Sic dicens; de his loquendo: [Mas si estos pueden, han de oyr Missa de mañana, ò con vestido prestado.] Ita ille. Et ante illum, Molfesius *in summ. tract.*3. *c.*17. *n.*56. & alij apud ipsum.

Sed probabiliter Respondeo: In dicto casu, non teneri requirere priùs vestem mutuatam, aut sociam conuenientem, vt excusentur à præcepto audiendi Missam; si aliàs veste decenti, aut comitatu careant. Quia, ex hac duntaxat causa sufficienter, excusatæ manent. Ratio est. Nam imprimis, non tenentur requirere vestem mutuatam: quia regulariter, & communiter loquendo, hanc sic requirere, aut nequit fieri sine magno rubore, & dedecore petentis,

&

& molestia donantis, seu mutuantis: aut est valde difficilè inuenire vestem proportionatam, aut conuenientem. Rursus; nec tenentur requirere sociam, aut pedissequam, vt iuxta decentiam sui status ad Ecclesiam causâ adimplendi præceptum audiendi Missam, vadant. *Tum*, quia non est facilè sociam inuenire. *Tum*, quia dato, quòd facilè illam inuenire possint, non tenentur, cùm ad hoc non obliget præceptum: sicut non obligat præceptum recitandi Horas, vt quis quærat socium ad illas recitandas, quando solus id præstare non potest: ergo, &c.

QVÆSTIO XL.

An fœmina, ex occulta fornicatione, grauida, excusetur ab audienda Missa?

RESpondeo, tanquam certum: Excusari; nisi aliàs in secreto Missam posset audire. *Primò*. Quia nemo tenetur prodere suam turpitudinem. *Secundò*. Quia præcepta Ecclesiæ, non obligant cum detrimento famæ, & honoris, vt omnes concedunt. Sic Hurtado *disp.5. de sacrif. Missa, diff.6.* Layman *lib.4. tract.7. cap.4. n.3.* Villalob. *diff.36. num.5. cit.* Reginald. *lib.19. num.16.* Philib. *de Ordine p.3. cit. cap.17. num.19.* Ledesma *cap.27. cit. post 16. concl. vers. La tercera manera*, vbi sic ait: [Tambien se escusa de oyr Missa, el que teme alguna graue infamia, si sale de casa, de suerte que le veã. El exemplo es, en vna muger tenida por honesta, si se haze preñada, y no puede ocultar su peccado, sino es estandose encasa: esta tal no esta obligado a oyr Missa, porque seria infamarse. Y lo mismo se ha de dezir en otros casos semejantes. Loqual se ha de entender, en el limite, ya dicho, quando no puede oyr Missa secretamente.] Sic ille, & benè. Et Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.10. num.178.* Gesualdus *loc. cit. num.56.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XLI.

An excusentur à Missa, qui nequeunt ad templum sine timore iniuriarum; aut honoris iactura, ire?

REspondeo, tanquam certum: Excusari. Quia hoc præceptum Ecclesiæ nõ obligat cum detrimento honoris, vt omnes fatentur. Sic Nauarr. *cap.21. num.3.* (non 39. vt inuenies apud Trullench) Henriquez *lib.9. cap.25.* (non 21. vt citat ipsemet Trullench) *num.10.* Suarez *disp.86.* (non 85. vt inuenies apud Bonac.) *sect.6.* Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.1.* Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vltim. punct. vlt. num.4.* Trullench. *lib.3. in Decalog. c.1. dub.7. n.2.* Bassæus *verb. Missa 9. num.3.* Philibert. *c.17. cit. n.19.* Scortia *lib.2. de Missa sacrif. c.20.* Filliuc. *tract.5. c.7. n.226.* Dicastillo *disp.5. cit. n.175.* Palao *tom.4. tract.22. punct. vltimo, n.3.* & omnes.

QVÆSTIO XLII.

An etiam excusentur, qui nequeunt domo exire, sine timore probabili hostium, pestis, Ministrorum Iustitiæ &c.

REspondeo: Etiam excusari. Quia præceptum Missæ audiendæ non obligat cum probabili periculo alicuius mali grauis corporalis adhuc, proprij, vel alieni, vt omnes fatentur. Sic Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.1. ad finem.* Suarez *disput.88. sect.6. ver. Tertium caput.* Hurtado. *diff.6. cit.* Bonac. *loc. cit.* R. P. Leand. *in V. Præcept. Eccles. num.3.* Henriquez *n.10. cit.* Scortia *lib.2. cit. cap.20. pag.164.* Fagundez *de 1. prac. Eccles. lib.2. c.9. num.3.* Philibert. *cap.17. cit. n.19.* Petr. Ledesma *cap.27. cit. post 16. concl.* Bassæus *v. Missa 9. num.3.* & Dicastillo *disp.5. cit. n.187.* & communis.

QVÆSTIO XLIII.

An Pastores ouium excusentur ab audienda Missa?

NEgat absolutè Iodocus *tom.1. Thesauri, ver. Missa §.50. vers. Excusantur, & Custodes.* Vbi sic ait: Pastores autem pecorum non sunt excusati: quia ante, aut post Missam auditam, debent ea ducere. Ita ille. Sed non ita benè. Vnde,

Clarius sic Respondeo; Non excusari quidem absolutè, sed casu tantùm, quo non possint sine periculo gregis Missam audire. Vnde non excusarentur, casu, quo haberent, cui curam gregis committerent, & ideo, si habent, eo quòd sint plures socij, debent ad Missam accedere hoc modo; quòd, scilicet, vnus ad Ecclesiam adeat, altero custodiente gregem; eo verò redeunte, alter ad Missam accedat. Quòd si vnica tantùm cõmunitet sit Missa, debent alternatim ad illam audiendam ire; ita vt vnus, vnâ die; alter, alterâ ad id pergat. Sic Suarez *disp.88. sect.6.* Nauar. *consil.5. tit.9. de Feriis.* Henriquez *lib.9. c.25. num.10.* Azot *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.7.* Ægidius *loc. cit. num.314.* Bonac. *disp.4. cit. q. vltim. punct. vltim. num.6.* Scortia *lib.2. cit. c.20.* Hurtado *disp.5. diff.6.* Layman *lib.4. tract.7. cap.4. num.3.* Fagundez *lib.2. cit. cap.9. n.2.* Philibert. *c.27. cit. n.19.* Villalob. *tract.8. diff.36. n.7.* Bassæus *v. Missa 9. n.3.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.7. n.6.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.10. num.179.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. c.2. n.61.* Vega *1. part. sum. c.114. casu 4. col.1127.* Rodriguez, *tom.1. summ. c.122. n.8.* & alij.

QVÆSTIO XLIV.

An molitores excusentur à Missa præcepto?

REspondeo: Non excusari; nisi solùm casu, quo, & licitè laborent in festo; & Missam nequeant audire, non intermisso opere, & labore, eo quòd non habeant aliquem, cui hanc curam committant. Sic Bonac. *loc. cit. num.6. vers. similiter Suarez*, Trullench. *loc. cit. num.* etiam 6. per hæc eadem verba: Addit Suarez excusari etiam molitorem, quoties molitori licitum est in die festo laborare; nam necessitas quæ ipsum excusat ab opere seruili, potest etiam excusare à Missæ auditione, si Missam nequeat audire, non intermisso opere, & labore. Sic illi. Et benè licèt, vbi id doceat Suarez non inuenerim. Nam *disp.88. sect.6.* in qua id docere dicunt, nullo modo id docet; nec verbum de hac re habet. Legatur. Tenent etiam Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Qui, & citat Nauarrum *cap.13. num.9.* & Rosellam, *verb. Feria §.9.* Sed malè. Nam Nauarrus solùm docet, quòd sit licitum in festo molere molendinis fluminum, vel ventorum, quæ sine magna occupatione moluntur, & ad hoc confirmandum citant Rosellam *loc. cit.* Non tamen dicit, quòd ob hoc, à Missa excusentur molitores. Tenent tamen Dicastillo *loc. cit. num.178. in fine*, & Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.60.*

lib.3. Method.c.5. §.11. in fine. Sicque intelligendus est, Henriquez, vt denotant eius verba *in marg. lit. I.* apposita; ait enim, quòd excusetur à Missa vxor, vel famula, quæ remanet domi; vt custodiat domum ab alius disiunctam, vel præparet cibos præsertim dum sunt conuiuæ, aut nuptiæ: & his licet manere, etiam absque Superioris præcepto, ne domum relinquant solitariam cum periculo. Sic ille. Legantur Dicastillo, *disp.5.num.*x10. Gesualdus *de Sacram. tract.17.c.2. num.* 58.

QVÆSTIO XXXVI.

An excusentur à Missa, fœmina honesta, quæ quia carent decenti veste, non possunt ad Ecclesiam decenter ire?

AFfirmant absolutè, excusari dictas fœminas, Sà, *ver. Missæ auditio, num.3.* Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.6.* Layman, *lib.4. tract.7. cap.4. num.3.* Scortia *cap.* x0. *cit. pag. mihi* 164. & antea Nauarr. *cap.*x1 *numer.*3. (non 5. vt inuenies apud Bonac.) Syluest. *verb. Missa* x. §.2. Tabiena *num.*47. Azor. *lib.7. cap.7. quæst.*1. Henriquez *lib 9. cap.*x5. *num.*1n. Tolet. *lib.6. cap.9. num.*3. Fagundez *lib.2. cap.9. num.*5. Trullench, *loc. cit. num.*7. Vbi sic ait: Quintò excusatur fœmina honesta, quæ caret veste conueniente suæ personæ; *Como son cal:ado, ò manto* (idem dic de viro) aut sociâ, pedissequâ, sine quibus irrideretur, aut magno pudore suffunderetur, nec commodè potest, vestem, aut sociam habere. Ita ille, ex Nauarr. *num.*5. Sc[illegible]m diximus, id non docere Nauar. *nisi num.*3. melius diceret, ex Bonacina *loc. cit. num.*8. Tenent etiam Bassæus *v. Missa, 9. num.*3. Rodriguez, Graff. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *loc. cit.* Gesuald. *de Sacram. tract* 17. *c.2. n.*56. Vega 1. *p. summ. cap.*114. *casu* 4. *col.*11x7. & alij.

Sed clariùs, ac distinctiùs, Respondeo: Excusari quidem ab audienda Missa; nisi aliàs, possint in secreto, multò manè, vel in Ecclesia, à concursu populi remota, Missam audire, absque nota vlla; quia tunc non excusaretur; cùm non esset difficilè vitare incommodum dedecoris, & implere præceptum audiendi Missam. Sic expressè Suarez, *disp.88. sect.6. vers. Tertium caput.* Petr. Ledesma *cap.27. post* 16. per hæc verba: [Por este titulo escusan tambien deste precepto a aquel que no puede ir a la Iglesia tan decentemente vestido, como pide su estado. Porque no le hemos de obligar que parezca en publico con afrenta suya. Por la misma se escusa vna muger noble, que no puede salir de casa decentemente acompañada, conforme a su estado. Loqual tiene tambien lugar en los hombres. Todas estas cosas se han de mirar con prudencia, mirandos la calidad de las personas, y la costumbre de la tierra, y del lugar, y no se ha de dar demasiada licencia, ni estender se a vestidos superfluos, y demasiados, como lo estienden las mugeres. Porque pueden en semejantes casos, leuantarse de mañana à oyr Missa secretamente, ò en vna Iglesia apartada del concurso del pueblo. Porque desta manera pueden euitar el daño de la honrra, y cumplir con el precepto. Y assi auiendo esta comodidad, no se escusan de oyr Missa.] Sic Ledesma, & Villalob. *tract.8. diff.36. num.5.* Dicastillo *disp.5. cit. num.176. pag.*958. & Molfesius *in summa tract.3. cap.17. num.* 56.

QVÆSTIO XXXVII.

An etiam excusentur à Missa, Fœminæ nobiles, quæ carent decenti comitatu, sine quo absque magno pudore, exire domo non possunt?

AFfirmant etiam absolutè, excusari: Scortia *loc. cit.* & (pene sipsum) Nauar. Syluest. Henriquez, & Suarez. Sed certè Nauar. non de hoc casu, sed de præcedenti, loquitur *loc. cit.* Nec Suarez, id sine limitatione docet, vt infrà. Affirmant verò Henriquez, Bassæus, Trullench, & nonnulli alij.

Sed, iuxta nuper dicta Respondeo clariùs dicendo quòd verè excusentur à præcepto audiendi Missam; nisi aliàs, aut fortè decentem comitatum inueniant (quamuis hunc requirere, non teneantur, vt infrà) aut sine illo, manè audire Missam possint. Sic Bonac. Petrus Ledesma, Suarez, Villalob. Molfes. Palao *loc. cit.* & Dicastillo *loc. cit. num.*175. & alij.

QVÆSTIO XXXVIII.

An item, excusentur à Missæ præcepto pauperes, qui iuxta suum statum, decenti veste carent?

REspondeo: Item excusari, casu tamen, quo nequeant aliàs sine magno rubore audire Missam, eo quòd careant, licèt vilibus vestibus, quibus alij viri, seu fœminæ suæ conditionis vtuntur. Sic Nauarr. & Henriquez *loc. cit.* Fagundez *lib.2. cap.9. n.5.* excusans, ob hanc causam ab auditione Missæ agricolam, non habentem ocreas, aut calcem, si alii suæ conditionis Missam cum illis audire soleant. Sic etiam Llanas 3. *part. Method. cap.5. §.11. pag.*493. per hæc verba: Excusantur, & pauperes, quibus non est vestitus, vel calcei, vt sine verecundia apparere non possint, cùm sint ex honoratis parentibus, & habeantur vt tales: nam alij quibus non est periculum ruboris, qui vt tales cogniti sunt, tenentur, etsi nudi, ad audiendam Missam. Sic ille. Et Grafflius, *lib.* x. *decis. c.*35. *num.*5. & communis.

QVÆSTIO XXXIX.

An fœminæ honestæ (seu viri) carentes decenti veste, aut comitatu; teneantur, vt excusentur à præcepto Missæ, requirere priùs vestem mutuatam, aut sociam conuenientem?

AFfirmant ad hoc teneri, vt liberæ sint à præcepto, Bonac. *disp.4. de Euchar. q. vltim. punct. vltim. n.*8. vbi sic ait. Septimò excusari fœminam honestam, quæ caret veste conueniente suæ personæ, aut sociâ, seu pedissequâ, sine quibus, aut irrideretur, aut magno pudore funderetur, nec commodè potest vestem; aut sociam habere. Ita ille, & Trullench. *lib.3. cap.1. dub.7. cit. n.7.* Et Villalob. *tr.8. diff.36. num.5.* Sic dicens; de his loquendo: [Mas si estos pueden, han de oyr Missa de mañana, ò con vestido prestado.] Ita ille. Et ante illum, Molfesius *in summ. tract.3. c.17. n.56.* & alij apud ipsum.

Sed probabiliter Respondeo: In dicto casu, non teneri requirere priùs vestem mutuatam, aut sociam conuenientem, vt excusentur à præcepto audiendi Missam; si aliàs veste decenti, aut comitatu careant. Quia, ex hac duntaxat causa sufficienter, excusatæ manent. Ratio est. Nam imprimis, non tenentur requirere vestem mutuatam: quia regulariter, & communiter loquendo, hanc sic requirere, aut nequit fieri sine magno rubore, & dedecore petentis, &

& molestia donantis, seu mutuantis: aut est valde difficile inuenire vestem proportionatam, aut conuenientem. Rursus; nec teneantur requirere sociam, aut pedissequam, vt iuxta decentiam sui status ad Ecclesiam causâ adimplendi præceptum audiendi Missam, vadant. *Tum*, quia non est facilè sociam inuenire. *Tum*, quia dato, quòd facilè illam inuenire possint, non tenentur, cùm ad hoc non obliget præceptum: sicut non obligat præceptum recitandi Horas, vt quis quærat socium ad illas recitandas, quando solus id præstare non potest: ergo, &c.

QVÆSTIO XL.

An fœmina, ex occulta fornicatione, grauida, excusetur ab audienda Missa?

RESpondeo, tanquam certum: Excusari; nisi aliàs in secreto Missam posset audire. *Primò*. Quia nemo tenetur prodere suam turpitudinem. *Secundò*. Quia præcepta Ecclesiæ, non obligant cum detrimento famæ, & honoris, vt omnes concedunt. Sic Hurtado *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.6.* Layman *lib.4. tract.7. cap.4. n.3.* Villalob. *diff.36. num.5. cit.* Reginald. *lib.19. num.16.* Philib. *de Ordine p.3. cit. cap.17. num.19.* Ledesma *cap.27. cit. post 16. concl. vers. La tercera manera*, vbi sic ait: [Tambien se escusa de oyr Missa, el que tiene alguna graue infamia, si sale de casa, de suerte que le veã. El exemplo es, en vna muger tenida por honesta, si se haze preñada, y no puede ocultar su peccado, sino es estandose encasa: esta tal no esta obligado à oyr Missa, porque seria infamarse. Y lo mismo se ha de dezir en otros casos semejantes. Loqual se ha de entender, con el limite, ya dicho, quando no puede oyr Missa secretamente.] Sic ille, & bene. Et Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.10. num.178.* Gesualdus *loc. cit. num.56.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XLI.

An excusentur à Missa, qui nequeunt ad templum sine timore iniuriarum; aut honoris iactura, ire?

RESpondeo, tanquam certum: Excusari. Quia hoc præceptum Ecclesiæ nõ obligat cum detrimento honoris, vt omnes fatentur. Sic Nauarr. *cap.21. num.3.* (non 39. vt inuenies apud Trullench) Henriquez *lib.9. cap.25.* (non 21. vt citat ipsemet Trullench) *num.10.* Suarez *disp.86.* (non 85. vt inuenies apud Bonac.) *sect.6.* Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.1.* Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vltim. punct. vlt. num.4.* Trullench. *lib.3. in Decalog. c.1. dub.7. n.2.* Bassæus *verb. Missa 9. num.3.* Philibert. *c.17. cit. n.19.* Scortia *lib.2. de Missa sacrif. c.20.* Filliuc. *tract.5. c.7. n.226.* Dicastillo *disp.5. cit. n.175.* Palao *tom.4. tract.22. punct. vltimo, n.3.* & omnes.

QVÆSTIO XLII.

An etiam excusentur, qui nequeunt domo exire, sine timore probabili hostium, pestis, Ministrorum Iustitiæ &c.

RESpondeo: Etiam excusari. Quia præceptum Missæ audiendæ non obligat cum probabili periculo alicuius mali grauis corporalis adhuc, proprij, vel alieni, vt omnes fatentur. Sic Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.1. ad finem.* Suarez *disput.88. sect.6. ver. Tertium caput.* Hurtado. *diff.6. cit.* Bonac. *loc. cit. num.3.* Henriquez *n.10. cit.* Scortia *lib.2. cit. cap.20. pag.164.* Fagundez, *de 1. præc. Eccles. lib.2. c.9. num.3.* Philibert. *cap.17. cit. n.19.* Petr. Ledesma *cap.27. cit. post 16. concl.* Bassæus, *v. Missa 9. num.3.* & Dicastillo *disp.5. cit. n.187.* & communis.

QVÆSTIO XLIII.

An Pastores ouium excusentur ab audienda Missa?

NEgat absolutè Iodocus *tom.1. Thesauri, ver. Missa §.50. vers. Excusantur, & Custodes.* Vbi sic ait: Pastores autem pecorum non sunt excusati: quia ante, aut post Missam auditam, debeor ea ducere. Ita ille. Sed non ita bene. Vnde,

Clariùs sic Respondeo; Non excusari quidem absolutè, sed casu tantùm, quo non possint sine periculo gregis Missam audire. Vnde non excusarentur, casu, quo haberent, cui curam gregis committerent, & ideo, si habent, eo quòd sint plures socij, debent ad Missam accedere hoc modo; quòd, scilicet, vnus ad Ecclesiam adeat, altero custodiente gregem; eo verò redeunte, alter ad Missam accedat. Quòd si vnica tantùm cõmuniter sit Missa, debent alternatim ad illam audiendam ire; ita vt vnus, vnâ die; alter, alterâ ad id pergat. Sic Suarez *disp.88. sect.6.* Nauar. *consil.5. tit.9. de Feriis.* Henriquez *lib.9. c.25. num.10.* Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.7.* Ægidius *loc. cit. num.314.* Bonac. *disp.4. cit. q. vltim. punct. vltim. num.6.* Scortia *lib.2. cit. c.20.* Hurtado *disp.5. diff.6.* Layman *lib.4. tract.7. cap.4. num.3.* Fagundez *lib.2. cit. cap.9. n.2.* Philibert. *c.27. cit. n.19.* Villalob. *tract.8. diff.36. n.7.* Bassæus *v. Missa 9. n.3.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.1. dub.7. n.6.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. dub.10. num.179.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. c.2. n.61.* Vega *1. part. sum. c.114. casu 4. col.1127.* Rodriguez, *tom.1. summ. c.122. n.8.* & alij.

QVÆSTIO XLIV.

An molitores excusentur à Missa præcepto?

RESpondeo: Non excusari; nisi solùm casu, quo, & licitè laborent in festo; & Missam nequeant audire, non intermisso opere, & labore, eo quòd non habeant aliquem, cui hanc curam committant. Sic Bonac. *loc. cit. num.6. vers. similiter Suarez*, Trullench. *loc. cit. num.* etiam 6. per hæc eadem verba: Addit Suarez excusari etiam molitorem, quoties molitori licitum est in die festo laborare; nam necessitas quæ ipsum excusat ab opere seruili, potest etiam excusare à Missæ auditione, si Missam nequeat audire, non intermisso opere, & labore. Sic illi. Et bene licet, vbi id doceat Suarez non inuenerim. Nam *disp.88. sect.6.* in qua id docere dicunt, nullo modo id docet; nec verbum de hac re habet. Legantur. Tenent etiam Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Qui, & citat Nauarrum *cap.13. num.9.* & Rosellam, *verb. Feria §.9.* Sed malè. Nam Nauarrus solùm docet, quòd sit licitum in festo molere molendinis fluminum, vel ventorum, quæ sine magna occupatione moliunt, & ad hoc confirmandum citant Rosellam *loc. cit.* Non tamen dicit, quòd ob hoc, à Missa excusentur molitores. Tenent tamen Dicastillo *loc. cit. num.178. in fine*, & Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.60.*

Digitized by Google

QVÆSTIO XLV.

An cursores, qui breui tempore, longum iter conficiunt (Hispanè, Correos à las quinze, ò a las veinte,) *excusentur ab audienda Missa?*

AFfirmant quidam absolutè, Excusari. Quia, regulariter loquendo; nequeunt sine damno, & intermissione notabili, Missam audire; excusat igitur eos amissio boni temporalis, ex quo, tanquam officio vtili reipublicæ, viuunt. Sic Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.7. num.6.* Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vltim. punct. vltim. num.6. vers. Ex quo fit.* Et ante illos, Henriquez *loc. cit.* Qui, *in Glossa litt. B. ait*, id etiam significare Caiet. *verb. Festum.* & alios Recentiores. Bassæus *v. Missa. 9. num.3.* Llamas *3. part. Method. cap.5. §. 11. pag.494.* Suarez *disputatione 8. sect.6. vers. Quantum caput.* & alij.

Sed clariùs Respondeo: Excusari quidem, casu, quo cursoribus, vel personis, in cuius gratiam expediuntur, imminuit aliquod damnum, ex mora, aut ex dilatione negotij, quod vrgeat; secus aliàs. Sic Dicastillo *loc. cit. num.179.* & sic intelligendi suot Authores citati.

QVÆSTIO XLVI.

An etiam Nautæ ab auditione Missæ excusentur?

AFfirmant excusari absolutè, Henriquez Bonac. Trullench, & Bassæus, *loc. cit.* & alij Recentiores apud Henriquez *in Glossa lit. C.*

Sed clariùs, cum limitatione quadam, Respondeo: Excusari quidem; quando Nautæ, aut nauigantes, actualiter sunt in nauigationis cursu, valdéque a terra remoti, neque in ipsis Nauigiis celebretur Missa. (Nam id esse possibile nonnulli affirmant) secus verò, si in ipsis Nauigiis dicatur Missa; aut si proximi sint ad terram, ad quam accedere possint, vt Missam audiant (nam id, adhuc in ipso cursu nauigationis, sæpe sæpius, vt vidi, occurrit) quia tunc non excusantur à Missa, cùm facilè possint illam audire. Sic Suarez *disp.88. sect.6. vers. Secundum caput.* Dicastillo *disp.5. cit. num.59.* Gesuald. *de Sacram. tract.17. cap.2. num.44.* per hæc verba: Ad hanc impotentiam corporalem reducitur impedimentum nauigantium in mari, ita vt non possint ad terram accedere, tales enim excusantur à præcepto audiendi Missam; ad impossibile enim nemo tenetur. Sic ille.

QVÆSTIO XLVII.

An saltem Nauigantes, teneantur ex vi præcepti, audire Missam, quam vocant, Siccam, *quæ interdum in Nauigiis celebrari solet?*

REspondeo, tanquam certum: Non teneri ex vi præcepti. Quia re vera, illa non est Missa, cùm in ea non consecretur Corpus, aut Sanguis Christi, sed solùm dicantur Epistola, Euangelium, & aliæ preces: ergo ad illam audiendam non obligat præceptum. Quamuis optimum consilium sit illam audire. Sic Suarez *loco nuper citato.* Azor *tom.1. lib.7. cap.7. quæst.6.* Candidus *disquis 25. art. 29. dubit.11.* Dicastillo, *disp.5. cit. num.24.* Filliuc. *tom.1. tract.5. cap.7. num.224.* Gesualdus *loc. cit.* Bonacina *disp.4. cit. quæst. vltima, puncto vltimo, in vltima edit. vers. Ex quo fit.* Et omnes.

QVÆSTIO XLVIII.

An Agasones, & vectores equorum, seu armentorum, excusentur ab auditione Missæ?

REspondeo: Absolutè loquendo, non excusari (præsertim, si in die festo iter aggredi incipiant) nisi casu, quo si morarentur in Missa audienda, aut magnas expensas facerent; aut alicuius negotij magnam iacturam subirent. Sic Henriquez *lib.9. cap.25. n.10.* sic inquiens: Excusatur, si auditio Missæ obesset graui negotio, vt mercator, vel Agaso cum iumentis onustis, aut vector equorum, seu armentorum, qui faceret magnam iacturam in negotiis, vel magnas expensas, si in hospitio prope Ecclesiam maneret, vbi mane in festo Missam audiat, ideóque pernoctat in agro, aut paruo hospitio, vbi minores expensas faciat; aut magnas esset facturus, si Missam, quæ dicitur prope meridiem, expectaret. Sic ille, & ante illum, Nauarr. *lib.2. consil.4. de feriis, tit.9.* Caiet. *2.2. quæst.122. art.4. & in summ. vers. Festum.* Azor. *lib.7. cap.7. quæst.1.* Bonac. *disp.4. quæst. vltim. punct. vltim. num.6. vers. ex quo fit.* Layman. *lib.4. tract.7. cap.4. n.3.* Hurtado *disp.5. diff.6.* Tolet. *lib.6. cap.9. n.4.* Fagundez *lib. 2. cap.9. num.2.* Scortia *lib. 2. cap. 20.* Petr. Ledesma *tom. 1. summ. cap. 27. post 16. concl. vers. Ante todas cosas.* Villalob. *tract.8. diff.36. num.5.* Rodriguez *cap.125. num.9.* Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.7. num 6.* Bassæus *v. Missa 9. n.3.* Dicastillo *tract.5. de Sacram. disp.5. num.178.* Palao *tom.4. tract. 22. punct. vltim. num.* Gesualdus *de Sacram. tract.17. cap.2. num.60.* & alij

QVÆSTIO XLIX.

An etiam, excusetur à Missa iter faciens, qui ne socios necessarios amittat ad iter peragendum, vel quia viam ignorat, vel timet latrones &c. omittit Missam?

REspondeo, Excusari. Quia nemo tenetur audire Missam cum graui incommodo; quale pateretur, qui in prædicto quæstionis casu, ad illam audiendam detineretur. Sic Henriquez *lib.9. cap.25. num.19.* per hæc notanda verba: Iter faciens excusatur, si adhibeat diligentiam cum spe probabili audiendi: vel si vehitur ab Agasone ferente eius onera; vel qui eget socio monstrante viam; aut comitante, quando periculosa est via: vel leuante tædium, quando longa est nimis, vel eget eo socio, cui ipse donat expensas viæ. Sic ille. Nauarr. *cap.21. n.3.* (non 9. vt inuenies apud Scortiam) Azor. *lib.7. cap.7. quæst. 1.* Suarez *disp.88. sect.6. vers. Quartò numerantur.* Caiet. *vers. Festa.* & Armilla *verb. Missa, n.30.* penes illum. Scortia *lib.2. de Sacrif. Missæ, cap. 20.* Bonac. *loc. cit. num. 6. vers. item excusatur.* Layman *n.3. cit.* Petr. Ledesma *cap.27. cit. post 16. concl. vers. Por esta raçon.* Villalob. *loc. cit. num.5.* Ægid. *loc. cit. num. 314.* Hurtado *diff.6. cit.* Tolet. *lib.6. cap.9. num.2.* Machado *lib.2. part. 4. tract.2. docum.2. nu.4.* Gesualdus *loc. cit. n.58.* Philibert. *c.17. cit. num.19.* Trullench. *num.6. cit.* Bassæus *loc. cit. n.3.* Reginaldus, Fagundez, & Dicastillo *locis citatis.* & omnes.

QVÆ

QVÆSTIO L.

An item, excusetur iter faciens, si Missam omittat, ea tantùm de causa, ne scilicet, amittat socios in via?

NEgant absolutè, in hoc casu, excusari à Missa audienda, Suarez, Bonac. Ledesma, Ægidius, Trullench. Tolet. Reginaldus, & Dicastillo *loc. cit.* & Villalob. per hæc verba: [Y el que và camino (*excusatur* intellige) por donde ay ladrones, si dexa la compañia que lleuà, ò que le hazen la costa lleuando necessidad, o si tenie otro graue daño: mas no basta para escusarse, solo el deyar la compañia.] Sic ille. Ratio que eorum est: quia leue incommodum, quale est iter facere sine comite, non excusat à Missa.

Affirmant verò, è contrà Iodocus. t *tom. Thesauri. verb. Missa*, §. 50. *vers. Excusantur & Custodes.* Vbi absolutè docet, quòd excusantur à præcepto Missæ, iter facientes, si audiendo Missam, socios amitterent. Et Machado *loc. cit. num.* 4. per hæc verba: [Y aunque algunos Doctores sienten que esta doctrina se deue entender, quando de perder la compañia se siguiesse graue daño al caminante, por ser tierra de ladrones; o porque no sabia el camino, o porque el compañero le hacia la costa Nauarro lo concede absolutamente; porque siempre es incomodidad, perder en los caminos la compañia.] Ita Machad. Qui etiam pro hac parte citat Bassæum, *ver. Missa* 9. *num.* 3. *vers. Item iter facientes.*

Sed certè, non ita benè citat hos Authores pro hac parte; cùm solùm loquantur in casu, quo amittant comites, seu socios necessarios ad iter agendum. Sic namque ait Nauarr. *cap.* 21. *n.* 3. loquendo de his, qui à Missa excusantur; Iter facientes quoque qui audiendo Missam, socios necessarios amitterent. Et Bassæus *loc. cit.* Sic Item, iter faciens, qui alioqui socios necessarios amitteret, quibus opus habet ad iter peragendum. Sic ille. Non ergo hi Authores loquuntur absolutè, sed in casu quo amittant, audiendo Missam, socios necessarios, quibus opus habent. Melius posse pro hac parte citare Vegam 1. *p. summ. c.* 114. *cas.* 4. *col.* 1127. vbi ita ait: [Tambien se escusanlos que van camino, y lleuan buena compañia, y la perderan por oyr Missa quedando por esto desacomodados.]

Vnde ego cum distinctione, Respondeo dicendū Quòd verè excusetur dictus iter faciens, eo solùm quod aliàs amitteret socios, seu suæ viæ comites, si audiret Missam, casu tamen solùm, quod iter, quod facturus sit, sit valde longum, & solitarium, secùs verò si breue sit. Ratio. Quia in priori casu, ex amissione sociorum, nō leue, sed graue satis, pateretur incommodum, & fastidium, amittendo solatium, & leuamē tædij, quod ex longo itinere necessariò oritur: ergo hæc sufficiens causa est, vt excusetur à Missa audienda in dicto casu; Non verò, in secundo, cùm in illo, leue pateretur incommodum. Sic Henriquez *loc. cit.* vt cōnstat ex eius verbis relatis, *quæst. antecedenti*, ibi *vel leuante tadium, quando longa est nimis.* Scortia etiam *lib.* 2. *de Missa, cap* 20. docens, excusari à Missa, iter facientes, si audiendo illam, socios necessarios, aut propter pericula, aut ignorantiam viæ, aut leuandum in itinere longo tædium, amitterent. Molfesius item, *in summa, tract.* 3. *c.* 17. *n.* 61. per hæc verba: Ad eamdem causam, quasi ad moralem impotentiam, reducuntur iter facientes, si audiendo Missam, socios necessarios amitterent, aut propter pericula, aut ignorantiam viæ, aut leuandum tædium in lungo itinere. Sic Molfesius.

QVÆSTIO LI.

An Milites stationarij, & vigiles ciuitatum, excusentur ab auditione Missæ?

AFfirmat absolutè Graffius, *cap.* 35. *cit. num.* 9. per hæc verba: Excusantur etiam Custodes arcium ratione officij sui: Ita ille. Et antea Syluester *v. Missa* 2. *n.* 2.

Sed clariùs, Respondeo: Excusari quidem si nequeant hoc suum officium dimittere absque graui detrimento. Secus si possint, iuxta mox dicenda. Sic Nauarr. *cap.* 21. *num.* 3. (non 23. vt inuenies apud Azorium) Suarez *disp.* 88. *sect.* 6. *vers. Quintum caput.* Fagundez *de* 1. *precept. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 1. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 4. Layman. *lit.* 4. *tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 3. Petr. Ledesma *cap.* 27. *cit. post* 16. *concl. vers. La quinta manera.* Villalob. *tract.* 8. *diff.* 36. *num.* 7. Bassæus *v. Missa* 9. *n.* 3. Graffius *lib.* 2. *decis. aur. cap.* 35. *num.* 5. Dicastillo *disp.* 5. *cit. dub.* 10. *n.* 206. & Ioan. Martinon *de Sacram. disp.* 40. *sect.* 9.

QVÆSTIO LII.

An etiam Custodes carcerum, vinearum, & huiusmodi, excusentur ab audienda Missa?

REspondeo: Etiam excusari. Quia sine graui damno proprio, aut alieno, dictam custodiam relinquere nequaquam possunt. Sic communiter Doctores citati, præcipuè Tolet. Ledesma, Dicastillo, & Fagundez. Intellige tamen hoc esse verum, nisi aliàs habeant aliquem socium, aut aliam conuenientem personam, cui cura huiusmodi committi possit; quia tunc cùm possint sine vllo damno Missam audire, tenentur. Vt notat Molfesius *loc. cit. num.* 36.

QVÆSTIO LIII.

An Consiliarij, & alij, qui seria negotia, ex officio tractant, excusentur à Missa?

REspondeo: Excusari, non absolutè, sed solùm casu, quo non possint dicta negotia in aliud tempus differre, absque detrimento proprio, aut alieno. Sic Nauarr. *cap.* 21. *num.* 3. Syluest. *v. Missa* 2. *num.* 1. Azor *cap.* 7. *cit. quæst.* 1. Toletus *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 4. Fagundez *lib.* 2. *cit. cap.* 9. *num.* 2. Iodocus *verb. Missa* §. 50. *vers. Excusantur, & Custodes.* Bassæus *num.* 3. *cit. vers. Item Domini.* Dicastillo *loc. cit. num.* 207. Gesualdus *loc. cit. num.* 56. Graffius *num.* 5. *cit. vers. Patere.* Vbi sic ait: Similiter excusantur (*intellige* Domini, eorumque consultores, qui tempore Missæ, moram negotiis non patientibus impediuntur. Sic ille. Et omnes.

QVÆSTIO LIV.

An puella, quæ credit, se ab adolescente perditè adamandam, si domo exeat, excusetur à Missa?

NEgant Henriquez *lib.* 9. *c.* 25. *num.* 10. *in fine.* per hæc verba: Sed virgo, quæ credit, exeuntem ad Missam, à fragili concupiscendam, non excusatur à Missa festorum. Ita Henriquez. Qui ibidem in Glossa, *lit. N.* citat pro se Nauarrum *in Man. cap.* 14. *num.* 20. & *cap.* 23. *num.* 23. Sotum, Maiorem, Penam & Menses. Rursus, Bonacina, Trulleoch, &

& Bassæus, citant pro hac parte Nauarrum *cap.* 24. *numer.*3. Sed omnes malè. Nauarr. inprimis meus Nauarrus in hoc *numero*, 3. nihil habet ad propositum: nec similiter quidquam habet *in cap.* 23. *num.* 23. vbi illum citat Henriquez. Habet tamen aliquid *cap.* 14. *numer.* 30. *cit.* Sed non quid dicit Henriquez. Quia ibi Nauarrus, nequaquam docet, quòd dicta puella teneatur, ex vi præcepti, audire, in proposito casu, Missam; sed, quòd non peccet illam audiendo, quamuis faciat, aut credat, se ab adolescente mortaliter concupiscendam. Quod quid diuersum est. Sic namque ait Nauarrus. Dixi, absque necessitate vel vtilitate, sed ex mera voluntate: quoniam si alioquin, non potest congruo quodam modò talia loca non adire, aut tunc temporis illis non adesse, vbi ab alio solet videri, quia v.g. eundum est illi ad Ecclesiam, vel aliò, vel sedere oportet ad ianuam cum vicinis, & affinibus, ne inurbanitatis possit argui, nullatenus peccat. Sic ille. Tenent tamen hanc sententiam, licèt cum limitatione aliqua, Rodriguez 1. *p. sum. cap.* 23. *num.* 4. & alij. Quorum fundamentum est. Quia in hoc casu, cùm malum proximi sequatur per accidens, non est curandum de illo.

Alij verò è contrà, affirmant in dicto casu, teneri ad omittendam Missam bis, vel ter, si credat Puella, Adolescentem ex fragilitate ruiturum. Ita Valentia *tom.* 3. *disputat.* 3. *quæst.* 18. *punct.* 4. & Lopez 1. *p. cap.* 57. Imo, id ipsum, absque vlla limitatione, docuit Ioseph Angles *in* 2. *lib. sent. dist.* 37. *quæst* 4. *dub.* 2. *Propositione* 3. *Append.* 6. *pag. mihi.* 306.

Sed, media via, probabiliùs Respondeo dicendum. Quòd quamuis in dicto casu, optimè possit puella Missam omittere: non tamen ad id teneatur. Ratio primæ huius responsionis partis, est, Quia præceptum Missæ, non obligat cum detrimento spirituali proximi. Ratio verò secundæ: Quia Puella, exeundo domo, vtitur iure suo. Sic sentiunt Caiet. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Suarez *disp.* 88. *sect.* 6. *vers. Quartum caput.* Azor. 3. *p. lib* 3. *cap.* 16. *quæst.* 6. Sà *verb. Missæ auditio. num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *summa cap.* 6. *num.* 16. Bonacin. *disput.* 4. *cit. punct. vltim. cit. numer.* 15. & *quæst.* 4. *de Matr. punct.* 9. *num.* 17. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *in fine.* Philiber. 3. *p. cit. c.* 17. *num.* 19. Trullench. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 1. *dub* 7. *num.* 13. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 7. *numer.* 227. Bassæus, *Missa*, 9. *numer.* 4. Petr. Ledesma *c.* 27. *post* 16. *concl. vers. Lo segundo puede acontecer.* Villalobos, *loc. citat. num.* 6. Dicastillo *disp.* 5. *cit. num.* 204. Et alij.

QVÆSTIO LV.

An ignorantia inuincibilis, obliuio, aut inconsideratio diei festi, excusent à præcepto Missæ?

NEgat Vega 2. *part. sum. cap.* 41. *casu* 38. *col.* 559. [Porque (inquit) si huuiera puesto diligécia, huuiera desterrado el oluido; y porque si huuiera sido cuydadoso de las cosas que son de Dios, acordarase del dia de fiesta, y que està obligado à hallarse à las cosas sagradas; y por tanto està omision de las cosas sagradas se le imputata &c.] Ita ille. Qui, & citat pro hac parte Iosephum Angles *in* 2. *lib. senten. dist.* 37. *q.* 2. *de essentiali peccati omission. diff.* 3. *dub.* 2. *pag.* 254. Et benè, cùm expresse ibi affirmet, quòd, qui in die festo ex obliuione non audit Sacrum, peccet.

Sed tanquam longè probabiliùs, Respondeo: Excusare. Quia hæc omnia, à peccatis excusant. Ratio est. Quia durante ignorantia inuincibili, obliuione, aut inconsideratione, non potest ignorans, obliuiosus &c. Vitare peccatum: at sic est, quòd nemo peccat in eo quòd vitare non potest: ergo. Sic latè & optimè, vt semper. Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 16. *à num.* 20. Et penes ipsum D. Thomas, Syluester, Corduba, Vasquez, & alij. Sic etiam in specie loquendo de nostro casu, Suarez *disp.* 88. *sect.* 6. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *quæst.* 4. Fagundez *de* 1. *præc. Eccles. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 1. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst. vltim. punct. vltimo, n.* 17. Bassæus *v. Missa*, 9. *n.* 6. Dicastillo *tract.* 5. *de Sacram. disp.* 5. *num.* 129. & 130. & omnes iam communiter. Imo ipsemet Angles *in lib.* 4. *sentent. tract. de Horis Canon. quæst.* 1. *n. diff.* 4. *concl.* 2. *pag.* 367, loquendo in specie de nostro casu, fatetur ignorantiam, aut inaduertentiam, aut obliuionem excusare quem à præcepto Missæ, licèt non à peccato veniali.

QVÆSTIO LVI.

An etiam consuetudo regionis excuset à præcepto audiendæ Missæ?

REspondeo: Etiam excusare. Quia consuetudo, sicut potest legem inducere; potest illam abrogare. Sic omnes Doctores.

QVÆSTIO LVII.

An ab audienda Missa excusentur viduæ, quæ mortuo marito, ad certum tempus non exeunt domo?

REspondeo, tanquam certum: Excusari. Quia similis consuetudo iustè est introducta propter honestatem vidualem, & rationabilem tristitiæ causam. In hoc omnes Doctores conueniunt. Non in assignando tempus, per quod licitè possint manere domi, vt iam videbimus. Sit ergo,

QVÆSTIO LVIII.

An præfata viduæ excusentur à præcepto Missæ, etiamsi per semestre, aut annum, domi, ex recepta consuetudine, se contineant?

NEgat imprimis Iodocus, *tom.* 1. *Thesauri*, *vers. Missa*, §. 50. vt denotant hæc eiusdem verba. Tertiò, qui domi lugent suos defunctos excusantur secundùm patriæ consuetudinem: scilicet, vsque ad Missam diei depositionis, qui dies rarò differtur vltra tertium, aut quartum diem, vel vsque, ad diei septimi exequias habitas. Vlterior cessatio ab audiendis Missis ob luctum, tota est superstitiosa, & grauissimè prohibenda pariter, & puniendа: quoniam impediunt se ipsos ab audiendis Missis, & aliis diuinis Officiis in Ecclesiis. Ita Iodocus. Qui vt vides, solùm concedit excusari viduam à Missa per septem dies, per quos domi ad lugendum, se continere potest.

Negant deinde, apud Henriquez, *vbi infrà*, Caiet. 2. 2. *quæst.* 114. *art.* 4. *col.* 6. *casu* 6. D. Anton. 2. *part. tit.* 9. *cap.* 9. §. 12. Syluest. *vers. Missa* 2. §. 2 Tabiena, §. 47. & Armilla, §. 30. Quibus addi possunt Gesuald. *de Sacram. tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 65. (Qui tamen malè citat pro hac parte Nauarrum, Suarium, & Bonacinam) & Graffius *cap.* 35. *cit. num.* 5. ita dicens. Vidua quoque, quæ se domi continet post mortem mariti in aliquo breui tempore, excusatur: secus si per menses sex vel per annum. Ita ille. Et alij existimantes, solùm excusari per mensem; non per semestre, aut per annum.

Sed

Sed absolutè probabiliùs, Respondeo: Excusari à præcepto audiendi Missam, per quodcumque tempus consuetudine receptum (secus, aliàs) licèt extendatur ad semestre, vel ad annum. Quia per talem consuetudinem, si re vera introducta, & præscripta est, abrogatum est, per huiusmodi tempus, præceptum audiendi Missam. Sic ex Nauarro, docet Tolet. *lib.6.cap.9. numer.3. vers. Tertia causa.* Per hæc verba: Tamen Nauarr. *cap.*21. *num.*4. dicit meliùs, licere etiam per annum: dum talis sit loci consuetudo: ita vt citra infamiam non liceat egredi. Nec in hoc est limitatum tempus, nisi iuxta consuetudinem loci, quamuis istæ consuetudines debeant corrigi per Episcopos. Qui tamen vltra consuetudinem loci maneret, & prætermitteret Sacrum, peccaret mortaliter. Sic ille. Et bene, Suarez, *disp.*88.*sect.6.vers. Sextum caput.* Addens ex eodem Nauarro, quòd oporteat, vt quæ hanc consuetudinem seruant, quoad non audiendam in Ecclesia Missam, eam simpliciter etiam seruent, non egrediendo domo ad res alias, Henriquez *lib.9. c.25. num.*12. Llamas 3.*part. Method. c.5.* §.1 à. Bonac. *disp.4. de Euchar. quæst. vlt. punct. vltim. n.*25. Hurtado, *disp.5. de sacrif. Missæ, diff.*6. Layman, *cap.4. cit. num.*2. Fagundez, *de* 1. *præcept. Eccles. lib.*2. c.9. *num.*6. Azor, *tom.1. lib.7. cap.*7. (non 8. vt inuenies apud Fagundez) *quæst.*2. Bassæus *v. Missa* 9. *n.*3. *in fine.* Philibert. *cap.*17. *cit. n.*21. Filliuc. *tract.5. cap.7. num.*229. Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.7. n.*18. Ledesma, *loc. cit. vers. La sexta manera.* Villalob. *diff.*36.*n.*8. & Dicastillo etiam *disputat.5. cit. num.*219. Et alij.

QVÆSTIO LIX.

An etiam excusentur à Missa, puellæ nobiles, quæ non solent domo egredi, donec nuptui tradantur, & ideò Missam omittunt?

Respondeo: Etiam excusari, vbi hæc consuetudo, re vera est introducta, tolerata, & præscripta, & viget. Quia licèt hæc consuetudo non sit ex se laudabilis, potest tamen, cùm non sit intrinsecè mala, si semel introducta sit, abrogare legem audiendi Missam, in hac parte. Sic omnes Doctores: præcipuè Nauarr. Suarez, Henriquez, Caiet. Tolet. Hurt. Bonac. Bassæus, Layman, Dicastillo, Gesuald. Molfesius, Azor, Ledesma, Villalob. Trullench, Fagundez, & alij, *loc. cit.*

QVÆSTIO LX.

An adhuc excusentur, si dictæ puellæ soleant aliàs domo exire, ad ludos, vel choreas, non verò ad audiendam Missam?

Affirmat, adhuc excusari, à præcepto audiendi Missam, vbi hæc consuetudo introducta est, Bonac. *punct. vltim. cit. num.*26. Vbi docet; quòd si dictæ puellæ soleant domo exire ad ludos, & choreas, aut spectacula; aut se exhibeant videndas ad fenestras, sit consentaneum, vt etiam exeant ad Missam audiendam; nihilominus tamen, se non damnare peccati mortalis dictas puellas, vbi recepta est consuetudo non exeundi ad Missam.

Sed longè multò probabiliùs, & veriùs, Respondeo: Non excusari, in dicto casu, à præcepto audiendi Missam; etiam si esset consuetudo, non exeundi ad illam audiendam; dummodo ad ludos, vel choreas, &c. exeant. Quia talis consuetudo omnino esset irrationabilis, & à Prælatis intolerabilis: ergo adhuc illa extante, non excusarentur tunc dictæ puellæ à præcepto audiendi Missam. Sic Henriquez, *lib.9. cap.*25. *num.*12. Vbi sic ait: Si tamen parens permittit virginem exire ad spectacula, & alia ludorum [...]ta, aut impunè in fenestris se videndam exhibere, debet, potiori iure, in Templum se deferre ad Missam, saltem ter in anno; vel curare, vt domi in Oratorio cum licentia Episcopi celebrentur Missæ in solemnioribus festis, quibus Virgines intersint. Sic ille ex Nauarro *cap.*21. *num.*9. Suarez etiam, *sect.6. cit. vers. Sextum caput.* Trullench, *loc. cit. num.*18. Sic dicens: Verùm si huiusmodi puellæ soleant domo exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula, aut se exhibeant videndas ad fenestras, non dubito, tunc non exeundo ad audiendam Missam peccare mortaliter. Sic ille. Et bene. Dicastillo, *disp.5. cit. num.*217. & 218. Vbi monet, dictam consuetudinem, quoad fieri posse moderandam, vel auferendam esse, eo quòd irrationabilis videatur. Sic etiam Gesualdus *de Sacram. tract.* 17. *cap.2. num.*77. per hæc verba: Verum est tamen quòd si huiusmodi puellæ soleant domo exire ad ludos, seu spectacula videnda, siue se exhibeant videndas ad fenestras siue alibi, tunc non excusari à præcepto Missæ audiendæ, quia cessat iam excusationis ratio, prout aduertunt Nauar. *d. c.21. n.*9. Graff. 1.*part. decis. lib.2. cap.36. num.*5. Barthol. ab Angel. *Dialog.5. de Missa*, §.827. Angel. *verb. Feria, num.*42. Caiet. *in sum. verb. Festor. violatio.* Soto *in* 4. *dist.*13. *quæst.2. art.*1. Suarez, Bonac. & Filliuc. *loc. cit.* Molfes. *cap.17. cit. num.*66. Ita ille. Et benè, excepto quod non bene citat Bonacinam pro se.

QVÆSTIO LXI.

An excusentur à Missa audienda mulieres, quæ per aliquot dies post partum, etiamsi plenè conualuerint, se ab ingressu Ecclesiæ abstinent?

Respondeo: Excusari, dummodo id non faciant ex superstitione, aut Mosaïco ritu, sed ex quadam reuerentia, & deuotione, vt clarè decernit Innoc. III. *in cap. vnico de purificat. post partum.* Sic Caiet. *ver. Festum.* Suarez, *disp.88. sect.6. vers. Sextum caput.* Henriquez, *lib.9. cap.25. num.*12. Qui in Marg. *lit.K.* citat, Angelum, Nauarrum, *cap.21. num.*9. Caiet. *loc. cit.* Anton. 3.*p. tit.1. cap.*20. & Maiolum *de irregular. lib.3. num.*4. Sed ex his, Nauar. non citatur bene: Quia *num.*9. nihil de hac quæstione. Sic etiam Bonac. *loc. cit. num.*28. Llamas, *cap.5. cit.* §.11. *pag.*491. Trullench. *dub.7. cit. num.*18. Filliuc. *tract.5. cap.7. n.*129. Lublinus 1.*par. sum. verb. Festum, num.*14. Dicastillo, *disp.5. cit. num.*217. Molfesius *in sum. tract.3. c.17. num.*67. Qui bene notat, quòd dictæ mulieres eandem consuetudinem non prodeundi in publicum ad Missam, seruare debeant in aliis negotiis, alioquin non excusarentur.

QVÆSTIO LXII.

An excusentur ab auditione Missæ, mulieres, quæ menstruam consuetudinem patiuntur.

Respondeo: Non excusari, per se loquendo. *Tum,* quia nec consuetudo, saltem vniuersalis, nec textus aliquis, cùm non detur, excusant. *Tum* etiam; quia menstrua, per se non impediunt communionem; ergo nec debent per se, Missæ auditionem impedire. Dixi autem. *Per se loquendo.* Quia per accidens, benè possunt à præcepto Missæ excusari.

ut verbi gratiâ, si mulieribus menstrua patientibus ægritudo, aut debilitas adiungeretur: Vel si timeretur aliqua irreuerentia loci Sacri, seu exterior aliqua indecentia; quia tunc sufficienter excusarentur. Sic Nauarrus *cap. 21. num. 9.* Suarez, Henriquez, Llamas, Bonacina, Trullench, Filliuc. & Dicastillo, *loc. cit.* Vega etiam, *2. part. summ. c. 41. casu 42. col. 561.* & communis.

QVÆSTIO LXIII.

An saltem, excusentur ab auditione Missæ, etiam per se, aut ratione menstrui ordinarij, ubi talis consuetudo recepta est?

NEgare videtur Suarez *loc. cit. sect. 6. vers. Sextum caput.* Vbi expressè affirmat, quòd de hac re, nec introducta est, nec moraliter loquendo, introduci potest consuetudo. Et idem docet Dicastillo, *num. 219.*

Sed re vera, Respondeo dicendum, quòd si semel introducta est alicubi consuetudo, & tolerata à Prælatis, vt mulieres tempore menstrui ad Ecclesiam, audiendi Missam causâ, non accedant, (vt testatur Llamas, se vidisse in Montanis Galatiæ, & Legionis Regno) verè excusentur à præcepto Missæ audiendæ. Quia re vera, quidquid Suarez sentiat, rectè, ex honesta causa nempe religionis, ac reuerentiæ templi introduci potuit: ergo semel sic introducta, sufficiens est per se ad excusandum à præcepto Missæ, mulieres, toto tempore, quo menstrua patiuntur.

QVÆSTIO LXIV.

An excusetur à præcepto Missæ audiendæ, qui per totum tempus, quo celebratur, in facienda confessione de præcepto, est occupatus?

REspondeo: Excusari; dummodo confessio dicta, moraliter nequeat differri. Quia præceptum de peccatis confitendis, maioris ponderis est; quàm præceptum de Missa audienda: ergo vtroque occurrente, primum est anteponendum. Sic Suarez, *disputat. 88. sect. 6. vers. Septimum caput.* Sed clariùs, & expressiùs Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 7. quæst. 8.* Fagundez, *de 1. precept. Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 12.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 7. num. 19.* Dicastillo, *tract. 5. de Sacram. disputat. 5. num. 197.* & communis.

QVÆSTIO LXV.

An etiam excusaretur, qui in facienda confessione ex deuotione, detineretur?

NEgat Suarez *loco citato*, & Azor per hæc verba: Si confessionem peccatorum voluntariam spontè faciat, potiùs rem diuinam audire debet, quàm peccata confiteri: quia voluntaria confessio est consilij opus, auditio verò rei Sacræ, est debitum, & imperatum officium. Sic Azor.

Sed clariùs, cum distinctione, Respondeo: Non excusari quidem, si detineretur in facienda quacumque voluntaria confessione, & absque vlla speciali necessitate, & causa, vt bene probant Auctores primæ sententiæ: bene tamen, si detineretur in faciendo confessionem voluntariam, in magna aliqua necessitate, aut in solemnissimo Iubilæo, aut quando conscientia est nimis grauata, & longum tempus præcessit, quo non fuit confessus; maximè si eo tempore habeat copiam Confessoris, quem posteà, cum difficultate obtinebit, & in alijs similibus casibus, in quibus aliqua vrget moralis necessitas, quæ sufficiens est ad excusandum ab hoc Missæ præcepto. Sic Fagundez expressè *lib. 2. cit. cap. 9. num. 12.* per hæc verba: Mihi videtur in magna necessitate spirituali confessionis, quamuis ea non sit de præcepto, sufficienter posse quemquam excusari, verb. c. in Iubilæo, in festo aliquo, quando conscientia nimis grauata est, & longum tempus præcessit, quo non fuit quisquam confessus, vel in aliqua tentatione, & in alijs casibus similibus: sed in hac re iudicium prudentis desideratur. Sic ille. Cuius sententiam probabilem iudicat, Trullench, *loc. citato.*

QVÆSTIO LXVI.

An excusentur à peccato, contra hoc præceptum, qui bona fide putant, se esse legitimâ causâ impeditos, etiamsi in re fallantur?

REspondeo: Excusari. Quia bona fides excusat illos. Sic Toletus *lib. 6. capite 9.* (non 4. vt inuenies apud Trullench) in fine. Vbi sic ait: in omnibus his casibus notandum est, quòd quamuis aliquando de facto, non sit vera causa excusans, tamen si aliquis putat bona fide esse veram, & sufficientem causam non audiendi, non peccat moraliter, sicut etiam diximus de ieiunio. Sic Toletus, Azor, etiam *1. part. lib. 7. cap. 7. quæst. 4.* Sylvest. *verb. Missa 1. versu 1. & v. Missa 2. num. 6.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 1. dubitat. 7. num. 22.* Ioann. Henriquez, *in summ. cap. 15. num. 12.* Fagundez, *cap. 9. cit. num. 14.* Dicastillo, *disputat. 5. ci. num. 131.* Valentia, *tom. 2. disputat. 7. quæst. 5. punct. 6. in fine*; & Graffius *lib. 2. decis. aurearum, c. p. 35. num. 5. & 6.* Sotus, *lib. 2. de iustitia, & iure, quæst. 4. art. 4.* Nauarrus *cap. 21. num. 3.* Caietanus, *in summa verb. Festos.* Molfesius *in summ. tract. 3. cap. 17. num. 68.* & penes illum, Nauarr. Corduba, Rodriguez, Sanchez, & alij.

QVÆSTIO LXVII.

An item, excusentur iter agentes, quando, bona fide, putant se reperire posse Sacrum in aliqua Ecclesia, si illud postea non reperiant?

REspondeo: Excusari etiam propter bonam eorum fidem, & spem probabilem, quam reperiēdi Missam habebant. Sic Henriquez *lib. 9. cap. 15. num. 10.* & Trulleneh *loc. cit.* Fagundez *loc. cit. numero 14. in fine.* Ita dicens. Et ex hoc principio satis excusantur iter agentes, quando bona fide putant, se in aliqua Ecclesia, dum iter peragunt, posse reperire Sacrum quod audiant; si illud non inueniant diebus festis. Sic ille.

QVÆSTIO LXVIII.

An in casu, quo quis, rationabili causa excusatur à Missa audienda, teneatur loco illius, aliquas orationes ad Deum fundere?

AFfirmant Scot. *in 4. dist. 9. q. 1. art. 2.* Apud Azorium, & apud Henriquez, *in 3. dist. 9. & 17.* & Angelus, *verb. Feria, num. 43.*

Sed

Sed, tanquam certum ferè, Respondeo: Non teneri. Quia certum ferè est, nullum de hoc extare præceptum: sed solùm de Missa audienda modo suprà explicato: ergo ad nihil aliud tenentur ex vi dicti præcepti. Sic Henriquez. *cap.25. citat. num.13.* Suarez *disputat.88. sect.6. vers. Sed inquires.* Azor *1. part. lib.7. cap.7. quæst.14.* Nauarrus, *cap.21. numero 7.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.1. dub.7. num.14.* Filliuc. *tractat.5. cap.7. in fine.* Bonacin. *disput.4. de Euchar. quæst. vlt. punct. vlt. num.16.*& alij.

QVÆSTIO LXIX.

An saltem, qui in festo non potest Missam audire, teneatur alio die illam audire?

AFfirmant quidam, quos refert Azor *loc.cit.*
Sed, vt certum, Respondeo: Adhuc non teneri. Quia præceptum audiendi Missam est affixum diei, ergo illo transacto, non obligat. Sic Authores citati, præcipuè Bonacin. *loc. cit.* & alij, quos in tractatu de Ieiunio, *disputat.4. quæst.14.* Loquendo de casu simili citabimus.

QVÆSTIO LXX.

An quando festum transfertur in alium diem, teneantur fideles audire Missam, eo die in quem translatum est?

REspondeo, tanquam certum: Non teneri. *Primò* Quia ita docet praxis fidelium. *Secundò.* Quia Festum solùm transfertur quoad officium; minimè verò quoad præceptum audiendi Missam, & abstinendi ab operibus seruilibus; siquidem huiusmodi obligationes adimpleri debent in ipsomet die festo: ergo non remanet præceptum audiendi Missam & se abstinendi ab operibus seruilibus, adimplendum in alio die in quem festum est translatum. Sic Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de diebus festis, cap.31. in fine* Molfesius, *tom.1. summa, tractat.3. cap.17. num.43.* Et omnes.

QVÆSTIO LXXI.

An in iure sit imposita aliqua pœna, contra non audientes Missam?

REspondeo: Nullam esse impositam. Solùm enim *in cap. Missas de consecrat. distinct.1.* loquendo de transgressoribus huius præcepti dicitur, *vt ab Episcopo publicè confundantur*, hoc est, publica correctione, & reprehensione, vel etiam, si res postulet, excommunicatione. Sic explicant Doctores, & tenent Suarez *loc.cit. vers. Vltimò.* Filliuc. *loc. cit. num. 230.* Trullench, *loc.cit. num.20.*

QVÆSTIO LXXII.

An ex vi huius præcepti sanctificandi festa, teneantur fideles ad aliquem cultum internum?

AFfirmarunt Scotus *in 3. distinction.27. articulo 1. vers. Quantum ad 2.* & Tabiena, *verb. Charitas, num. 2.* existimantes, teneri fideles ex vi præcepti seruandi festa, ad actum dilectionis Dei super omnia eliciendum. Affirmauit deinde Angel. *verb. Feria, numero 43. citat.* putans teneri ad actum attritionis, vel contritionis eliciendum.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non teneri fideles, ex vi præcepti colendi Deum in festo, ad exercendum intra illum diem aliquem actum internum diuini cultus. Quia Ecclesia nihil aliud præcipit, quàm auditionem Missæ, & c[e]ssationem ab operibus seruilibus: ergo ex vi dicti præc[ep]ti, ad nihil aliud tenentur fideles: ergo nec ad aliquem cultum internum, nempe, Deo vacandum, eóque fruendum, in eóque quiescendum; nec ad eliciendum actum contritionis, aut dilectionis Dei. Sic communiter omnes Nauar. *cap.13. num.3.* Suarez *tom.1. de Relig. libro 2. capite 16.* Bonacin. *disputatione 5. de 3. præcept. Decalog. quæst. vnica, punct.2. num.3.* Sanchez *tom 2. consil. lib.5. cap.2. dubit.3.* Castro Palao *tom.2. tract.4. disputat.2. punct.4. num.8. & 9.* Trullench *libro 3. in Decalog. cap.2. dub.4. num.3.* & alij. De quo, ex parte, egimus iam *prima parte tractatione 5. disputatione 1. quæst.35. & disput.8. §.8. quæstione 2.* vbi etiam probauimus cum communi, non teneri fideles specialiter, ex vi præcepti de obseruando festo, ad non peccandum in illo; sed solùm ad non exercenda opera seruilia, & ad non omittendum Sacrum.

QVÆSTIO LXXIII.

An ex vi præcepti seruandi festa, teneantur fideles ad sacram concionem audiendam?

REspondeo: Non teneri. Quia nullibi extat de hoc præceptum; quod re vera, vsu fidelium, & sensu, confirmari videmus. Quapropter, suprà diximus, auditionem Missæ, præferendam esse concioni, eò quòd hæc sit consilij; illa verò, præcepti opus. Sic communiter Doctores. Inter quos, Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. cap.16. à num.6.* Bonacin. *punct.2. cit. num.27. & sequent.* Filliuc. *tract.27. cap.8. quæst.7. num.132.* Fagundez *lib.2. de 1. præcept. Eccle. cap.1. n.10.* Castro Palao *tom.2. tract.9. disp.2. punc.4. n.4. & sequent.* Trullench. *dub.4. cit. num.4. & se[q]. cit.* & Molfesius *1. part. summ. tract.3. cap.17. n.74.* Addens tamen; quòd si quis per contemptum nollet audire concionem, deberet ad hoc cogi per censuram Ecclesiasticam, vt habetur *in cap. Sacerdos, de Consecr. dist.1.* vbi Gloss. & alij.

QVÆSTIO LXXIV.

An ex vi huius præcepti, teneantur fideles ad oblationes, in die festo faciendas?

REspondeo: Non teneri. Quia nullo iure id præcipitur. Ideóque ex vi iuris, aut præcepti, nullo modo possunt fideles cogi, aut obligari ad tales oblationes, inter Missarum solemnia faciendas; licèt alijs de causis, & titulis ad id obligari, & teneri possint, vt tractatu de Decimis dicemus. Sic omnes. Suarez *tom.2. de Relig. lib.1. cap.21. & lib.2. cap.16. num.11.* Filliuc. *loc. cit. quæst.8. num.135.* Trullench. *lib.3. cit. cap.1. dub.4. num.3. & cap.3. dub. 13. num.2.* Fagundez *de 5. præcept. Eccles. lib.4. cap.1. numero 6. & 14.* Palao *tom.2. tract.10. disput. vnica, punct.17. num.1.* & alij.

Qvæ

QVÆSTIO LXXV.

An teneantur fideles in die festo, ad horas vespertinas audiendas?

AFfirmauit Paludan. *in 4.dist.15.q.1.art.1.concl.2.* docens, teneri omnes fideles ad audiendas vesperas, in diebus festis.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non teneri fideles, saltem iure communi, ad audiendas vesperas, aut alia diuina officia. Quia nullibi extat præceptum tale; vt omnes fatentur. Dixi autem, *iure communi*; Quia multi, iure particulari, veluti voti, iuramenti, statuti, beneficij, aut Religionis, ad id tenentur. Imò etiam ratione consuetudinis, vt introducta videtur, iuxta Nauarrum, in tota fere Gallia, & Nauarra, & in aliquot oppidis (licèt paucis) Castellæ, & Lusitaniæ. Credit tamen Nauarrus, prædictam consuetudinem, non obligare ad mortalem culpam, sed solùm ad venialem. In quo illi consentiunt, etiam, Azor *tom.1.lib.7.cap.3.quæst.6.* & Fagundez *lib.2.de 1.Eccles. præcept. cap.2.num.15.* Imo nec id esse adhuc veniale mihi videtur, tum quia pauci ssimi (ne dicam, nulli) eam confitentur. Tum quia illa consuetudo, introducta videtur ex deuotione: nam si ex præcepto esset, ad mortale etiam obligaret, cùm materia sit grauis. Sic innuit Llamas *3.part. Method. cap.5.* §.8. *pag.*482. vbi sic ait: Nemo autem iure communi, ad aliud diuinum officium tenetur audiendum, quamuis aliquibus in prouinciis, audiant homines vespertinas laudes diebus festis, quòd si (nisi adsit aliàs obligatio voti, aut iuramenti,) solùm est ex deuotione, & nullatenus ex obligatione, quia hoc nulla consuetudine præscribi potest, quidquid falsò dicat Paludan. *in 4. distinction.* 15. Sic ille. Legantur etiam Trullench *libro 3. in Decalog. cap.1. dub.4. numero* 3. Filliuc. *tract.27. cap.8. num.* 130.

TRACTA

TRACTATVS TERTIVS

DE SECVNDO PRÆCEPTO ECCLESIÆ, *Quo peccatorum Confeßio semel in anno præcipitur.*

DE hoc secundo Ecclesiæ præcepto, latè egimus, *1. part. de Sacramentis, tract. 5. disputat. 3. à quæstione 21. vsque ad 62.* Legantur ibi dicta: quia hìc, nec nouum quid occurrit.

TRACTATVS QVARTVS

DE TERTIO PRÆCEPTO ECCLESIÆ, *Quo sumptio Eucharistiæ Sacræ, in Pascha saltem præscribitur.*

DE hoc Ecclesiæ præcepto, iam etiam egimus, *2. part. de Sacram. tract. 7. disp. 3. per totam.* Vbi plenè omnes difficultates, ad hoc præceptum spectantes, tractauimus. Ibi lege, nam hìc, superfluum existimaui illas repetere.

TRACTATVS QVINTVS

DE QVARTO PRÆCEPTO ECCLESIÆ; *nempe, de Ieiunio.*

TRACTANT De præcepto Ieiunij D. Thomas 2. 2. *quæst.* 147. per octo articulos, & anteà *in 4. dist. 15. quæst. 3.* per quatuor articulos. Quorum primus, continet quinque quæstiunculas. Secundus, quatuor. Tertius, tres. Et Quartus, alias tres. Cum ipso agunt ibi Scholastici omnes. Durand. *quæst.* 9. 10. *&* 11 Paludanus, *quæst.* 4. per quinque dubia, Maior, *quæst.* 3. 4. 5. *&* 6. & Gabriel *dist.* 16. *quæst.* 3. continente tres articulos, & sex dubia. Caietan. & alij Thomistæ 2. 2. *loc. cit.* Ioannes de Medina *tract. de Ieiunio per 13. quæstiones.* Nauarr. *in Man. cap. 21. à num.* 11. Couarruuias *lib. 4. variarum resolut. cap.* 20. Bellarmin. *tom.* 3. Molfesius 1. *part. summæ, tractat.* 10. *à cap.* 2. *vsque ad* 5. inclusiuè. Iacobus de Graffiis *lib. 2. decis. aurear. cap. 36. per totum.* Valentia *tom. 3. disputat. 9. quæst.* 2. in quinque puncta distributa, Azor *parte 1. instructionum Moralium, lib. 7. à cap.* 8. Faguudez *tom. de Quinque præcept. Ecclesiæ, tractatu in 4. præceptum, per 10. cap.* Bonacina *tomo 2. summ. disputat. vndecima, & vltima de legibus*, per vnicam quæstionem, & 7. puncta. Filliucius *tom. 2. summa tractat. 27. part. 2. à cap. 1. vsque ad 7.* Thom Sanchez *tom. 2. opusculorum moralium lib.* 5. per vnicum caput, continens 35. *dubia*, Trullench *lib. 3. in Decalog. à capite* 2. per dubia 7. Ioann. Sancius *in disputationibus selectis, à disputat* 51. *vsque ad* 55. Zacharias Pasqualigus, per integrum tomum, imbibentem in se 451. *decisiones*, Vbi de hac materia doctè, & latè (vtinam non ita laxè) agit, Layman *tom. 2. Theologiæ moralis, lib. 4. tractat.* 8. per tria capita, Lessius *de iust. & iure lib. 4. cap* 2. à dubio 1. vsque ad vndecimum, Llamas 3. *parte Methodi cap. 5. §. 19.* vsque ad 28. Petrus Ledesma *in summ. tomo 2. tract. 27. cap. 2.* per totum, Villalobos *tom. 1. summa, tractat. 23.* per 9. difficultates, Rodriguez, 1. *parte summ. cap. 23. & 24* Machado *tomo 1. summ. lib. 2. parte 4. tractat.* 3. per totum, Vega 1. *parte summ. cap.* 14. per casus 37. Angelus, Syluester, Armilla, Tabiena, Bassæus, Lublinus, & alij Summistæ in verb. Ieiunium. Tractant etiam de hac materia,

Innocent.

Innocent. Abbas, Hostiensis, Glossa, & alij Canonistæ, *distinct.76. cap. vtinam*, & Titulo de obseruatione Ieiuniorum. Tractant denique, alij quamplures, quos in discursu huius Tractatus citabimus.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura Ieiunij Ecclesiastici.

QVÆSTIO I.

Quotuplex sit Ieiunium?

RESPONDEO, quòd (omissis aliis ieiunij diuisionibus) est triplex. Nempe, Ieiunium virtutis, Naturæ, & Ecclesiæ. Ieiunium virtutis, est *Abstinentia à cibo, & potu, iuxta regulas temperantiæ*. Ieiunium Naturæ, *Abstinentia ab omni cibo, & potu*. Ieiunium verò Ecclesiæ, de quo in præsentiarum agimus, *est abstinentia à solo cibo, secundùm formam ab Ecclesia præscriptam*; vt statim videbimus. Legatur D.Thomas, 2.2. *q.147. art.1. & 2.* & ibi omnes eius Expositores. Richard. *in 4. dist.15. art.3. qu.1.* Maior, *ibidem q.3.* Gabriel, *dist.16. q.3.* Et alij Doctores citati, præcipuè Molfesius *in sum. tract.10. c.2.* per totum.

QVÆSTIO II.

An Ieiunium Ecclesiæ, rectè, & adæquatè sit definitum per hoc, quòd sit, Abstinentia à solo cibo, secundùm formam ab Ecclesia præscriptam?

NEgabit imprimis Gotfredus in summa (quem refert, & approbat Angel. verb. Ieiunium, in principio) cùm sic ieiunium Ecclesiasticum definiat: *Est abstractio prandij, & post cœnam, cuiuslibet cibi Priuatio vsque in diem sequentem; & abstinentia à carnibus, & trahentibus sementinam originem ab ipsis, vt à lacte, caseo, & ouis.*

Negant etiam, Angel. *loc. cit.* Gabriel *dist.16. q.3. in principio*, & Couarruu. *lib.4. resol. cap.20. num.1. vers. Sextò illud.* Cùm affirment, Ieiunium Ecclesiæ consistere, *in abstinentia à cibo, & potu, secundùm regulam ab Ecclesia institutam.*

Sed certissimè Respondeo: Rectè, & adæquatè esse definitum Ieiunium Ecclesiæ, per hoc, quòd sit, *abstinentia à solo cibo, secundùm formam ab Ecclesia præscriptam*, vt ex dicendis clarè patebit. Sic Abbas *de obseru. ieiun. cap.1. num.1.* & ibi communiter alij Canonistæ. S.Thom. 2. 2. *q.147. art.2. in corp. & ad 1.* Fagundez *lib.1. in 4. precept. Eccles. cap. 1. num.4.* Ioann. de Medina *C. de ieiun. qu.1.* Bonacin. *disp. vlt. de precept. Eccles. qu.1. punct.1. num.6.* Qui tamen definitioni nostræ assignatæ particulam, *voluntaria*, addit, dicendo, *Ieiunium, est voluntaria abstinentia, &c.* Sed certè, non necessariò; quia cùm de ieiunio virtuoso loquamur, id vt notum, supponitur, Zacharias Pasqualigus *tract. de Ieiunio Ecclesiastico, decis.1. num.4.* Filliuc. *tom.2. tract.27.2.p. c.1.* Reginald. *lib.4. num.125.* Et alij communiter.

QVÆSTIO III.

An ieiunium Ecclesiasticum, sit bonum, & actus virtutis?

NEgarunt Hæretici Gnostici, Eustachius, Iouinianus, & eorum sectatores, vt refert Pasqualig. *in sua praxi ieiunij, decis.2. numero 1.* docentes, ieiunium esse malum, ac proinde ab Ecclesia reiiciendum.

Sed tanquam certum de fide, Respondeo: Ieiunium Ecclesiasticum esse bonum, & actum virtuosum. Quia inter actus virtuosos connumeratur ab Apostolo, *Cor.6.* sic dicente: *In Ieiunijs multis, in scientia, in castitate, &c.* Deinde; quia sic fuit definitum in Conciliis, Grangensi, Toletano 1. *in assertione fidei*, & Bracharensi, *1. Can.14.* Et sic tradunt omnes Doctores. Legantur D. Thom. 2.2. *qu.147. art.1.* & ibi Caiet. Alens. *part.4. quæst.98. mem.3. art.1.* Castro *aduersus hæreses, verb. Ieiunium.* Pasqualigus *in praxi ieiunii, decis.2. & 3.* per totam. Molfesius, *in summa tract.10. cap.2. à n.14. ad.24.* & alij penes ipsos.

QVÆSTIO IV.

An ieiunium Ecclesiasticum, sit actus virtutis abstinentiæ, vel temperantiæ?

REspondeo, Affirmatiuè. Quia ieiunium Ecclesiasticum essentialiter consistit in parsimonia victus, & abstinentia ciborum, vt ex Isidoro docet D.Thom. 2.2.*q.147. art.2.* ergo manifestum est, quòd ieiunium est abstinentiæ actus. Sic Doctor Sanctus *loc. cit.* & ibi Caiet. Abulens. *q.125. in cap.6. Matth.* Ledesma 2. *part.4. q.17. art.1.* Alens. 4. *part. qu.98. mem.3. artic.2.* Fagundez *precept.4. Eccles. cap.1. numero 5.* Molfesius *loc. citat.* Pasqualig. *in praxi ieiunij decis.4.* & alij plures, & penes ipsum; & communis.

QVÆSTIO V.

An ieiunium impositum ab Ecclesia, sit de præcepto?

REspondeo tanquam certum: Esse. Quia ita habetur in iure, *cap. Non liceat, cap. Non oportet, & cap. Placuit, de consecrat. distinct.3. cap. Quadragesima, distinct.5. & cap.1. & cap. Consilium, de obseruat. ieiunior.* In quibus textibus, vel stabilitur nouum præceptum circa ieiunium; vel declaratur, saltem, iam antea ab Ecclesia impositum. Sic etiam constat ex praxi omnium fidelium. Et ideò id tenent, & tradunt omnes Theologi cum S. Thoma 2. 2. *quæst.147. art.3.* & omnes Canonistæ *in citatis capitibus.*

QVÆSTIO VI.

An præceptum ieiunij, sit affirmatiuum?

AFfirmant Ledeſma 2. *part*. 4. *quæſt*.17. *art*.5. & Bonacina *diſp. vltima de precept. Eccleſ. quæſt*.1. *punct*.3. *num*.7. Qui affert Valcotiam, Angeluio, Syluestrum, Nauarrum, Azorium, Reginaldum, Sà, Tolenum, Laymanium, Filliucium, & Leſſium. Sed indiſtinctè ſanè, & confusè; cùm id non doceant huiuſmodi Authores, vt ipſemet Bonacina *in* 2. *edit*. haud obſcurè indicat; ſed aliud quod ibi probat. His addi poſſunt Fagundez *in* 4. *precept*. *lib*.1. *cap*.4. *num*.6. & 7. & Bellæus *in florib. Theolog. verb. Ieiunium*, 1. *num*.10. Paſqualigus *in praxi ieiunij deciſ*. 33. *num*.2.

Negant verò alij, docentes, præceptum ieiunij, non eſſe affirmatiuum, ſed negatiuum. Quia ieiunium continet eſſentialiter negationem, non veſcendi carnibus; & etiam negationem, non comedendi pluſquam ſemel in die; & noo comedendi ante horam conſuetam; ergo huiuſmodi præceptum, negatiuum eſt. Ita docent (apud Paſqualigum) Couarruu. *lib*.4. *variar. cap*.20. *num*.13. Medina *C. de ieiunio, q*.6. *verſ. Ego tamen*. Maior *in* 4. *diſtinct*.15. *quæſt*.6. Monteſin. 1. 2. *tomo* 2. *quæſt*.73. *art*. 2. *quæſt*. 4. *num*. 47 Syluius 2. 2. *quæſt*.147. *art*.3. *q*.3. Durand. *diſtinct*.15. *qu*.11. *num*.9. Gabriel *diſtinct*. 16. *q*.3. *art*.3. *dubit*. 5. Caietan. 2. 2. *q*.147. *art*.8. §. *Ad hoc dicitur, quod licet*. Syluest. *ver. Ieiunium, num*. 22. *ver. Quartum*. Sanchez *lib*. 4. *ſumm. cap*. 11. *num*.42. Ioann. Sancius *in ſelectis diſp*. 54. *num*. 42. Beia 1. *part. caſu* 45. Villalob. *tract*. 23. *diff*. 6. *num*. 6. Sed ex his Doctoribus, quos pro hac parte citat Paſqualigus, haud bene citat Couarruuiam, Medinam, Thomam Sanchez; cùm hi Authores id, clarè ad minùs, non doceant. Scorit tameo clarè Nauarra *lib*.1. *de reſtitutio*. *c*.1. *n*.25. & alij.

Sed ego clariùs Reſpondeo dicendum: Quòd præceptum ieiunij, & eſt affirmatiuum, & negatiuum; affirmatiuum, primò, & per ſe; negatiuum verò, quaſi ex conſequenti. Ratio eſt, Quia; quod per præceptum ieiunij, primò, & per ſe intenditur, eſt moderatio cibi, & certa menſura, aut parſimonia illius, vt conſtat ex habitis *q*.4. Quòd autem id conſequi intendatur ab ipſomet præcepto, per oegationem non manducandi carnes; non comedendi niſi ſemel in die &c. quid conſequutiuum eſt, vt conſtat: ergo præceptum ieiunij primò, & per ſe eſt poſitiuum; ex conſequenti verò negatiuum. Sic Paſqualig. *loc. cit*. Poteſt etiam, & forſan aptiùs, dici, quòd hoc ieiunij præceptum ſit partim affirmatiuum, & partim negatiuum; ſed affirmatiuum, formaliter, eo quòd per ſuum actum inteudat formaliter, aliquid poſitiuum, nempe macerationem carnis, & eius ſubiectionem ſpiritui, ſatisfactionem pro peccans, &c. Negatiuum verò materialiter; eo quòd dictum finem conſequi præcipiat per negatiooes prædictas, nempe, per negationem oon veſcendi carnibus, non comedendi, niſi ſemel in die, &c.

QVÆSTIO VII.

An præceptum ieiunij impoſitum ab Eccleſia, obliget ad mortale?

NEgarunt olim ex Antiquis, Cardinalis; *in cap*. 2. *de obſeruat. ieiunior*. Vbi docuit non ſeruantem ieiunia iodicta ab Eccleſia, noo peccare mortaliter, ſed ſolùm venialiter; niſi aliàs ieiunium non obſeruaret ex contemptu, vel inobedientia; vt quia non vellet ſe ſubiicere præcepto Superioris, quia tunc, inquit hic Author, tranſgrediens peccaret mortaliter. Citatque Cardinalis pro ſe Archidiaconum *in diſt*. 25. §. *Aliàs ea demum*. Sed non bene; nam vt notat Abbas *in c*. 1. *de Obſeruatione ieiunior. verſ. Vltimò*, *n*.11. ibi Archidiaconus ſolùm refert opinionem Ioan. de Fontana, & tranſit, & contrarium docuit *in c. vtinam* 76. *diſt*, vt optimè probat Abbas. Negauit item cum Cardinali, (vt refert Syluester, inſtà) Angelus *verb. Ieiunium*, *n*.14. & *verb. Inobedientia*, *in principio*, docens, ſoluentem ieiunium ex contemptu, vel ex conſuetudine, quæ eſt quidam ioterpretatiuus contemptus, peccare mortaliter; ſecus aliàs, ſi ſine contemptu. Negauit tandem Ricard. de med. Villa, *quodlib*. 1. *q*.19. vt refert Angel. *loc. cit*. Citat etiam pro hac ſententia Paſqualigus *deciſ*.30. *n*. 2. Caietanum *in ſumm. ver. Ieiunium c*. 4. & 2. 2. *q*.147. *art*. 3. §. *Ad huius euidentiam*; ſed confusè valde. Nam Caiet. abſolutè docet, præceptum huiuſmodi obligare ad mortale ex communi conſuetudioe Eccleſiæ, vt tandem ipſemet Paſqualigus aduertit.

Sed tanquam certum, Reſpondeo: Obligare ad mortale. Vnde quicumque obligati ieiunium Eccleſiæ, abſque legitima cauſa, illud ſoluerint, etiam citra contemptum, abſque dubio mortaliter delinquent. Quia ſic tenet praxis communis omnium fidelium. Et conſtat: quia certum eſt apud omnes, quòd Eccleſia poſſit condere leges, & imponere præcepta, quæ ad mortale obligent; ſed ſic eſt, quòd hoc iotendit Eccleſia in præceptis ieiuniorum à ſe impoſitis, vt docent communiter Doctores, vt ſtatim videbimus: ergo. Sic Doctores ſtatim referendi. Præcipuè Palud. *in* 4. *diſt*.15. *q*.4. §. *Quantum ad* 1. vbi, concl. 2. ait, quòd ieiunium frangere abſque cauſa, eſt mortale; cum cauſa, non tamen ex toto ſufficienti, eſt veniale; cum cauſa ſimpliciter ſufficienti, nulla eſt culpa.

QVÆSTIO VIII.

An huiuſmodi ieiunij præceptum, obliget ad mortale, ex vi iuris?

NEgat Caiet. *in ſumm. verb. Ieiun. cap*. 4. & 2. 2. *quæſt*.147. *art*.3. §. *Ad huius euidentiam*. In fine; exiſtimans, præceptum ieiunij Eccleſiaſtici, non obligare ad mortale, ex vi iuris; ſed ſolùm ex vi conſuetudinis. Quia non reperitur, (inquit) in iure textus, qui per verba præceptiua hoc iubeat. Accipe verba Caietani. Et ſcito (*ait* §. *cit*.) quòd niſi communis Chriſtianæ Eccleſiæ interpretatio ſuſciperet, ſtatutum ieiunij eſſe non ſimplex ſtatutum, ſed habere vim præceptiuam, ſtrictè ſumendo præceptum, vetum, proculdubio eſſet, quòd non niſi propter contemptum tranſgreſſio ieiunij eſſet peccatum mortale: quoniam in ſimplicium ſtatutorum materia, traoſgreſſio medij, & impeditio finis, licèt ſit mala, non tamen mortale inducit peccatum, niſi materia illa ad charitatem Dei, aut proximi neceſſaria ſit, quod in propoſito conſtat non habere locum: quia ieiunium huiuſmodi conſtat, nec ad Dei, nec ad proximi dilectionem eſſe neceſſarium: Et hæc dixerim, quia ex vi verborum, nullibi ieiunium Eccleſiaſticum inuenitur præceptum; loquendo de præcepto ſtrictè. Huc vſque Caietanus. Vnde, non bene Vega *in ſumm*. 1. *part, cap*.14. *caſu*, 35. & Ludou. de S. Ioan. *in ſumm. quæſt. de ieiun. art*. 4. *dub*. 1. dicunt, Caietanum docere, non eſſe mortalem tranſgreſſionem ieiunij; id namque nullo modo affirmat; ſed tantùm docet, non eſſe mortalem ex vi iuris; bene tamen ex vi conſuetudinis.

Sed tanquam certum, Reſpondeo: Dicendum, quòd præceptum ieiunij Eccleſiaſtici, noo ſolùm

obligat ad mortale, ex vi consuetudinis; sed etiam, ex vi iuris. Quia sic expressè videtur præcipi *in cap. Non liceat, cap. Non oportet,& c. Placuit, de consecr. distinct.* 3. Quæ verba, esse præceptiua, vsus Christiani populi,& sententia communis Doctorum omnium, declarat: ergo præceptum ieiunij, etiam ex vi iuris,ad mortale obligat. Addit Sanchez,vbi infrà, quòd vulgaria iuris volumina; non complectuntur omnia Conciliorum, & Pontificum scripta. Et Rursus, quòd huiusmodi ieiunij præceptum,fit etiam viua voce à temporibus Apostolorum prolatum,& forsan sciptum, licèt non deuenerit ad nos. Sed, quidquid sit de his additus, sufficit ad nostram conclusionem firmandam,subscriptio omnium Doctorum,vno excepto Caietano. Illam namque docent, ex Theologis, D.Thomas 2.2.q.147.*art.*3.*in corpore, & ad* 2. *&* 3.& ibi Sylnius *q.*1.*conclus.*2. & Thomistæ, Sotus *lib.*1. *de iust.q.*6.*art.*4. Durand. *in* 4. *dist.* 15.*quæst.*9. Alens.4.*part.q.*102.*memb.*2.Ricard.*q.*3. Paludan.*q.*4. Palatios, *disp.*8. Metina 1.2 *q.*88. *art.*1. Cano *lib.*2. *de locis cap.*9. *ad* 2.Ioann de Medina *C. de ieiunio,q.*7. *vers. Iam ad id.* Ledesma 2. *part.* 4.*quæst.*17. *art.* 2. Gabriel. *dist.* 16. *qu.*3. *art.* 1. *notab.* 3. Fagundez *l.*1. *cap.* 3.*num.* 7. Pasqualigus *in praxi ieiunij decis.* 30. *à num* 3. Sanchez *lib.*5.*consil. cap.*1. *dub.*1. *num* 5.Trullench *lib.*3.*in Decalog. cap.*2. *dub.*5.*n.*3 (non 2. vt inuenies apud Pasqualigum)vbi cum Filliucio *tract.*27. *part.* 2. *cap* 5. *num.*79. ait, sententiam Angeli,nuper, quæst. antecedenti, relatam, non esse tutam,& alij penes ipsos. Hanc eamdem sententiam tenent ex Canonistis, & Summistis, Glossa *in cap. vnum Orcrium*, §. *Alias ea demum, dist.*25.*verb.ieiunia.tibiu* Archidiaconus *in cap.vnum,distinct.*76. quos citat, & sequitur Abbas *in Rubrica de obseruat.ieiuniorum,v.*11. Syluest. *ver. ieiunium, q.*1. Armilla, *num.*7. Nauarr. *in Man.cap.*21.*n.*11. *aliàs* 13. Couarruu.*lib.*4.*var.c.*20. *num.* 10. vbi nostram conclusionem haberi ex iure, optimè contra Caietanum probat, & pro illa citat Archidiaconum, & Præpositum. Azor 1.*part. lib.*7. *cap.*8. *quæst.*2. Angles, Llamas, & Gordonus,& alij, quos refert Pasqualigus *loc. cit.* Toletus *lib.* 6.*cap.*3. Bassæus *v. ieiunium*, 2. *n.* 5. Villalob. *tom.*2.*tract.*23. *diffic.*1.*num.*3.& Amicus *tom.*5. *de iure & iust. disp.*5. *sect.*8. *num.* 208. dicens, oppositam sententiam esse falsam. Grassius *lib.* 2. *decis. aureae.c.*36.*num.*7. *&.* 8. & alij.

QVÆSTIO XI.

An consuetudo, possit inducere ieiunia, quæ obligent sub mortali?

RESpondeo,Tanquam certum: Posse. Quia consuetudo potest inducere legem, vt docent omnes, *ex l. De quibus, ff. de legib. C. Quæ sit longa consuetudo, ex cap.*1.*de constitutio. In* 6. *cap.* 1. *distinct.*1.*& ex tit. de consuetud.* ergo legem ieiunij obligantem sub mortali. Sic docent Azor *tom.*1.*lib.*7. *cap.*19.*q.*1. Bonacin. *disp. vltim.de precept. Eccles.quæst.*1.*punct.*5. *num.*2. Molfesius 1.*part.tract.*10.*cap.*5.*num.*47. Trullench *lib.*3.*in Decalog. cap.*2. *dub.*5.*num.*2. Maior, D. Anton, Syluest. Rosella,& Ioann. de Medina ,quos ommes refert,& sequitur Pasqualigus *decis.*34.*num.*1. Quibus addi possunt Fagundez *de* 4.*precept. Eccles. lib.*1.*cap.*5.*num.*1.Bassæus,*v. ieiunium*, 2.*n.*3. Villalob. *tom.*2.*tract.*23.*diff.*5.*n.*4.& iterum Molfes.*tract.at.*10. *cap.*3.*num.*25. *& num.*46. *& sequent.*& est communis omnium sententia. Legatur August. Barbosa *in cap. scire debet, dist.*76.

QVÆSTIO X.

An è contrà, possit etiam consuetudo, abrogare ieiunia quatuor temporum, vigiliarum, & alia non quadragesimalia?

NEgat Hostiensis. *in Rubrica, & cap.*2.*de obseruat. ieiunior.*non absolutè; sed loquendo de ieiuniis vigiliarum Apostolorum, vt notat Abbas *in cap.*2. *cit. num.*5.

Sed Respondeo: Tanquam certum; etiam Posse. Primò. Quia (vt nuper est habitum) ex eo, quòd consuetudo habet vim inducendi, & instituendi legem, potest inducere, & introducere ieiunia: ergo, ob eandemmet rationem, poterit illa abrogare, inducendo,& instituendo contrariam legem.Secundò. Quia de facto multa ieiunia abrogauit consuetudo, vt ieiunium Aduentus; ieiunia Rogationum, & ieiunia quartæ & sextæ feriæ, & alia ieiunia, Apostolorum vt infrà *disput.*7.*quæst.*14. *& sequent.* dicemus: ergo.Sic Bellarmin. *tom.* 3.*lib.*2. *cap.* 27. Azor *tom.*1. *lib.*7.*cap.*15. *aliàs* 30.*quæst.*1.Bonac. *punct.* 5. *cit.n.*2. Lessius *lib.* 4. *cap.*2. *dub.*9. Reginald. *lib.*4. *num.*133. Trullench *lib.* 3.*in Decalog. cap.* 2. *dubitat.* 5.*num.*2. Paludan. Maior, D. Anton.& alij, quos refert,& sequitur Pasqualig. *decis.*35. *num.* 1. Fagundez, Bassæus, Mulfesius, *loc.cit.* Villalób. *loc. cit. num.* 2. & communis.

QVÆSTIO XI.

An item possit, consuetudo, abrogare, ex parte saltem, ieiunium quadragesimale?

NEgatiuam sententiam tenuisse Hostiensem, & Abbatem,affirmat Pasqualigus *in praxi ieiunij decis.*36. *num.* 1. per hæc verba: Negatiuè respondent Hostiens. *in Rubr. & cap.* 2. *de obseruat. Ieiun.* & Abbas, *ibidem*, dum docent, quòd consuetudo non valet contra substantiam ieiunij, loquendo de quadragesimali. Huc vsque Pasqualig. Quod idem prius docuerant Azor *loc.cit.col.mihi* 764. (licet non ita asseueranter, cùm solùm dicat quòd fortassis Hostiensis, & Abbas loquuntur de ieiunio Quadragenario) & Villalob. *loc.cit. num.*1. Sed certè, nec Hostiens. nec Abbas loquuntur, loc.citatis à Pasqualigo,de ieiunio quadragesimali, sed de ieiuniis vigiliarum Apostolorum, vt constat ea Abbate, qui loco citato, *num.*4.& 5.ita ait: *In Glossa* 1. *in fine.* & istos versus (*nempe, Petrus,& Andreas,Paulus cum Simone, Iuda. Vt ieiunemus nos admonet atque Mattheus,*) bene obseruant Francigenæ, & dicunt Doctores, & bene, quòd non apparet ratio diuersitatis interistos,& alios Apostolos. Ex quo enim fuerunt pares merito, debent pari obseruatione venerari: pro hoc *c.*1.*de reliq. & ven. Sanct. or. lib.*6. Quidam tamen dixerunt, quòd vigiliæ contentorum in his versibus sunt de necessitate ieiunandi, in aliis verò seruanda est consuetudo loci: & hanc opinionem secutus est Hostiens. *in Summ.* Sed hic reprobat, dicens; in istis solemnibus ieiuniis nihil facit consuetudo:quod bene nota, quæ non habeat rationabilitatem in se,quod puto verum, nisi Papa sciret, & toleraret. Huc vsque Abbas. Non ergo loquuntur dicti Authores hîc, de ieiuniis quadragesimæ, vt existimarunt falsò Pasq. Azor, & Villal. Quo supposito ad propositam quæstionem,

Respondeo Dicendum: quòd verè possit etiam consuetudo abrogare ieiunia Quadragesimæ saltem ex parte. Quia de facto, consuetudo apud Mediolanenses,abrogauit primos quatuor dies Quadragesimæ vt ipsemet Pasqualigus docet,(quamuis non consequenter

quenter, vt infrà) Rursus, in quibusdam Germaniæ locis, consuetudine est introductum, vt ter tantùm ieiunent singulis hebdomadis Quadragesimæ: ergo constat, optimè posse consuetudinem aliqua ieiunia Quadragesimæ abrogare. Sic docent communiter Doctores, præcipuè citati, quæstione antecedenti, inter quos est Pasqualigus *decis.*36.*num.*5.6.& 7 Layman *lib.*4.*tract.*8.*cap.* 3. *num.*7. *vers. Quod verò, in fine.*

QVÆSTIO XII.

An non solùm ex parte, verumetiam ex toto, possit consuetudo abrogare ieiunia Quadragesimæ?

NEgant Pasqualigus *decis.*36. *cit. à num.*3.& Villalobos *diss.*5.*cit.num.*1.& negare etiam tenentur, aliqui Recentiores, (quos, tacitis nominibus, referunt Azor 1. *part.lib.*7. *cap.*12. *quæst.*1. & Fagundez *lib.* 1. *cit. cap.*5. *num.* 4.) affirmantes, ieiunium quadragesimale, esse diuino iure institutum: ergo contra illud non potest præualere consuetudo.

Secundò probat Pasqualig. Quia consuetudo derogans in totum ieiunio Quadragesimæ, non potest esse rationalis: ergo non potest contra ius præualere: ergo consequenter, nec contra ieiunium Quadragesimæ.

Sed probabiliùs, Respondeo: Adhuc posse. *Primò*, quia certum ferè est, quòd ieiunium Quadragesimæ, non est institutum iure diuino, sed iure humano, & canonico, vt infrà: at sic est quòd consuetudo potest præualere contra ius humanum, & canonicum, vt omnes concedunt: ergo, & contra ieiunium Quadragesimæ.

Secundò, quia consuetudo de facto abrogauit aliqua ieiunia Quadragesimæ, vt habitum est nuper: ergo potest etiam omnia. Pater, quia cùm omnia sint in dignitate, aut solemnitate paria, non est maior ratio, quare consuetudo præualere contra aliqua, & non contra omnia possit.

Tertiò. Quia consuetudo abrogauit omnia ieiunia Aduentus, vt infrà: ergo, & poterit similiter abrogare omnia ieiunia Quadragesimæ.

Quartò. Quia, ipsemet Pasqualigus *loc. cit. num.*6. velit, nolit contra seipsum, concedit, quòd ex abusu non seruandi ieiunium quadragesimale, in aliquo loco, potest consurgere legitima consuetudo excusans à peccato: at sic est, quòd hoc solùm euenire potest, ex eo quòd consuetudo abrogare potest in totum ieiunia Quadragesimæ, vt constat: ergo. Quòd autem consuetudo excusans à peccato consurgat ex abusu, vel aliunde, nihil ad propositum interest, etsi aliquid, est contra Pasqualigum, nam si consuetudo consurgens ex abusu, est potens ad abrogandum in totum, ieiunium Quadragesimæ; potentior profectò erit ad idem efficiendum, si non ex abusu, sed aliunde consurgeret.

Quintò tandem, nam ipsemet Pasqualigus *dec.*74. *num.*11. expressè docet, quòd non est censenda irrationalis consuetudo, quæ *in cap.fin.de Consuetud.* reprobatur, nisi illa sola, quæ est contra ius diuinum, & naturale; at sic est quòd consuetudo, quæ de facto præualeret contra ieiunia Quadragesimæ, non esset contra ius diuinum, aut naturale: ergo. Sic docent omnes Doctores *qu.*10. citati, dum absolutè docens posse consuetudinem ieiunia in totum ab ogare.

Vnde ad primum in contrarium, Negandum est antecedens. Ad secundum imprimis, negandum est etiam antecedens, vt constat ex quinto argumento. Deinde dicendum, quòd licèt consuetudo abrogans in totum ieiunia Quadragesimæ, nequeat esse rationalis; nihilominus tamen, si sufficienter introducta sit, sufficit ad excusandum à peccato, vt ex dictis constat.

QVÆSTIO XIII.

An præceptum ieiunij possit quis per alium adimplere?

AFfirmauit Hugo *in cap.Presbyter, dist.*82.Cuius sententiam refert Glossa *in cap.Pœnitentia el* 4. *verb. puniens in se.* & illam (ad minùs) approbat, & sequitur, loquendo de patre; ait enim, hunc optimè posse adimplere ieiunium per filium, per hæc verba: Argumentum expressum, quòd quis non potest ieiunare per alium: licèt contrarium dixerit Hugo *sup.*82.*dist.Presbyter.* Sed quidquid sit de aliis, videtur quòd per filium bene possit quis ieiunare: quia eadem persona censetur *vt* 35. *qu.*3. §.*Hac auctoritate.* Et magis terrentur patres in filiis, quàm in se ipsis, *ff. Quod metus causa, l.isti quidem*, §.*vltimo.* Huc vsque Glossa.

Sed, tanquam certum, Respondeo dicendum: Quòd nullo modo possit quis, per alium, (etiam per filium) ieiunare, & sic præceptum ieiunij adimplere. Quia huiusmodi præceptum importat obligationem propriam personalem, ad affligendum proprium corpus, & propriam carnem edomandam: ergo non per alium, nisi per se ipsum potest adimpleri. Nec obstat quòd in iure, pater, & filius censeatur vna persona; nam hoc est verum moraliter loquendo, & tenet in his, in quibus pater, & filius, fictione iuris repræsentant eandem personam; non verò in iis, in quibus singuli agnoscunt proprietates distinctas, quale est seruare præcepta Ecclesiæ. Sic tenent absolutè Glossa *in cap. Presbyter. cit.* Azor, 1.*part. lib.*7. *cap. mihi* 32. (& *aliàs* 15.) *quæst.*7.*columnn.*775. Reginald. *lib.*4. *num.*187. Bonacina *disp. vltim. de præcept. Eccles. qu.*1.*punct.*6. *num.*1. Trulleoch, *lib.*3. *in Decalog.cap.*2.*dub.*6. *num.*8. Molfes. Ghetius, & Lud lius, quos citat, & sequitur Pasqualig. *in praxi ieiunij, decis.*83. *num.*1.

QVÆSTIO XIV.

An qui vno die ieiunare non potest, aut non vult, teneatur alio die ieiunare?

AFfirmat Paludan. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.*4. apud Syluestrum, & Bonacinam, *infrà.* Cuius sententiam probabilem reputat Abbas, *de obseruat.ieiun. cap.*1. *num.*2. dum oppositam veriorem duntaxat dicit.

Sed quamuis ij Doctores, ex parte rectè citent Paludanum pro hac parte, non tamen, ex toto. Nam Paludanus solùm id affirmat de illo, qui non vult vno die ieiunare; non de illo, qui non potest. Ait enim sic, *quæst.*4. *cit.* §. *Quantum ad* 5. *vers. Tamen sequend.* Quia ieiunare propriè est abstinere ab omni comestione, non vnâ postquam per cul am suam bis comedendo factum est sibi impossibile ieiunare illo die; ex tunc obligatus est ad integrè ieiunandum alio die, quia duo sunt arbitror præcepta præcipientis soluti certa die: scilicet, solui, & certa die. Si igitur illa die non fuerit solutum; alia die est soluendum, ff.arbi. L.Celsus, &c. *Et paulò inferius.* Sed vbi homo propter æquipollens, vel maius grauamen, licèt culpâ suâ accidens, non potest ieiunare, putà propter infirmitatem, quam culpâ suâ habuit; non propter hoc, conualescens tenetur ieiunare. Ita Paludanus.

Sed certè, vt longè multò veriùs, imo vt mihi veriſſimum, Reſpondeo: Non teneri. *primò.* Quia ſic tenet praxis fidelium. *Secundò.* Quia ſic colligitur *ex cap. 2. eo tit. de obſeruat. ieiun.* Vbi non valenti ieiunare in Quadrageſima, non iniungitur, vt ieiunet alio tempore. *Tertiò.* Quia obligatio ieiunij, eſt affixa diei, & ſic tranſit cum illa. Vnde hanc partem docent communiter omnes *loc. cit.* Syluest. *verb. Ieiunium, num. 22.* Nauarr. *cap. 21. num. 27.* Angel. *ver. Ieiunium, num. 21.* Roſella, *num. 14.* & Tabiena, *num. 14.* Molfeſius, *in ſumm. tract. 10. cap. 5. num. 14.* Azot. 1. *part. lib. 7. cap. mihi 31. aliàs 20. qu. 5. col. 769.* (Qui, & explicat Paludanum, & citat illum pro hac parte.) Reginald. *lib. 4. num. 188.* Leſſius, *lib. 4. cap. 2. dub. 3. num. 18.* Bonac. *diſp. vlt. de præcept. Eccleſ. q. 1. punct. 6. num. 3. verſ. ad ſecundam partem* Paſqualig. *deciſ. 184.* vbi abſolutè citat pro hac parte Paludanum. Sed omninò malè vt vidimus. Fagundez *lib. 1. cit. cap. 10. n. 5.* Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 2. dub. 5. num. 6.* & alij penes ipſos.

Qvæstio XV.

An ſaltem, non ieiunans aliquo die, teneatur aliquid aliud, loco ieiunij, præſtare?

Reſpondeo: Quòd non. Quia præceptum, ſolùm datur de ieiunio, non de aliquo alio. Sic tenent Praxis fidelium, & omnes Doctores. Nauarr. *cap. 21. num. 22.* Reginald. *lib. 4. num. 187. dubit. 13.* Bonac. *diſp. vlt. de præcept. Eccleſ. punct. 6. num. 3. verſ. Reſpondeo ad primam.* Paſqualig *in praxi ieiunij, dec. 39.* & alij omnes. Legantur quæ in ſimili diximus, *tr. 2. de Auditione Miſſarum, diſp. 2. q. 69. & 70.*

DISPVTATIO II.

De Abſtinentia à carnibus in diebus ieiunij.

Qvæstio I.

An Eccleſia, rectè poſſit, per præceptum ieiunij, aliquos cibos vetare?

Negant impudentiſſimè Hæretici noſtri temporis. Quia id, inquiunt, eſt contra Chriſti Domini dictum Matth. 15. & Lucæ 10. *Quæcumque apponuntur vobis comedite.*

Sed de fide certum, Reſpondeo. Rectè prohibere & vetare Eccleſiam in Ieiuniis, aliquos cibos. *Primò.* Quia certum eſt de fide, id poſſe, vt habetur in Concil. Toletano 1. *in Aſſertione fidei*, & Bracharenſi, *can. 14.* *Secundò.* Quia Eccleſia, rectè poteſt præcipere quidquid expedit ad ſalutem fidelium, & ad vitandum illorum periculum: ſed ſic eſt, quòd ad ſalutem fidelium expedit abſtinentia à certis cibis: ergo Minor probatur; nam ad edomandam propriam carnem, & ad humiliandam ampliùs animam in oratione, expedit ſanè à carnibus, certis ſaltem temporibus abſtinere, vt ait D. Aug. *lib. 3. contra Fauſtum, cap. 5.* ergo id optimè poteſt Eccleſia ſuis fidelibus præcipere. Nec contra nos faciunt S S. Matthæi, & Lucæ authoritates; quia ſolùm tendunt, ad vitandas aliquas legis antiquæ cærimonias, propter quas obſeruandas, nimis ſuperſtitioſi erant Iudæi, in multis cibis vitandis. Sic omnes Catholici. Legantur Ioan. de Medina, *C. de ieiun. q. de deſc.* Ledeſma *2. 4. q. 17. a. 6.* Couar. *lib. 4. var. c. 20. n. 15.* Fagundez, *de 4. præcepto Eccleſ. lib. 1. c. 2. n. 1.* Paſqualig. *in praxi ieiunij, deciſ. 8. & 9.*

Qvæstio II.

An in omnibus diebus ieiunij, prohibeatur ab Eccleſia omnis eſus carnium?

Reſpondeo tanquam certum: Prohiberi. *Primò* Quia ſic tenet praxis vniuerſalis Eccleſiæ. *Secundò.* Quia, loquendo de ieiuniis Quadrageſimæ, id præcipitur, *in cap. Statuimus, diſt. 4. & in Can. 56.* Sextæ Synodi generalis. Et in Concil. Tolet. VIII. *cap. 9.* & loquendo de ieiuniis, id deſumitur ex cap. *De eſu carnium, de conſecr. diſt. 3. & ex* Concilio Gerundenſi, *cap. 3.* Et ideò hanc ſententiam tenent omnes Theologi, & omnes vtriuſque iuris Interpretes. Legantur S. Thom. 2. 2. *q. 147. art. 8.* Ricard. *in 4. diſt. 15. q. 3. q. 5.* Durand. *q. 9.* Azot, 1. *part. lib. 7. c. 10. q. 3. & 6.* Fagundez, *loc. cit. n. 2.* Paſqualig. *deciſ. 41.* Couar. *lib. 4. variar. cap. 20. n. 15.* Qui id ex Sanctis Patribus, & Conciliis comprobat. Barboſa *in collectan. Doctor. 1. part. decreti, diſt. 4. cap. Statuimus, num. 3.* & alij ſtatim citandi.

Qvæstio III.

An abſtinentia à carnibus, ſit de ſubſtantia, eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici?

Negant Corduba *in ſumm. q. 143.* & alij, apud Paſqualig. *deciſ. 41. nu. 2.* & apud Baldellum *in Theolog. Morali lib. 2. diſp. 18. n. 18.*

Sed tanquam certum, Reſpondeo: Eſſe de ſubſtantia, & eſſentia ieiunij, ex inſtitutione Eccleſiæ, à qua ipſum Eccleſiaſticum ieiunium pendet. *Primò* Quia eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici attendenda eſt, ſecundùm inſtitutionem eiuſdem Eccleſiæ, à qua dependet: at ſic eſt, quòd Eccleſia omnino præcipit ieiunium, cum abſtinentia à carnibus: ergo hæc abſtinentia, de eſſentia, & ſubſtantia ipſius erit.

Secundò. Quia de eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici, eſt illud, ſine quo, etiamſi cætera adſint, ſubſiſtere nequit; ſed ſic eſt, quòd ſine abſtinentia à carnibus, nequit ſubſiſtere ieiunium Eccleſiaſticum: ergo abſtinentia à carnibus erit de eſſentia illius. Minor probatur: Quia Pontifices in Bulla Cruciatæ; clarè ſupponunt non poſſe cum eſu carnium ſtare ieiunium, poſſe tamen ſtare cum eſu ouorum, & lacticiniorum: ergo ſola abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia, & ſubſtantia ieiunij Eccleſiaſtici. Conſequentia eſt euidens. Antecedens verò conſtat ex §. IV. Bullæ. Vbi ſic dicitur: *Item vt dicto anno durante, in omnibus, & ſingulis Regis Inſulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus, de conſilio vtriuſque medici, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadrageſimalibus, veſci; ac pro eorum libito, ouis, & lacticiniis, ita quòd, qui carnes non comederint, ſeruatâ in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici formâ, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur.* Hæc Bullæ verba. In quibus, duo clarè ſignificat Pontifex, nempe, & quòd abſtinentia à carnibus ſit de eſſentia ieiunij, minimè verò abſtinentia ab ouis; & quòd qui carnes comedunt, ieiunio Eccleſiaſtico non ſatisfaciunt; bene tamen, qui ouis, & lacticiniis veſcuntur; quia videlicet; abſtinentia horum, non eſt de eſſentia ieiunij, ſicut eſt abſtinentia carnis. Sic S. Thom. 2. 2. *q. 147. art. 8.* & ibi Caiet. *& in ſumm. verb. Ieiunium,* Azor, 1. *part. lib. 7. cap. 10. quæſt. 1.* Suarez, *tom. 3. in 3. part. diſput. 70. ſect. 2.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. n. 51.* Fagundez, *lib. 1. de 4. præcept. cap. 2. num. 2. & 3.* Laymann. *lib. 4.*

lib.4. Theol. moral. tract.8. c.1. n.1. Ioann. Sanchea, *in select. disp.51. n.4.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2. n.2. & 8. & lib.1. de Bulla, §.4. dub.2. & 3.* Syluest. Durand. Palud. Ricard. Lessius, Llamas, & alij, quos refert, ac sequitur Pasqualig. *decis.41. n.2.* Quibus adhuc addi possunt Sanchea, *lib.5. cons. cap.1. dub.25. n.1. & 4.* & alij.

QVÆSTIO IV.

An nomine carnis, quæ in diebus ieiunij prohibetur, comprehendantur oua, & lac?

AFfirmandum videtur. Quia, vt aiunt, D. Hieron. *lib.2. aduersus Iouin.* Bellarmin. *tom.3. contron. lib. 2. cap.4.* Fortunatus, *2. part. de verit. & errore. num. 37.* & Glossa *in cap. Admonere, 33. qu. 2. verb. Carnem.* & Didacus Narbona, *de ætate ad omnes actus, &c. anno 5. qu.2. num.25. & anno 7. q. 6. n.5. & anno 60. q.3. num.1.* ouum nihil aliud est, quàm caro liquida, & lac, sanguis colore mutatus, hoc est, sanguis albus: ergo oua, & lac nomine carnis comprehenduntur. Et ideo, ita sentit Glossa *loc. cit.* & Sic sentit Doctus Narbona *numer.5. quæst.6. cit.* dum dicit, immeritò voluisse Toletum *lib.6. cap.3. num.4.* licitum esse pueris ante septennium lacticinia edere, sed non carnes, eo quòd oua, & lac non sint, nisi caro liquida, & sanguis albus.

Idem, & clariùs, videtur sentire Barbosa, *in cap. Denique, dist. 4. num.1.* Vbi sic ait: Vulgò colligitur prohibito vsu carnium, prohiberi vsum ouorum, lactis, & aliorum huiusmodi, quæ à carne originem trahunt. Ita ille.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo: Quòd nomine carnis, quæ in diebus ieiuniorum prohibetur, minimè veniant, aut comprehendantur oua, & lacticinia. *Primò.* Quia vt res distinctæ referuntur *in cap. Presbyter. dist.82. Secundò.* Quia per diuersa præcepta prohibentur in iure, vt constat ex cap. *Denique dist.4.* & infrà videbimus. *Tertiò.* Quia multoties conceditur esus ouorum, & lacticiniorum, & non ideo concessus censetur esus carnis, quod non contingeret, si nomine carnis venirent oua, aut (vt meliùs dicam) si oua, & lacticinia essent caro. Quod si ab aliquibus, caro liquida, & sanguis albus, vocentur; non ideo est; quia formaliter sint caro, sed quia originem trahunt ex carne, vt habetur in cap. *Denique cit.* Ex quo solutum manet fundamentum contrariorum, & ampliùs nostra sententia roboratur; quam esse omnium Doctorum communem, ex infrà dicendis, patebit.

QVÆSTIO V.

An nomine carnis, comprehendantur corui marini, & aliæ aues, quæ nutriuntur in aquis?

NEgarunt nonnulli vulgares, vt refert Addition. ad Abbatem *in Rubrica de obseruat. ieiunior. lit. C.* (non F. vt inuenies apud Fagundez, & Pasqualigum.)

Sed certissimè Respondeo: Comprehendi. Et ideò, tempore ieiunij nullo modo est licitum comedere illas. Sic Dominicus *in cap. Denique dist. 4.* Addition. ad Abbatem *loc. cit.* Quos citat, & sequitur Fagundez, *lib.1. de 4. præc. Eccles. c.2. n.9.* Vbi sic ait: Aues verò, quæ in aquis solent cibum quærere, vt sunt fulicæ, & similes, quanquam saporem piscis habeant, citra controuersiam, carnium nomine comprehenduntur, atque adcò, ieiuniorum tempore sumi nequaquam possunt. Sic ille. Et bene.

QVÆSTIO VI.

An nomine carnis, comprehendatur Cameleon?

NEgat Additionator ad Abbatem *loc. cit.* ex sententia Dominici, *loc. relato,* per hæc verba: Et sibi dicit (*Dominicus videlicet*) quòd si tempore ieiunij comedatur de Cameleone, non frangitur ieiunium, peccat tamen comedens, si hoc faciat propter gulam. Ita Additionator.

Sed tanquam certum, Respondeo: Comprehendi. Quia certum est, Cameleonis carnes, esse propriè carnes, & ideò, qui illas comederet, omnino frangeret ieiunium. Sic Fagundez, *n.9. cit.* qui ait, oppositum, nullo modo apud Dominicum inuenire potuisse.

QVÆSTIO VII.]

An nomine carnis, comprehendantur olera cocta cum carnibus?

REspondeo: tanquam certum: Comprehendi. Quia sic colligitur expressè, ex cap. *Si quis Presbyter. 17. dist.30.* Vnde nullo modo erit licitum tempore ieiunij, olera cocta cum carnibus comedere. Sic expressè Dominicus, *in cap. citat. notabili 7.* & ex illo, Additionat. ad Abbat. *loc. cit.* Pasqualig. *decis.74. num.3.*

QVÆSTIO VIII.

An etiam, nomine carnis, comprehendatur ius carnium?

REspondeo, tanquam certum: Comprehendi. Nam quamuis ius, non videatur propriè, & strictè caro; nec nomen carnis obtineat; quia tamen carnium substantiam in se imbibit, ideò nomine carnis comprehenditur. Et ita præceptum Ecclesiasticum ieiunij interdicens carnes, meritò interdicit ius, quo coquuntur. Sic tenet praxis omnium fidelium, & vt certum, docent communiter Doctores, Sanchez, *lib.4. Summa cap.11. num.48.* (non 40. vt inuenies, apud Pasqualig.) Bonae. *disp.4. circa 2. præcept. Decalog. q.2. punct.6. num.23.* Trullench *lib.2. in Decalog. cap. 2. dub. 16. num.17.* Pasqualig. *decis.57. num.1. & decis.74. num.3.*

QVÆSTIO IX.

An item, testudines, limaces, cochlea, ranæ, locustæ, & huiusmodi, veniant nomine carnis?

REspondeo, tanquam certum: Non venire. Quia nulla (ex recensitis) res habetur, apud Christianos pro carne. Ideoque absque vllo scrupulo, omnes res prædictas comedunt in diebus ieiunij, & in aliis diebus, in quibus adest priuatio carnium. Sic communiter Doctores, docentes quòd ad dignoscendum quid sit caro prohibita in die ieiunij, attendenda est maximè communis hominum existimatio, secundùm quam iam est determinatum (aut determinari debet, si occurrat de aliquo animali, dubium) quænam sit caro prohibita, & quæ non. Ita tenent Azor *part.1. lib.7. cap.10. quæst.6. in fine. vers. Si quæras.* Reginald. *lib.4. num. 143.* Bonae. *disp. vltim. de præcept. Eccles. q.1. punct.2. num.1.* Fagundez *lib.1. de 4. præcept. Eccles. c.2. n.9.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap. 2. dub.2. n.2.* Pasqualig. *in praxi ieiunij, decis.6.* Bassæus *verb. ieiunium 1. num.3.*

QVÆSTIO X.

An nomine carnis, comprehendantur ſanguis arietum, agnorum, & aliorum animalium, nec non ſagimen, & lardum?

RESpondeo, breuiter pro nunc: Comprehendi: Ideoque non poſſe quem prædictis rebus veſci, in diebus, in quibus prohibentur carnes, vt diſp. ſequenti latiùs dicemus, contra nonnullos Doctores.

QVÆSTIO XI.

An, qui in diebus ieiunijs, & aliis, in quibus carnes prohibentur, comederet carnem in paruitate materiæ, peccaret mortaliter?

AFfirmant aliqui, quos, ſuppreſſis nominibus, refert Anton. de Leone, *in qq. moral. de chocolate, p. 3. n. 3.* Quia exiſtimant, quòd in comeſtione carnis in die ieiunij, non datur paruitas materiæ.

Sed tanquam mihi certum, Reſpondeo: Non peccare mortaliter. Quia mihi certum eſt, quòd ſicut in aliis præceptis negatiuis, etiam naturalibus, datur paruitas materiæ excuſans à mortali; vt patet in furto, & iniuria illata proximo, quæ ſunt contra præcepta naturalia negatiua; ita etiam detur, in comeſtione carnis in diebus ieiunij. Et ideò hanc ſententiam tenent communiter Doctores. Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 8. num. 17.* Bonacin. *diſp. vltim. de præcept. Eccleſ. qu. 1. punct. 2. num. 3. verſ. Ex dictis colligitur.* Citans Ludouicum Carbo. *part. 4. de præc. Eccleſ.* & Rodriguez *1. p. cap. 23. n. 1. ad finem.* Sed ex his, non ita bene Rodriguez; nam hic Author, ſolùm loquitur de eſu ouorum, non carnium. Tenent etiam Tanner. *in 2. 2. diſp. 3. dub. 5. n. 93.* Merolla *tom. 1. diſp. 2. cap. 4. dub. 7. n. 111.* Hurtado de Mendoza *de fide 1. p. diſp. 83. ſect. 3. §. 21.* & Anton. de Leone *loc. cit.* Quos omnes refert & ſequitur Diana *1. part. tract. 9. Reſol. 43.* (aliàs *2. p. tract. 23. Reſol. 43.*) *& p. 5. tract. 5. Reſol. 32.* & Auſonius, *in ſumm. Dianæ, verb. Ieiunium, n. 49.* Quibus addi adhuc poſſunt, Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 2. dub. 2. n. 5. in fine.* Paſqualigus, *in Pra i ieiunij. deciſ. 42. n. 2. & 3.* Baſſæus *ver. Ieiunium, 1. n. 8. verſ. Petes Secundò,* & communis.

QVÆSTIO XII.

An, qui in diebus ieiunij, deditâ operâ, manducaret dimidiam circiter vnciam carnis, peccaret mortaliter?

NEgat Paſqualig. *deciſ. 42. cit. à num. 5.* Quia exiſtimat, quòd prædicta quantitas ſit parua; eo quòd parum nutrimenti poſſit afferre. Vnde ſi quis (inquit, *n. 7.*) deditâ operâ comedat carnes in die ieiunij, in ſupradicta modica quantitate, vt ſatisfaciat guſtui, non peccabit, niſi venialiter; quia ratione paruitatis materiæ excuſabitur à mortali, nec cenſetur carnibus ſe reficere. Ita ille. Sed certè nimis laxè, in tam ſtricta materia.

Quapropter, tanquam mihi certum, Reſpondeo dicendum, quòd peccaret mortaliter. Quia mihi certum videtur, quòd in comeſtionis carnis materia, in qua nonnulli, non inuenerunt paruitatem, non ſit parua, ſed magna quantitas dimidiæ circiter vnciæ carnis, moraliter ponderata (vt ait Paſqualigus.) Et primò, ſic ad hominem, contra ipſum Paſqualigum, arguo, ex ipſiuſmet doctrina. Nam ille, *deciſ. 141. n. 5. in fine.* aſſeueranter docet, quòd qui dimidiam vnciæ chocolate, in potione infuſam ſumeret, frangeret ieiunium, & peccaret mortaliter; eo quòd prædicta materia non ſit cenſenda parua, ſed magna, cum multum nutriat. Audi obſecro eius verba: Sed difficultas eſt (inquit Paſqualigus) quænam cenſenda ſit parua materia: cùm enim talis potio adeo nutriat, & corroboret, diuerſa eſt ratio de ipſa, ac de cæteris cibis. Anton. de Leone, *loc. cit.* putat dimidium vnciæ chocolate poſſe in potione miſceri, tanquam paruam materiam. Sed hoc ego nimium exiſtimo; quia, proportionaliter loquendo, vncia dimidia chocolate, plus nutrit, & corroborat, quàm ſex vnciæ alterius cibi valde nutritiui. Vnde cùm in hoc, non attendenda ſit quantitas materialis, ſicut in aliis cibis, ſed quantitas formalis, nempe virtus nutritiua, vtpote, quia in ieiunio præcipitur abſtinentia à cibo tanquam à nutritiuo, illa habenda eſt pro parua materia, quæ parum nutrire poteſt; vnde puto, non poſſe excedere octauam partem vnciæ, aut ad ſummum, ſextam partem, alioquin ſemper afferet notabilem nutritionem. Huc vſque Paſqualigus. Sed nunc ego, ex ipſius doctrina (quidquid de veritate illius ſit, de quo infrà) contra ipſum, argumentum ſequor: at ſic eſt, quòd in omnium opinione, magis nutrit caro, quàm cæteri alij cibi, quantumuis ſit chocolate: ergo ſi dimidia vncia huius, non eſt parua materia, à fortiori non erit materia parua, dimidia vnciæ carnis. Cõſequentia eſt euidens. Minor verò probatur clarè; Tum experientiâ; tum etiam, quia ideò Eccleſia præcipit in diebus ieiunij abſtinere à carnibus, quia hæ magis reficiunt corpus, quod macerare per ieiunium intendit: Vt bene probat Abulenſ. *in cap. 6. Math. q. 171.* & ingenue fatetur ipſe Paſqualigus, *deciſ. 41. num. 4.* per hæc verba: Quia ieiunium conſiſtit in abſtinentia ordinata ad macerandum corpus, & proinde debet eſſe abſtinentia à cibo, qui eſt magis guſtui gratus, & qui magis reficit corpus, & ſemini ſubminiſtrat vires contra rationem: tales autem ſunt ex genere ſuo carnes: alioquin ſi ab ipſis non abſtineretur, licet abſtineretur ab aliis cibis inferioribus, nullum corpus ſentiret incommodum. Sic Paſqualigus, ergo, iuxta ſuam ſententiam, & doctrinam hic traditam, ex ſe magis reficit corpus, & carnem caro, quàm cæteri quicumque cibi: ergo ſi ex chocolate, quia validè reficit corpus, dimidium vnciæ, non eſt parua materia, apud ipſum; qua ratione erit parua, dimidium circiter vnciæ carnis; cùm hæc, multò magis reficiat corpus, & ſemini potentiores ſanè ſubminiſtret vires?

Secundò id probo. Quia ſi quis feriâ ſextâ aſſumeret pro ientaculo, Hiſpanè, *Deſayuno*, dimidium vnciæ carnis, cum duabus, aut tribus vnciis panis, verè reficeret corpus, & non parum, ſed ſatis; præcipuè ſi ſit debile: ergo ſignum manifeſtum eſt, dimidium vnciæ carnis, non eſſe paruam materiam reputandam. Opinio igitur Paſqualigi, nullo modo ſuſtineri poteſt. Sic, me citato, tenet Diana *part. 10. tractat. 14. Reſolut. 32. in fine.* his verbis: Sed rectè hanc opinionem tanquam nimis laxam exiſtimat Leandrus ſuſtineri non poſſe. & Rurſus *Reſolution. 56. in fine.*

QVÆSTIO XIII.

Quænam quantitas in comeſtione carnis, quæ, in diebus ieiunij, feriâ ſextâ, ac Sabbato, eſt prohibita, cenſeri debeat materia parua?

ANton. de Leone, *tract. de Chocolate, part. 3. n. 8.* affirmat, paruam materiã in comeſtione carnis eſſe illam quantitatem, quam ſolent ſumere coqui, & pincernæ ad prægustandos cibos. Vnde ſi quis, inquit,

quit, maiorem quantitatem carnis aduertenter ob gulam sumeret,non solùm venialiter,sed etiam mortaliter delinqueret;cùm materiam paruam excederet Sic ille. Quem citat, & videntur sequi Diana, *p.5. tract.5. Resol.32.* & Ausonius etiam *in summ. Diana, v. Ieiunium, num.49.*

Alij verò Doctores de hac materia tractantes,magis generaliter loquuntur. Nam quidam dicunt,materiam paruam,esse particulam minimam carnis. Sic Merolla, & Hurtado de Mendoza *sup. citati.* Alij dicunt, materiam paruam esse, valde exiguum carnis frustulum.Sic Bonac.& Trullench, *loc.cit.*& hoc modo loquuntur alij.

Sed ego,adhuc clariùs loquendo, Respondeo dicendum: Quòd illa quantitas carnis, quæ non excedit octauam partem vnius vnciæ, censenda,& reputanda sit parua materia;quæcumque verò hanc excedat,magna,ac grauis.Quia octaua pars vnciæ carnis, verè est quantitas minima,& valde exigua,& quam sumere solent coqui (imò,& necessariò, si necessarium sit multa fercula carnis prægustare) quando prægustant cibos: ergo censeri debet parua. Et hanc meam opinionem refert Diana *p.10. tr.14. Resol.31.* nec improbat.

QVÆSTIO XIV.

An incideret in peccatum reseruatum, qui comederet carnem in paruitate materiæ, vbi comestio carnis in die prohibito, est peccatum reseruatum?

Affirmare tenentur, qui negant, in comestione carnis dari paruitatem materiæ de quo suprà, *quæst.10.*

Sed tanquam quid certum,Respondeo:Non incideret. Quia reseruatio semper cadit supra peccatum mortale:at qui comederet carnem in parua materia nó committeret mortale,sed solùm veniale,vt ex dictis constat:ergo non incideret in peccatum reseruatum. Sic Bonac. *disp. vlt. de precept. Eccles. quæst.1. punct.2. num.2. vers. Ex dictis.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2.n.5. in fine.* Pasqualig. *decis.42. num.9.* Diana *part.5. tract.5. Resol.32.* Ex Merolla *loc.cit.*

QVÆSTIO XV.

An qui in principio Quadragesimæ haberet expressam voluntatem, comedendi singulis diebus carnem in paruitate materiæ, peccaret mortaliter?

Affirmabit Toletus. Quia in simili casu id affirmat. Nam *lib.4. summ. cap.25. num.1.* (non 2. vt citatum inuenies apud Sanchez) loquendo de peccatis, quæ contra sanctificationem festorum committi possunt; ait, tunc committi mortale,cùm materia est magna, vel continua, quia singulis diebus fit.

Sed longè multò probabiliùs, & certiùs, Respondeo: Non peccare mortaliter,sed venialiter tantùm. Ratio est. Quia quælibet illarum comestionum, ob paruitatem materiæ, solùm continet peccatum veniale, vt ex dictis constat :ergo etiam omnes simul sumptæ,solùm continebunt peccatum veniale :ergo, & propositum, aut voluntas ponendi in executione tales comestiones. Hæc consequentia, cum maiori est manifesta; minor autem probatur. Quia illæ singulę comestiones, nullo modo vniuntur inter se: ergo nequeunt inducere rationem vnius comestionis; ergo remanent singulæ in sua leuitate. Quòd enim non vniantur inter se, constat; quia obligatio abstinendi à carnibus,est affixa diei: ergo transacto quolibet die, transit etiam,& cessat obligatio abstinendi à carnibus:ergo comestio vnius diei,tantùm est contra obligationem illius diei,non verò contra obligationem alterius. Sic omninò ferè, Pasqualigus, *decis.43. per totam.* Et ante illum Merolla *tom.1. disp.2. cap.4. dub.7. num.111.* Quem citat, & videtur sequi Diana, *part.5. tract.5. resol.32.* Et loquendo de præcepto ieiunandi, & recitandi Horas Canonicas, aut non laborandi in festis,& alijs; eandem doctrinam tradunt Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.4. num.11. 12. 14. & 15.* & penes ipsum, alij. Sotus, Angles, Suarez, penes Pasqualig. & communis; & constat ex dictis *tract.1. de primo præcepto Ecclesiæ, disp.6. quæst.8.*

QVÆSTIO XVI.

An Coqui, & Pincernæ possint licitè prægustare carnes, in diebus, in quibus prohibentur?

Respondeo, tanquam certum: licitè posse prægustare carnes,etiam transmittendo illas ad stomachum. Quia à mortali excusat eos paruitas materiæ; vt habitum est suprà: à veniali verò: quia talis sumptio, non fit ab illis, per modum comestionis, aut refectionis, sed ex necessitate seruitij, & ad implendum suum munus. Sic Syluest. *v. Ieiunium. q.3. num.9.* Caiet.2.2.*q.147. art.3.* Nauarr. *cap.21. n.13.* Abulens. *in 6. Matth. q.171.* Sanchex, *lib.5. consil. cap.1. dub.22. num.9.* & penes ipsum, Metina, *lib 1. summ.cap.14.§.10.*& Palat. *in 4.dist.15.disp.8* Diana, *part.5. tract.5. resol.32.* Anton. de Leone *loc.cit.* Fagundez,*lib.1. de 4.præcepto Eccles.c.2.num.8.* Pasqualig. *decis.44.per totam,* & apud ipsum,præter citatos, Bixoxer, & Ioann. de Cruce. Sic etiam Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.6. num.10.* Ausonius *in summa Dianæ, ver. Ieiunium, num.4.* & communis. Nota tamen hîc cum Caiet. Sanchez, & alijs, quòd nullo modo soluantur à ieiunio prædicti prægustatores carnium; sed omninò teneantur ad illud, non secus, ac si non prægustassent illam, ob rationem factam.

QVÆSTIO XVII.

An etiam, inseruientes infirmis, licitè possint, in diebus prohibitis, comedere (in paruitate materiæ) aliquid carnis, ad inducendos infirmos ad comedendum?

Respondeo, etiam tanquam quid certum: licitè posse. Quia à mortali culpa excusat illos paruitas;à veniali verò,charitas: ergo. Sic Sanchez *loc.cit. num.10.* per hæc verba:Septimò addendum est, eos, qui inseruiunt infirmis posse aliquid comedere in die ieiunij, etiam ex carnibus, quando vident id esse commodum ad excitandum appetitum infirmorum, quia patiuntur fastidium:& probatur ex casu præcedenti de pincernis:grauior enim,& vrgentior est hæc causa. Item quia hoc postulat charitas, & Ecclesia non intendit impedire opera charitatis. Sic Nauarr. *suprà,* & prædicti Iuniores. Huc vsque Sanchez. Quem citant, & sequuntur Diana *Resol.32. citata, in fine.*& Pasqualigus *decis.545.per totam.*

Qvæstio XVIII.

An qui nullum haberet alium cibum, præter carnes, posset licitè illis vesci, in diebus prohibitis?

RESpondeo: Tanquam certum; Posse. Quia lex prohibens carnes, cùm sit positiua, & humana, non obligat cum detrimento vitæ, aut salutis. Sic Abulens. *in cap.6. Matth. quæst.*171. *vers. Dicendum.* (non *cap.7. quæst.*1. vt apud Fagundez: nec *q.*371. vt apud Pasqualigum, inuenies) Cardin. *in Rubrica de obseruat. ieiun. q.*8. Henriquez *lib.7. cap.*13. *num.*12. Fagundez *lib.*1. *cit. cap.*2 *n.*8. Pasqualigus *decis.*49. *num.*1. citans prædictos, & etiam Syluestrum *verb. Ieiunium. q.*9. Azorium 1 *part. lib.7. cap.17. q.7.* Toletum *lib.6. cap.4. num.*4. Filliucium *tract.*27. *part.*2. *cap.6. num.*115. Bonacin. *disp. vltima de præc. Eccles. q.*1. *punct. vltim. num* 5. Angles *in florib. q.9. de Ieiunio art.1. diff.4. append.*1. & Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.29. num.*4. Sed ex his Doctoribus, malè citantur ab hoc Authore, Syluest. nam *q.*9. nihil agit de hac re, sed in *q.*10. vbi tamẽ solùm ait, quòd comedere carnes sextâ feriâ, sine causa infirmitatis, sit mortale. Azorius, licèt id affirmet, non tamẽ ita expressè, nec mihi *cap.*17. sed 28. Toletus, nil docet ad propositum, *loc. cit.* Benè tamen Bonacina, (quamuis male citet etiam Tolenum, & Syluestrum, eisdem locis citatis à Pasqualigo) & alij Doctores.

Qvæstio XIX.

An etiam, posset vesci carnibus, in diebus prohibitis, qui non haberet alios cibos, præter panem?

AFfirmat absolutè Pasqualigus *in praxi ieiunij decis.49 num.3. &* 4. vbi sic ait: Arbitror tamen, quòd si, etiam per vnicum tantùm diem, careret alijs cibis concessis, posset loco ipsorum vesci carnibus. Lex enim prohibens carnes, intendit tantùm macerationem illam, & abstinentiam, quæ prouenit ex substractione carnium, & non aliam maiorem: ergo quando lex non potest seruari sine extraordinaria abstinentia, & maceratione, desinit obligare. Tum, quia cessat intentio legis, quæ intendit moderatam tantùm abstinentiam: Tum, quia lex fieret nimis onerosa absque noua causa. Hæc ille. Cui adhæret P. Vidal *in Arca Theolog. moral. de Ieiun. Inquisit.1. num.7.* Sed absolutè loquendo, nimis laxè. Vnde,

Alij meliùs, absque dubio, dicunt, quòd siquis per vnicum tantùm diem careret alijs cibis præter panem, tunc non posset vesci carnibus, sed deberet cõtentus esse solo pane, secus autem si careret per plures dies. Pro hoc modo philosophandi citat Pasqualigus *num.*2. Iosephum Angles *in florib. q.9. de ieiunio, art.1. diff.4. Append.*1. & Vegam 1. *part. summ. c.14. casu* 28. Et benè quidem. Et posset citare etiam Thomam Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.19. num.7.* Sic dicentem. Tandem nota, multò maiorem necessitatem requiri, vt fas sit in diebus prohibitis vesci carnibus. Vnde si nullus alius cibus esset, nisi panis, non liceret carnibus vesci, nisi per plures dies duraret inedia, vt longa nauigatione, & in atroci bello, vbi deest victus. Sic Angles vbi sup. *diff.4. fol.*426. Huc vsque Sanchez.

Sed ego, adhuc meliùs, & distinctiùs, Respondeo dicendum. Quòd, vel persona, cui dictus casus contingeret, est nimis delicata, assuetaque epulari splendidè, vt sunt Magnates, aut Principes; vel est persona robusta, & enutrita vilibus escis, vt sunt Pastores, & pauperrimi agricolæ, qui vix vnquam saturari possunt micis &c. Loquendo ergo de primo genere personarum, credo sustinere posse sententiam Pasqualigi, quia pro illis militans rationes ab ipso factæ; non verò loquendo de secundo personarum genere, quia de iis loquendo, verissima est sententia Sanchez, & aliorum; non enim inueniri ratio potest, ob quam licita sit ei comestio carnis in diebus prohibitis; cùm in his, non deficiat illis consueta refectio, imò eademmet, quam habent in alijs diebus, in quibus non est prohibitum vesci carnibus. Ex quibus facillimè solui possunt argumenta Pasqualigi; solùm enim probant primam partem nostræ responsionis; minimè verò faciunt contra secundam. Et ita, me citato, tenet hanc partem Diana *p.10. tr.14. Res.59.*

Qvæstio XX.

An fidelis existens, aut transiens per terras Turcarum, aut Hæreticorum, possit comedere carnes in diebus prohibitis, ad occultandum se esse Catholicum, ne aliàs aliquod graue subeat periculum?

REspondeo Dicendum: Posse quidem, si timeat aliàs aliquod graue damnum; secus verò, secluso illo. Ratio est. Quia præceptum abstinendi à carnibus, cùm sit Ecclesiasticum, non obligat cum graui periculo. Secluso tamen illo, tenebatur abstinere à carnibus, nec poterit illas in secreto comedere, quando prohibentur, si illi alij cibi suppetant, iuxta nuper dicta. Sic Azor 1. *part. lib.7. cap.38. aliàs* 39. (non 18. vt inuenies apud Pasqualigum) *q.7. & lib.8. cap.27. q.3.* Fagundez ex illo, *lib.1. de 4. præc. cap.9. num.*11. & Lublinus 1. *part. summ. verb. Ieiunium, n.*15. Pasqualigus *decis.*52. & alij communiter. Qui tamen bene addunt; hoc debere intelligi, casu, quo carnes non apponantur publica auctoritate, in protestationem falsæ sectæ, aut in odium Religionis Christianæ; quia tunc fidelis potiùs deberet mori, quàm illas comedere.

Qvæstio XXI.

An etiam, Remiges, in triremibus infidelium, aut hæreticorum, laborantes, possint vesci carnibus, in diebus prohibitis?

REspondeo: Posse, casu, quo secus facientes, subirent aliquod graue damnum; aut casu, quo aliàs non possent præstare debitum officium, & laborem; aut tandem si non haberent alios cibos, iuxta doctrinam Sanchij suprà *q.*18. traditam, quæ pro hoc casu tenenda omninò est. Sic Pasqualig. *decis. cit. num.*4. & innuunt aliqualiter Azor, & Fagundez *loco citato.*

Qvæstio XXII.

An item, Catholici laborantes, aut famulatum præstantes, in terris hæreticorum, possint vesci carnibus, in diebus ieiuniorum?

AFfirmat absolutè Laymao *lib.4. Theol. moral. tract.8. cap.3. n.3. vers. Tertia est,* per hæc verba: Addo primò, laborantibus, & famulantibus Catholicis apud nos, in oppidis Hæreticorum, permitti posse, vt diebus ieiuniorum, carnibus vescantur, dummodo scandalum tolli possit; si nimirum dicant se in tali casu necessitatis, Ecclesiæ præcepto non obligari.

obligati. Verùm Societas Iesu, in his septentrionalibus partibus, ob maiorem securitatem, à Summo Pontifice priuilegium accepit dispensandi cum talibus. Ita Layman.

Sed hanc doctrinam limitat Pasqualig. *decis.* 53. *num.* 2. dicens, illam esse veram; sed non generaliter sed solùm in casu, quo Catholicus non posset, sine magno incommodo, habere alios cibos aut hæretici nollent alios cibos (non in contemptum Religionis) ministrare, quia tunc vesci carnibus possent.

Sed ego, distinctiùs adhuc Respondeo: Dicendum Primò, Quòd nullo modo possint dicti Catholici vesci carnibus, in diebus prohibitis, ea solùm de causa, quia videlicet, ligentur tunc præcepto Ecclesiæ præcipientis abstinentiam carnium: quia, seclusa graui necessitate, aut alia causa excusante, falsum omnino est, quòd Catholici habitantes apud Infideles, non ligentur præceptis vniuersalis Ecclesiæ, cùm hæc non locum, sed personam sequantur, vt bene probat Pasqualigus, *decis.* 52. *n.* 5. *&* 6. nec credo hoc dictum esse contra Layman.

Dico secundò, quòd si quis non haberet dispensationem ad vescendum carnibus, diebus prohibitis, & haberet alios cibos, quibus dictis diebus vesci posset, nullo modo esset licitum ei, carnes manducare, cùm tunc nec adsit periculum grauis damni, vt supponimus, nec necessitas, nec dispensatio: ergo nulla ex parte, licita remaneret tunc comestio carnium. Secus verò dicendum existimo, casu, quo quis non haberet alios cibos, præter carnes, aut etiam casu, quo obtinuisset dispensationem; nam tunc licitè posset manducare carnes, etiam alij cibi suppeterent, cùm dispensatio sit (vt supponimus) absoluta & non sub conditione.

QVÆSTIO XXIII.

An discedens à loco, vbi illa die, nec ieiunatur, nec prohibentur carnes, possit comedere carnes, antequam discedat, quamuis vespere perventurus sit ad locum vbi ieiunatur?

Respondeo: Tanquam certum: Posse. Quia licitè potest sequi consuetudines, & leges loci in quo reperitur; nec tenetur leges proprias alterius loci, etiam proprij domicilij, obseruare tunc, vt diximus sup. *tr.* 1. *disp.* 3. *q.* 6. Et sic tenent communiter Doctores. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 22. *vers. verum probabilius.* Lessius *lib.* 4. *de iust. cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 57. Quem citat, & sequitur Filliuc. *tr.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 109. Sancius *in select. disp.* 54. *n.* 30. Molfesius 1. *part. summ. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 2. Portel. *in dub. Regul. ver. Ieiunium in Addit. num.* 3. Diana 1. *part. tract.* 9. *res.* 3. Quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus *in praxi ieiunij decis.* 59. *num.* 1. Quibus adde Amicum *tom.* 5. *de iust. & iure disp.* 5. *sect.* 16. *n.* 360. & alios.

QVÆSTIO XXIV.

An prædictus, qui manè licitè comedit carnes, possit etiam licitè eas vespere comedere, si perueniat ad locum proprij domicilij, in quo, illa die, non comeduntur?

Respondeo: Tanquam certum: Non posse licitè. Quia certum est, quòd quilibet tenetur legibus sui proprij domicilij, quamdiu in ipso est: ergo tenetur statim, ac ad ipsum peruenit. Sic communiter Doctores. Sanchez, Amicus, Filliucius, Sancius, & Diana *loc. cit.* Pasqualigus *decis.* 60. *num.* 1.

QVÆSTIO XXV.

An saltem, posset illas comedere, si locus ad quem vesperè peruenit, non sit proprium domicilium, si ibi specialiter prohibeantur?

Affirmant, Sanchez, Sancius, & Filliuc. *loc. cit.* Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præc. Eccles. cap.* 7. *num.* 11. & penes ipsum, Palatios, Petr. Ledesma, Medina, & alij. Negant verò alij DD. existimantes, non posse in dicto casu carnes comedere, eo quòd teneatur legibus illius loci ad quem accessit. Et hæc sententia est probabilior mihi, & tenenda iuxta dicta *tr.* 1. *de primo præcepto, disp.* 3. *q.* 23. Legatur.

QVÆSTIO XXVI.

An discedens à proprio domicilio, vbi carnes prohibentur, possit nihilominus eas comedere antequam discedat, si perventurus sit vespere ad locum vbi comeduntur?

Respondeo: Tanquam certum: Non posse. Quia certum est, quòd prædictus discedens ligatur legibus sui proprij domicilij, quamdiu in ipso est, vt nuper diximus, & tenent communiter omnes, præcipuè Sanchez, Basilius, Granados, Ægidius, Sancius, Amicus, Barbosa, Filliucius, & alij statim citandi.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem, discedens manè ex loco, vbi est ieiunium, perventurus vespere ad locum, in quo ieiunium non obligat, possit antequam discedat, ientaculum sumere?

Affirmant Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 22. *& lib.* 1. *summ. cap.* 12. *num.* 34. Lessius *lib.* 4. *de iust. cap.* 2. *dubit.* 8. *num.* 88. Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 109. Salas *disp.* 14. *de legib. sect.* 5. *num.* 68. Molfesius *tom.* 1. *summ. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 22. Sancius *in select. disp.* 54. *num.* 27. *aliàs* 28. Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disp.* 12. *q.* 3. *n.* 5. Villalob. *tom.* 1. *summa tract.* 2. *diff.* 34. *num.* 3. Diana *part.* 1. *tr.* 9. *Resol.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 6. Merolla, Portel, Gordon. & Layman, quos citat, & sequitur Pasqualigus *tract. de ieiun. decis.* 215. *num.* 3. *&* 4. vbi id probat. Quia certum est apud omnes, quòd, qui absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, eo ipso absoluatur etiam à præcepto ieiunandi: Sed sic est, quòd etiam est certum, quòd, qui egreditur à loco ieiunij, & peruenit vespere ad locum, vbi non est præceptum de ieiunio, absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus; cùm in loco, vbi est ieiunium, possit prandere, & vespere cœnare: ergo pro illo die est absolutus à ieiunij præcepto; & consequenter, poterit quacumque horâ comedere antequam exeat à loco, vbi est præceptum de ieiunio. Sic ille. Et etiam nouissimè Barbosa *lib.* 1. *de iure vniuerso cap.* 20. *num.* 51. Leander de Murcia *cap.* 2. *num.* 28. *super cap.* 3. *Regulæ Franciscanæ*, & Amicus 5. *tom. de iure, & iustit. disput.* 5. *sect.* 16. *num.* 460.

Sed ego, iuxta dicta, *tract.* 1. *disp.* 3. præcipuè, *q.* 9. probabilius Respondeo: Quòd non possit, in dicto casu, præfatus discedens, manè antequam discedat, ientaculum sumere. (nisi aliàs ratione laboris, ob iter,

iter sumendi, iam sit liber à Ieiunio: In quo omnes conueniunt.) Probatur nostra responsio. *Primò.* Quia iste talis nequit antequam discedat, comedere carnes, etiamsi vespere perventurus sit ad locum, vbi comeduntur, vt cum communi omnium sententia, concedunt etiam Authores primæ; & constat ex dictis, quæst. antecedenti: ergo, nec poterit ientaculum sumere; patet consequentia; quia re vera, vtrumque præceptum vrget, antequam discedat. Dicere autem, quòd huiusmodi discedens, antequam discedat, absoluatur ab abstinentia à pluribus comestionibus; non verò ab abstinentia à carnibus, sine fundamento profectò est dictum; quia in nostro casu, potiùs abstinentia à carnibus, est propter ieiunium; ergo, præcepto principali sublato, auferretur etiam illud aliud, quòd est propter ipsum.

Secundò. Quia certum est apud omnes, quòd qui exit à proprio loco, vbi vrget præceptum festi, ad laborandum in alio, vbi tale præceptum non adest, non possit manè antequam exeat, laborare per partem notabilem temporis, etiamsi sciat, per maiorem reliquam diei partem posse in loco vbi non est festum laborare; & hoc, non ob aliam rationem, nisi quia, vbi manet adest, vrget præceptum festi, ad quod seruandum pro tunc tenetur, abstinendo se ab operibus seruilibus; ergo, similiter ob eamdemmet rationem, qui discedit à loco, vbi vrget præceptum ieiunij, quantumuis sciat vespere perventurum ad locum, vbi non vrget, minimè poterit manè antequam discedat, sumere prandium in quantitate magna, sed tenebitur ad obseruandum pro tunc ieiunium, abstinendo se à comestione quacumque dictæ obseruationi contraria.

Tertiò, & sit huius rationis confirmatio. Quia probabilius est (vt diximus *sup. quæst.9. cit.* quod, Qui manè egreditur de loco proprio, vbi est dies festi, ad locum, vbi non est, teneatur priusquam exeat, Missam audire, eo quòd pro tunc vrgeat præceptum illam audiendi: ergo similiter in nostro casu, discedens tenebitur ab abstinendum à pluribus comestionibus, antequàm discedat; cùm similiter, pro tunc vrgeat ieiunij præceptum.

Ex quo patet ad fundamentum Pasqualigi, negandum enim omnino est, quòd prædictus discedens absoluatur antequam discedat absolutè, & per se ab abstinentia à pluribus comestionibus; sicut non absoluitur ab abstinentia à carnibus. Vnde nostram sententiam tuentur Basilius *de Matrim. lib.5. cap.8. num.3.* his verbis: Hinc magis in speciali fit, cum qui discedit à loco, in quo iuxta patriæ consuetudinem ieiunium seruatur, & accedit ad eum locum, in quo carnibus vescuntur, non posse ante exitum, cibum sumere; tenetur enim in eo loco lege ieiunij, cùm sit præceptum negatiuum habens vim obligandi pro semper, in quo non rectè loquitur Thomas Sanchez *disp. cit. num.22.* Quamuis autem certus sit de profectione, adhuc violatur lex ieiunij sumptione cibi, quandiù ibi commoratur, quia lege tantùm liberatur, quando exit extra territorium proprium. Huc vsque Basilius. Ægidius *de Sacram. q.74. art.4. disp.3. num.103.* Granados 1.2. *controu.7. tr.3. disp.6. sect.4. num.31.* Castro Palao *part.1. oper. moral. tract.3. disp.1. punct.24. §.5. num.10. & 11.*

QVÆSTIO XXVIII.

An qui ex dispensatione comedit carnes in diebus, in quibus prohibentur, peccet mortaliter contra præceptum abstinentiæ à carnibus, si comedat tocinum, aut alias carnes nociuas in magna quantitate?

AFfirmat Ioann. de Cruce *in summ. 1. part. precept. 3. art. 4 dubit. 8. num. 3.* Quia, inquit tales carnes nociuæ iam sunt vetitæ, & dispensatio non se extendit ad illas; cùm sit tantùm de iis, quæ conferunt sanitati. Citat etiam pro hac parte Pasqualigus, *infra*, Emanuelem Rodriguez. 1. *part. summ. cap.24 num.3.* & Henricum Henriquez *lib.7. summ. cap.30. num.3.* Sed ex iis, non omnino bene Rodriguez, quia non loquitur de nostro casu, in propriis terminis; sed de casu, quo Medicus daret licentiam alicui edendi oua, in quo, inquit, non posset huiusmodi licentiatus edere lacticinia si essent nociua saluti eius; non dicit, quòd non posset tunc, edere oua, si quæ sunt nociua, sed lacticinia. Quod quidem deberet asserere, vt pro hac parte omnino bene citari posset, Sed quidquid sit de hoc.

Probabiliùs omnino Respondeo: Non peccare mortaliter contra præceptum abstinendi à carnibus; sed solùm contra aliud præceptum naturale, quo tenetur ad non inferendum sibi aliquod graue damnum in vita, seu salute; Ideoque, qui prædicta in diebus prohibitis, comederet, nullo modo peccaret contra primum præceptum; bene tamen contra hoc secundum mortaliter, vel venialiter, iuxta mensuram damni grauis, vel leuis, quod ex tali carnium nociuarum comestione incurreret. Ratio est. Quia Ecclesia per dispensationem, omnino tollit prohibitionem carnium: at prohibitio carnium respicit, & includit carnes omnes; (vt apud omnes est constans) ergo, & dispensatio absoluta, includere debet ablationem abstinendi ab omnibus carnibus, tam proficuis, quàm nociuis.

Vnde ad fundamentum contrarium, Negandum est, quòd dispensatio non se extendat ad tollendam prohibitionem etiam carnium nociuarum. Quia licet motiuum dispensandi sit necessitas illius, cum quo dispensatur; non tamen fit dispensatio, iuxta mensuram necessitatis; quia fit absoluta, & sic tollitur absolutè obligatio abstinendi à carnibus imposita ab Ecclesia. Sic omninò Pasqualig. *decis.46.* dicens, hanc opinionem, non solùm probabiliorem, sed sibi certam videri. Et pro illa affert Villalob. 1. *part. summ. tract.23. dub.8. num.11.* Dianam, *part.5. tract.5. Resol.47. vers. sed contrariam.* Barthol. à S. Fausto *lib.1. Thesauri Relig. quæst.346. in vltim. edit.* Ioannem Sanchez *in select. disp. 51. num. 20. & 21.* Thomam Sanchez *lib. 4. summ. cap. 11. num. 57.* & Ægidium Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap.2. dub.2. num.9.* Sed ex his, malè citatur Diana 5. *part. tr. 5.* quia non ibi, sed 1. *part. tract.9. Resol. cit. 47.* id docet. Tenent tamen alij. Quibus addi adhuc possunt idem Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp.1. num. vltim.* Ausonius *in summa Dianæ ver. Ieiunium, num.20.* Machado *lib.2. sum. part.4. tract.3. docum.2. num.5.* vbi sic ait: [Pero mas probable, que el que tiene licencia para comer carne, puede comer conejo, liebre, ò tocino; y si esto le hiziere daño sera pecado de gula, mas no contra el precepto del ayuno.] Sic ille. Qui tamen non citat bene pro hac patre Henriquez. Sic etiam Leander de Murcia *quæst.12. in cap.3. Regulæ S. Francisci, num.4.*

Qva

QVÆSTIO XXIX.

An qui in diebus prohibitis, comedit, ex dispensatione, carnes, oua, & lacticinia; possit etiam simul comedere pisces, casu, quo, ex comestione illorum, non proueniat illi aliquod damnum?

NEgatiuam sententiam tenuisse Nauarrum *tom. 1. consil. 5. de obseruatione ieiun. num. 2.* loquendo de carnibus, & piscibus, affirmat Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 3. num. 55.* Et loquendo de lacticiniis, & piscibus, Pasqualigus, infrà citand. Et loquendo de illo, qui comedit carnes, seu lacticinia, simul cum piscibus, Diana, Villalobos, Azor, Fagundex, Trullench. Sed omnes malè. Nam certè Nauarr. nec loquendo de carnibus, & piscibus; aut de lacticiniis, & piscibus, id negat ibi: cùm solùm doceat, quòd illi, qui in diebus ieiunij Ecclesiastici habent à Pontifice facultatem comedendi oua, & lacticinia, non possint illis vesci, ieiuniorum diebus à Iubilæo indictis. Vnde de comestione piscium, siue cum carnibus siue cum lacticiniis, nec aliquod verbum habet. An verò ex eius doctrina, colligi possit, id quod illi imponunt Filliuc. & Pasqualig. tu vide. Citat etiam Azor pro hac parte Medinam *in summ. c. 14. §. 10.* Sed etiam malè, quia in toto §. 10. quod legi, & relegi; nihil de hac quæstione agit.

Tenent tamen hanc sententiam negatiuam Graff. *1. part. decis. aur. lib. 2. cap. 37. n. 59.* & Lauorius *2. part. de Iubil. cap. 20. num. 28.*

Ratio eorum est. Quia, vel pisces ei nocent, vel non: si nocent, tunc eorum comestio, verè est peccaminosa; si non nocent, tunc non tenet dispensatio; cùm ad illam concedendam non adsit causa: ergo, qui in diebus prohibitis comedit carnes, seu lacticinia, ex dispensatione, non potest licitè simul comedere pisces.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo: Posse. Quia, qui dispensat, vt quis possit in diebus prohibitis comedere carnes, nullo modo prohibet, ne simul cum illis comedat pisces: ergo cùm aliàs horum comestio sit licita in ipsismet diebus, in quibus prohibentur carnes, licitè poterit carnes, & pisces simul comedere, si aliàs ex comestione piscium non proueniat comedenti aliquod damnum. Sic communiter Doctores. Pasqualig. *in praxi ieiunij decis. 47. à n. 2. & decis. 80. num. 3.* & penes ipsum. Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 3. litt. F.* Azor *lib. 7. cap. 10. q. 5.* Reginald. *lib. 4. cap. 14. num. 168.* Nugnus *in Addit. ad 3. part. tom. 2. tract. de Bulla §. 8. dub. 4.* Angles *q. 9. de Ieiun. art. 1. diff. 6.* Ortix *cap. 19. summ. num. 18. & 19.* Corduba *in summ. q. 168.* Rodrig. *in Bullam Cruc. §. 6. n. 5. dub. 4.* Acosta *in Bullam q. 80. vers. si autem quaeras* Filliuc. *loc. cit.* Fagundex *lib. 1. de 4. praec. Eccles. cap. 1. num. 18.* Trullench, *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. n. 10.* Lezana *verb. Ieiunium num. 11.* Villalob. *tract. 23. diff. 8. num. 10.* Fernandez *part. 3. exam. cap. 9. §. 5. n. 4.* & Diana *1. part. tract. 9. Resol. 26.* Sed ex iis; quamuis hanc sententiam tueatur Henriquez, non sequitur eam absolutè, sed cum limitatione. Sic enim ait *c. 13. cit. num. 11.* (non 3. vt citat Pasqualig.) Extensio quædam Bullæ fieri potest. Primò, vt cui licent oua, aut carnes, non prohibeatur simul vesci piscibus: secluso scandalo, aut speciali statuto alicuius vrbis. Sic ille. Cum qua limitatione, antea docuerat hanc sententiam Angles *loc. cit.* vt ait idem Henriquez in Glossa *lit. F.* Et cum eadem limitatione idem docent Leander de Murcia, *loc. cit. num. 3.* & Ortiz *cap. 19. cit. §. 11. & 12.* (non 18. & 19.) saltem penes me vt citant Pasqualigus & Diana, & Trullench in Bulla *lib. 1. §. 4. dub. 2. num. 3.*) Fagundez verò, licèt hanc nostram sententiam doceat, citat tamen pro contraria Nauarrum, & pro hac, Medinam, loco, ab Azorio citato, quod non aduertunt Pasqualigus; nec Diana.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ (quod falsò dicunt Azor, & Fagundex, esse Nauarri) bene respondent ipsi, dicendo, quòd, si pisces nocent, peccat quidem quis illos comedendo; non quia legem ieiunij perfringat, sed quia vescitur cibo sibi incommodo, ac minimè salubri. Si verò ei non nocent pisces, non peccat, nec vllam legem violat, quia vtitur suo priuilegio, & priuilegium Principis valet, quando solùm suæ legi derogat, non iuri diuinò, aut naturali. Ad hæc addunt alij, quòd pisces verè nocerent, si continuò comederentur, aut si soli, quæ est iusta causa ad dispensandum. Sed dum comeduntur simul cum carne, non nocent, quia caro supplet defectum nutrimenti, quod à piscibus haberi non potest. Sic Filliuc. & Pasqualigus.

QVÆSTIO XXX.

An peccet mortaliter, qui in Diœcesi Toletana comedit piscatum simul, & carnes, in diebus, in quibus carnes prohibentur?

AFfirmat Sancius *in select. disp. 51. num. 20. & 21.* peccare, scilicet, mortaliter illum, qui in dicta Diœcesi, sine necessitate aliqua, piscatum simul, & carnes comedit in Quadragesima, temperantiam naturalem infringens. Quia in dicta diœcesi lata est excommunicatio maior aduersus carnem, & piscatum prandentes simul in Quadragesima: at hæc censura supponit peccatum mortale: ergo. Addit tamen Sancius, non peccare mortaliter nec incurrere dictam excommunicationem illum, qui dictis diebus, ad excitandum appetitum, ad cibum parum piscati sumeret, quia id concessum est iure naturæ, contra quod præualere nequit positiuum; Nec illum, qui pisce suaui, vulgò *Trucha* vesceretur, etiam sine necessitate erigendi appetitum ad cibum, & in magna quantitate; quia ex esu illius, nec salus, nec temperantia læditur. Hæc Sancius.

Sed imprimis, non verè in eo, quòd dicit, latam esse excommunicationem, solùm aduersus illos, qui in diebus Quadragesimæ edunt carnes, & piscatum simul; cùm excommunicatio lata sit absolutè aduersus illos, qui non solùm in diebus Quadragesimæ, sed etiam in aliis diebus, in quibus prohibentur carnes, has simul & piscatum manducant; vt colligitur ex titulo constitutionis 2. vbi dicta excommunicatio fertur, qui sic se habet: [Que ninguno coma carne, hueuos, queso, leche, ni cosa dello, los dias que la Iglesia lo veda &c. I que los tales dias, ninguno coma carne, y pescado Iuntamente.] Ita titulus: ergo &c. Quo supposito. Pro resolutione quæstionis,

Respondeo dicendum: Quòd verè peccet mortaliter, & incurrat excommunicationem, qui in Diœcesi Toletana (& in alia quauis, vbi talis excommunicatio sit lata) in diebus in quibus prohibetur esus carnium, carnem, & piscatum simul prandet; dummodo id faciat sine necessitate, & ita in magna quantitate, vt salus, & temperantia grauiter lædatur: aliàs minimè. Ratio est. Quia ad incurrendam excommunicationem maiorem, necessum est, vt quis priùs incurrat peccatum mortale; ergo, vt quis incurrat excommunicationem latam contra comedentes carnes & piscatum simul, in præassignatis diebus, necessum

erit,

erit, vt ita abundanter comedat, vt grauiter periclitetur salus comedentis, & temperantia, & ideò grauiter, ex hoc capite peccet: ergo si secus faciat, nec peccabit mortaliter, nec incurret consequenter latam excommunicationem. Minor, in qua potest esse aliqua difficultas, patet ex se, necnon ex fine etiam ob quem, saltem ex parte, lata fuit dicta excommunicatio, vt denotant verba dictæ constitutionis, quæ sic se habent: [Otro si porque somos informados, que algunos con poco temor de Dios, en los dichos dias prohibidos comen carne, y pescado juntamente, loqual demas de ser damnosa a la salud corporal, redúnda en menosprecio de los mandamiẽtos de la Iglesia, y en notorio escandalo, y mal exemplo de los que ven, ò saben. Por ende mandamos que el que ansi lo comiere, incurra en pena de excomunion ipso facto, y de tres ducados &c.] Sic ibi. Aduertendum tamen est cum communi, quòd huiusmodi constitutio synodalis, nullo modo ligat Regulares, etiamsi confirmata sit à Papa. Legatur Thom. Sanch. *lib. 7. consil. c. 1. dub. 14. num. 6.*

QVÆSTIO XXXI.

An, qui ex dispensatione comedit carnes in diebus prohibitis; possit etiam comedere oua, & lacticinia?

NEgant nonnulli, vt refert Filliucius, vbi infra.

Sed tanquam quid certum, Respondeo: Posse. Quia, cui conceditur maius, concessum censetur, quod est minus, in eodem genere, si subordinatur maiori: ergo, cui conceditur caro, quod est maius, concessa debent censeri oua, & lacticinia, quod est minus. Sic communis sententia. Pasqualigus, *decisi. 48. à num. 2.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 8. & lib. 1. Bullæ, §. 4. dub. 2. num. 3.* Filliuc. *tr. 27. part. 2. cap. 3. num. 50.* Et pro hac parte citant hi tres Authores, Azorium, *tom. 1. lib. 7. c. 10. q. 4.* & Medinam, *lib. 1. summ. cap. 14. §. 10.* Sed omnes malè Neuter namque de hac quæstione expresè agit: sed de quæstione sequenti. Rursus Trullench, *in Bulla, loco citato*, citat Henricum Henriquez, *lib. 7. de Indulgent. cap. 30. num. 3.* & Thomam Sanchez, *in summ. lib. 4. cap. 11. num. 57.* & etiam malè; non enim tractant expresè de hoc casu, sed de sequenti.

QVÆSTIO XXXII.

An cui ex dispensatione conceditur facultas edendi oua, in diebus Quadragesimæ; licitum sit etiam, edere lac, & butyrum, si hæc in dispensatione non exprimantur?

NEgant. Quidam, quos, suppressis nominibus, refert Azor, *1. part. lib. 7. c. 10. quæst. 4. col. mihi 730.* Qui, & innuit esse probabile. Et expresè negat Bonacina, *disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst. 1. punct. 1. num. 4.*

Sed longè multò probabiliùs, & veriùs Respondeo. Licitum illi esse. Quia oua, & lacticinia eiusdem penitus videntur esse rationis, cum ea, ex carne ducant originem; vt habetur in cap. *Denique dist. 4.* ergo, cui vnum ex his conceditur, videtur quoque alterum esse concessum. Sic Azor, *loc. cit.* Qui, & citat, & nunc benè, Medinam, *§. 10. cit.* Vbi sic ait. [El que tiene licentia para comer hueuos, la tiene para leche, y manteca, y todo lo que desto se haze, porque ya que puede comer hueuos, ha de comerlos, con lo que se suelen guisar.] Sic ille. Henriquez *lib. 1. de indulg. cap. 13. num. 11.* Sic dicens: Dum Bulla, aut dispensatio Prælati, aut Medici concedit oua, extenditur ad lacticinium. Sic ibi. Quod, & repetit, *cap. 30. num. 3.* Sanchez, *tom. 3. de Matrimon. lib. 8. disp. 1. num. 39. & lib. 4. summ. cap. 11. n. 57.* Trullench, *in Bulla lib. 1. §. 4. dub. 3. num. 8. & 11. & lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 8.* Pasqualig. *decis. 76. num. 2.* Vbi sic ait. Tenendum est, quòd statim, ac conceduntur oua, sint etiam concessa lacticinia; & è contrà, concessis lacticiniis, sint oua quoque concessa. Sic ille, & bene. Fagundez, *lib. 4. de 4. præcep. cap. 2. n. 38. editionis vltimæ.* Lezana, *verb. Ieiunium, n. 11.* Villalob. *tom. 2. tr. 23. diff. 8. num. 16.* Barbosa, *in cap. Denique, dist. 4. n. 1.* & alij.

QVÆSTIO XXXIII.

An cui conceditur licentia edendi oua, lac; & butyrum in Quadragesima; concedatur consequenter licentia edendi caseum?

NEgabit consequenter Bonacina, & negat etiam Rodriguez, *in summ. cap. 24. num. 3.* casu, quo casus noceat.

Sed, absolutè longè probabiliùs, Respondeo: Concedi consequenter licentiam edendi caseum. Quia hic cibus, inter lacticinia connumerandus est; siquidem ea lacte fieri, constat: ergo lacticiniis concessis, caseus quoque concessus intelligitur; cùm sint in eodem genere. Quòd si noceat infirmo, cui concessa sunt lacticinia, tunc solùm peccabit contra præceptum naturale temperantiæ, non verò contra præceptum Ecclesiæ abstinendi à caseo. Sic expresè Henriquez, *lib. 7. summ. cap. 30. num. 3.* Vbi ita ait: concessio ouorum extenditur ad lac, aut caseum, quod minus est. Filliuc. *etiam num. 50. cit.* Bartol. à S. Fausto, *lib. 1. Thesauri Relig. q. 142. vltim. edit.* Pasqualig. *decis. 76. num. 5.* & Villalob. *tom. 2. tract. 23. diff. 8. n. 3.* Qui citat, & bene, Sanchez, *lib. 9. de Matrim. disp. 35. num. 4.* Medinam, *in summ. lib. 1. cap. 14. §. 10.* & Azorium, *1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 4.* Sic etiam Barbosa, *loc. cit.*

QVÆSTIO XXXIV.

An liceat vesci, sanguine animalium illi, cui conceditur edere oua, aut lacticinia?

AFfirmatiuam sententiam, videri amplecti Ananiam, & Felinum, in cap. *consuluit.* Affirmant Henriquez, *lib. 7. cap. 13. in Glossa, lit. H.* & Pasqualig. *decis. 75. num. 1.* Licèt illos in bonum sensum explicent, dicendo; quòd prædicti Authores, non de sanguine, sed de sagimine loquantur, cuius loco suppositum est nomen sanguinis. Sed contra hanc explicationem obiici potest, quòd non videatur esse iuxta mentem Felini, & Ananiæ, nam ad suam sententiam fundandam, moti sunt verbis capitis, *Presbyter. dist. 82.* Vbi verbum *Sanguinis*, non *saginimis* habetur, saltem in aliquibus codicibus. Deinde, vltra prædictos Authores, eamdem sententiam docuit Hostiens. *in summ. de Obseruation. Ieiuniorum. §. Quando num. 8.* per hæc verba: Hoc etiam scias, quòd cuicumque conceditur vsus ouorum, & cases intelligitur concessum, quòd etiam sanguine (non, *sagimine, vt malè transcripsit Azor. lib. 7. cap. 10. quæst. 8.*) vti possit. *argum. 82. dist. Presbyter.* Et sic vtuntur Cluniacenses, sed Cistercienses, & quidam alij Re-

ligio

ligiosi, contrarium seruant. Sic ille. Et sane Ludouicus à Cruce, *in Bullam, disp.1. cap.5. dub.16. num.4.* expressè ponit sanguinem, cum sanguine, concludens, quòd solùm consuetudine, non iure prohibeantur.

Sed tanquam certum Respondeo: Quod nec ex vi iuris, nec ex vi consuetudinis, licitum sit vesci sanguine animalium, cui licitum est, ex dispensatione, vesci ouis, aut lacticiniis. Quia certum est, quòd sanguis, censetur esse in eodem genere cum carne: at si est, quòd illi, cui concessum est comedere oua, aut lacticinia, non ideo, est concessum comedere carnes, vt omnes concedunt, & praxis probat: ergo, cui concessum est comedere oua, aut lacticinia, non propterea concessum est comedere sanguinem animalium. Maior in qua est difficultas, probatur; tum, quia sanguis, est præcipua pars constitutiua animalis sed quando prohibetur caro, censentur prohiberi omnes partes constitutiuæ animalis, aliàs dicendum esset, quòd prohibita carne, non prohiberentur nerui, medulla, &c. quia hæc non sunt propria caro. Tum etiam, quia sanguis, est in proximo statu, vt conuertantur in carnem: ergo est proximè caro, & sic caro in praxi censetur. Et ideò hanc sententiam communiter tenent Doctores. Henriquez, & Pasqualigus, locis citatis.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Primò respondent aliqui literam illius capitis *Presbyter*, esse mendosam, & ideò loco, *sanguinis*, apponendam esse vocem, *saginis*, vt est in aliquibus exemplaribus. Secundò ego Respondeo, quòd licèt litera non sit Mendosa vt aliquibus placet, non inde debeat colligi absolutè, quòd cui conceduntur oua, & lacticinia, concedatur, & sanguis animalium. Quia in dicto cap. *Presbyter*, id conceditur ex indulgentia Presbytero pœnitentiam agenti; cui antea esus carnis, sanguinis, ouorum, & lacticiniorum erat denegatus, & postea ex indulgentia expressè condonatur, vt ex prædictis, sanguine, & ouis, cum lacticiniis vesci possit, vt amplius statim explicabitur.

QVÆSTIO XXXV.

An, cui licet comedere oua, & lacticinia; liceat etiam vesci sagimine porcino (Hispanè, Manteca de puerco) *aut alterum animalium?*

AFfirmant multi licere, in prædicto casu, vesci sagimine. Probant *primò*. Quia sagimen, seu pinguedo, nō est caro; tum quia, vt probat Arist. *lib.1. de generat. animal. cap.18.* finito naturali augmento animalis, augetur pinguedo: tum etiam, quia sagimen, seu pinguedo, calore liquescit, non verò caro: ergo sagimen, seu pinguedo, potiùs se habet in genere lactis, & ouorum, quàm in genere carnis: ergo lacticiniis, & ouis concessis, concessum etiam censeri debet sagimen.

Secundò. Quia in cap. *Presbyter. dist.82.* (non 8. vt offendes apud Pasqualigum.) Sagimen ponitur simul cum ouis, & caseo. Nam agenti pœnitentiam ob fornicationem patratam, quando in Dominicis; & præcipuis festis conceditur illi, quòd vti possit ouis, & caseo, conceditur etiam, quòd possit vti sagimine: ergo sagimen conceditur, quando prohibentur carnes (vt in dicto capite prohibentur dicto Presbytero) & conceduntur oua, & caseus: ergo sagimen, potiùs inter lacticinia, & oua, quàm inter carnes numerandum est, & consequenter, lacticiniis, & ouis concessis, concessum debet censeri, & sagimen. Propter hæc, ita sentiunt Glossa, *in cap. Presbyter. cit.* verb. *Sagimine*, per hæc verba: Argum. quòd licet comedere de sagimine illis diebus, quibus oua, & caseū licet comedere, 4. *dist.* Denique. Et ibi, alia Glossa marginalis, hæc ait: Sagimen, & lardum die veneris comedere licet, Rursus idem docet Glossa, *in cap. Admonere, verb. Carnem 33. quæst.2.* Ita dicens: Sed numquid de lardo vtetur; numquid nomine carnis est prohibitum? Videtur quod non. Argum. 82. *distinct. Presbyter.* ibi etiam sagimen permittitur, quando oua permittuntur. Sic Glossa. Et eam sequitur Siluester, *verb. Ieiunium, quæst.5. numer.16.* vbi ait ita tenere Hostiens. *in summ. tit. de Obseruat. ieiun.* & Abbatem, *in cap. consuluit. de Iud.* Sed certè hi Authores, nisi dicamus mendosam esse literam, non loquuntur de sagimine, sed de sanguine. Citat etiam Henriquez, *cap.13. loc. cit.* pro hac parte, præter dictos Authores, Angelum, *verb. Ieiunium, in fine.* Tabienam, §.7. Summam Confessor. *fol.111.* Bertachin, & Aulles. Tenent etiam hanc sententiam Pasqualigus *in praxi ieiuni. decis.74. num.4. & 6.* citans pro illa, vltra Doctores citatos, Azotium, *1. part. lib.7. cap.10. quæst.8.* (non 18, vt habes apud Pasqualig.) Graffium, *1. part. decis. lib.2. cap.37. num.12.* Corsetum, *in singul. verb. Caro, litt. C.* Fagundum, *lib.1. de 4. precept. Eccles. cap.2. numer.20. in prima edit.* Ouandum, *in 4. dist. 16. propos. 52.* & Dianam *1. part. tract.9. Resol. 21. vers. Quod verò.* hic Author omnes præcitatos Authores pro hac parte refert, ac citat. Sed certè ex his Doctoribus, pro hac parte citatis: oppositum omnino sentit Graffius *loc. cit.* Nam expressè contra Bartol. *in lib.1. C. de erog. milit. anno lib.10.* & Glossam cit. in cap. *Presbyter.* ait, quòd sagimen, & lardum veniunt nomine carnis, & ideò in die Veneris vti illis non liceat. Sentit etiam contrarium Fagundez, vbi infrà, *in 2. edit.* Citat tamen pro hac parte Medina vbi infrà, Doctissimum Victoriam; licèt non citet locum vbi id doceat, fortè solâ voce id docuit. Citari etiam potest Barbosa, in dicto cap. *Presbyter, n....* Vbi sic ait: In Glossa sagimine. Notatur ad hoc, quòd illis diebus, quibus licet comedere oua, & caseum, licet etiam vesci sagimine, vt per Syluestrum, &c. Sic ille.

Sed probabiliùs, Respondeo: Non licere, absolutè loquendo. *Primò*. Quia probabilius est, quòd sagimen magis pertineat ad carnem, quàm ad lacticinia, seu oua: ergo, non ex eo quòd hæc liceat alicui edere, sequitur, quòd, & liceat sagimen, sed potius sequitur contrarium. Consequentia est manifesta, quia apud omnes est notum, quòd in concessione ouorum, aut lacticiniorum non venit concessio carnis, nec illorum, quæ nomine carnis veniunt. Antecedens verò probatur. Quia sagimen, verè est pars constitutiua animalis, sicuti sunt aliæ, quæ propriè, & strictè non sunt caro, vt sunt nerui, medulla, cartilagines, & huiusmodi: At sic est, quòd hæc omnia, ex eo quòd sint animalis partes, veniunt nomine carnis; & quando prohibetur caro, censentur etiam hæ partes prohibitæ, vt docet Pasqualigus, *decis.75.* & nos cum eo *sup. quæst. antecedenti*: ergo eadem ratione, in prohibitione carnis, censeri debet sagimen esse prohibitum.

Secundò Quia, ipsemet Pasqualig. *decis. 67. numer. 3.* secutus Bonacinam, Tamburinum, & Trullench, expressè docet, quòd solùm ex communi hominum existimatione, secundùm quam iam est determinatum, quænam sit caro prohibita, & quæ non, potest cognosci, quid sit caro, prohibita in die ieiunij, aut feriâ sextâ, & Sabbato, aut quid non; sed sic est, quòd secundùm communē hominum existimationē, sagimē, seu pinguedo, est pro carne habita, & proinde prohibita in die ieiunij & feriâ sextâ, & Sabbato: ergo sagimen,

ſagimen, ad carnem pertinere, eſt aſſerendum; non ad lacticinia, & oua.

Tertiò. Quia non eſt licitum comedere lardum in diebus illis, in quibus non eſt licitum comedere carnes; vt ingenuè fatetur, contra Gloſſas, & Authores omnes ſecundæ ſententiæ, Paſqualigus, *loc. cit. n. 5.* ergo, nec erit licitum ſagimen. Nam certè, aut idem ſunt, vt dictæ Gloſſæ innuunt; aut ſi quid diſtant; non taliter, quòd non poſſit de vtroque, idem affirmare, vel negare. Sic ſentiunt Henriquez, *lib. 7. ſum. cap. 13. num. 11.* Medina, *in ſumm. cap. 14. §. 10.* & ex illo Vega, *1. part. ſumma, cap. 14. caſu 1. verſ. Nota.* Qui etiam malè citat Graſſium pro oppoſita parte. Viuald. *in Append. capit. 15. de ieiun. num. 37.* Rodriguez, *in Bullam, § 6. num. 1.* Ludouicus à Cruce etiam *in Bullam, diſp. 2. cap. 5. dub. 16. num. 4.* Trullench. item, *in Bullam, lib. 1. § 4. dub. 3. num. 11. verſ. An autem, & lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 1. num. 8.* Anton. Gomez, *etiam in Bullam, §. Ad ſeptimam clauſulam; n. 4. fol. mihi 69.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. num. 61.* Villalob. *1. part. tract. 23. diffic. 8. num 16.* Syluius, quem citat, & ſequitur Baſſæus, *verb. Ieiunium, 1. num 3. verſ. Sed petes.* Graſſius, & Fagundez, *loc. cit.* Sanchez, *lib. 5. conſil. cap. 1. dub. 19. num. 7.* & Layman. *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 5. verſ. Verum aduerto.* Fagundez, *de 4. præcep. Eccleſ. cap. 2. cit. num. 49.* in vltima editione Lugdunenſi edita anno 1632. Vbi, propoſitâ oppoſitâ ſententiâ, quam ipſe in prima editione, cum alijs tenuerat, hæc verba in noua editione addit; Verùm, ſi ſagimen (inquit) idem ſit, quod lardum, cùm lardum idem ſit, quod porcina caro pinguior, ac craſſior, & ſolidior, mihi quidem omninò videtur illicitus, & mortaliter illicitus illius eſus; ſi verò idem ſit ſagimen, atque adeps porcinus, etiam mihi videtur opinio Sylueſtri, & aliorum laxior aliquantulum, quàm par eſt. Sic Fagundez. Vnde benè citat illum pro hac parte Trullench.

Ad primum in contrarium, Reſpondeo dicendum: Quòd dato, quòd ſagimen non ſit caro propriè, & in rigore, vt vult Ariſt. non inde colligitur, quòd eo vti liceat, quando prohibitæ ſunt carnes, & conceſſa oua; nam nec ſanguis animalium, nec eorum medulla, nerui, & huiuſmodi, nec ius carnium ſunt propriè caro; & nihilominus; vel, quia ſunt partes animalium, vel proximè caro, vel in exiſtimatione communi hominum pro carne habita, non poſſunt veſci, in diebus, in quibus prohibetur caro, vt docet ipſemet Paſqualigus, cuius eſt argumentum: ergo adhuc dato, quòd ſagimen non ſit caro, non inde ſequitur; quòd eo veſci poſſit in diebus, in quibus carnes prohibentur, quia ſufficit, quòd, vel ſit pars animalis, vel proximè caro, aut pro tali, communiter habita, vt eo vti, dictis diebus, non liceat.

Ad ſecundum dicendum, primò quòd in pluribus exemplaribus, non habetur illa vox *Sagimen*, ſed loco illius, ponitur, *Sanguis.* In quo caſu, etiam tenentur contrarij argumentum factum ſoluere, cùm (vt ſuprà vidimus) conſtanter negent, non licere vti ſanguine in diebus, in quibus prohibita eſt caro. Secundò, Reſpondeo, quòd admiſſo, quòd legi debeat, *Sagimen*, & non *Sanguis*, non inde rectè colligitur, quòd in diebus, in quibus ab Eccleſia ſtrictè præcipitur abſtinentia à carnibus poſſit veſci ſagimine; quia in dicto cap. *Presbyter*, ideò, ſimul cum ouis, & caſeo, conceſſum fuit Presbytero, iam pœnitenti poſſe vti ſagimine in Dominicis diebus, & præcipuis feſtiuitatibus, quia erat remiſſio pœnæ impoſitæ; & ſic potuit remitti ad libitum. Vnde quantumuis ſagimen pertineret ad carnem, placuit Patribus, in Concilio Gangrenſi, aut (vt alij volunt) Hibernenſi congregatis, quòd in prædictis diebus Dominicis, & præcipuis feſtiuitatibus, illo poſſet vti; cùm aliàs, non per præceptum Eccleſiæ; ſed per decretum illorum Patrum, non poſſet dictus pœnitens, carne, ſagimine (aut ſanguine) ouis, & caſeo veſci. Vnde ex dicto capite, non poteſt ſumi efficax argumentum contra noſtram reſponſionem, in qua dicimus, quòd in diebus, in quibus datur ab Eccleſia præceptum de abſtinentia carnium, nequeat quis, pro ſuo libito vti ſagimine.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſaltem in diebus, in quibus prohibentur carnes, ſit licitum, vti ſagimine, ſeu lardo, in Regnis, & Prouincijs, in quibus ex conſuetudine, illis vti, eſt introductum?

RESpondeo; tanquam certum: Eſſe licitum. Quia cùm præceptum abſtinentiæ à carnibus in certis diebus, ſit humanum, & poſitiuum, optimè poteſt illud abrogare, vel in parte, vel in totum, conſuetudo. Vnde ſagimine, & lardo in diebus in quibus prohibentur carnes, vti licet ex conſuetudine legitimè introductâ, in Regnis Galatiæ, & Piru, vt docet Henriquez, *cap. 13. cit. n. 11. in Gloſſa, litt. H.* & in Regno Siciliæ, vt docent Diana, *1. part. tract. 9. Reſol. 21.* & Paſqualig. *decis. 74. n. 11.* Sic ipſi. & communiter Doctores, tam primæ, quàm ſecundæ ſententiæ nuper relati.

QVÆSTIO XXXVII.

An etiam, in diebus, in quibus eſus carnium eſt prohibitus, liceat vti ſagimine, in Regnis, aut oppidis in quibus non eſt oleum?

NEgant quidam Iuniores, quos, ſuppreſſis nominibus, citat (neſcio, an ſequatur) Sanchez, *lib. 5. conſil. c. 1. dub. 19. n. 7.* per hæc verba. Nonnulli docti Iuniores, dicunt, ſe nullo modo audere excuſare agricolas, qui causâ paupertatis, in locis, vbi non eſt oleum præparant herbas lardo, id eſt, *con manteca de puerco*, in diebus, in quibus eſus carnium, & lardi eſt prohibitus. Ita Sanchez.

Sed probabiliùs, Reſpondeo: Licere: præcipuè in Regnis, aut oppidis, vbi nec inuenitur oleum, nec ſuppetunt alij cibi, præter legumina, & herbæ. Quia hæc neceſſitas, ſufficiens eſt ad eximendum quemquam à lege abſtinendi à ſagimine, ſeu lardo. Sic tenet expreſsè Graſſius, *1. part. decis. aur. lib. 2. cap. 35. num. 11.* per hæc verba: Butyrum, & ſagimen ſunt prohibita in die ieiunij, niſi aliàs ſit conſuetudo in contrarium, vel ſit olei penuria; quia tunc in eius defectum poſſet butyro, & ſagimine (*Sic lege, non ſanguine*) vti. Sic ille. Sic etiam Layman, *c. 1. n. 5. verſ. Nihilominus.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An toties quis peccet, quoties comedet carnes, vel lacticinia, ſeu oua, quando prohibentur?

REſpondeo tanquam certum: Affirmatiuè. Quia præceptum non comedendi carnes, oua, vel lacticinia, eſt negatiuum, & ſic obligat pro ſemper: toties ergo, contra hoc præceptum quis delinquet, quoties diſtinctas moraliter harum rerum comeſtiones faciet. Sic omnes Doctores. Legantur Palud. *diſt. 15. quæſt. 4. art. 5.* Durand. ibidem, *quæſt. 11.* Caiet. *2. 2. quæſt. 147. art. 8.* Syluius, *quæſt. 147. art. 3.* Nauar. *cap. 21. num. 16. & 25.* Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 7. num. 2.* Fagundez, *lib. 1. de 4. præc. Eccleſ.*

Eccles. c.4.n.6. Diana, *1.p.tr.9.resol.37.* & 45 Pasqual. *in praxi ieiunij, decis.64.* Vbi alios quamplures Doctores citant.

QVÆSTIO XXXIX.

An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes aut oua, &c. toties etiam peccet, quoties comedit?

NEgat Pasqualig. *decis.66. à num.3* afferens pro hac parte, Paludanum, *in 4.dist.15.quaest.4.n.19.* D. Antoninum, *2.part. tit.11.c.2.* §.1. & Tabienam, *verb. Votum 3. num.8.* Quibus *num.4.* adiungit Dianam, *3.p.tr.5. Resol.61.* & Trullench, *lib.3. in Decalog. c.2. dub.2.n.15.* Sed ex iis, malè profectò, hos duos ultimos Authores. Quia, locis citatis, non de hac quæstione, sed de diuersa agunt, vt legenti constabit. Imò primi, solùm agunt de illo, qui vouit pro aliqua die non bibendi vinum. Fundamentum eorum est. Quod votum non comedendi carnes, pro aliqua die factum, semel fractum, non potest ampliùs obligare; quia est de illa priuatione carnis pro illo die: ergo si semel destruatur per vnicum actum, non potest ampliùs obseruari.

Sed longè probabiliùs, Respondeo dicendum, quòd toties peccet, quoties comedit. Quia votum abstinendi à carnibus, etiam pro aliqua die, est negatiuum; & est ad instar præcepti Ecclesiastici dandi de abstinentia à carnibus: at sic est, quòd hoc præceptum obligat pro semper, nec finitur per vnū actum: ergo, & votum prædictum. Vnde constat falsum esse antecedens argumenti sententiæ contrariæ, & ideò negandum. Sic tenent communis Doctorum, vt fatetur ipsemet Pasqual. Maior *in 4.dist.38.q.6.* Supplem. Gabrielis, *q.1. art.3.* Palatius, *disp.1 concl.5.* Angelus, *v. Votum, 3.n.27.* Armilla, *eo n.27.* Nauarrus, *in Man. cap.21. num.53.* Sanchez, *lib.4. summ. cap.11. num.41.* Azor, *1.part. lib.11. cap.20. q.8.* Suarez, *tom.2. de Religione lib.4. de voto, c.7.n.12.* & communis, quam me citato, tenet Diana, *part.10. tract.14. Resol.32. ex tract.16. Resol.77. vers. Obseruandum*, & penes illum, Bossius *in Mor. tom.3. tit.21. §. vltim. num.357.*

QVÆSTIO XL.

An item, qui ex voto tenetur certa die, ieiunare toties peccet, quoties carnis comestiones in illa die moraliter distinctas, multiplicat?

AFfirmant Azorius, *1.p. lib.11.c.20.q.6. col. mihi 1276.* non *lib.7.c.10.q.8.* vt citat Diana, *1.part. tr.9. Res.37.* & Suarez, *tom.2. de Relig. lib.4. de voto, c.7.n.12.* Vbi oppositum, absurdissimum vocat. Sed rigorosè certè. Vnde,

Probabiliùs, Respondeo: Non peccare toties, quoties carnes comedit, sed prima vice Sic optimè, Sanchez, *lib.4. summ. cap.11. n.42. §. Addit autem Azor.* Vbi ita id probat. Quia in hoc voto, non clauditur directè abstinentia à carnibus, sed indirectè, quatenus est pars essentialiter ad ieiunium requisita, & accessoriè ipsi ieiunio. Quare cùm semel violato ieiunio cesset obligatio circa principale (*vt ipsemet Azor, loc. cit. concedit*) cessare videtur circa accessoriam abstinentiam à carnibus. Sic ille. Quod latè prosequitur, & respondet argumentis quibusdam, quæ in oppositum fieri possunt. Sic etiam Layman. *lib.4. Theol. Moral. tr.4.c.3.n.3. vers. Qui vouit*, Diana *tr.9. cit. resol.37. vers. Hec sententia.* & *resol.45. vers. Notandum est*, & apud illum, Bartholom à S. Fausto, *in Thesauro Relig. lib.1. q.140. n.2.* Ghislinus *in summ. v. Ieiunium, n.37.* R.P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

Quos omnes citat, & bene, ac sequitur pasqualig. *decis.65. num.2.* & nos antea, *1. part. de Sacram. tract.5. disp.8. §.9. q.13.* tenet nouissimè rursus me citato Diana *p.10. tract.14. Resol.32.*

QVÆSTIO XLI.

An liceat pueris ante septennium, in quo est primò lucet vsus rationis, vesci carnibus, ac lacticiniis in diebus, in quibus hæc prohibentur?

NEgatiuam sententiā tenete Paludanum, & Toletum, ait Sylvius, *2.2.q.147. art.4.* Quibus fauet ille docendo, id licere, vbi adest consuetudo quòd tales cibi paruulis præbeantur. Quasi neget seclusa consuetudine id licere.

Sed absolutè, Respondeo tanquam certum: Affirmatiuè. Quia leges positiuæ, seu rationis, non obligant, non habentes vsum rationis. Sic omnes Doctores, præcipuè statim citandi, Qui, & notant, quòd vsus rationis aduenire solent pueris circiter septennium, aut completo illo. Nec Toletus contrarium docet, sed potiùs oppositum, *lib.6. cap.3. num.4. vers. Tertiò.*

QVÆSTIO XLII.

An etiam, liceat pueris vesci carnibus, & lacticiniis, casu, quo ante septennium, iam habeant vsum rationis?

AFfirmat Sancius, *in selectis, disp.51 num.31. vers. Vnde non assentior,* quem citat, & sequitur Pasqualigus *decis.50. n.2.* D. Didacus Narbona *de ætate ad human. actus requisita, anno 7. q.6. num.3. in fine.* D. Ioan. Escobar. *de vtroque foro, art.6. n.34* qui pro hac parte etiam citat Castrum Palao *tom.3. disp.1. punct.4. §.2. n.3.* & Dianam *4. part. tract. . Resol.52.* Quibus fauet Henriquez *lib.13. summ. cap.49. num.2. in Glossa lit. M.* quatenus cum Ledesma *2. part. 4. q.17. art.6. dub.2.* ait, consuetudinem habere, vt parum post rationis vsum, lacticinia pueris, in diebus vetitis dentur.

Sed probabiliùs longè, Respondeo: Non licere, in dicto casu, pueris vesci carnibus, ac lacticiniis. Quia probabiliùs longè est, hanc legem abstinendi à carnibus, & lacticiniis, obligare pueros statim, ac vsum rationis obtinuerint; siue id illis contingat ante, vel post septennium. Ratio est. Quia vsus rationis in quacumque contingat ætate, facit pueros capaces culpæ: ergo, & obligationis per legem, nisi aliàs materia legis, aut intentio legislatoris, aut consuetudo, aliter declaret. Sic Azor, *1.p.o.t. lib.7. c.17. (aliàs 28.) q.2. in fine col. mihi 758.* Villalob. *1. part. summ. tr.23. diff.8. num.7. in fine.* Trullench, *in Bullam lib.1. §.4. dub.2. num.4. & lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2. n.11. & dub.6. n.1. in fine*, & ni fallor, Fagundez, *lib.1. de 4. prec. Eccles. cap.8. num.8.* & Diana *1.p. tr.9. resol.42.* (Quamuis hic Author oppositum clariùs teneat *4. p. loc. cit.*) Baldellus *in Theol. Morali, lib.5. disp.30. num.8.* & alij penes ipsum.

QVÆSTIO XLIII.

An liceat ministrare carnes pueris, ante septennium expletum, etiamsi non adsit consuetudo?

NEgant posse, si aliàs non adsit consuetudo (apud Pasqualigum) Lopez, *2. part. instruct. cap.212.*

Syluius, 2. 2. *q.147. art.4. verſ. Primum eſt*, & Palud. *in 4. diſt.15. q.4.* Quibus adde Cordubam, *in ſumm. q.60. dicto 4.*

Sed probabiliùs longè, Reſpondeo: Licere abſolutè; ſiue conſuetudo adſit, ſiue non. Quia pueri ante ſeptennium, modò illud non anticipet vſus rationis, vt ſupponimus, nulla obligantur lege etiam orta ex conſuetudine: ergo non prohibentur comedere carnes: ergo licitum erit cuilibet, carnes illis miniſtrare: patet, quia miniſtrans carnes comedenti abſque peccato, non peccat. Sic Caiet. 2. 2. *q.147. art.8. dub.1. in fine.* Azor, *lib.7. c.28. q.3.* Sà *v. Ieiunium, in fine.* Rodriguez, Anton. Gomez, Angles, & Pedraſa, quos citat, & ſequitur Sanchez, *lib.1. ſumm. c.12. n.9.* Fagundez *lib.1. de 4. prac. Eccleſ. c.8. n.8.* Filliuc. *loc. cit. num.57.* Diana, *1. part. tract.9. Reſol.42.* Bonac. Trullench, & alij, quos citat, & ſequitur Paſqualigus *deciſ.50. n.5.* Qui tamen malè, inter illos, citat pro hac parte, Cordubam. Optimè Diana pro ſententia prima. Sic etiam Narbona, *q.6. cit. num.7.*

QVÆSTIO XLIV.

An etiam liceat miniſtrare carnes perpetuò amentibus, in diebus prohibitis; etiam caſu, quo dictis carnibus non indigeant, tanquam infirmi?

NEgat Sancius, *in ſelectis, diſp.51. num.30.* Cui fauet Azor, *1. part. lib.7. cap.17. (alias 28. per errorem Typographi) q.3.* docens, id licere vbi fuerit recepta, cibos prædictos miniſtrandi, conſuetudo. Vbi clarè videtur ſentire, ſecluſa conſuetudine, non licere.

Sed probabiliùs longè, Reſpondeo: Licere etiam. Quia perpetuò amentes, non ſunt capaces obligationis legis; cùm non ſint capaces operandi modo humano: ergo non obligantur lege abſtinendi à carnibus: ergo non faciet contra legē, qui eis carnes miniſtrat: ergo licitè poteſt quis carnes illis miniſtrare. Sic optimè Sanchez, *lib.1. ſumm. c.12. n.16.* docens, id licere, non ſolùm, quia perpetuò amentes carnibus indigent; ſed, quia ſunt omnino ſoluti à legibus Eccleſiæ. Angles, *1. part. q. de ieiun. diff.6. in fine.* Fagundez, *lib.1. de 4. prac. Eccleſ. cap.8. num.8.* Diana, *1. par. tract.9. reſol.42. verſ. Quoad Paganos.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2. num.11. in fine.* Ludouic. de S. Ioan. *1. part. ſumm. tr. de Ieiunio, art.6.* & Paſqualig. *deciſ.54.* Qui tamen malè citat pro hac parte Azorium. (Vnde pro contraria citatur à Thoma Sanchez, *loc. cit.*) Bonacina, *q.1. de legib. punct.6. n.5.* Baldellus, *in Theol. Moral. lib.5. diſp.30. num.4.*

QVÆSTIO XLV.

An item liceat miniſtrare carnes amentibus ad tempus; aut qui tales ſunt per aliqua ſola interualla; aut in aliqua ſola materia?

REſpondeo, tanquam certum: Etiam licere: non tamen ea ratione, quia videlicet, non teneantur legibus Eccleſiæ, dum fruuntur vſu rationis; ſed quia amentia eſt morbus grauiſſimus, & ideo amentes, adhuc ad tempus, indigent cibis ſalutaribus, (vt carnibus) vt illis refecti recuperare poſſint ſalutem, aut ſaltem, ne illis creſcat amentia, aut fiat perpetua vtendo cibis Quadrageſimalibus; cùm hi foueant prauos humores, & prauum temperamentum, in quo amentia radicatur. Sic expreſsè Sanchez *num.16. cit.* dicens: ſic ſenſiſſe duos medicos peritiſſimos à ſe cōſultos. Paſqualig, *loc. cit. num.4.* quamuis non ita firmiter. Secus autem (dicunt, hi duo doctiſſimi Doctores) aſſerendum eſt, loquendo de Ebrijs; quia his non licet miniſtrare carnes, quando prohibentur. Quia ebrietas non eſt morbus carnibus indigens, & eſt temporalis; breuiſque priuatio vſus rationis; vt bene etiam notat Baldell. *in Theolog. moralt lib.5. diſp.30. num.4.*

QVÆSTIO XLVI.

An licitum ſit, miniſtrare carnes infidelibus, in diebus, in quibus prohibentur?

REſpondeo: tanquam certum: Licitum eſſe. Quia cum infideles ſint extra Eccleſiam, non ſubiacent eius legibus; & ſic non eſt illis illicitum comedere carnes in quacumque die; ergo nec erit illicitum carnes illis miniſtrare. Sic Sanchez *in ſumm. lib.1. cap.12. num.14.* Azor *1. part. lib.7. cap. in ordine 17. aliàs 28. quæſt.3.* Qui idem dicunt de Cathecumenis, & aliis quibuſcumque, qui non ſunt ſubditi Eccleſiæ. Fagundez *lib.1. de 4. præc. Eccleſ. cap.8. num.8.* Diana *1. part. tract.9. Reſol.42.* Ioan. Sancius *in ſelectis diſp.51. num.39.* Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2. num.11.* Paſqualigus *deciſ.50. num.8.* & alij.

DISPVTATIO III.

De Abſtinentia Ouorum, & Lacticiniorum in diebus ieiunij.

QVÆSTIO I.

An oua, & lacticinia, ſint prohibita à iure in ieiuniis Quadrageſimæ?

RESPONDEO tanquam certiſſimum: Eſſe à iure prohibita. Nam expreſsè in cap. *Denique 6. & vltimo, diſt.4.* per hæc verba prohibentur. *Par autem eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem, ieiunemus: à lacte videlicet caſeo, & ouis.* Sic textus. Quamuis aliquantulum, aliter illum tranſcripſerint Sanchez, Fagundez, & Paſqualigus, ſic dicendo: *Par autem eſt, vt nos, qui hos diebus à carnibus abſtinemus, ab omnibus quoque &c.* Rurſus eadem prohibitio habetur in ſexta Synodo Conſtantinopolitana generali, celebrata anno 681. vbi canone 56. Sic dicitur. *Accepimus in Armeniorum regione, & in aliis locis in ſabbatis, & Dominicis Sanctæ Quadrageſimæ quoſdam oua, & caſeum comedere, viſum eſt ergo, vt omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe, vnum ordinem ſequens, ieiunium perficiat: & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic & ab ouis, & caſeo: quæ quidem ſunt fructus, & fœtus eorum à quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſeruauerint, ſi ſunt Clerici deponantur, ſi laici ſegregentur.* Sic Canon. Et ſic omnes Doctores, colligentes ex dicto c. *Denique* & Canone citato ſextæ Synodi, prohibitionem ouorum, & lacticiniorum in ieiuniis Quadrageſimæ. Legantur Couarru. *lib.4. variar. c.20. n.15.* Sanchez *in conſiliis lib.5. c.1. dub.19.* Paſqualig. *in praxi ieiunij deciſ.71.* & Molfeſius *tract.10. c.3. n.26.* vbi ait, hanc ſententiam eſſe communem Patrum, & omnium Catholicorum.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An Oua, & lacticinia, sint prohibita à iure sub mortali, in ieiunis Quadragesimæ?

NEgat Fagundez *lib.1. de 4. prec. Eccles. cap.2. num.6.10.& 12. in 1. edit. & in 2. Lugdunensi anni* 1632. latè à *num.*15. *vsque ad* 36. vbi docet, à iure nullo modo esse prohibita oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ, sub peccato mortali, sed tantùm sub veniali. Probat primò hanc suam sententiam, authoritate Doctorum, qui illam sequuntur. Et ideo citat pro ipsa imprimis, Dominicum *in cap. Denique tit.* Glossam *in eod. cap. verb. Par.* Paulum Palatium *suprà* Caietan. *in summ. verb. Ieiun. cap.4.* vbi declarans Caietanum dicentem ; *Peccatum esse comedere oua, & lacticinia in ieiunio Quadragesimæ, vbi non est consuetudo in oppositum* ; Sic ait Palatius : Intelligendus est Caietanus de peccato veniali, non mortali; & ideo comedere oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ sine causa, est peccatum veniale, non mortale juxta Innocent. *in Rubri. de obseruat. ieiuni.* Huc vsque Palat. Sic refert Fagundez verba Palatij *in 1. edit.* in 2. verò, sic : [Quanto al primer capitulo del Author, *hoc est, Caietan, quem commentabatur*, donde dize que no ay vso de comer cosas de leche, y huebos, no es licito comerlos dias de ayuno, ha se de entender, que comer estas cosas sera peccado, pero no mortal.] Hæc ille. Huc vsque ibi Fagundez. Citat rursus, Innocentium *loc. cit.* Ferdinandum Perez, Iacobum de Geysneros, Baptistam Fregosium, omnes ex Societate Iesu, *in manuscriptis.* Allagonam *in d.c. Denique*, & Gratianum *ad finem dicti capitis.* Citat demum omnes Doctores Academiæ Conimbricensis, & Eborensis, qui ab eo consulti, hanc opinionem vocauerunt veriorem, probabiliorem, & solidioribus fundamentis stabilitam. Et etiam plures Doctores, tam Theologos, quam Canonistas Academiæ Salmanticensis, & Complutensis, qui eandem sententiam firmarunt. His, ni fallor, addi potest nouissimè, Pasqual. *in proxi ieiun., decis.*17. Nā licèt hic Author. *s.* iudicat ; nondum esse à contraria sententia, recedendum propter authoritatem Doctorum, qui illam sequuntur; addit tamen, Fagundij sententiam habere fundamentum ex ratione; latéque probans illam (vt statim videbimus) non soluit argumenta, quæ pro illa facit; cùm soluat sollicitè argumenta contraria. Sed quidquid sit de sententia huius viri docti, ille.

Probat secundò sententiam Fagundij, & aliorum, in hunc modum, Quia textus *in c. Denique* (*cit. q. antecedenti*) nullum continet præceptum: ergo, ex vi iuris, non sunt prohibita in diebus Quadragesimæ, oua, & lacticinia, saltem sub mortali. Consequentia patet: antecedens verò probatur. Quia particula *Par est*, qua vtitur Pontifex ad prohibenda oua, & lacticinia, non est præceptiua, vt de se patet, & notat Glossa ibidem, verb. *Par*, inquiens, *Par, id est, æquum, & iustum:* ergo ex Glossa, dicta particula, tantùm significat, & dicit, quòd æquum, & conueniens sit, abstinere, dictis diebus, ab ouis, lacte, & caseo.

Confirmat hoc argumentum *Primò.* Quia Pontifex in dicto cap. *Denique.* Respondet pluribus quæstionibus (scilicet, quinque) propositis sibi ab Augustino *Anglorum Episcopo*; & omnes resoluit per verba clara, & absolutè, aut affirmatiua, aut negatiua; at quando respondet quæstioni ; *An in Quadragesima abstinendum sit ab ouis, & lacticiniis, aut sementinis* ; mutat modum respondendi ; & non dicit absolutè, esse abstinendum ; sed *Par est, vt abstineamus :* ergo hoc fecit Pontifex, vt indicaret se hoc non præcipere, sed tantùm proponere, vt quid conueniens.

Confirmat *Secundò.* Quia, vt lex inducat obligationem sub peccato mortali, debet continere verba clara præceptiua, vt habetur ex cap. *Erit autem, ead. dist.4.* ibi : *Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem contineat.* Et tradit Glossa ibidem, dicens, *Ne alicui laqueus paretur per ipsam.* Abbas *in cap. Ex parte. De obseru. ieiunior. n.*12. Præpositus in d.c. *Denique*, & Medina *C. de ieiunio, tr.4. c. de Necessitate ieiunij vers. vt igitur:* Sed sic est, quòd in hoc nostro casu, lex non continet verba clarè significantia præceptum ; sed potiùs, contraria præcepto ; siquidem abstinentiam à sementinis, hoc est, ab ouis, lacte, & caseo, reducunt ad quamdam conuenientiam: ergo.

Confirmatur. *Tertiò* ex Gratiano. Nam in fine dicti capitis. *Denique*, hæc subdit verba : *Hac, & si legibus constituta sunt, tamen, quia communi vsu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt*, &c. Et paulo post. *Nisi fortè quis dicat, hac non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta. Decretum verò, necessitatem facit ; exhortatio aut liberam voluntatem excitat.* Huc vsque Gratianus. Cuius verba, aliter transcripsit Fagundez *loc. cit. in 1. edit. cap.2. num.6.* nempe, *Hac, & si legibus statuta sint, tamen quia communi vsu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt, tamen sine causa erit veniale.* Hæc Glossa ibi. Huc vsque Fagundez : ergo ille textus, ad summum, solùm ad veniale obligat, ex Gratiano. (Non ex Glossa, vt perperam *loc. cit.* scripsit Fagundez.)

Tertiò probat Pasqualigus hanc sententiam. Quia, vt hæc ouorum, & lacticiniorum prohibitio obliget sub mortali, neque colligi potest, vt quidam volunt, ex capite. *Denique, cit.* neque, vt aliis placet, ex Canone 56. *sextæ Synodi*, citato, *q.1.* ergo ex nullo iure scripto; quia nullus alius locus reperitur in toto corpore iuris, à quo talis prohibitio desumi possit, præter hunc canonem, & cap. *Denique*, citatum. Antecedens probatur. Nam imprimis non potest colligi ex cap. *Denique*, cùm nulla habeat verba præceptiua, vnde hæc moralis obligatio deducatur, vt probatum est in primo argumento. Nec rursus potest colligi ex Canone 56. sextæ Synodi Trullanæ : Quia Canones Trullani, non fuerunt Canones illius Concilij generalis, quod nullos Canones sanciuit, sed aliquorum Episcoporum Orientalium, qui post dissolutam Synodum, Constantinopoli conuenerunt, sine authoritate Pontificis, in Palatio Imperatoris Iustiniani secundi, quod Trullanum dicebatur (à quo, & Canones Trullani dicti sunt) & illos Canones diuulgauerunt, sub nomine sextæ Synodi : ergo ex dicto Canone cit. nullum argumentum sumi potest ad probandum, quòd prohibitio ouorum, & lacticiniorum obliget sub mortali.

Quartò probat ex cap. *Rogationes, de consecr. dist.*3. vbi dicitur, quòd in triduo Rogationum ieiunandum est, & cibis quadragesimalibus vtendum ; tunc sic : ergo ij sunt cibi quadragesimales, quibus vti licebat in illis ieiuniis, quando seruabantur ; sed tunc in dictis ieiuniis Rogationum, licitè adhibebantur oua, & lacticinia; quia, secundùm communissimam sententiam, non sunt de iure prohibita extra Quadragesimam : ergo tales cibi, liciti etiam erant tunc; & nunc, tempore Quadragesimæ, erunt.

Hoc quartum argumentum aliter conficit Fagundez *loc. cit. num.*17. *in edit. noua*, videlicet, sic. Habet hæc opinio pro se magnum præsidium in cap. *Rogationes, de consecr. dist.3. in fine.* vbi dicitur, posse fideles in diebus Quadragesimæ vti iis cibis, quibus vtuntur in diebus ieiunij extra Quadragesimam. Vnde, si in ieiuniis extra Quadragesimam non prohibentur sub peccato mortali oua, & lacticinia, vt infrà probabimus, consequenter etiam non prohibentur

ſub eodem mortali in ieiuniis Quadrageſimæ. Huc vſque Fagundez. Sed malè omnino. Nam falſum omnino eſt, quòd in dicto cap. *Rogationes*, concedatur, vt in diebus Quadrageſimæ, vti poſſint fideles illis cibis, quibus vtuntur in diebus ieiunij extra Quadrageſimam. Quia ſolùm ait, imò, & præcipit, quod in triduo Rogationum, omnes vtantur cibis quadrageſimalibus, vt infrà ex reſponſione huius argumenti conſtabit. Vnde veritate textus attentâ, benè confecit argumentum Paſqualigus. improbè verò, Fagundez.

Quintò probat. Quia non ſunt multiplicandæ obligationes ſub mortali ex iure, & ſacris Canonibus, niſi de ipſis clarè conſtet; nec ſunt extendendæ, quando lex eas non extendit; quia obſtant communes regulæ iuris; *Odia ſunt reſtringenda &c. Pœna coercenda &c. Benignior in pœnis eſt interpretatio facienda. De Regul. iuris in 6.* Sed ſic eſt, quòd in iure, non datur clarè præceptum de abſtinendo à ſementinis, ſeu ab ouis, & lacticiniis in Quadrageſima: ergo dicendum eſt, non dari obligationem talem ſub mortali. Hæc ſunt argumenta facta pro hac ſententia à Paſqualigo, deſumpta ab ipſomet Fagundio. Quæ licèt primo aſpectu aliquam ſpeciem probabilitatis videantur habere; & propterea hanc ſententiam nouiſſimè ſequatur Pellizarius *in Ma. Regul. tom. 1. tr. 5. cap. 5. num. 20. 21. & 22.*

Sed illis non obſtantibus, tanquam certum mihi, Reſpondeo dicendum: Quod oua, & lacticinia de iure communi ſint prohibita ſub mortali, in ieiuniis Quadrageſimæ, ſaltem per dictum caput *Denique.*

Probo hanc ſententiam. Primò, authoritate ferè omnium Doctorum. Quæ ſanè validum facit argumentum, vt conſtat ex *l. Antiquiſſ. ſi pars hæred. cap. omnes Principes, de Maiorit. & obedien.* Nam imprimis, illam docent omnes ferè Canoniſtæ, Ægidius Bellamera *in dicto cap. Denique, tom. 1. ſuper Decretum. pag.* 12. Hoſtienſ. *in ſumm. in Rubri. de obſeruat. ieiunior, num. 2. & 3. fol. mihi* 232. Innocent. *in eadem Rub. num. 5. fol.* 188. vbi ſic ait: Item, non credimus ſolui ieiunium inductum, ſi quis comedat in ieiuniis indictis, niſi in Quadrageſima, oua, & caſeum, ſed tamen peccat: & ſic intelligitur. *dist. 4. Denique* alij tamen contra dicunt. Sic ille. Abbas *ibidem n. 5. fol. mihi* 228. vbi citat Innocentium pro hac parte: dicitque eſſe communem Doctorum ſententiam. Archidiacon. *in c. d. Rogationes. de conſecr. diſt. 3.* Nauarrus *in Man. cap. 21. num. 15.* Couarr. *lib. 4. variar. cap.* 20. (non 10. vt inuenies apud Trullench in Bulla *infrà*) dicens, id fateri omnes. Deinde ex Theologis, illam docent S. Thom. 2. 2. *quæſt. 147. art. 8. ad 3.* & ibidem Caiet. *& in ſumm. verb. ieiun. cap. 1.* per hæc verba: Exigit quippe omne Eccleſiæ ieiunium abſtinentiam ab eſu carnium. Sed inter Quadrageſimam, & alia ieiunia, hoc intereſt, quòd Quadrageſima requirit etiam abſtinentiam ab ouis, & lacticiniis; in aliis autem ieiuniis poteſt quiſque vti ouis, & lacticiniis, vbi conſuetudo eſt: Vbi autem non eſt conſuetudo, non licet. Sic Caietan. Ex cuius verbis conſtat, quàm falsò citent illum contrarij pro ſua ſententia. Sic etiam Palud. *in 4. diſtinct. 15. qu. 4. art. 4. concluſ.* 2. Durand. *qu. 9. num. 7.* Palat. *diſp.* 8. Gabriel, *diſtinct. 16. q. 3. art. 3. dub.* 1. Angel. *verb. Ieiunium, num.* 5. vbi citat Gotfredum, Innocentium, Ricardum, & communem. Armilla *eo ver. num.* 1. Silueſt. *num.* 15. Medina *C. de ieiun. qu.* 1. Henriquez *lib. 7. cap. 13. num.* 8. vbi in Gloſſa *lit. f.* citat pro hac parte D. Thom. *loc. cit.* Gratianum *cap. Denique, cit.* & Concil. Toletanum IV. *capite* 10. & Tolet. *viij. cap.* 9. & alios. Graffius *1. p. deciſ. lib. 2. c. 37. num.* 10. Corduba *in ſumm. q. 60. &* 168. Medina *lib. 1. ſumm. c. 14. §.* 10. Suarez *tom. 2. de Relig. cap. 13. num.* 3. Azor *1. p. lib. 7. c. 10. q. 1. colum. mihi* 728. dicens, eſſe communem omnium ſententiam. Sanchez *lib 4. ſumm. cap. 11. n. 53. & lib. 5. conſil. c. 1. dub.* 19. Leſſius *lib. 4. cap. 2. dub. 2. num.* 8. Sà *verb. Ieiunium n.* 8. Molfeſius *in ſumm. tract. 10. cap. 3. num.* 34. Qui id colligit ex dicto cap. *Denique, diſt.* 4. quod dicit eſſe deſumptum ex D. Gregorio 1. parte Paſtoralis. Sed hoc omnino eſt falſum; nam in tota illa 1. parte, quam legi, nullum habet verbum ex relatis in d. capite *Denique.* Llamas *2 part. Method. cap. 5. §. 26. pagin.* 529. Tolet. *lib. 6. cap. 3. num. 2. &* 3. Reginald. *lib. 4. cap. 13. ſect. 1. num.* 144. Bonacina *diſp. vltim. de præcept. Eccleſ. q. 1. punct. 2. num.* 2. Trullench *in Bullam lib. 1. §. 4. dub. 3. n. 3. & lib. 3. in Decalog. c. 2. dub. 2. num. 3. &* 5. Ludouicus à Cruce *in Bullam diſp. 1. cap. 5. dub. 13. n. 4. &* 5. vbi ſic ait: Si omnes Chriſti fideles docti, vel indocti, quotquot Dei timorem præ oculis haberent, ſciſcitarentur, an eſus ouorum & ſimilium in Quadrageſima, ſit ſub lethali culpa prohibitus, omnes credo, vel pacis exceptis, affirmatiuè reſponderent. Sic ille. Sancius *in ſelectis diſp. 51. num.* 18. Ioannes à Cruce *in ſumm. 1. p. præc. 3. art. 4. concl.* 4. Rodriguez *1. p. ſumm. cap. 23. & in Bullam, §. 6. num.* 2. Petrus Ledeſma *2. p. ſumm. tract. 27. c. 2. concl.* 3. Villalob. *tr. 23. diff. 8. num.* 1. Diana *3. p. tract. 6. Reſol.* 80. Auſonius *in ſumm. Dianæ, verb. Ieiunium, num.* 50. Baſſæus *verb. Ieiunium, num.* 3. Leander de Murcia Capucinus, *in explicat. Regulæ S. Franciſci, quæſt. 9. in cap. 3. Regulæ num. 1. pag.* 186. Bofius *ſect. 4. de Iubileo caſu 18. num.* 20. (vbi pro hac parte citat, inter alios, Dominicum adductum pro ſe à Fagundio) *& num 33. vſque ad* 38. Beja *1. p. caſu* 45. Luyſius Turrianus *in ſumm. 1. part. c. 256. dub. 34. concl.* 1. & (ni fallor) Machado *lib. 2. ſumm. p. 4. tract. 3. docum. 4. n.* 1. Et alij omnes, affirmantes ex dicta diſpoſitione iuris, peccare mortaliter, qui ouis, & lacticiniis in Quadrageſima, abſque cauſa; vel priuilegio, veſcitur; ex quibus alij, id expreſsè docent, alij id ſupponunt, dum adſtruunt, edentem oua, & lacticinia in Quadrageſima, frangere, aut violare ieiunium.

Secundò probo ratione. Quia in dicto cap. *Denique* prohibentur oua, & lacticinia in Quadrageſima, ſub peccato; vt fatetur Fagundez: at ſic eſt, quòd non eſt ſub veniali: ergo ſub mortali. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. Quia hæc materia eſt grauis, vt conſtat: ergo eſt capax obligationis grauis: ergo ſi prohibita ſub peccato fuit, debet cenſeri prohibitam fuiſſe, vt materiam grauem, ſub peccato graui. Hoc argumentum, licèt ſit efficax contra Fagundez concedentem, vt vidimus, dari in dicto capite *Denique* præceptum obligans ſub veniali duntaxat; Sed non contra Paſqualigum, qui, *loc. cit. n.* 10. reſpondet huic argumento, negando, in dicto cap. *Denique* dari præceptum prohibitiuum ouorum, & lacticiniorum quod obliget adhuc ſub veniali; ſed ſolùm, inquit, proponitur à Pontifice talis prohibitio, & abſtinentia, vt quid conueniens. Sed contra hanc ſolutionem.

Arguo 3. & probo talem prohibitionem ouorum, & lacticiniorum latam in dicto cap. intimatam eſſe fidelibus ſub præcepto, & non propoſitam ſub conſilio, aut vt quid conuenientem. Nam in dicto capite *Denique* quærebat Auguſtinus *Anglorum Epiſcopus*, à Gregorio Papa (vt ait Gratianus) *An ſicut in ieiuniis Quadrageſimæ abſtinendum eſt à carnibus; ita etiam abſtinendum ſit ab ouis, & lacticiniis?* Quod eſt idem, ac ſi quæreret Auguſtinus; an præceptum prohibens in Quadrageſima carnes, extendatur ad prohibenda oua; & lacticinia; & reſpondit Pontifex, quòd ſit; & poſteà aſſignauit rationem conuenientem, & iuſtam, ob quam dictum præceptum carnis

ex

extendatur etiam ad prohibenda oua, & lacticinia, dicendo, *Par est, vt quibus diebus à carnibus abstinemus, ad omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus*, &c. Quare cùm ibi Pontifex non constituat nouum præceptum; sed declaret extensionem præcepti iam existentis, non fuit necessarium vti alijs verbis præceptiuis, prætet verba affirmatioè respondentia interrogationi Augustini., quæ habent vim præcepti. Hanc responsionem sumpsi ex Pasqualigo *num.*17. Quæ re vera genuina textui videtur: & confirmare illam possumus ex verbis Glossæ *in summa dicti capitis Denique*, quæ sic se babent: *In tertia parte, quæ incipit ibi; & post pauca, quærebatur, an tempore ieiuniorum, sit abstinendum ab ouis, caseo, & lacte: respondet Gregorius, quòd sic: quia sicut à carnibus, ita ad omnibus, quæ trahunt sementinam originem carnis est abstinendum.* Sic Glossa. Ex cuius verbis, & manet confirmata nostra, & Pasqualigi ratio, & soluta eius responsio, contra nostrum secundum argumentum.

Quartò probo hanc partem. Quia, vt notant Suar. *lib.*6. *de legib. cap.*2. *num.*5. & 6. Baldellus *in Theol. moral. lib.*5. *disp.*12. *num.*7. & alij: ad cognoscendam obligationem legis ad culpam mortalem, vel venialem, maximè est attendenda Doctorum interpretatio; cùm in vnaquaque facultate standum sit peritorum iudicio; Vnde si Doctores communiter consentiunt, quòd hic, aut ille sit verus sensus, & vera intelligentia legis, credendum omnino illis est; cùm tanta consensio sufficienter declaret, quomodo lex fuerit intimata, & acceptata: Sed sic est, quòd communis omnium Doctorum, tam Canonistarum, quàm Theologorum consensus, vsque ad hæc nostra tempora, habuit, & tenuit, quòd textu in cap. *Denique* prohibuerit oua, & lacticinia in ieiunijs saltem Quadragesimæ, sub peccato mortali; vt constat manifestè ex Authoribus relatis in primo nostro argumento; ergo dicendum est, quòd ex vi dicti textus prohibitio ouorum, & lacticiniorum, in ieiunijs Quadragesimæ obliget sub mortali.

Quintò id ipsum confirmo. Quia obligatio legis humanæ in foro conscientiæ maximè colligitur, ex communi hominum æstimatione, & obseruantia, vt probat text. in *l. Minimè, l. Si de interpretatione, de legib. & cap. cum dilectus, de consuetud.* & ex illo Tiraquell. *de Nobilitate, cap.*10. *num.*9. Cenedo, *pract. q.*2. *num.*11. Ioann. Baptista Lartea, Granat. *decis.*41. *num.*4. & *deci.*45. *num.*24. & D. Ioan. Escobar, *tom.*1. *tract. de vtroque foro, art.*5. *num.*145. & *art.*6. *num.*91. *pag.*291. Sed sic est, quòd communis hominum æstimatio, vsus, & obseruantia, vsque modò, semper tennic, quòd prædictus textus in cap. *Denique* obligauit sub mortali; ergo ex vi dicti textus, prohibitio ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima, sub mortali obligat.

Sextò, Quia prohibitio ouorum, & lacticiniorum pro ieiunijs Quadragesimæ facta in sexta Synodo generali can. 56. *cit.* obligat sub mortali: ergo oua, & lacticinia de iure communi, aut scripto, prohibita sunt sub mortali. Antecedens probatur. Quia in dicto Canone prohibentur Clericis vsus ouorum, & lacticiniorum, in ieiunijs Quadragesimæ, sub pœna suspensionis; laicis verò, sub pœna excommunicationis: at hæc pœna supponit granem culpam, & obligationem sub mortali, vt cum communi docent Nauarr. *in Man. cap.* 23. *n.*53. Sayrus *in Claui Reg. lib.*3. *cap.*7. *num.*25. & Suarez *de censur. disputat.*28. *sectior.*3. *num.*20. & 25. Couarruu. *Regul. peccatum*, 2. *part.* §.3. *numero* 3. Soto 1. *de iustit. quæst.*6. *artic.*4. & 5. Vasquez *tom.*2. *disputat.*159. *cap.*3. *num.*22. Ioann. Escobar *loc. cit. numero* 95. ergo prædicta prohibitio ouorum, &c. sub mortali obligat ex iure.

Si dicas cum Fagundio, & Pasqualigo, quòd nullum ex dicto Canone sumi possit argumentum ad probandam nostram sententiam: quia illi Canones non fuerunt illius sextæ Synodi, sed aliquorum Episcoporum particularium, vt docent Cano. *lib.*5. *de locis, cap. vltim.* Turrianus *lib. de Canonibus sextæ Synodi*, Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*19. *num.*1. Sot. Surius, Bañez, Bellarm. & alij, quos allegat, & sequitur Barbosa vbi infrà, & latè Baronius *tom.*8. *fol.*611. 612. 613. & 614.

Contra est *Primò*. Quòd non desunt alij Doctissimi viri, qui indubitanter affirment tales Canones, verè esse dictæ Synodi generalis. Sic enim tenent Couarr. *lib.*4. *variar. cap.*20. *num.*15. Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*10. *q.*1. *col.*728. Trullench *lib.*1. *Bullæ* §.4. *dub.*3. *num.*3. & *lib.*3. *in Decal. cap.*2. *dub.*2. *num.*2. Fillinc. *cap.*3. *cit. num.*45. & Gratianus dictos Canones tanquam Canonicos, & à sexta Synodo constitutos, citat in cap. *Placuit, dist.*16. & *in capite, Quoniam, dist.*31. & *in cap. si quis, dist.*32. & alibi sæpe. *Secundò.* Quia dato, aut vt verum (vt est,) concesso, quòd ex prædicto Canone, eo quòd non sit illius sextæ Synodi generalis, non possit sumi præceptum; potest tamen colligi ex ipso, tunc temporis in vniuersali Ecclesia fuisse vetita in Quadragesima oua; & lacticinia sub peccato mortali; siquidem illi Episcopi particulares præceperunt Armenus sub graui pœna (vt nuper est habitum) vt in ieiunijs Quadragesimæ seruarent ordinem vniuersalis Ecclesiæ, & abstinerêt ab ouis, & caseo; quod non præstitissent, sub tam graui pœna; nisi apud cæteras omnes nationes fuissent prohibita sub mortali, vt in hoc (licèt contra se ipsum) bene notat Pasqualig. *num.*16. at sic est, quòd hæc (apud omnes alias nationes) ouorum, & lacticiniorum prohibitio, potuit oriri (omissa, pro nunc consuetudine) à dicto cap. *Denique*, suprà citato, quod cùm sit mixta Gratianum, desumptum ex D. Gregorio Papa, qui circa annum Domini quingentesimum nonagesimum tertium, creatus fuit Pontifex, iam latum præcesserat, octogesimo octauo, ferè anno, ante celebrationem dictæ sextæ Synodi generalis; cùm hæc celebrata fuerit, anno Domini sexcentesimo nonagesimo secundo, aut nonagesimo septimo, vt vult cum alijs Barbosa in *collect. Doct. in* 1. *p. Decreti*, c. *Sextam*, *num.*2. & 3. (Vnde malè Bosius *loc. cit. n.*20. dixit; caput *Denique*, citatum, desumptum fuisse ex sexta Synodo) ergo &c.

Septimò. Quia Pontifices dispensant in Bulla Cruciata, ad oua, & lacticinia; cum illis, qui illam sumunt: Sed sic est, quòd si non essent sub mortali prohibita, non esset necessaria dispensatio: ergo.

Respondet Pasqualig. *loc. cit. n.*11. Quòd verum sit, quòd dispensent Pontifices, in Bulla, ad oua, & lacticinia; Sed id faciunt sequendo opinionem probabilem, sustinentem oua, & lacticinia esse prohibita sub mortali in Quadragesima.

Sed contrà est, Primò, ergo iam Pontifices sentiunt, nostram opinionem esse, ad minùs, probabilissimam, siquidem, illam sequendo, dispensant in abstinentia ab ouis, & lacticinijs. Secundò. Quia falsum est, quòd hoc faciant Pontifices, eo quòd sentiant nostram sententiam solùm esse probabilem, sed quia illam semper existimarunt veram. Patet, quia probabilitas opinionis contrariæ docentis, non esse prohibita oua, & lacticinia sub mortali in Quadragesima, orta fuit, nostris temporibus, ex Doctrina Fagundij, & aliorum, qui illi subscripserunt, vt est manifestum omnibus: at sic est, quòd multis antè retrò annis, iam Pontifices per suas Bullas dispensabant

Google

in ouis,& lacticiniis; ergo non id faciebant ſequendo duntaxat opinionem probabilem, ſed certam,& indubitatam: ergo &c.

Octauò probo noſtram ſententiam,& non leuiter, ſoluendo argumenta contrariæ. Vnde,

Ad primum deſumptum ex authoritate Doctorum, Reſpondeo dicendum,falſum eſſe, omnes illos Doctores, quos pro ſua ſententia citat Fagundez, illam amplexati. Nam imprimis Gloſſa *in v. Par*, non docet, *ſolùm eſſe veniale edere oua & lacticinia in Quadrageſima*; Sed ſolùm explicat illam particulam, *Par*, per hoc quòd ſit, *æquum, & iuſtum*: ſed quid inde? cùm per hoc, non explicet verba præcepti; ſed verba canonis, aut cauſæ,ob quam D. Gregorius, (ex ſententia Gratiani)impoſuit dictum præceptum,vt ex dictis conſtat. Ad Paulum Palatium adductum,Dicendum eſt(quidquid ille ſenſerit,malè explicuiſſe Caietanum. Nam imprimis Caietanus, nullo modo, *cap.4.* (nec alibi) dixit hæc verba,nempe; *Peccatum eſſe comedere oua, & lacticinia in ieiunio Quadrageſimæ, vbi non eſt conſuetudo in oppoſitum*; vt falsò illi imponit Palatius. Potiùs pronunciauit oppoſitum, *cap.1.* vt ex eius verbis, relatis in primo argumento,facto pro noſtra ſententia, liquet. Vnde vana remanet explicatio Palatij. Deinde, Innocentius nequaquam eſt pro ſententia contraria, ſed potius expreſsè pro noſtra, vt ſupra vidimus, & ſic pro illa citat eum Abbas *in Rubrica de obſeruat. ieiun n.5. vel. Dicitur tertiò fol.mihi 223. col.4.* Imo, nec Dominicus; quia ipſe in cap. *Rogationes*,expreſsè docet, oua,& lacticinia eſſe prohibita de iure,in ieiuniis extra Quadrageſimam, vt refert Paſqualigus *decis.68. num.1.* ergo à fortiori id docere tenetur,loquendo de ieiuniis Quadrageſimæ. Allegena autem expreſsè id non docet. Nam ſolum, poſtquam in ſummam redegit omnia, quæ in cap. *Denique*, continentur, ait hæc verba: *Nota, quòd hæc ſunt de conſilio, vel abrogata.* Sed quid de iis verbis pro ſe emolumenti reportat? cum ipſe Fagundez ad minus prohiberi ſub veniali oua fateatur. Solùm ergo ſententiam oppoſitam docet Fagundez,& poſt illum,aliqui Recentiores.

Ad ſecundum,negandum eſt antecedens,nempe, quòd textus in cap. *Denique*, non contineat præceptum. Et ad eius probationem dicendum, quod tranſeat. Quia non continetur præceptum prohibens oua, & lacticinia,in illa particula *Par eſt*; Sed in affirmatione Pontificis ad interrogationem Auguſtini; quam omiſit apponere Gratianus; quamuis non Gloſſa *in ſumma illius capitis*, vt ex eius verbis, adductis in tertia probatione pro noſtra ſententia, patet.

Ex quo,etiam conſtat ſolutio primæ confirmationis;negandum enim eſt.Quod Diuus Gregorius, abſolutè non reſponderit Auguſtino,eſſe abſtinendum in Quadrageſima à ſeminentinis, ſeu ab ouis, & lacticiniis; Sed *Par eſt, vt abſtineamus.* Reſpondit namque primò, eſſe abſtinendum, ſicut abſtinetur à carnibus;vt fatetur Gloſſa;& poſteà reddidit rationem, ob quam id affirmauerit, dicendo, *Par autem eſt.* Quod ſi dicas,hanc affirmatiuam reſponſionem,non inueniri in textu. Reſpondeo,verum eſſe; Sed hoc eueniſſe, quia illum textum truncauit Gratianus; & ideo, omiſſa reſponſione affirmatiua, quæſito Auguſtini data,ſolùm tranſcripſit rationem,ob quam id præſtiterit. Quod,& clarè innuit illa particula *autem*, interpoſita in reſponſione Pontificis,cùm relatiua ſit; aut expoſitiua verborum præcedentium, facilè videremus,ſi tale caput,aut textum inter opera Gregorij inuenire poſſemus. Ego ſaltem; huc vſque illud inuenire non potui, licet alias omnes interrogationes factas D. Gregorio,ab Auguſtino in operibus,D.Gregorij, *lib.12.in dict.7.Epiſt.31.* ſæpiùs legerim; hanc verò minime. Nec illam refert (cum referat omnes alias, quæ numero ſunt vndecim) Franciſcus Iouerius, *in ſanctionibus Eccleſiaſticis,tam Synodicis,quàm Pontificiis, in tertia Claſſe operis fol. mihi* 178. Quod idipſum fatetur Couarruu. *lib.4. var. cap.20. num.15.* his verbis: Hæc Gratianus, ex D. Gregorio, apud quem nondum potui reperire. Sic ille. Credendum tamen eſt,Gratianum,dictum cap. *Denique*,ex exemplaribus, D. Gregorij ſumpſiſſe. Et quidem, vt hic Canon auctoritatem habeat, ſufficit auctoritas Eccleſiæ,quæ iam illum approbauit,maximè poſt correctionem,& emendationem à Gregorio XIII. factam, vt notauit Barboſa, *in collect. Doct. in 1.3. decr.* ſup. hoc cap. ex Vualdo in candelab. aureo, *3.p. cap.15. num.18.* Vbi etiam ait, non repetiri in libris D.Gregorij(non ait,Bernardi,vt falsò illi imponit Barboſa) Epiſtolam illam,ex qua deſumitur dictum *cap. Denique.* Quo tanquam vero ſuppoſito.

Ad ſecundam confirmationem dicendum eſt ex dictis, verè contineri in dicta lege, ſaltem præſuppoſitiuè, verba ſignificantia præceptum, non quidem explicata in textu,ſed præſuppoſitiua in reſponſione affirmatiua interrogationi Auguſtini. Vtrumque namque omiſit referre Gratianus, & interrogationem, ſcilicet, Auguſtini, & partem reſponſionis Gregorij.

Ad tertiam confirmationem,dicendum eſt. *Primò*, falsò Fagundez impoſuiſſe Gratiano illa vltima verba, videlicet: *Tamen ſine cauſa veniale erit.* Nam abſunt certè à Gratiano, vt legenti conſtabit, & ideo *in 2. edit.* illa abraſit Fagundez. *Secundò* dicendum, quòd præcitata verba Gratiani, non agunt de caſu noſtræ quæſtionis;nempe, de prohibitione ouorum, & lacticiniorum,poſita in dicto cap. *Denique*. Tum; quia hæc ouorum prohibitio in Quadrageſima, communi vſu,& approbatione fidelium (cuius non extat memoria)ſemper acceptata fuit: ſeque illam non obſeruantes,tranſgreſſionis reos arguerunt,& arguunt, vt contrarij etiam fatentur: ergo,de hac ouorum,& lacticiniorum prohibitione,non poſſunt intelligi illa verba Gratiani,contra nos adducta videlicet: *Hæc, & ſi legibus conſtituta ſunt, tamen quia communi vſu approbata non ſunt, ſe non obſeruantes tranſgreſſionis reos non arguunt.* Tum etiam; quia Gratianus ſtatim ſubdit; *quòd fortè poſſit aliquis dicere, quòd hæc, non decernendo,ſed exhortando conſcripta fuerint; & ita nullam neceſſitatem inferre*: Quæ verba planè indicant, nec ad culpam venialem,prædictam legem obligare, vt bene vidit Paſqualigus & antè illum,Gloſſa in dicto cap. *verbo conſcripta*,& Barboſa in dicto cap. *Denique, verb. exhortando*: ergo non poſſunt intelligi, de prohibitione ouorum,& lacticiniorum habita in dicto capite. Dicendum ergo eſt, quòd illa verba Gratiani, contra nos in argumento adducta, debent intelligi de prima parte capitis, *Denique*, in qua agitur de prima interrogatione facta D. Gregorio ab Auguſtino. Quæſiuit enim Auguſtinus, *Angelorum Epiſcopus*, à Gregorio Papa; An Clerici incipere debeant ieiunium à Quinquageſima? & reſpondet Gregorius; quòd ſic. Igitur hoc caput (quoad hanc partem) ſimul cum duobus antecedentibus, quæ de eadem concernenti materia tractant, vel per non vſum abrogata ſunt; vel fortè non fuerunt ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio data. Sic innuit Gloſſa *in ſumma*, explicando prædicta verba Gratiani, *Hæc & ſi legibus, &c. in 4. parte diſtinctionis quartæ*, poſita; ait namque ſic. *Dicit Gratianus, quòd hæc tria capita ſupra dicta ſunt abrogata: & ideo,qui non obſeruant ea, non dicuntur tranſgreſſores: ſed ſi non eſſent abrogata, non obedientes eis proprio priuarentur honore, niſi fortè quis*

quis velit dicere, quòd hæc supra dicta capita, loquantur de consilio, & non de præcepto. Sic Glossa: ex verbis cuius clarè constat, nullo modo Gratianum locutum fuisse de prohibitione ouorum contenta in tertia parte dicti capitis; cùm hæc nunquam per non vsum fuerit abrogata; nec solùm sub consilio lata; vt ex dictis patet: loquitur ergo duntaxat Gratianus, de prima parte capitis, quæ sola concernit duo antecedentia capita, non verò de tertia, de qua est nostra quæstio.

Ad tertium argumentum, constat, ex dictis in quinto pro nostra sententia facto.

Ad quartum, Respondeo. *Primò*, concessa maiori, negando minorem, nempe quòd in ieiuniis Rogationum, licitè adhibebantur, tunc temporis, oua, & lacticinia; quia oppositum sanè expressè colligitur ex textu dicti capitis *Rogationes*, ibi: *Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.* In quibus verbis manifestè prohibebatur ieiunantibus in triduo Rogationum, vti cibis quadragesimalibus: at sic est, quòd à cibis quadragesimalibus excluduntur à iure, oua, & lacticinia: ergo his non licebat vti ieiunantibus in triduo rogationum: ergo falsò, & malè, colligit Pasqualigus, *ex cap. Rogationes*, quòd ieiunantes illis diebus, vesci poterant ouis, & lacticiniis; cùm oppositum planè colligatur ex dicto textu. Vnde ad argumentum quod pro probanda maiori, format Pasqualigus, nempe; quòd secundùm communissimam sententiam; non sunt de iure prohibita oua, & lacticinia extra Quadragesimam: ergo ex iure, huiusmodi cibi liciti erant in prædictis Rogationum ieiuniis. Respondendum est. *Primò.* Quòd non desint grauissimi Doctores docentes, etiam esse prohibita oua, & lacticinia, ex iure, in aliis ieiuniis extra Quadragesimam. *Secundò.* Et meliùs, respondeo, quòd inter Doctores, solùm est difficultas, in hac materia, an ex vi capitis *Denique dist.* 4. sint prohibita, oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam; sicut prohibita sunt, ex vi eiusdem textus, in ieiuniis Quadragesimæ, alij affirmantes; alij verò (& communiter) negantes, quòd scilicet, ex vi dicti capitis *Denique*, sint prohibita oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam; *de quo infrà*; sed an aliàs, ex vi alterius iuris, aut capitis, fuerint prohibita, vel non; non disceptant Doctores; nec de hoc inter illos est controuersia. Dicendum ergo nobis est, quòd quamuis concedamus, quod ex vi dicti capitis. *Denique*, non fuerint prohibita oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam, & consequenter, nec in ieiuniis Rogationum; fuerint tamen multò anteà, in his diebus ieiunij prohibita, ex altero iuris capite, nempe ex cap. *Rogationes*. cit. de quo loquendo, nulla est opposita sententia. Et vt clariora hæc omnia fiant.

Tertiò, ad Pasqualigum, dico, quòd dato (non concesso) antecedenti, videlicet, quòd in dictis ieiuniis Rogationum, ex vi iuris, licitè adhiberentur oua, & lacticinia; neganda est vltima consequentia; Nam etiam antecedenti huiusmodi dato, non infert Pasqualigus bene, quòd etiam nunc possint licitè, ex vi iuris, adbiberi oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ. Patet euidenter: quia post illud decretum, & caput *Rogationes* (in quo fundatur hic Author ad suã sententiam defensandam) latum fuit decretum, à Diuo Gregorio, relatum, in cap. *Denique*, *dist.* 4. in quo, in sententia omnium Doctorum, prohibita fuerunt oua, & lacticinia, in ieiuniis Quadragesimæ: ergo adhuc dato Pasqualigo, quòd per illud caput *Rogationes*, non fuerint prohibita oua, & lacticinia, non bene infert, quòd nec nunc sint prohibita; cùm postea fuerint nouissimè prohibita per caput *Denique*.

Patet: Quia textus seu decretum, vel caput *Rogationes*, fuit desumptum ex Concilio Aurelianensi primo, celebrato, tempore Hormisdæ Papæ, qui assumptus fuit ad Pontificatum circa annum Domini quingentesimum decimum tertium, vel quartum, vt refert Iou. *in sanctionibus Ecclesiasticis*; Decretum verò, latũ in cap. *Denique*, est (vt ait Gratianus) D. Gregorij Papæ primi, qui creatus fuit Pontifex anno Domini, quingentesimo nonagesimu tertio; octoginta annis, plus, vel minus, post Concilium Aurelianense: ergo clarè constat, quòd nunc ex vi huius textus vltimi, sint oua, & lacticinia in Quadragesima prohibita.

Ad quintum, concedendum est, quòd non sint multiplicandæ obligationes sub mortali ex iure, nisi de ipsis clarè constet; negandum verò, quòd non constet clarè, dari præceptum de abstinentia ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima; nam constat satis ex cap. *Denique*, citato, ex rationibus, & Authoribus, pro nostra sententia adductis.

QVÆSTIO III.

An non solùm ex vi iuris, verumetiam ex vi consuetudinis, sint prohibita sub mortali, oua, & lacticinia, in ieiunijs Quadragesimæ?

NEgatiuam sententiam videtur sequi Fagundez, *cap. 2. cit. num.* 11. Quatenus docet, difficillimum esse scire, vbi, & quibus locis, obliget consuetudo ad non comedenda oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ.

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Non solùm ex vi iuris, sed etiam ex vi consuetudinis, esse prohibita sub mortali, oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ. Probatur *primò*. Quia *in Can.* 56. Sextæ Synodi generalis præcipitur, vt consuetudo Ecclesiæ vniuersalis, abstinendi ab ouis, & lacticiniis in Quadragesima, seruetur, sub pœna suspensionis, & excommunicationis, ordine, nuper quæstione antecedenti, explicato: ergo sensit Concilium, aut, vt meliùs dicam, Congregatio illa Episcoporum habita post illud, talem consuetudinem in Ecclesia introductam obligare ad mortale, aliàs non præciperet sub tanta pœna obseruari.

Secundò. Quia præceptum abstinendi ab ouis, & lacticiniis, latum à D. Gregorio, & relatum in cap. *Denique*, *dist.* 4. non fuit aliud, quàm quædam explicatio consuetudinis, abstinendi in Quadragesima à dictis cibis, iam multò anteà in Ecclesia introductæ, vt colligitur, ex cap. *Rogationes*, *de consecrat. dist.* 3. at sic est, quòd hoc præceptum obligat sub mortali, vt suprà est habitum: ergo, & consuetudo, quæ iam præsupponebatur, explicata per tale præceptum obligabat sub mortali.

Tertiò. Quia certum est apud omnes, quòd consuetudo potest inducere legem obligantem sub mortali: ergo sub tali obligatione, induxit consuetudo legem abstinendi, in Quadragesima, ab ouis, & lacticiniis. Probo hanc consequentiam: Quia ex tribus coniecturis deduci potest, consuetudinem immemorabilem introductam fuisse sub mortali obligatione, vt docent Suarez, *de legib. lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 13. Palao, *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 13. & Baldellus, *in Theolog. Moral. lib.* 5. *disp.* 22. Prima est, si consuetudo sit grauis, & difficilis. Secunda. Si communiter seruetur à populo sub obligatione graui; nam vsus, & continuatio actuum, optimè declarat intentionem vtentium; & ex eo, quòd faciunt, & intendunt facere nunc pro hoc tempore; optimè colligitur,

gitur, quid fecerint, & intenderint facere alio tempore. Tertia est, si Prælati puniant grauiter violantes consuetudinem. Sed sic est, quòd omnes hæ coniecturæ adsunt circa consuetudinem nõ edendi oua, & lacticinia in Quadragesima: ergo manifestè constat, non solùm ex vi iuris, verumetiam ex vi consuetudinis, prohibita esse sub mortali in ieiuniis Quadragesimæ. Sic Diana, 3. *part. tract.* 6. *Resol.* 80. *vers. Quoad consuetudinem.* Ausonius, *in summa Dianæ, verb. Ieiunium, n.* 50.

QVÆSTIO IV.

An oua, & lacticinia, sint etiam prohibita, ex vi iuris, in ieiuniis extra Quadragesimam, sub culpa mortali?

NEgant communiter Doctores, hac ratione ducti: Quia, videlicet, nullos textus reperitur in iure, qui prohibeat comedere oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam: ergò non sunt in aliis prohibita, ex vi iuris. Consequentia est manifesta; antecedens verò, etiam patet: nam si aliquis reperiretur textus hæc prohibens, maximè esset textus in cap. *Denique, dist.* 4. *aut Canon* 56. *Synodi sextæ generalis*, at hi textus, manifestè loquuntur de ieiunio quadragesimali: ergo, ex vi iuris, oua, & lacticinia solùm sunt prohibita in ieiuniis quadragesimalibus; non verò in aliis. Sic docent (apud Pasqualigum) D. Th. 2.2. *q.* 147. *art.* 8. *ad* 3. Durand. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 9. *r.* 1. & ibi Paludan. *q.* 4. *num.* 33. Palat. *disput.* 8. Gabriel, *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. Caietan. *in summ. verb. Ieiunium, initio.* Syluester *q.* 5 *dicto* 1. Angelus, *num.* 5. Armill., *num.* 1. Rosella, *num.* 11. Tabiena, *quæst.* 6. Hostiens. *in Rubric. de obseru. ieiunior. num.* 5. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 15. Abulens. *in cap.* 6. *Matth. q.* 172. Viguerius, *cap.* 7. *institutio.* §. 3. *vers. Primò.* Medina, *C. de ieiunio, q.* 1. Turrecremata. *cap. Non oportet, de consecrat. dist.* 1. Henriquez, *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 9. Sanchez, *lib.* 4. *summ. cap.* 11. *num.* 52. *& lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 2. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 2. Fagundez *lib.* 2. *de* 4. *præcept. Eccles. cap.* 2. *num.* 10. *& num.* 42. *vltima edit.* Bonac. *disp. vltima de Præcept. Eccl. q.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 45. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 3. *& in exposit. Bullæ lib.* 1. §. 4. *dub.* 3. *num.* 3. Diana, 1. *part. tr.* 9. *Resol.* 41. *&* 3. *parte, tract.* 6. *Resol.* 80. *&* 5. *p. tract.* 14. *resol.* 13. D. Didacus Narbona, *lib. de ætate, &c. anno.* 60. *q.* 3. *num.* 4. Bossius, de Iubil. *sect.* 4. *casu* 18. *n.* 21. Reginald. Ledesma, Villalob. & alij plures, quos refert, ac sequitur Pasqualigus, *decis.* 68. *n.* 2. dicens, esse communem omnium sententiam.

Affirmant nihilominus tamen, nonnulli graues Doctores. Hac ratione ducti; quia licèt, in cap. *Denique, & Canone* 56. *cit.* solùm prohibeantur oua, & lacticinia in quadragesima, ratio tamen prohibitionis, quæ ibi ponitur, militat in omnibus ieiuniis: ergo idem ius est pro omnibus ieiuniis. Consequentia patet. Antecedens verò probatur. Quia ratio, quæ ibi ponitur est; Quia oua, & lacticinia trahunt originem à carnibus, quibus, ratione ieiunij, est abstinendum: at hæc ratio, vt constat, eadem est in omnibus ieiuniis: ergo idem ius debet esse. Sic sentiunt Alexander, *in cap. Denique, dist.* 4. *num.* 6. & ibi Præpositus, Dominicus, *in capite Rogationes de consecr. dist.* 3. Astens. *in summ. part.* 2. *tit.* 28. *art.* 3. *qu.* 5. Ricardus, *in* 4. *dist.* 15. *art.* 3. *q.* 5. (Quamuis hic Author, quem pro nunc non potui videre, citetur pro opposita parte à Fagundio) Graffius, *tom.* 1. *lib.* 2. *decis. cap.* 36. *num.* 10. Gomez, *in Bullam, clausula* 7. *num.* 3. Couar. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *n.* 15. Et alij, quos refert, & videtur (ni fallor) sequi Machado, *lib.* 2. *summ. p.* 4. *tract.* 3. *docum.* 4. *n.* 3.

Sed ego, vt dicam quod sentio, suppono primò: quòd vix quid certum definiri possit in hac difficultate, quin prius sciatur, qualis fuerit interrogatio Augustini, *Episcopi Anglorum*, Gregorio Papæ facta; an videlicet, solùm fuerit de ieiuniis Quadragesimæ; an verò de omnibus absolutè ieiuniis. Si enim solùm fuit de ieiuniis Quadragesimæ; certum est, quòd, ex vi iuris, dicti cap. *Denique*, tantùm fuerint prohibita (saltem sub culpa mortali) oua, & lacticinia in dictis ieiuniis Quadragesimæ; si verò interrogatio Augustini, fuit facta absolutè de omnibus ieiuniis, dicendum est, in omnibus ieiuniis esse, ex vi iuris, prohibita oua, & lacticinia.

Suppono secundò, quòd vix, ex contextu dicti capitis *Denique*, colligi apertè possit, de quibus ieiuniis fuerit facta interrogatio. Nam pro parte, quòd fuerit facta de omnibus ieiuniis, tam Quadragesimæ, quàm extra Quadragesimam, facit imprimis ipsa Glossa, *in summa dicti capitis.* Vbi apertè id insinuat, per hæc verba: *In tertia parte, quæ incipit ibi: Et post pauca, quærebatur, an tempore ieiuniorum sit abstinendum ab ouis, caseo, & lacte: & respondet Gregorius, quod sic.* Sic Glossa: Vbi manifestè dicit, quòd interrogatio Augustini, de omnibus ieiuniis fuerit. Deinde facit pro hac parte, ratio textus, quam ex D. Gregorio dat Gratianus, dicens: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis.* Sic textus. Tunc ego: sed sic est, quòd in omnibus ieiuniis, tam Quadragesimæ, quàm extra Quadragesimam, abstinemus à carne animalium: ergo in omnibus debemus quoque abstinere à lacte, caseo, & ouis.

Pro altera verò parte, nempe, quòd quæsitum, aut interrogatio Augustini, solùm fuerit de ieiuniis Quadragesimæ, facit consensus omnium Doctorum, quos pro prima sententia, imo, & pro secunda, citauimus. Omnes enim, vno ore fatentur, dictum caput *Denique*, solùm de ieiuniis Quadragesimæ sermonem facere. Legatur inter alios, Abbas *in Rubr. de obseruat. ieiunior. num.* 5. Facit deinde, quòd omnes aliæ interrogationes, quæ in dicto capite continentur, factæ sunt ab eodem Augustino, pro tempore Quadragesimæ; vt constat, ex responsionibus, quas, ex D. Gregorio in dicto capite, affert Gratianus, & ex Glossa ibidem: ergo hæc interrogatio, de qua quærimus, etiam similiter fuit facta pro ieiuniis Quadragesimæ. Hæc pro vtraque parte faciunt; quodlibet pro sua sententia militans, reddensque eam satis probabilem. Sed pro concordia illarum, & resolutione quæstionis, sub distinctione,

Respondeo dicendum: Probabiliùs est, quòd oua, & lacticinia non sint prohibita in ieiuniis extra Quadragesimam, ex vi præceptiuâ iuris, sub culpa mortali, aut veniali: bene tamen ex vi rationis, à iure allatæ ex congruentia, aut ex æquo. *Prima pars* huius dicti, constat. Quia probabiliùs, & longè, videtur, quòd interrogatio Augustini, ad Gregorium facta, tantum fuerit de ieiuniis Quadragesimæ: ergo responsio Gregorij, in qua præceptum sub culpa mortali contineri, nuper, *quæst.* 2. diximus, solùm de abstinentia ab ouis, & lacticiniis in ieiuniis quadragesimalibus fuit: ergo, ex vi præceptiuâ iuris, non sunt prohibita oua, & lacticinia in aliis ieiuniis extra Quadragesimam, sub præcepto, aut culpa.

Secunda verò pars, etiam, vt mihi videtur, ex habitis pro secunda sententia, constat. Quia ratio, quam Gratianus, ex D. Gregorio, in textu dicti capitis *Denique*, ad probandum, quòd in tempore ieiuniorum

Google

sit abstinendum ab ouis, caseo, & lacte, adducit, comprehendit claré omnia ieiunia, vt patet: ergo ex vi dictæ rationis, oua, & lacticinia prohibita sunt in ieiunus extra Quadragesimam; non tamen sub præcepto, aut culpa vlla; sed ex congruentia, & ex æquo, & bene esse; cùm illa ratio, sub qua prohibitio ouorum, & lacticiniorum, in ieiuniis, etiam extra Quadragesimam, comprehenditur, non sit præceptiua, sed solùm sit ratio congruentiæ, vt ex dictis, *quæst.* 2. constat: solùm ergo sunt prohibita oua, & lacticinia in ieiunus extra Quadragesimam, ex vi rationis iuris ex æquo, aut congruentia; non verò, ex vi præceptiuâ iuris; nam hæc, solùm attingit, aut comprehendit ieiunia quadragesimalia.

QVÆSTIO V.

An saltem, ex vi consuetudinis, vbi viget, teneatur quis sub mortali, abstinere ab ouis, & lacticiniis in ieiuniis extra Quadragesimam?

AFfirmant (apud Sanchez) Angles *in florib. de ieiunio, q.9. diff.* 2. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 15. Metina *lib.* 1. *summ. c.* 14. §. 10. *fol.* 98. Alcuçer *in summ. cap.* 24. Candelabrum aureum *in Append. c. cap.* 15. *num.* 16. & Synodus Granatēsis coacta sub D. Petro Guerrero Archiepiscopo Granatæ anno 1572. *lib.* 3. *tit.* 32. *de obseruat. ieiunior.* Quibus addi possunt, Lessius *lib.* 4. *de iust. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 8. Bonacina *disp. vltima de precept. Eccles. q.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. Tamburinus *tom.* 2. *de iure Abbat. disp.* 12. *quæst.* 9. *num.* 7. & alij. Quorum fundamentum est; Quia consuetudo legitimè introducta, & præscripta, habet vim obligandi: ergo consuetudo non edendi oua, & lacticinia in ieiunijs extra Quadragesimam, vbi viget, & est legitimè introducta, obligabit, & sub mortali.

Negant tamen (apud Pasqualigum) Sanchez *in summ. lib.* 4. *c.* 11. *num.* 52. non 25. vt inuenies apud ipsum) *&* *lib.* 5. *consilior. cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 2. (vbi pro hac parte refert Concilium Prouinciale Toletanum celebratum anno 1583. & Synodum Granatensem anno 1568.) Henriquez *lib.* 7. *summ. cap.* 13. *num.* 9. Rodriguez *tom.* 1. *summ. cap.* 23. *concl.* 3. Villalob. 1. *part. summ. tract.* 23. *diff.* 2. *numer.* 7. Hiltuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *numer.* 49. Portel *in dub. Regul. verb. Ieiunium, in Addit. num.* 9. Diana 1. *part. tract.* 9. *Res.* 41. Sancius *in selectis disp.* 51. *n.* 19. Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 177. *cap.* 6. *n.* 15. Bossius *sect.* 4. *de Iubileo casu* 18. *num.* 32. *&* Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 4. Quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus, *decis.* 69. *num.* 2. His adhuc addi possunt Leander de Murcia, *q.* 9. *super cap.* 3. *Regula S. Francisci, à num.* 3. *pag.* 184 Baltanas, *in Apologia de esu lacticiniorum, fol.* 8. & Didacus Narbona, *lib. de etate ad omnes actus, anno* 60. *q.* 3. *num.* 5.

Fundamentum horum Doctorum est. Quia, vt aliqua consuetudo obliget ad mortale, non sufficit, quod ab immemorabili tempore introducta sit; sed etiam requiritur; quòd sit introducta cum animo se obligandi ad mortale, & quòd quatenus cum tali animo introducta, sit approbata à superioribus: at sic est, quòd consuetudo huiusmodi non edendi oua, & lacticinia in ieiunijs extra Quadragesimam, non est introducta cum animo se obligandi ad mortale; cùm non constet de hoc animo; imo adsit præsumptio in contrarium, nempe, quòd introducta fuerit ex ignorantia, qua ignorantes credebant, hoc sibi esse prohibitum: ergo.

Sed ego distinctiùs, Respondeo *Primò* Vbi introducta est consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticiniis, in ieiunijs extra Quadragesimam, cum scientia, aut animo se obligandi ad mortale, certum est, quòd omnes ibi degētes, aut commorantes, teneantur sub mortali abstinere ab ouis, & lacticinijs in dictis ieiunijs; quia hoc euidenter probat fundamentum primæ sententiæ, cui in hac parte omnes consentiunt Doctores.

Respondeo *Secundò.* Vbi ab immemorabili tempore abest consuetudo abstinendi, in ieiunijs, extra Quadragesimam, ab ouis, & lacticinijs, ita vt, communiter omnes putent, ac putauerint, se sub mortali obligari ad abstinendum, in dictis ieiunijs, ab ouis, & lacticinijs; tunc omnes ibi commorantes tenentur sub mortali abstinere ab illis. Ratio est. Quia (vt diximus suprà, *quæst.* 3.) ex illo, quòd præsentes sentiunt, & intendunt facere; planè colligitur, quid senserint, & intenderint præteriti, & qui initium consuetudini dederunt: ergo si præsentes cōmuniter sentiant, ac putent; se sub mortali obligari ad abstinendum ab ouis, & lacticinijs, in ieiunijs per annum, aut extra Quadragesimam, planè colligitur, quòd idem senserint antiqui; & consequenter, quòd talis, consuetudo obliget sub mortali.

Vnde ad fundamētum secundæ sententiæ, contra quam hoc nostrum secundum dictum militat, dicendum est; satis constare, quòd consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in ieiunijs extra Quadragesimam, introducta sit cum animo se obligandi ad mortale, ex eo quòd præsentes ex vsu, & scientia suorum prædecessorum, id putent, & cognoscant. Alioquin, si hæc existimatio non sufficeret ad talem animum cognoscendum, nullus teneretur ad obseruandam consuetudinem immemorabilem, etiam introductā cum animo se obligandi ad mortale, quia nullus posset post longissimum tempus, manifestè scire, quo animo introducta fuerit talis consuetudo, nisi modo suprà à nobis exposito: ergo dicendum est, illum sufficere, vt dicamus, consuetudinem non edendi oua, & lacticinia in dictis ieiunijs, obligare ad mortale, vbi talis consuetudo, modo explicato, viget.

QVÆSTIO VI.

An in Hispania vigeat consuetudo, obligans ad mortale, abstinendi ab ouis, & lacticinijs, in ieiunijs, extra Quadragesimam?

AFfirmant Nauarr. Angles, Medina, Alcozer, & Candelabrum aureum, nuper citati, docentes, hanc consuetudinem in Hispania vigere; & ideò peccare mortaliter, qui in illa, præfatis diebus ieiunij, oua, & lacticinia comedit. Hanc eandem sententiam tenet nouissimè Barbosa, *tom.* 5. ad Decretum Gratiani, in fine, *in Addit. ad cap. Denique, pag.* 430. citatque pro illa Ioannem Sancium. Ait enim sic Barbosa: Optimè Ioann. Sanct. *in selec. disput.* 15. *n.* 18. *vbi num.* 19. contra Vasquez, & Villalobos tenet abstinentiam ab ouis, & lacticinijs in vigilijs, & quatuor anni temporibus in Regno Castellæ esse in præcepto. Hæc Barbosa. Sed non bene, in eo quòd dicit, sic tenere Sancium. Qua licèt id aliquando existimauerit; at verò posteà, re meliùs perpensâ, contrarium dixit, & tenuit, loco citato: *vers. At re magis perpensâ.*

Negant verò è contrà, Sanchez, Henriquez, Rodriguez, & nonnulli alij, pro secunda sententia nuper adducti, existimantes, talem consuetudinem, vel non vigere nunc in Hispania, vel si viget, non obligare ad mortale: propter rationem traditam nuper pro secunda sententia probanda.

Sed ego, vtrasque concordando sententias, Respondeo

pondeo dicendo: Quòd licèt olim, vt affirmat prima, viguerit in Hispania, (aut saltem, in aliquibus eius Prouinciis) consuetudo obligans sub mortali, abstinendi in diebus ieiunij extra Quadragesimam, ab ouis, & lacticiniis; nunc verò, iam non vigeat talis consuetudo, & consequenter nullo modo peccet, qui in Hispania, prædictis diebus ieiunij, comedit oua, & lacticinia absque Bulla.

Prima pars huius responsionis, probatur authoritate sapientissimi, ac piissimi Doctoris Nauarri, & aliorum Doctorum, quos pro prima sententia adduximus, quibus, sine hæsitatione vlla, credendum est, pro suo tempore in Hispania, aut saltem in aliqua, vel maiori eius parte, præfatam consuetudinem viguisse.

Secunda verò pars, quòd scilicet, pro nunc iam non vigeat in Hispania talis consuetudo, probatur: *Tum* authoritate omnium Doctorum (præcipuè Hispanorum, qui post Nauarrum scripserunt) qui pro certo affirmant, suo tempore iam dictam consuetudinem obiisse. Ita docent Sanchez, Rodriquez, Portel, Villalobos, Sanchius, & alij, *quæst.* 5. pro secunda sententia, citati. *Tum etiam* ratione mihi speciali. Quia certum est, quòd consuetudo, non solùm potest derogare legi, verumetiam consuetudini antiquæ habenti vim legis: ergo consuetudini antiquæ introductæ in Hispania, non comedendi oua, & lacticinia in diebus ieiunij extra Quadragesimam, optimè potuit derogare contraria consuetudo; sicut de facto videmus illi derogasse, per vsus, & continuationem actuum contrariorum. Nam Hispani, ducti authoritate tantorum Doctorum affirmantium; vel non dari in Hispania consuetudinem non comedendi oua, & lacticinia in diebus ieiunij extra Quadragesimam; vel non obligare sub mortali; cœperunt vti in dictis ieiuniis, ouis, & lacticiniis; & sic paulatim introduxerunt consuetudinem, qua abrogata fuit contraria non edendi oua, & lacticinia in præfatis ieiuniis extra Quadragesimam. Et ita, tanquam certum potest hoc iam haberi in Hispania, vt docent Doctores citati, q. 5. pro secunda sententia, quamuis ad id asserendum alio fundamento (suprà à nobis reiecto) ducantur. Ex quo constat, idem, & à fortiori, dicendum esse, loquendo de sextis feriis per annum, quòd scilicet, in illis possint edi in tota Hispania oua, & lacticinia, vt bene Doctores citati; de quo adhuc infrà.

QVÆSTIO VII.

An Regulares teneantur sub mortali abstinere se ab ouis, & lacticiniis, in ieiuniis extra Quadragesimam, si habitent in locis, vbi consuetudo abstinẽdi à prædictis cibis, in dictis diebus, obligat, sub mortali, sæculares?

RESpondeo: Non teneri. Quia Regulares non obligantur consuetudinibus particularibus sæcularium, etiam Clericorum, cùm sint diuersi ordinis, atque status; vt communiter docent Doctores: ergo consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticiniis in ieiuniis extra Quadragesimam in aliqua prouincia, cùm non sit vniuersalis Ecclesiæ, non obligat Regulares, etiamsi respectu sæcularium habeat vim legis obligantis ad mortale. Sic Bossius, *sect.* 4. *de Iubilæo, casu* 18. *num.* 32. Bordonus, *in consil. Regul. Resol.* 18. *num.* 11. Pasqualig. *decis.* 70. *num.* 1. & Sanchez, *lib.* 5. *consil cap.* 1. *dubit.* 21. *num.* 2. Sic concludens: Vnde quòd extra Quadragesimam possint edi oua, & lacticinia in vigiliis, in quatuor temporibus, est certior in Religiosis obseruatione dictam: quia esto esset de hoc consuetudo, non est generalis totius Ecclesiæ, sed particularis, quæ (vt dixi) non obligat Religiosos. Sic ille.

QVÆSTIO VIII.

An ex vi textûs in cap. Denique, *dist* 4. *sint prohibita oua, & lacticinia in diebus Dominicis Quadragesimæ?*

AFfirmant Palatius *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 18. Caietan. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. §. *Et primi, & art.* 8. *in fine.* Angles *qu.* 9. *de ieiunio, art.* 1. *diff.* 7. Corduba, *in sum. q.* 168. quos refert, ac sequitur Henriquez, *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 10. Couarr. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *n.* 11. Thom. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 11. *num* 53. *& lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 19. *n.* 3. Ioann. Sancius, *in selectis, disp.* 51. *num.* 25. Trullench *in Bullam, lib.* 1. §. 4. *dub.* 7. *num.* 1. *& lib.* 3. *in Decalog cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 3. Villalob. *tr.* 23. *diff.* 8. *num.* 1. *& tract.* 27. *claus.* 6. *num.* 11. Rodriguez, *in Bullam*, §. 6. *num.* 8. Et in hanc sententiam inclinat Vega, 1. *part. summ. cap.* 16. *casu* 29. *col.* 118. & pro illa citat Lopezium, 1. *part. instruct, cap.* 112. *de ieiunio.* Tenétque expressè Barbosa, *tom.* 5. in Decretum, in fine, *in Addit. ad dist.* 4. *pag.* 430 & nouissimè Diana *p.* 10. *tract.* 11. *Resol.* 46. *& antea* 3. *part. tract.* 6. *Resol.* 80.

Probat autem Thomas Sanchez hanc sententiam, sic. Quia cap. *Denique*, expressè prohibet esum ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima: at sic est, quòd dies Dominici illius, sunt dies Quadragesimæ, vt constat ex cap. *Quadragesima, de consecr. distinct.* 5. Vbi diebus omnibus Quadragesimæ dicitur ieiunandum, præter dies Dominicos: ergo dies Dominici, sunt dies Quadragesimæ; alias inepta esset exceptio.

Secundò, probant Ioann. Sancius, Trullench, & alij. Quia per cap. *Denique*, prohibentur oua, & lacticinia in Quadragesima, non, quia dies Quadragesimæ, dies ieiunij sint; sed quia sunt dies abstinentiæ à carnibus, vt colligitur ex textu dicti capitis, vbi sic habetur: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ouis*: Sed sic est, quod dies Dominici Quadragesimæ, sunt dies abstinentiæ à carnibus: ergo in illis ex iure, etiam prohibita manent oua, & lacticinia.

Sed ego probabiliùs longè, Respondeo: Non prohiberi ex vi dicti *cap. Denique.* Sic Gomez *in Bullam Cruciatæ, clausula* 7. *num.* 7. *fol. mihi* 70. *col.* 2. Llamas 3. *part. Methodi. cap.* 5. §. 26. *pag.* 530. Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præcepto Eccles. cap.* 2. *num.* 44. *in noua edit.* Pasqualigus *in praxi ieiunij decis.* 72. D. Didacus Narbona *tom. de ætate, anno* 60. §. 3. *num.* 3. *&* 4. Machado *in summ. lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 3. *docum.* 4. *num.* 4. dicens (sed certè, non verè) hanc opinionem esse communiorem.

Probatur *Primò.* Quia in dicto cap. *Denique*, permisit Pontifex vesci carnibus, in diebus Dominicis Quadragesimæ, vt constat ex secunda parte capitis, vbi sic dicitur: *De ipsa verò die Dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit; cùm omnes laici, & sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant: & nisi noua quadam auiditate vsque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis obseruantiam suscipere putant; quòd vtique non rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati adscribendum est: Vnde nec à tali consuetudine auerti possunt; & ideò cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si à tali consuetudine*

probi

prohibeantur. Vt enim ait Salomon, Qui multum emungit, elicit sanguinem. Sic textus: Ergo, si per hunc textum non prohibetur laicis vesci carnibus, in diebus Dominicis Quadragesimæ, (licet aliàs, ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ prohibitæ eis sint) minùs (à fortiori) prohibetur illis, per eundem textum, vesci ouis, & lacticiniis, in dictis diebus.

Secundò. Quia per præfatum cap. *Denique*, solùm prohibentur oua, & lacticinia in diebus ieiuniorum, vt constat ex interrogatione Augustini. Quæsierat enim Augustinus, (*in 3. p. dicti cap.*) vt ait ibidem Glossa. An tempore ieiuniorum sit abstinendum ab ouis, caseo, lacte? & respondet Gregorius Papa, Quod sit. Tunc ego: at sic est, quòd dies Dominici Quadragesimæ, nullo modo sunt dies ieiunij: ergo per cap. *Denique*, non prohibentur in illis, oua, & lacticinia.

Vnde ad *Argumentum primum* primæ sententiæ, dicendum est *primò*, quod cap. *Denique*, solùm prohibet esum ouorum, & lacticiniorum in ieiuniis Quadragesimæ, vt constat ex nuper dictis. Cùm igitur dies Dominici Quadragesimæ, non sint dies ieiunij, non prohibet in illis vesci prædictis cibis. *Secundò*, ad minorem dicendum est, quòd dato, & non concesso, quòd dies Dominicæ Quadragesimales, dicantur dies Quadragesimæ, non ideò est, quia in illis seruanda sit Quadragesimalis abstinentia, vt patet ex dictis; sed quia incidunt inter dies Quadragesimæ, aut Quadragesimalis abstinentiæ.

Ad Secundum negandum est, quòd oua, & lacticinia, non prohibeantur in Quadragesima per cap. *Denique*, ex eo, quòd dies Quadragesimæ, dies ieiunij sint: Imò solùm propter hanc causam prohibentur præceptiuè, per dictum caput (vt constat ex nuper dictis, & ex habitis *quæst. 2.*) non verò ex eo, quòd sint dies abstinentiæ à carnibus. *Deinde*, daro, & non concesso, quòd per cap. *Denique*, prohiberentur oua, & lacticinia in Quadragesima, eo, quòd sint dies abstinentiæ à carnibus; non colligitur inde, quòd dicti cibi sint prohibiti ex vi præceptiua præfati capitis, in diebus Dominicis Quadragesimæ; cùm per ipsum permittantur vesci carnibus, dictis Dominicis diebus, vt ex præhabitis constat. Addo *Tertiò*. Quòd per illa verba textus, nempe; *Par autem est, &c.* non prohibentur oua, & lacticinia, sub præcepto, aut culpa; sed solùm ex æquo, aut congruo, aut de bene esse; nam sub præcepto prohibentur per responsionem affirmatiuam D. Gregorij Papæ datam Augustino *Anglorum Episcopo*, inquirenti ab ipso; An tempore ieiuniorum, sit abstinendum ab ouis, caseo, & lacte: vt constat ex dictis *quæst. 2.* Nulla ergo ex parte, colligi potest, quòd ex vi capitis *Denique*, sint prohibita oua, & lacticinia in diebus Dominicis Quadragesimæ, saltem sub culpa.

QVÆSTIO IX.

An saltem, ex vi alterius iuris, aut Concilij, aut consuetudinis, sint nunc prohibita sub mortali, oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ?

1 Affirmant Palat. Angles, Corduba, Henriquez, Sanchez, & alij citati nuper pro prima sententia. Inter quos Rodriguez, *in Bullam §. 6. num. 8.* Vega *1. p. summ. cap. 14. casu 26.* Lopez *2. p. instruct. c. 222.* Lezana etiam, *ver. Ieiunium, num. 3.* Diana *3. part. tract. 6. Resolut. 80. in fine, & par. 5. tract. 14. Resol. 13.* Leander de Murcia *in explicatione Regulæ S. Francisci cap. 3. quæst. 1. num. 3.* & alij docentes, tam ex vi Concilij: quàm ex vi consuetudinis, esse sub mortali, oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ prohibita. Tenet rursus hanc partem Diana *p. 10. tract. 11. Resol. 46.* notando, quod Sacra Congregatio S. Officij, & Sacr. Congreg. Indicis, mandarunt contrariam sententiam à quodam libro deleri, vt factum fuit.

Probant *Primum.* Quia in sexta Synodo generali *can. 56.* reprobatur vsus comedendi oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ; & sub graui pœna prohibetur, ne id fiat; vt constat ex verbis Concilij relatis *quæst. 1.* ergo, ex vi dicti Canonis, prohibita sunt sub mortali, oua, & lacticinia, in Dominicis Quadragesimæ.

Secundum etiam probant. Quia in vniuersa Ecclesia adest consuetudo, & antiquissima, non edendi oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ, vt constat ex verbis dicti Canonis 56. relatis suprà: at hæc cõsuetudo obligat sub mortali, cùm sit de re graui; & (si credendum est antiquis Doctoribus vtriusque facultatis) introducta cum animo se obligandi: ergo etiam ex vi consuetudinis prohibita sunt sub mortali oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ.

Negat verò è contrà, Pasqualig. *decis. 72. cit. à num. 3.* docens; nec ex vi alicuius iuris, aut Concilij; nec ex vi consuetudinis, prohiberi oua, & lacticinia pro Dominicis Quadragesimæ.

Primum probat, quia re vera, non sunt prohibita per caput *Denique*, vt nuper *quæst. 8.* est habitum; nec per sextam Synodum Generalem; cùm Canon citatus, non sit illius Synodi, vt illa, & alij veriùs existimant; ergo ex vi alicuius iuris, aut Concilij non sunt prohibita oua, & lacticinia sub mortali in Dominicis Quadragesimæ.

Secundum, etiam probat. Quia consuetudo generalis abstinendi ab ouis, & lacticiniis, in Dominicis Quadragesimæ non est introducta animo se obligandi ad mortale; *Tum* etiam, quia id non constat: ergo solùm est introducta ex deuotione, pietate populorum: ergo dicta abstinentia in dictis Dominicis, ab ouis, & lacticiniis, non obligat ad mortale. Ita Pasqualigus, qui, & citat pro se Gomez in Bullam Cruc. *Claus. 7. numer. 7.* Llamas. *3. part. Metho. cap. 5. §. 26. in fine.* & Fagundum *lib. 1. de 4. præc. Ecclesiæ, cap. 2. num. 44. vltima edit. Lugdun. anni 1632.* & Cordubam *in sum. quæst. 168.*

Sed consequenter ad doctrinam à me suprà traditam, Respondeo dicendum. Quòd, licèt olim, aut ex vi sextæ Synodi generalis, (si Canones Trullani, illius Synodi sint) aut saltem ex vi consuetudinis; vt innuit prædictus Canon 56. citatus, prohibita fuerint generaliter, sub mortali, oua & lacticinia in dominicis Quadragesimæ, nunc autem, non sunt ita vniuersaliter prohibita; eo quòd in multis prouinciis, præcipuè Hispaniæ, abrogata sit prædicta lex Concilij, aut consuetudinis, per contrarium vsum, aut consuetudinem introductam per actus vtentium opinione probabili Doctorum, qui dicunt, nec ex vi alicuius iuris, aut consuetudinis, esse prohibitum sub mortali esum ouorũ, & lacticiniorum in Dominicis Quadragesimæ. Vnde, absolutè, & vniuersaliter loquendo, longè verior, & certior est prima sententia: vt constat ex rationibus pro illa adductis; secunda verò, solùm est certa in Prouinciis, aut Regnis, in quibus, aut nulla fuit introducta consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticiniis in Dominicis Quadragesimæ; aut si introducta; abrogata est per consuetudinem contrariam. Et hoc solùm docent Gomez, & Llamas, vt legenti attentè eos constabit. Ideoque non omnino benè pro ipso citat Pasqualigus. Nec Corduba est pro hac sententia. Imo, nec Fagundez, cùm hic solùm loquatur attento iure cõmuni; de quo

casu egimus, quæst. antecedenti; non verò, attenta consuetudine; nam hac attenta, oppositum sensit per hæc verba: Solùm animaduerto ad finem huius capitis, si alicubi consuetudo legitimè approbatā fuerit ouorum, & lacticiniorum esum, esse in diebus Dominicis Quadragesimæ, & in aliis ieiuniis extra illam, illicitum sub mortali, mortiferum peccatum esse illa comedere. Potest enim consuetudo harum rerum esum, tam in Quadragesima, quàm extra illam, facere licitum, & illicitum. Sic ille *num.* 45.

Ad fundameota primæ sententiæ, dicendum est, qoòd tantùm probant primam partem nostrę responsionis, aut conclusionis.

Ad argumentum autem primum secundæ sententiæ, dicendum est, ex dictis: quòd quamuis oua, & lacticinia non sint prohibita pro Dominicis Quadragesimæ, per caput *Denique* sint tamen prohibita vel per sextam Synodum *Canone* 56. cit. vt aliqui docent vel saltem vt ego cum aliis sentio, per cōsuetudinem vniuersalem, totius ferè Ecclesiæ, vt denotat prædictus Canon; quam esse introductam animo se obligandi ad mortale, & nō ex deuotione populorum ex pœna imposita in dicto Canone 56. contra transgressores dictæ consuetudinis; & ex communi assensu fidelium id sentientium, satis apertè colligitur. Ex quo patet ad argumentum secundum. Negandum enim est quòd dicta consuetudo non fuerit introducta animo se obligandi ad mortale, vt colligitur ex dictis. Et confirmatur ex decretis S. Congreg. à Diana adductis. Quæ tamen intelligenda sunt iuxta doctrinam à nobis datam in nostra responsione.

QVÆSTIO X.

An, dato, vel concesso, quòd oua, & lacticinia sint à dicta sexta Synodo vel ab alio iure, aut à consuetudine, prohibita in Dominicis Quadragesimæ, possint Regulares, & Presbyteri sæculares habentes Bullam Cruciatæ, illis vesci, in dictis Dominicis?

NEgant Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *numero* 10. Angles *in florib. quæst.* 9. *de ieiunio, art.* 1. *diff.* 6. Ouandus *in* 4. *disp.* 14. *proposit.* 52. Vega *tom.* 1. *summ. cap.* 14. *casu* 29. Ortiz *in sum. cap.* 19. *mandam.* 2. *num.* 4. (non 8. vt citatum inueni apud Dianam) *fol. mihi* 172. *pag.* 2. Etiam Trullench, *vbi. infrà*, pro hac parte, Ioannem Sanciom *in selectis disp.* 51. *num.* 13. Sed malè; quia non loquitur in casu, quo Regulares, aut Presbyteri habeant Bullam. Tenet tamen illam Leander de Murcia *q.* 10. *in cap.* 3. *Regulæ Franciscanæ.*

Probant *Primò*. Quia ita respondit Summ. Pontifex interrogatus de hoc à Commissario Bullæ Cruciatæ, vt testatur Rodriguez.

Secundò. Quia per Bullam Hispanam, expressè prohibetur, quòd suprà dictæ personæ possint vesci ouis, aut lacticiniis in diebus Quadragesimæ, his verbis: *Que no puedan comer hueuos, y cosas de leche en los dias de la Quaresma:* Sed sic est, quòd dies Dominici Quadragesimæ, verè sunt computandi inter dies Quadragesimæ, aut Quadragesimales: ergo virtute nostræ Hispanæ Bullæ, non possunt dictæ personæ, oua, & lacticinia, in dictis Dominicis, edere.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse. *Primò.* Quia in Bulla Latina, solùm prohibetur Presbyteris, & Regularibus esus ouorum, & lacticiniorum in diebus ieiunij Quadragesimæ: at sic est, quòd dies Dominici, etiam Quadragesimæ, non sunt dies ieiunij, vt constat: ergo licitè poterunt dictæ personæ edere virtute Bullæ oua, & lacticinia in Domioicis Quadragesimæ. Maior probatur. Quia de eodem debet intelligi exceptio, de quo proponitur priuilegium: Sed priuilegium contentum in Bulla latina comedendi oua, & lacticinia, est pro diebus ieiunij, vt patet ex illis verbis: *Temporibus ieiuniorum etiam Quadragesimalibus:* ergo exceptio intelligi debet de diebus ieiunij: sed dies Dominici, non sunt dies ieiunij: ergo.

Secundò. Quia prædicta Bulla concedit Regularibus, & Sacerdotibus sæcularibus edere lacticinia, & oua, in ieiuniis extra Quadragesimam: ergo à fortiori debemus existimare idem concedere pro diebus Dominicis Quadragesimæ. Patet consequentia: quia lex concedens, quod maius est, non negat quod minus est, in eodem genere; aliàs non procederet rationabiliter: Sed Bulla concedit dictis personis, quòd possint edere oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadragesimam, quod maius est: ergo idem implicitè concedit illis pro diebus Dominicis Quadragemæ, quod, cùm non sint dies ieiunij, minus est.

Tertiò. Quia ita fuisse declaratum à quodam commissario, propter verba Bullæ latinæ, refert D. Moya, vt fatetur Henriquez *num.* 10. *cit. in Glossa lib.* 6. Et ideò hanc sententiam tuentur Palat. *in* 4. *distinct.* 15. *disputat.* 8. Corduba *in summ. quæst.* 168. Nuño 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bulla* §. 8. *dub.* 5. Llamas 3. *part. capit.* 3. §. 26. Villalob. *tom.* 1. *summ. tract.* 27. *clausf.* 6. *num.* 11. Fernandez 3. *part. exam. cap.* 9. §. 5. *num.* 5. Diana 1. *part. tractat.* 11. *Resolut.* 5. Ludouic. à Cruce *in Bullam disputat.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 5. & Rodriguez *ibidem* §. 8. *dub.* 1. Quos omnes citat, & sequitur Pasqualig. *decis.* 73. *à num.* 4. Quibus addi possunt Trullench *in Bullam lib.* 1. §. 4. *dub.* 7. *num.* 2. & penes ipsum, Gomez *in Bullam, clausula* 7. *num.* 7. Sic etiam Narbona *tom. de ætate, &c. anno* 60. *qu.* 3. *num.* 4.

Ad primum in contrarium, dicendum est, oon cōstare nobis authenticè, talem declarationem Pontificis; Imo potiùs contrarium nobis constare ex Bulla latina; & ideo illi standum esse, donec aliud per promulgationem iuridicam, & authenticam nobis constet.

Ad secundum dicendum, quòd licèt Commissarius in vertenda Bulla latina ad Hispanum sermonem posuerit, *dies Quadragesimæ*; non ideò prohibitio ouorum, & lacticiniorum, se extendit ad dies Dominicos; quia cùm Commissarius non habeat facultatem mutandi substantiam indulti, seu priuilegij Bullæ, vt patet ex ipsa §. *Cæterùm.* ibi: *Non mutata sententia*; & in Bulla latina, non habeatur *dies Quadragesimæ*; Sed, *in diebus ieiunij Quadragesimæ*, dicendum est, quòd Commissarius per *dies Quadragesimæ*, intelligat dies ieiunij Quadragesimæ, & sic, noo comprehendat dies Dominicos.

QVÆSTIO XI.

An in Feriis sextis, & Sabbatis, ac diebus Rogationum, prohibita sint à iure oua, & lacticinia?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Couarru. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *num.* 15. Riccardus *in* 4. *dist.* 13. *art.* 3. *q.* 5. Tabiena *verb. Ieiunium*, §. 7. Additionator *ad Angelum, verb. Ieiunium.* Firmianus *lib.* 4. *de Episcopo, part.* 2. *casu* 107. *num.* 131. & Mandos. *in Praxi signat. tit. Licentia.* Quia, inquiunt, ex cap. *Denique, dist.* 4. Quando prohibentur carnes, prohibentur etiam ea, quæ ducunt originem ex carnibus, nempe,

nempe, oua, lac, & caseus: Sed sic est, quòd in præfatis diebus, prohibitæ sunt carnes; ergo, & oua, & lacticinia, manent à iure, in eisdem diebus, prohibita.

Negant, per oppositum, (apud eundem Pasqualigum) D. Thom. *in 4. distinct. 15. quæst. 3.* Paludan. *quæst. 4.* Hostiens. *in Rubr. de obseruat. ieiun. num. 5.* Abbas *ibidem.* Armilla *verb. Ieiunium, init. & num. 13.* Abulens. *in cons. cap. de Gula.* Alcoçet *in summ. capit. 24.* Corduba *q. 168. punct. 2. in fine.* Pedraza *præcept. 3. §. 14.* Medina *lib. 1. summ. cap. 14. §. 10.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 9. & in Gloss. lit. T.* & Ludou. à Cruce *disputat. 1. in Bullam cap. 5. dub. 15. num. 2.* Quos citat, & sequitur Pasqualig. *in praxi ieiunij decis. 79.* Quia (inquiunt) nullum, in toto iure, adest præceptum abstinendi ab ouis, & lacticiniis, nam textus in cap. *Denique*, loquitur tantùm de ieiunio Quadragesimalibus: ergo.

Sed antequam meam sententiam proferam; aduerte, quòd ex Authoribus, quos Pasqualigus pro prima opinione adducit, malè adducat Couarruuiam; nam hic Author solùm loquitur de diebus ieiunij, nullo verò modo, de feriis sextis, ac sabbatis, vt constat ex his eiusdem verbis: *Ego verò existimo, oua, caseum, & lac, atque his similia, vetita esse iure in his diebus, quibus ieiunij causâ, caro fuerit prohibita, idque mihi probari videtur ex ea ratione, qua D. Gregorius, apud Gratianum, in dict. cap. Denique. vsus est, & quæ à Synodo sexta traditur in dicto Canon. 56. &c. atque ideo prohibito esu carnium, ieiunij causâ, & oua, & lac, caseusque, & his similia, vetita censentur.* Ita ille. Solùm ergo affirmat, vetita esse oua, & lacticinia, ex iure, in diebus ieiunij: at sic est, quòd, pro nunc saltem, non adest præceptum ieiunandi feriâ sextâ, & sabbato: ergo in illis non sunt vetita ex iure, oua, & lacticinia ex sententia D. Didaci de Couarruuias. Idémque sentit hic Author, loquendo de feriis Rogationum, vt denotant hæc eiusdem verba: *Hoc verò ieiunium* (intellige, *Rogationum*) *moribus sublatum est, quamuis his diebus ab esu carnium abstineamus, saltem feriâ secundâ, & quartâ, iuxta cuiuslibet Prouinciæ consuetudinem.* Sic ille. Ex quo constat, malè citari pro prima opinione. Item malè citat Pasqualigus pro secunda sententia Alcoçer; nam hic Author oppositum docet cum Authoribus primæ sententiæ, vt videre est apud Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dubit. 21. num. 1.* Hoc ergo notato, pro resolutione quæstionis,

Respondeo, *Primò.* Oua, & lacticinia, non sunt prohibita, ex vi præceptiua iuris; in feriis sextis, ac Sabbatis: bene tamen ex congruo, aut ex æquo ex vi rationis datæ in iure, in dicto cap. *Denique*, Prima pars huius Responsionis, constat ex à nobis dictis suprà *qu. 4. v. Respondeo dicendum.*

Secunda verò pars, ex ibidem dictis, probatur. Nam ratio, quam Gratianus, in dicto cap. *Denique* ex D. Gregorio adducit ad probandum, quòd in diebus ieiunij Quadragesimæ, non sunt edenda oua, & lacticinia, comprehendit omnes dies in quibus prohibitæ sunt carnes, Sed sic est, quòd in feriis sextis, ac Sabbatis, prohibitæ sunt carnes, ex iure, vt constat ex cap. *De esu carnium, de cons. distinct. 5.* & ex cap. *Quia dies, ibid. distinct. 5.* ergo ex vi rationis iuris, oua, & lacticinia prohibita sunt in dictis diebus. Minor, in qua potest esse difficultas, manifestè constare videtur ex verbis textus, quæ sic se habent. *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus; à lacte videlicet, caseo, & ouis.* Sic textus. Nunc ergo: Sed sic est, quòd in feriis sextis, & sabbatis, abstinemus à carne animalium, vt est ostensum: ergo, & ab ouis, & lacticiniis spectata ratione iuris, debemus etiam abstinere. Quia tamen, vt *quæst. 2. & 4.* est habitum, hæc ratio non est præceptiua, sed solùm datur ex congruo, non obligat sub culpa. Imò dato, quòd sub aliqua obligaret, iam consuetudine, omninò illa est destructa, vt suprà *quæst. 6.* est habitum. Loquendo autem de diebus Rogationum.

Respondeo *Secundò.* Quamuis olim, ex vi iuris, prohibita essent oua, & lacticinia in diebus Rogationum sub culpa graui: vt constat ex cap. *Rogationes, de consecr. distinct. 3.* vbi indictum erat ieiunium in cibis quadragesimalibus, vt suprà *quæst. 2. ad 4.* est ostensum: nunc autem minimè manent prohibita; quia moribus dicta prohibitio sublata est, sicuti iisdem, sublatum est ieiunium Rogationum. Legatur Couarru. *loc. cit.*

Ex dictis autem facilè constat quid dicendum sit ad fundamenta primæ, & secundæ sententiæ; solùm namque probare possunt doctrinam à nobis traditam.

QVÆSTIO XII.

An ex iure, abstinendum sit nunc à carnibus, in triduo Rogationum?

RESpondeo tanquam certum; Quòd, licèt olim esset abstinendum ex iure, (vt constat ex dictis:) nunc verò, nullo modo. Quia abstinentia à carnibus erat olim præcepta in triduo Rogationum eo quòd dictis diebus erat præceptum ieiunium: ergo, abrogato præcepto de ieiunio, cessauit obligatio abstinendi à carnibus: ergo ex iure, nunc, nullo modo remanet talis obligatio, etiam apud eos, apud quos remansit, in dictis diebus, abstinentia à carnibus; quia hæc ex consuetudine censenda est remansisse vt denotat Conarr. *loc. cit. n. 16.* & clarè docet Pasqualig. *decis. 79. cit. num. 7.*

QVÆSTIO XIII.

An saltem, abstinentia à carnibus, in dicto triduo Rogationum, quæ introducta est ex consuetudine; obliget, vbi viget, ad mortale?

NEgat Pasqualig. *loc. cit.* eo quòd, non constet quòd post abrogatum præceptum de ieiunio in dictis feriis, sit inducta animo se obligandi; nec etiam constet de vi obligatiua ipsius: ergo accipienda est, tanquam non obligans.

Sed probabiliùs Respondeo: Obligare ad mortale, vbi abstinentia viget. Quia probabilius est, inductam esse animo se obligandi, vt colligitur ex communi hominum æstimatione. Quod sufficit, vt dicamus, constare de vi obligatiua illius: iuxta dicta suprà *quæst. 3.* Legatur Barbosa in expositione dicti capitis *Rogationes, de consecrat. distinct. 3.* vbi *num. 1.* Sic ait: In Lusitania verò huiusmodi triduanum ieiunium non in desuetudinem abiit, sed pro quodam religionis studio colitur, obseruatur, maximè in peruigilio Ascensionis Dominicæ, & in aliis duobus diebus, à carnibus abstinetur, quod de aliquibus Prouinciis Hispaniæ, Galliæ & Germaniæ attestatur Azor *instit. moral. part. 1. lib. 7. c. 15. quæst. 4.*

QVÆSTIO XIV.

An qui in ieiunijs Quadragesimæ edit oua, vel lacticinia, absque dispensatione, aut Bulla satisfaciat præcepto ieiunandi?

NEgandum videtur ex definitione ieiunij data à Goffr. (quem alij Summistæ, & Canonici iuris interpretes, vt ait Azor, sequuntur) sub hac forma: *Ieiunium est prandij, & post cœnam cuiuslibet cibi subtractio, vsque ad diem sequentem; & abstinentia à carnibus, & ab iis, quæ à carnibus originem trahunt, vt lacte, caseo, & ouis.* Sic Goffr. definiuit ieiunium Quadragesimæ solùm, vt explicat Azor *part.1.lib.7.cap.8. quæst.* 1. tunc sic: At sic, est, quòd, qui in ieiunus edit carnes, non satisfacit præcepto ieiunij, eo, quòd abstinentia à carnibus, sit de eius essentia: ergo nec satisfaciet dicto præcepto, qui in diebus ieiunij, saltem Quadragesimæ, edit oua, & lacticinia, absque Bulla, aut dispensatione; patet consequentia, quia eodem modo ingreditur essentiam ieiunij (Quadragesimæ, saltem) abstinentia ouorum, & lacticiniorum, ac ingreditur abstinentia carnium, vt constat ex definitione ieiunij assignata.

Secundò probatur hæc pars. Nam ieiunium quadragesimale, eodem modo exigit abstinentiam ab ouis, & lacticiniis, sicut exigit abstinentiam à carnibus: vt colligitur ex cap. *Denique*, & ex dictis, *sup. quæst.* 2. Sed qui manducat carnem, non adimplet præceptum ieiunij: ergo, nec qui manducat lacticinia, aut oua. Propter hæc, hanc partem, loquendo de ieiuniis Quadragesimæ, sustinent (apud Sanchez) Angelus *verb. Ieiunium, initio.* Syluest. *quæst.* 3. Tabiena *quæst.*1. Armilla *num.*1. Ledesma 2. *p.4. dist.*17. *art.*1. Et etiam innuunt, penes ipsum, Henriquez *lib.7. cap.*10.*num.*4.*&* *c.*13. *num.* 13. & Rodriguez *tom.*1. *summ. in* 2.*edit. c.*184.*n.*10.necnon (apud Pasqualig. *decis.*78.) Azor, Corduba, Medina, Filliuc. & alij, & quidem satis probabiliter.

Sed adhuc probabiliùs Respondeo: Satisfacere quidem præcepto ieiunandi; licèt aliàs, edendo oua, & lacticinia, absque Bulla, aut dispensatione, vbi non adest introducta consuetudo, peccet mortaliter, contra aliud præceptum prohibens dictum cibum in Quadragesima.

Probatur *Primò.* Quia ieiunium Quadragesimæ, non est diuersum essentialiter, ab aliis ieiuniis extra Quadragesimam: Sed hæc, non exigunt essentialiter abstinentiam ab ouis, & lacticiniis; vt constat ex suprà dictis, *quæst.*4. ergo neque ieiunium Quadragesimæ: ergo satisfaciet præcepto formali ieiunandi, etiam in Quadragesima, qui in ieiuniis illius, ouis, lacticiniis, absque priuilegio, aut dispensatione, vescitur.

Secundò. Quia, si ita essentialis esset ieiunio Quadragesimæ abstinentia ab ouis, & lacticiniis, sicut est abstinentia à carnibus, sequeretur primò, quòd sicut, dispensatus ad carnes, non tenetur ad ieiunium, vt infrà dicemus; ita, nec dispensatus ad oua, & lacticinia, ad illud teneretur; quod est falsissimum; cùm in omnium opinione, habentes Bullam Cruciatæ teneantur ad ieiunia, etiamsi, ratione dicti priuilegij, vesci possint, imo, & vescantur ouis, & lacticiniis. Deinde etiam sequeretur, quòd, nec ad dictum ieiunium Quadragesimale teneretur ille, qui commoratur in terris, vbi adest consuetudo vescendi ouis, & lacticiniis in Quadragesima; nec ille, qui ratione necessitatis, & penuriæ alterius cibi, ouis, & lacticiniis in Quadragesima vteretur: Sed hoc est falsum, & à nemine concessum; ergo, & illud ex quo sequitur. Sequelæ, ex dictis manifestè constant. Ideo, sic sentiunt Sanchez *lib.* 5. *summ. cap.* 11. à *n.*50. *vsque ad* 53. Portel *in dub. regul. verb. Ieiunium, in Addit. num.* 8. Pasqualig. *decis.*81. *num.* 1. *&* 2. *decis.*78. à *num.*3. & penes illum, vltra citatos, Ludou. à Cruce *disput.*1. *in Bullam Cruciatæ, cap.* 5. *dub.*14. Paludan. *in* 4. *distinct.* 15. *q.*4. *art.* 4. & Antonin. 1. *part. tit.*6. *cap.*2.§.3.

Ad fundamenta in oppositum Respondeo. *Ad Primum*, dicendum est, quod nullo modo sit de essentia ieiunij etiam quadragesimalis, abstinentia ab ouis, & lacticiniis, vt constat ex dictis. Vnde resecanda sunt à definitione essentiali ieiunij, illa verba: *& ab his, quæ à carnibus originem trahunt, &c.* Quia nullo modo ad illam pertinent. Nam ieiunium, secundum essentiam, & substantiam, atque mensuram, quam habet ex institutione Ecclesiæ, non requirit abstinentiam ab ouis, & lacticiniis, etiam pro illis diebus, in quibus, oua, & lacticinia aliàs prohibentur; vt patet in Quadragesima pro qua solùm sunt vetita lacticinia de iure (modo supra explicato) non per præceptum ieiunandi; per aliud præceptum distinctum. Quod vlterius constat; nam adolescentuli, vsque ad annum vigesimum primum, non tenentur præcepto ieiunij, & tamen tenentur præcepto abstinentiæ ab ouis, & lacticiniis, quod certè non contingeret, si non essent diuersa præcepta.

Ad Secundum. Negandum est, quòd eodem modo exigat ieiunium quadragesimale abstinentiam ab ouis, & lacticiniis, sicut exigit abstinentiam à carnibus; nam hanc exigit ieiunium, secundùm substantiam, & essentiam, quam habet ex institutione Ecclesiæ; illam verò, ex accidenti adiuncto ex alio præcepto. Nam præceptum de abstinentia à lacticiniis, & ouis pro diebus Quadragesimæ siue de nouo impositum, siue per extensionem præcepti de abstinentia à carnibus, habetur de iure, ex cap. *Denique, dist.*4. *& ex Can.*56. Sextæ Synodi, iuxta à nobis dicta *sup. q.* 2. præceptum verò de ieiunio, alibi in iure traditur vt infrà.

QVÆSTIO XV.

An pauperes ostiatim mendicantes, possint, in ieiuniis Quadragesimæ, edere oua, & lacticinia quæ supersunt iis, qui dant eleemosynam, vbi adest Bulla Cruciatæ, qua dicti pauperes carent?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia prædicti pauperes non habent, vnde aliàs sustententur, nisi ex iis, quæ ipsis pro eleemosyna dantur: ergo quæcumque illa sint, possunt, ratione necessitatis, ea edere. Sic Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. per hæc verba: Ostiatim mendicantibus si donentur frusta ouorum, aliis consueta, aut lacticinia, non sunt grauandi, vt solo pane vtantur, aut commutent pro aliis cibis: habet enim paupertas multa priuilegia; & vnum ouum, aut parum orizæ cum lacte, vel frustum casei, est in his parua materia. Sic ille ibi. Et in Glossa *lit. Z.* hæc ait: Fratr. Medina consultus, & Patres Dominiani Salmant. & alibi, habent in more, vt pauperibus ad ianuam tribuant reliquias ouorum. Ita Henriquez. Et ex illo, Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.* 19. *num.*5. Rodriguez *tom.*1. *summa, cap.* 23. *in fine.* & Pasqualigus, *decis.* 82. Qui tamen malè citat pro hac parte Ægidium Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 6. cum hic Author, ibi nullatenus de hac nostra quæstione agat; bene tamen, *dub.*7.*n.*6. vbi, vt probabile hoc admittit cum Fagundez *de* 4. *præc. Eccles. lib.*1.*cap.*8.*n.*12. Sed certè Fagundez nec in prima editione, nec in 2. id docet.

Solùm

Solùm enim ait: illos excusari à ieiunio, qui alium cibum non habent, nisi cibum in diebus ieiunij vetitum. Sed quid inde ad propositum?

Quæstio XVI.

An agricolæ, & alij pauperes existentes vbi non sunt pisces, possint edere oua, & lacticinia, in ieiuniis, in quibus prohibentur?

AFfirmat Pasqualigus, *decis.* 80. Qui, & citat pro hac parte, Thom. Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 19. num. 4.* asserentem Henriquez, *lib. 7. cap. 13. num. 9.* & Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. n. 6.* Probat suam sententiam Pasqualigus ex intentione Ecclesiæ, quæ non intendit ieiunium tam rigorosum, quale esset cum abstinentia à piscibus; sed cùm prohibeat carnes, oua, & lacticinia, relinquit pisces in subleuamentum naturæ: vnde cùm ipsi desunt, adest sufficiens motiuum interpretandi eius voluntatem, quòd concedat oua, & lacticinia. Quod etiam (inquit) ex eo colligitur; quia approbat consuetudinem illorum locorum, in quibus ob penuriam piscium, in Quadragesima adhibentur oua, & lacticinia. Ita ille.

Sed ea prædictis Authoribus, non ita bene citatur, pro hac parte, Henriquez, à Thoma Sanchez, & ab aliis. Quia Henriquez, solùm ait, attendendam esse consuetudinem, in prædicto casu; sic namque loquitur ille. In oppidis pauperum rusticorum, vbi vix habere possunt pisces, cùm facilè domi habeant oua, & lac, expendenda est consuetudo. Sic ille. Verum tamen est, quod in Glossa, *lit. T.* adducit Peñam dicentem, licere prædictis in tali casu vti ouis, & lacticinus; ipse verò, transit. Et licet probabilis videatur aliquibus hæc sententia, nihilominus tamen, ego esse talem absolutè sumptam, dicere non audeo. Vnde,

Vt certum mihi, Respondeo Primò. Non licet absolutè loquendo, agricolis, & aliis pauperibus, in Quadragesimæ ieiuniis, vti ouis, & lacticiniis, ea solùm de causa, aut ratione, quia videlicet, existunt in oppidis, vbi non sunt pisces, siue recentes, siue sale conditi. Ratio est; Quia etiamsi dictæ personæ piscibus careant, possunt ex aliis cibis habere sufficiens alimentum ad suam sustentationem, absque eo, quod ad hanc, necessarium sit illis vti ouis, & lacticiniis: ergo in tali casu, non poterunt dicti pauperes, his cibis vetitis vti, quantumuis pisces non habeant. Consequentia est manifesta. Antecedens vero, etiam patet; quia alimentum sufficiens pauperum rusticorum habitantium in montanis, aut in oppidis, seu terris, à mari longè, ex pane, & herbis, leguminibus, & fructibus, conficitur, vt experientia constat: ergo.

Respondeo tamen *secundò*. Pauperibus, aut agricolis, qui, ex vna parte, non habent pisces, nec ex alia, possunt ex aliis cibis conficere prandium sufficiens ad suam commodam sustentationem, licitum erit in diebus vetitis, vti ouis, & lacticiniis, vt ita aut adimplere præceptum ieiunij, ad quod tunc tenentur, valeant; aut, vt suum laboriosum officium aptè præstet. In quo casu tenet verum sententia Pasqualigi, & docet expressè Sanchez *loc. cit.* per hæc verba. Non tamen, quòd ratione paupertatis poterunt agricolæ, & alij pauperes, edere lacticinia, diebus prohibitis, si non possunt commodè habere aliud, quod comedant, & oua, vel lacticinia habeant domi; vel possint hæc facilè inuenire, non autem pisces. Sic Henriquez, & alij docti Iuniores. Et licèt securius sit hoc facere cum dispensatione; at vbi necessitas est clara,

non est necessaria. Sic iidem. Eâdem causâ, & necessitate existente, possunt præbere oua, & lacticinia suis domesticis, diebus vetitis, & suis operariis, messoribus, & putatoribus, & illi possunt licitè ea comedere, licèt careant Bulla, eadem ratione. Sic, latè re agitata, resolutum fuit à multis viris doctis, ex Societate. Huc vsque Sanchez. Quem citat etiam, ac sequitur, Machado, *tom. 2. summ. lib. 6. part. 8. tract. 9. docum. 2. num. 3.*

Ad fundamentum autem Pasqualigi, in quantum primæ nostræ responsioni contrariatur, dicendum est, nullo modo constare, imò, nec adhuc colligere prudenter posse, quòd intentio Ecclesiæ sit, nullo modo obligare ad ieiunium, cum abstinentia ouorum, & lacticiniorum, eos, qui pisces non habent, Nam verè eos obligat, & obligare intendit; casu, quo ex aliis cibis non vetitis, sufficiens alimentum pro vno prandio habeant; quod respectu aliquarum personarum, posse contingere, eo quòd visuale alimentum ex pane, herbis, leguminibus, & fructibus, conficiant, experientia est manifestum.

Quæstio XVII.

An iter agentes possint in diebus prohibitis, edere oua, & lacticinia, si non habeant pisces?

AFfirmant Sanchez, *dub. 19. cit. num. 6.* (aliàs 7.) Ita dicens: Tertiò nota, idem dicendum esse de iter agentibus, licet diuites sint, possunt enim sine Bulla lacticinia edere, quando non inueniunt in itinere pisces, quos emant. Vnde omnes hi admonendi sunt à Confessario, ne peccent ex conscientia erronea. Patet eadem ratione, Ita Sanchez. Quem citat, ac sequitur Pasqualigus, *decis.* 84. Quia (inquit) non debet censeri, Ecclesiam prohibere lacticinia ieiuniis, casu, quo non adsint pisces.

Sed ego non ita absolute affirmandum censeo, sed cum distinctione. Et ita Respondeo *Primò*. Si iter agentes, non sint, ratione itineris, exempti à ieiunio (iuxta dicenda infrà, *disp.* 8. à *q.* 93.) & aliàs non inueniant alios cibos, ex quibus sibi sufficiens alimentum prandio parent; tunc, vt possint obseruare præceptum ieiunij, licitè possunt, imo, & tenentur, vti cibis vetitis, nempe ouis, & lacticiniis. Quia arctius ligat præceptum ieiunandi, quàm præceptum non vescendi in ieiuniis Quadragesimæ (aut aliis, secundum consuetudinem aliquarum Prouinciarum) ouis, & lacticiniis. Sic (à fortiori) Sanch. 2. & Pasqualigus docent, *locis citatis*, & Leander de Murcia, *in cap. 3. Regulæ S. Francisci, q. 11. num. 4.* per hæc verba: [Sea la conclusion: Quando los Religiosos no tienen comida sufficiente para ayunar, si no es comiendo hueuos, y lacticinios, aunque tengan legumbres, y frutas con pan, pueden comer los dichos lacticinios y hueuos. Esta conclusion tienen a fortiori, Nauarro, Thomas Sanchez, Angles, y otros doctos Modernos, a quien seguimos, y citamos en el capitulo segundo, sobre este tercero de la Regla, en el num. 37. y 38. que afirman que no les obliga el ayuno, y se prueua, porque en tal caso, como prouamos en el dicho lugar, los tales no estan obligados al ayuno, al que es licito lo mas, le es licito lo menos en el mismo genero, cap. *Cui licet, de regul. iur. Cui licet quod est plus licet vtique, quod est minus*: Luego si a los tales les es licito no ayunar, en tal caso, à fortiori, podran comer lacticinios y hueuo ayunando, y teniendolos, no podran dexar de ayunar; por quanto con ellos tienen ya sufficiente comida para ellos.] Huc vsque Leander.

Respondeo tamen. *Secundò*. Si iter agentes, ob defatigationem itineris, sint à præcepto ieiunij liberi; tunc, non ex eo præcisè, quòd non inueniant pisces, quos emant, possunt vti ouis, & lacticinijs; cùm possint aliàs ex herbis, leguminibus, & fructibus, sufficiens alimentum pro sustentanda natura, sibi parare; siquidem, non semel vt in die ieiunij, sed iterum, atque iterum, possint edere quidquid ex dictis, libuerit. Limitarem tamen hanc responsionem, iuxtà suprà, *disputat. 2. qu. 19.* dicta, nisi aliàs, iter agens esset Princeps, aut alia persona grauis, assueta vti cibis delicatis; Quia tunc licitè posset huiusmodi persona, si non inueniret pisces, vti ouis, & lacticinijs, eo quòd respectu illius; aliud alimentum non sufficeret.

Ad rationem autem Pasqualigi, latam pro sua sententia, dicendum est, absolute sumptam, esse falsam; vt ex dictis constat: veram tamen, cum limitatione; nempe, casu, quo iter agentes, qui ad ieiunium obligantur, non inueniant pisces, nec alios cibos, ex quibus sufficientes prandium sibi parare possint; tunc namque, vt ieiunij præceptum adimplere valeant, licite poterunt vti lacticinijs, & ouis; quia in hoc euentu, non debet censeri Ecclesiam prohibere lacticinia; aliàs verò maximè.

Qvæstio XVIII.

An in diebus; in quibus prohibentur oua, licitum sit, comedere panem biscoctum in quacumque magna quantitate, seclusa etiam consuetudine?

Affirmant nonnulli, quos, tacitis nominibus, referunt Rodriguez, & Ioan. de Cruce. vbi infrà, & affirmant nouissimè Pasqualig. *decis. 85. num. 3.* per hæc verba; Existimo igitur siue adsit consuetudo, siue non, licitum esse vti in his ieiunijs huiusmodi pane biscocto. Quia enim quantitas oui, quæ admiscetur, est valde parua, ita absorbetur à quantitate panis, vt nullum vestigium ipsius appareat, sicut apparet in iure substantia carnis, & in alijs pulmentis, & edulijs substantia carnis, aut ouorum admixta; vnde huiusmodi panis se habet, ac si non esset admixta substantia oui: quia moraliter, nec censetur ex ipsa constare, cum non ingrediatur, vt pars constitutiua ipsius, sicut ingreditur in panem gulgo, *Pasta reale*, sed ad aliqualiter attemperandam materiam, ex qua fit. Ex quo sequitur, quòd liceat iis vti in quacumque quantitate, quantumuis magna; quia licèt tunc quantitas ouorum notabilis esset seorsum sumpta, immixta tamen huiusmodi pani semper est exigua, & ita absorpta in substantia panis, vt nunquam censeatur quis vesci ouis, quia nunquam adhibetur cibus prohibitus; prohibentur enim oua, prout sunt moraliter oua, & cibi, qui constant ex ipsis, vt ex parte componente; non autem id, quod non est moraliter ouum, nec constat ex ouo, vt ex parte constitutiua. Et valet, quòd id, quod non est prohibitum in parua quantitate, nec etiam est prohibitum in magna quantitate, quia non prohibetur ratione quantitatis, sed ratione qualitatis, quæ est eadem, tam in magna, quá in parua quantitate. Huc vsque Pasqualigus. Qui certè poterat pro se citare Bossium, vbi infrà, dicentem, hanc sententiam, non esse improbabilem.

Sed tanquam mihi certissimum, Respondeo: Nullo modo esse licitum, seclusa consuetudine, comedere panem biscoctum præcipuè in magna quantitate, in diebus in quibus prohibentur oua. Patet. *Primò*. Quia quando prohibentur oua, prohibentur absolutè, & absque vlla distinctione, aut limitatione: ergo, siue admisceantur pani, aut aliis cibis, siue non, semper remanent cibus prohibitus: patet consequentia, quia ex admixtione cum substantia panis, aut, vt meliùs dicam, farinæ tritici, nullo modo deperditur substantia ouorum, aliàs in vanum adhiberentur.

Secundò. Quia oua ingrediuntur ad efficiendum panem biscoctum, vt pars constitutiua illius: ergo panis biscoctus, qui constat ex ouis, tanquam ex parte componente, & constitutiua, omnino remanebit cibus prohibitus. Consequentia est manifesta, & vt talis admissa à Pasqualigo, per verba illius relata: Antecedens verò, quod negat ipse, probatur clarè, primò, quia panis biscoctus conficitur ex farina, & ouis; ergo ex iis duobus, tanquam ex partibus, seu compartibus, confectus constat. Secundò, quia biscoctus, nullo modo est panis vsualis; aliàs validè posset consecrari, quod nemo admittet: ergo ideo est, quia in ipso pane biscocto remanet ouorum substantia: ergo, &c.

Tertiò. Quia ideò, nec panis confectus, ex farina tritici, & ex lacte, butyro, aut oleo (in opinione omnium) nec panis confectus ex farina triticea, & ex aqua rosacea (in opinione communi) est materia consecrationis, vt diximus, *part. 2. de Sacram. tract. 7. disputat. 8. q. 13. & 15.* quia videlicet, hæc ingredientia extrahunt panem, à conditione panis vsualis (qui solus est materia consecrationis, vt loco citato diximus) quod facere, non valerent; nisi ad confectionem talis panis, tanquam compartes intrarent: ergo similiter debemus dicere, quòd ad confectionem panis biscocti, tanquam partes componentes ingrediuntur oua, ratione quorum, dictus panis manebit prohibitus, quando oua sunt prohibita.

Quartò. Quia ex sententia Pasqualigi, clarè sequitur, quòd, in diebus, in quibus prohibentur carnes, oua, & lacticinia, posset quis edere panem confectum ex lacte, & ouis, hoc est placentas, vulgò, *Buñuelos hechos con leche y hueuos, orejas, &c.* in quacumque magna quantitate. Et rursus posset quis edere cibum illum, quem Hispanè vocamus, *Manjar blanco*, confectum ex farina, & carne, seu alis gallinarum, aut pullorum, quod nullus audebit asserere. Patet, quia ratio adducta à Pasqualigo, pro sua sententia si valet, valet certè ad has sequelas probandas, vt constat: at sic est, quòd consequens est absurdum: ergo, & absurda sententia Pasqualigi, ex qua sequitur. Vnde,

Ad fundamenta adducta, pro probatione suæ sententiæ, dicendum est ex dictis; in primis falsum esse, quòd in pane biscocto, nullum vestigium ouorum remaneat, aut appareat; remanet namque vt pars constitutiua talis panis; & apparet, non solùm gustui, vt experimur, verùm & visui, vt omnes, qui vident, vident. Ex quo clarè sequitur oppositum, quod intendit Pasqualigus, nempe, quòd non solùm in magna quantitate, vt ille volebat, verùm nec in parua, liceat vti pane biscocto, in diebus, quibus prohibita sunt oua, nisi aliàs alicubi consuetudo vigeat, vt loquendo de collatione serotina dicemus, disp. sequenti, *q. 47. & 48.*

Deinde falsum est, quòd prędictus Author adiecit, videlicet quòd, licèt quantitas ouorum sit notabilis seorsim sumpta; tamen immixta pani, ita exigua, & absorpta in illo reddatur; vt nunquam censeatur quis vesci ouis. Hoc enim, falsissimum esse, ipsa etiam experientia testatur: cùm ex maiori quantitate ouorum, manente eadem quantitate farinæ, maior in quantitate panis biscoctus fiat, quod non contingeret, si quãtitas ouorum absorberetur in substantia panis.

Tandem

Tandem etiam est falsissimum, quòd non prohibeantur oua, nisi prout sunt moraliter oua, hoc est, non mixta, & imbita in substantia pania, aut aliorum ciborum. *Tum*, quia oua prohibentur absolutè, & simpliciter, & sine limitatione. *Tum* etiam, quia oua mixta cum substantia panis, sunt, & remanent in illo, moraliter oua, non integra, sicuti erant, antequam contererentur, & ex ipsis fieret, quasi vna massa, & miscerétur cum farina, sed quasi abscondita propter admixtionem cum substantia panis. Vndè hanc nostram sententiam omnes huc vsque docuere Doctores, præcipuè Ioann. à Cruce, 1. *part. director. conscient. pracept.3. art.4. dub.8. concl.4.* Vega, *tom.1. summ. cap.14. casu* 9. Rodriguez, 1. *part. summ. cap.23. ante* 1. *conclus.* Ledesma, *tom.2. summ. tract.27. cap.2. diff.5. post* 3. *conclus. vers. A esta dificultad.* Villalob. *tom.1. summ. tract.23. diff.7. num.3.* Diana, 1. *part. tract.9. resolut.31.* Bossius, *sect.4. de Iubilao, casu* 18. *num.138.* (licèt loquendo de pane biscocto, qui fit in Tuscia oppositum sentiat) ibidem, & anteà, *num.135.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.3. num.8.* & alij. Qui omnes, vel contrarium nostræ sententiæ absolutè negant, vel solùm concedunt, licitum esse vti aliquo panis biscocti in parua quantitate, vulgò, *vn Bizcocho*, eo quòd id fit in vsu, de quo dicemus disput. sequenti. Sic nouissimè rursus, me ad longum citato, tenet Diana *part.10. tractat.16. Resolut.17. vers. Nota verò.*

DISPVTATIO IV.

De vnico in die ieiunij Prandio: nec non de Collatione serotina.

QVÆSTIO I.

An vnicum prandium, seu vnica comestio, sit de essentia Ieiunij?

RESPONDEO, vt quid certum: Affirmatinè. Quia sic ex communi praxi fidelium, docent omnes Doctores, tam Canonistæ, quàm Theologi. Abbas *in rubrica de obseruatio. ieiunij.* Præpositus, *in cap. Denique, distinct.2. num.21.* Nauarr. *in summ. cap.21. num.13.* Couarruu. *lib.4. variar. cap.20. num.11.* Cenedo, *in quæst. Canon. qu.41.* (non 1. vt inuenies citatum apud Pasqualigum, infià) *initio.* D. Anton. 2. *part. tit.6. cap.2.* §.9. Angelus, *verb. Ieiunium, num.3.* Syluest. *eodem verbo. quæst.3.* & Tabiena, *num.3.* Armilla, *num.1.* Angles, *in florib. tractat. de Ieiun. qu.9. artic.2.* Bellarmin. *Controuers.3. lib.2. cap.2.* D. Thom. 2. 2. *quæst.147. art.6.* & ibi Caietan. *& in summa, verb. Ieiunium, vers. vnica comestio.* Gabriel, *in 4. distinct.16. qu.3. art.5.* Lopez, *parte 2. instruct. cap.112. versu Quæritur sexto.* Azor *part.1. lib.7. cap.9. quæst.1.* Medina, *C. de Ieiunio, quæst.1. litt. D.* Fagundez, *de quarto præcepto Eccles. lib.1. cap.4. num.1.* Rodriguez, *tom.1. summ. cap.23. initio.* Villalob. *part.1. tract.23. diff.1.* Ioann. de Cruce, *part.1. summ. præcept.3. art.4. dub.8. num.1.* Reginald. *lib.4. num.154.* Sà, *verb. Ieiunium, num.8.* Bonacin. *de primo Eccles. præcept. quæst.1. punct.3. num.1.* Moure, *in summ. part.2. cap.8. §.2. n.2.* Petrus de Ledesma, 2. *part. summ. tract.27. c.2.* Zacharias Pasqualigua, *tract. de Ieiunio, de is.86.* Diana, 1. *part. tract.9. resol.1.* Layman, *lib.4. tract.8. cap.1. num.5.* Molfesius, *tractat. 10. cap.3. num. 25. & 37.* Ludouicus Beia *in respons. casuum consc. casu 3.* Filliuc. *tract.27. part.2. cap.3.* Llamas, *3. p. Method. cap.5. §.22.* Viuald. *in candelab. aur. 3. part. cap.15. num. mihi* 39. & omnes.

QVÆSTIO II.

An Iure Canonico sit cautum, vt vnicum tantùm Prandium, Comestio, seu Refectio, in diebus Ieiunij fiat?

AFfirmant (apud Couarruu. *loc. cit.*) Abbas, *in rubric. de obseruatione ieiunij.* Caietan. 2. 2. *quæst.147. art.6.* existimantes, id esse præceptum, in cap. *Quadragesima, de consecrat. dist.5.* Hos Authores sequitur Molfesius, *in summ. tractat. 10. cap.3. num.37.* dicens, id cautum esse, in cap. *Denique, dist.4.*

Sed probabiliùs, Respondeo: Non esse expresè iure cautum; sed solùm vniuersalis Ecclesiæ consuetudine introductum, vt in diebus Ieiunij vnicum solùm prandium fiat. *Primum* probatur, quia nullus textus afferri potest, in quo expresè vnicum solùm præcipiatur prandium. Nam caput. *Quadragesima* citatum, id expresè non iubet, vt bene probat Couarruu. *loc. cit.* (licèt negari non possit, multùm iuuare, vt fatetur Fagundez.) Nec minùs id præcipit caput *Denique*, vt vult Molfesius; imò, nec iuuat, quia nihil de hac agit materia. *Secundum* verò constat; quia non restat à quo alio capite proueniri possit; nisi à consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis obtinet: ergo. Sic docent communiter Doctores, Azor, Medina, Syluest. Bonac. Fagundez, Couarr. Pasqualigus. Et alij, *locis citatis.*

QVÆSTIO III.

An in diebus ieiunij, licitum sit, serotinam collationem, seu refectiunculam sumere?

NEgandum videtur. Quia extat præceptum de vnica refectione, in die ieiunij, sumenda, vt constat ex nuper dictis: ergo contra illud faciet, qui serotinam collationem, seu secundam refectionem, sumit. Ita videntur sentire Goff. & nonnulli alij Theologi, *in 4.* vt refert Angel. *verb. Ieiunium, num.3.* casu, quo refectiuncula sumatur per modum cibi.

Sed certissimè Respondeo: Licitum esse. *Tum*; quia præceptum prædictum, solùm vetat secundam refectionem, prandium, seu cœnam; non refectiunculam, cœnulam, aut collationem. *Tum* etiam, quia huiusmodi refectiuncula, seu collatio serotina, consuetudine est comprobata, tolerata, & admissa ab omnibus Prælatis Ecclesiæ: ergo. Sic tenent omnes Doctores, Abbas, Præposit. Nauarr. D. Anton. Caietan. Medina, Angles, Couarruu. *loc. cit.* Syluest. *num.10.* Rosella *num.13.* Armilla, *num.1.* Azor, *cap.8. quæst.4.* Lessius, *lib.4. de inst. & iure, cap.2. dub.2. num.11.* Fagundez, *loc. citat. num.12.* & alij quamplures penes illos. Legatur Antonius de Leone, *Quæst. de chocolate, part.2. fundam.5. §.1. fol.80.*

QVÆSTIO IV.

An collatio serotina, fuerit introducta ratione medicinæ: an verò, ratione nutrimenti?

AFfirmant, Introductam fuisse ratione nutrimenti, aut sustentationis naturæ (apud Pasqualigum, *infrà*) Abulens. *in cap.6. Matthæi q.* 170. Syluest. *verb. Ieiunium, num.* 10. Armilla, *num.* 1. Rosella, *num.* 13. Medina, *C. de Ieiunio, q.* 8. Lessius, *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Tolet. *lib.* 6. *summ. cap.* 2. *n.* 5. Filliuc. *part.* 2. *tract.* 27. *cap.* 2. *num.* 25. Medina, *in summ. c.* 14. §. 10. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 1. Hieronym. Perez, 5. *part. summ. Theolog. prac.* 3. §. *de Ieiunio.* Bassæus *in floribus Theolog. pract. verb. Ieiunium* 1. *n.* 9. Fagundez, *lib.* 1. *præcept.* 4. *Eccles. cap.* 4. *num.* 12. Fernandez, *part.* 2. *Exam. Theolog. moral. cap.* 7. §. 2. *numer.* 9. Ghetius, *in Thesauro animæ, verb. Ieiunium, cap.* 1. *num.* 4. Bizozet, *in summ. part.* 4. *de* 3. *præcept. cap. vltimo, memb.* 2. *num.* 3. Lublinus, *part.* 1. *summ. verb. Ieiunium, num.* 3. quos omnes sic refert, pro hac sententia, Pasqualigus, *tract. de Ieiunio, decis.* 87. *num.* 3.

Sed ex his Authoribus, oppositum videntur docere imprimis, Armilla, *loc. cit.* Vbi sic ait: Sumere autem aliquid in sero val vltra prandium, ad sustentationem naturæ est bis comedere, & consequenter frangere ieiunium secundum Thomam, *suprà.* Sic ille. Et Toletus etiam *loc.* à Pasqualigo *citato*, per hæc verba: Non tamen propter hanc vnitatem prandij, intendimus auferre, quas nostri vocant *collationes*, circa noctem: licèt enim olim tantùm per modum medicinæ sumerentur, quia prandium propè noctem fiebat; tamen iam consuetudo probata obtinuit vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur. Sic Toletus. Vbi clarè docet, collationem introductam fuisse ratione medicinæ. Idem docet Fernandez (seu Moure) *loc.* à Pasqualigo *cit.* hæc dicens verba: Quanquam olim sumerentur (*intellige collationes*) tantùm per modum medicinæ ad captandum somnum; iam tamen consuetudo obtinuit vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur. Nec Nauarr. *loc. cit.* hanc sententiam docet; solùm enim ait; nunc de facto non frangere ieiunium, qui collationem ad sustentandam naturam sumeret: non verò affirmat hanc introductam fuisse in naturæ sustentationem. Nec Medina, *in summ.* §. 19. *cit.* id vllo modo tenet. Nec Lessius cùm potiùs oppositum doceat, *loc. cit. num.* 11. per hæc verba: Item sumentes collatiunculam vespertinam, etiamsi id faciant, non solùm, ne potus noceat, vt olim; sed etiam alendi causâ & absque potu, quia consuetudo permittit. Sic Lessius. Nec Azor, cùm nostram teneat sententiam, *lib.* 7. *cit. c.* 8. *q.* 4. his verbis. Fateor quidem illam (*idest collationem*) primò cœpisse causâ somni capiendi, & idcirco etiam indigentiæ: more tamen, & consuetudine est introductum, vt ea absolutè, & simpliciter vtamur. Sic Azor. Vnde,

Probabiliùs Respondeo: introductam fuisse ratione medicinæ, non ratione nutrimenti naturæ, Ratio est. Quia (vt bene notat Toletus) olim, semper prandium propè noctem fiebat: ergo non causâ nutritionis naturæ, sed potiùs ratione medicinæ; nempe, vel ad captandum somnum, vt volunt quidam, cum Moure; vel ne potus stomacho noceret, vt alij cum Llamas dicunt, collatio serotina introduci potuit. Sic D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *cap.* 2. §. 9. Angel. *verb. Ieiunium num.* 3. & penes ipsum, Palud. Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6. *in solut. ad* 2. *& in summ. verb. Ieiunium*, §. 1. Ledesma, 2. *p.* 4. *quæst.* 17. *art.* 5. *versu Septima conclusio.* Villalob. 1. *part. tr.* 23. *diff.* 7. Llamas *loc. cit.* §. 24. *pag. mihi* 525. Armilla, Toletus, Moure, Lessius, *loc. cit.* Diana, 1. *part. tr.* 9. *resol.* 1. Bossius, *de Iubil. sect.* 4. *casu* 18. *num.* 124. Molfesius, *in summ. tract.* 10. *c.* 3. *n.* 43. Et alij.

QVÆSTIO V.

An nunc de facto, licitum sit, sumere collationem serotinam, ad sustentationem naturæ?

NEgant D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. *&* 3. & ibi Caiet. D. Anton. *part.* 2. *tit.* 6. *c.* 2. §. 9. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 4. Angel. *verb. Ieiunium, num.* 3. Abulens. *cap.* 6. *Matth. q.* 164. *num.* 3. Armilla, *eo verb. num.* 1. Tabiena, *num.* 3. Ledesma, 2. *part.* 4. *q.* 17. *art.* 5. *conclus.* 7. P. Ioan. à S. Thoma *in explicat. Doctr. Christianæ, q.* 10. *referendus*, & alij, existimantes, etiam nunc, non licere vti vespertina collatione, ob sustentationem naturæ; sed tantùm per modum medicinæ, ad conciliandum, videlicet, somnum; vel, ne potus stomacho noceat; eo quòd, collatio ex hoc fine introducta fuerit.

Sed probabiliùs Respondeo: Nunc de facto, iam licere collationem sumere, ob substentationem naturæ. Quia quamuis (vt vidimus) olim collatio, solùm ob somnum capiendum; vel vt ne potus noceret; vel ob aliquam indigentiam naturæ, sumeretur; nunc autem, more, & consuetudine, rationabiliter est introductum, vt ea ad sustentationem naturæ vtamur. Et ita in hunc finem communiter ab omnibus adhibetur. Sic communiter Doctores, præcipuè Rosella, Syluest. Nauar. Imò, & Caiet. *in summ. verb. Ieiunium*, quos pro hac parte citat, & sequitur Azor. 1. *part. lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 4. (qui etiam citat Armillam, sed non bene) Toletus, Moure, Lessius, *locis citatis.* Villalob. *tract.* 23. *diff.* 7. *num.* 4. Llamas, *loc. cit.* Fagundez, *c.* 12. Bonac. *punct.* 3. *cit. num.* 2. Molfesius *loc. cit: num.* 43. Sanchez, *lib.* 5. *consiliorum, dub.* 25. *n.* 2. Diana, 1. *p. tr.* 9. *resol.* 1. Pasqualig. *tr. de Ieiunio, decis.* 87. *à n.* 4. Bossius *loc. cit.* Ioan. de Medina, *C. de Ieiun. q.* 8. Reginaldus, *lib.* 4. *num.* 184. & alij pro prima sententia, quæstione præcedenti adducti.

QVÆSTIO VI.

An quantitas collationis sit, iuxta varietatem regionum, & personarum, commensuranda?

NEgat Pasqualigus, *decis.* 88. *à num.* 2. *vsque ad* 4. Vbi concludit, quòd relinquere quantitatem vespertinæ refectiunculæ indeterminatam, & iuxta regionis, vel personæ, diuersitatem determinandam; dat occasionem, vt plures nimium sibi indulgeant, sibi facilè persuadentes, quòd maiori, & maiori quantitate indigeant.

Sed absolutè Respondeo: Quòd debeat commensurari, iuxta varietatem regionum, & personarum. Sic tenent communiter Doctores. Azor. 1. *part. lib.* 7. *c.* 8. *q.* 8. Filliuc. *tr.* 27. *p.* 2. *n.* 31. Reginald. *lib.* 4. *num.* 185. Layman, *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 9. Bossius, *de Iubil. sect.* 4. *casu* 18. *n.* 149. Caiet. Nauarr. Syluest. Tolet. Lessius, & Bonac. & communis.

Nec fundamentum Pasqualigi est alicuius momenti, vt contrarium amplectatur; nam ipsemet (vt infrà videbimus) concedit, quòd nobiliores personæ, & aliæ, quæ studiis vacant, possint ampliorem refectiunculam sumere, indeterminatam relinquendo quantitatem: ergo in nostro casu absolutè idem concedere debet. Nec id est conueniens; cùm excessus quantitatis assignari difficilè pro tanta locorum diuersitate,

Digitized by Google

necessitate, & personarum necessitatibus quocae. Nam, vt bene dixit Angles, *de Ieiun.qu.9.art.2.diff.4.in fine*, & ex illo, non citato, Ludouicus de S.Ioan. *q. vnica de Ieiunio, art.12. diff.3.in Appendice.* nullo modo est doctrinæ communis præfigere iis mensuram,sed prudentiæ timoratæ particularium.

QVÆSTIO VII.

An in regionibus frigidioribus, plus cibi concedi possit pro collatione serotina?

NEgat Pasqualigus, *loc.cit.n.3.* per hæc verba:Nec probatur quòd in frigidioribus regionibus plus cibi concedi possit, alioquin in singulis regionibus plus concedi posset in hyeme, quàm in æstate; & tamen experientia docet, quòd in æstate complexio magis debilis est, quia faciliùs spiritus calore resoluuntur, vnde etiam indiget maiori cibo, & per ieiunia magis maceratur. Ita ille.

Sed probabiliùs, Respondeò: Posse, Quia, qui in frigidioribus regionibus habitant, plus indigent cibis:tum ad recuperandas vires,quæ frigore nimio faciliè deperduntur, vt constat: tum vt noctu calefieri commodè possint. Tum denique, quia sic vsus. Sic sentiunt Azor,Filliuc.Reginald. & Layman, *loc.cit.*Ec certè id deberet etiam concedere Pasqualigus, cùm *decis.164.& 165.* concedat,& affirmet,quòd,qui noctu calefieri nequit, nisi cœnet, eximatur ab obligatione ieiunij: si ergo, qui notabile frigus patitur noctu, licitè potest cœnare, vt calefieri possit; cur non poterit, ob eandam causam maiorem plus solito collationem sumere?

Ex quo ad argumentum Pasqualigi, iam constat quid dicendum. Negandum namque est, quòd in æstate, cibo maiori indigeat homo, quàm in hyeme, nam contrarium planè experimur, & bene probant Alex.de Ales. *qu.98.memb.3.art.2.* & Scola Salernitana *in opusc. de conseruanda bona valetudine*, iis versibus; quibus docet quando largè sumenda est cœna, quandòve parcè.

Cœnam contineat paruam cùm Syrius ardet,
Nox istud signat nam breuitate sua,
Maiorem sumat Sole ingrediente sagittas.
Cùm nox sublustris longior esse solet.

QVÆSTIO VIII.

An quantitas collationis; sit etiam mensuranda, iuxta consuetudinem, in singulis regionibus, receptam.

AFfirmatiuam sententiam, loquendo speculatiuè, esse veram; practicè verò loquendo, ad nihilum deseruire posse, eo quòd non constet de quantitate determinata per consuetudinem, ait Pasqualigus *decis.* 89.

Sed certè absolutè, & tam speculatiuè, quàm practicè loquendo, Respondeo dicendum, quòd quantitas collationis mensurari etiam debeat, iuxta consuetudinem regionum. Patet. Quia collatio vespertina, fuit per consuetudinem introducta: ergo potest sumi in ea quantitate, quam eademmet consuetudo practicè præscripsit. Vnde falsum est, quod ait Pasqualigus, hanc nostram sententiam ad praxim deseruire non posse, eo quòd non constet de quantitate determinata per consuetudinem; constat namque certè de quantitate collationis, quæ communiter ab omnibus;etiam timoratæ conscientiæ viris, in singulis regionibus sumitur, nec de illa dubitat forsan vnus. Sic (penes Pasqualigum) Caiet. *in summ.verb. Ieiunium.§.1.* Nauarr. *cap.21.num.13.* Tolet.*lib.6.cap.2.num.6.* Syluester *verb. Ieiunium,num.10.* Lessius *lib.4. de iust. & iure cap.2.dubit.1.numer.14.* Molfesius *in summ. tract.10. cap.3. num.44.* Trullench *lib.3. in Decalog.cap.2.dub.3.numer.9.* Ghetius *in Thesauro animæ verb. Ieiunium cap.1. numer.4.* Bizozer. *in summ. part.4. de 3. precep. Decalog. cap. vltim. memb. vltim. num.3.* Lezana *in summ.verb. Ieiunium,numer.4.* Bonac.*disp. vltim.de legib.q.1.punct.3. num.2.* Cenedo *in q.Canon.quæst.1.num.4.* Fernandez *p.2.exam. Theol. cap.6. §. 2. num.9.* Diana *part.1. Resol. moral. tract.9. Resol.1.* & Bossius *sectione, 4. de Iubilæo casu 18. numer. 149.*

Sed ex his Authoribus,quos pro hac nostra & communi sententia, Pasqualigus affert; Caietanus nihil habet ad propositam quæstionem,& Nauarrus solùm loquitur de qualitate collationis, non de quantitate, sicut Syluester.

QVÆSTIO IX.

An pro collatione serotina, licitum sit quartam partem cœnæ sumere?

AFfirmant Reginald. *lib.4. cap. 14. dub.10. numer. 185.* Layman. *lib.4. tract.8.cap.1. num.9.* & Filliuc.*tr.27.p.2.c.3.q.7.n.33.* dicens,ita determinatum fuisse,in celebri Academia Theologorum. Quorum opinionem refert in vltimo loco Machado; *lib. 2. part.4. tract.3. docum.7. num. 2.* nec approbans, nec reprobans.

Negant verò Luysius Turrianus, *in selectis, centur. 2. dub.94.* vocans contrariam sententiam,scandalosam, temerariam, & bonis moribus contrariam. Diana 1. *part. tract.9. Resol.1. vers. Quid ego sentiam*, dicens, sententiam oppositam esse nimis laxam & 4. *part.tract.4. Res.117.* dicens, esse improbabilem. Ausonius, *in summa Dianæ, verb. Ieiunium. numer.59.* docens, opinionem contrariam, in praxi non esse admittendam. Bossius *sect. 4. de Iubilæo, casu 18. num. 117.*

Sed ego clariùs Respondeo. Quòd licitum sit sumi pro collatione vespertina quarta pars cœnæ, ab his, quorum cœnæ non excedunt triginta duas vncias; quia in hoc euentu,non sumunt pro collatione, nisi quantitatem vnciarum octo, quam verè sumi posse ab omnibus indifferenter, infrà ostendemus. Ab aliis verò,qui plures libras cibi in qualibet cœna sumunt, nequaquam possit sumi quarta pars cœnæ, quia excederent profectò limites vespertinæ collationis, cùm sic excederent; & multùm,quantitatem vnciarum octo. Sic Pasqualigus *tract. de ieiunio decis.90. à num.4.* & debent sic docere, omnes Doctores primæ sententiæ, & alij, qui vncias octo, pro collatione permittunt. Sune autem, *infrà quæst. 12.* citandi.

QVÆSTIO X.

An pro collatione, assignari debeat determinata quantitas cibi?

NEgat Ghetius *in Thesauro animæ. Verbo Ieiunium cap.1. num.4.* docens, quòd non debeat pro collatione vespertina assignari certa quantitas cibi, sed relinquenda conscientiæ vniuscuiusque. Sic etiam R. P. Ioann. à S. Thoma *in explicatione Doctrinæ Christianæ part.2. vbi de 4. prec. Ecclesiæ* per hæc verba:(Es cierto,que la cātidad ha de ser poca,y quanto basta para que la bebida no haga daños y no lo que basta quitar la hambre,y dar sustento.Me-

dir

dir eſto por onzas, ò por platos, ò por otras medidas es ſin fundamento. Sienpre ſe queda al arbitrio, no de la gula, y hambre, que no ſaue tener termino, ſino de la templanza, y atendiendo, que no ſe introduxo la colacion para ayudar el ſuſtento del cuerpo, ſino como vna coſa leue para beber.] Ita ille.

Sed certiſſimè Reſpondeo: Debere omnino aſſignari. Quia ex oppoſita ſententia, & mazima ſequeretur, inter fideles ieiunantes, confuſio, & eorum conſcientiæ infinitis implicarentur ſerupulis. Sic Paſqualigus *deciſ.*88.*nu.*1. & omnes communiter Doctores; vt ex dicendis conſtabit.

QVÆSTIO XI.

An pro collatione ſerotina, licitè poſſint ſumi vncia quatuor cibi?

NEgat Graffius 1.*part. deciſ.lib.*2.*cap.*57.*num.*29. (apud Paſqualigum, & Anton. de Leone, vbi infrà. Apud me verò *c.*36.*n.*25.*pag.*284.) exiſtimans ſolùm poſſe ſumi pro collatione duas, aut tres vncias cibi. Ita enim ait: Dicta collatio fieri poteſt, vel parum fructuum, vel ficuum, vel panis ſolius, v. g. duarum, aut trium vnciarum, vel vtriuſque, iuxta morem regionis. Ita ille.

Sed vt certiſſimum, Reſpondeo: Licitè ſumi poſſe vſque ad quatuor, ad minùs, vncias cibi. Quia hæc apud omnes viros, etiam timoratæ conſcientiæ, viget conſuetudo, & mos. Sic Azor *part.*1. *lib.*7.*cap.*8. *quæſt.*8. (non 9. vt inuenies citatum apud Paſqualigum) Homobonus *p.*1. *exam. Eccleſ. tract.*6.*cap.*20. *quæſt.*90. Victorellus *in notis ad Manuale Nauarri num.*13. Naldus. *Verbo Quantitas, numer.*9. Lezana *verb. Ieiunium, num* 4. Sà *verb. Ieiunium, numer.*8. *in fine.* Diana 1.*part.tract.*9. *Reſol.*1. & Auſonius *loc.cit.* dicentes, ſententiam Graffij eſſe minus rigidam. Paſqualigus, *deciſ.* 62. Anton. de Leone *quæſt. de Chocolate part.* 3. *num.* 20. *fol.*99. Et omnes communiter.

QVÆSTIO XII.

An etiam ſumi poſſit pro collatione, quantitas ſex vnciarum.

NEgant Azor, Homobonus, Victorellus, Naldus, Lezana, & Sà *loc.cit.* exiſtimantes, ſolùm poſſe ſumi quantitatem quatuor vnciarum.

Sed, probabilius longè, Reſpondeo: Poſſe etiam. Sic Molfeſius *in ſum. tract.* 10. *cap.*3. *num.*7. in ſommario dicti capitis per hæc verba: Largior conceſſio à ſex vnciis infrà, eorumdem ciborum, quibus veſci licet in Quadrageſima. Viri tamen timorati non excedunt tres, vel quatuor vncias. Sic ille. Filliuc. *tom.* 2. *tr.*27.*p.*2.*cap.*3.*q.*7. *num.*32. Villalob. *tr.*23.*diff.*7.*n.*4. quos pro hac parte citat Paſqualigus, Diana, & Auſonius, *loc. cit.* vocantes oppoſitum, nimis rigidum. Tenent & alij, mox pro noſtra ſententia referendi.

QVÆSTIO XIII.

An tandem, ſumi poſſit pro collatione, cibi, vſque ad quantitatem vnciarum octo?

NEgant omnes Doctores, pro vtraque ſententia, nuper citati. Quibus addi poſſunt Hieronymus Perez *in ſumma part.* 1.*præcep.* 3.§. *De ieiunio.* & alij concedentes ſolùm ſeptem vncias cibi.

Sed, æquè probabiliter Reſpondeo: poſſe ſumi vſque ad octo vncias cibi. Quia tota iſta cibi quantitas, nullo modo excedit terminos refectiunculæ, ſeu collationis; & aliàs eſt neceſſaria ed nutriendam aliqualiter naturam; ad miniſtrandas illi vires aliquas, vt poſſit functionibus ſuis vacare; ad capiendum neceſſarium ſomnum; & tandem, ne potus ſtomacho noceat. Sic Fagundez *lib.*1.*de* 4.*præcep. cap.*4. *num.* 13. vbi ita ait: Sæpiſſime in noſtra ſocietate, ex doctiſſimo Suario relatum, audiui, octo vncias ex pene, & fructibus capi poſſe pro collatione ſerotina, abſque fractione ieiunij, & defraudatione legis illius. Sic ille, ibi in 1.*edit.* adiungens in 2.*a num.* 13. cum Suario conſentire Villalobos *tom.*1.*ſumm.tract.*23.*diff.*7. *num.*4. & Ioann. Sancium *diſp.*52.*numer.*7. addentes has octo vocias, ſiue dimidiam libram poſſe ſumi abſque vlla neceſſitate, ratione conſuetudinis, nec obſtare, quòd quis ea quantitate ita maneat ſaturatus, ac alius, qui cœnaret ſolendidè: quia id per accidens eſt: aliàs qui ſaturaretur vna vncia, non poſſete dere duas, quod nemo dicet, cùm conſuetudo eam modicam quantitatem octo vnciarum licitam fecerit. Huc vſque Fagundez. Et benè, excepto quòd malè citet Villalobos pro hac parte. Tenent etiam hanc ſententiam apud eumdem Fagundium, Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*8. *quæſt.*8. Ioann. Henriquez *in compend. caſuum moral.cap.*18.*num.*2.& 3. Trullench *lib.*3.*in Decalog. cap.*2.*dub.*3. *num.*9. Diana 1. *part. tract.*9. *Reſol.*2. Paſqualigus *tract. de ieiunio deciſ.*92. *num.*4. & 5. Luyſius Turrian. *in ſumm.*1. *part. cap.*256. *dub.*38. *concl.*1. Sic dicens: Ex pane, & aliis cibis poſſunt ſumi ſex, vel octo vnciæ ex communi multorum opinione Sic ille. & Sanchez *lib.*5. *concil. cap.*1. *dub.*25. *num.*3. Ita dicens: Vnde moderata quantitas erit quadrans panis, cum paucis herbis &c. in ſimili quantitate: & ſic habetur vſus apud viros timoratos, & Religioſos Sic Sanchez, vir valde timoratus, & Religioſus valde, vir Sanctitatis eximiæ & in animarum zelum, & perfectionem ſtudioſiſſimus. Sic etiam Auſonius *loc. cit. num.*59. Machado *loc.cit.* dicens, ſic ſentire communiter Doctores. Denique hanc ſententiam eſſe æquè probabilem, ac ſunt, quæſtionibus antecedentibus relatæ, expreſsè docet Anton. de Leon. *quæſt. de Chocolate part.*3. *fol.*99. *num.*20. & nouiſſimè Ioſeph Auguſtinus, Eſcobar, Pellizzarius, Leander de Murcia, Baucius, Ioannes Henriquez, Geſualdus quos ſequitur nouiſsimè Diana *p.*9.*tr.*6. *Reſol.*8.& 15. vbi ex Ioanne Henriquez notat, [Que la cantidad de las ocho onzas por collacion, no ſe an de entender con las frutas muy humedas, como ſon vuas, y Ciruelas freſcas, y coſas ſemeſtante porque doze onças deſtas frutas, muy humedas ſon ocho de las frutas ſecas, y aſſi la mayor cantidad de lo humecto, equiuale à la menor cantidad de coſas ſecas.] Ita ille, *in tract.*99. *ſect.*16.*q.*4. cui in hoc non audet conſentire Diana.

Nec obſtat quid, quod quidam Theologus, mihi ſe opponens dicebat; hanc opinionem, omnibus laxiorem eſſe; & indignam ſcriptori diſcalceato & auſtero. Nam imprimis, falſom eſt primum; cum plus latitudinis habeat opinio concedens abſolutè, pro collatione, quartam partem cœnæ. Vnde hæc noſtra opinio, cùm mediâ viâ incedat, nec ſit nimis rigida, nec nimis laxa, benignior, ac probabilior reputanda à viro prudenti debet. Ad 2. dico, quòd ego non mihi diſcalceato, hæc ſcribo, nec pro me laboro; ſed pro aliis, præcipuè ſæcularibus, qui ægrè ieiunia ferunt, qui illa, vt duriſsimum iugum, auerſantur, & impares ipſis humanas vires deplorant, & ſic oportet eorum fragilitatem ſubleuare, & verbis Chriſti dicentis, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue,* eos oneris leuitate inuitare, vt prompti, & alacres, iugum ieiuniorum portem.

portent, legem Dei amore dulci percurrant, & custodiant; & ne aliàs terrore legis perterriti in perditionem æternam eant. Propter hoc, hanc mediam elegi opinionem; non pro me, aut pro meis Religiosis, qui vix tres vncias panis duntaxat pro collatione sumunt.

Qvæstio XIV.

An qui per vnam, vel duas vncias, designatam quantitatem collationis excederet, ieiunium frangeret.

AFfirmabunt consequenter, qui solum pro collatione concedunt quatuor, vel sex vncias cibi.

Sed probabiliùs Respondeo: Quòd non frangeret ieiunium, qui præfixam quantitatem vnciarum octo, per vnam, vel duas vncias excederet; Quia excessus prædictus, non est valde notabilis: ergo nec mortalis, & consequenter qui in illo præfixam collationis quantitatem excederet, non frangeret ieiunium; licèt peccaret venialiter. Sic Pasqualigus *decis.* 105. *num.* 2. & 3. Qui benè notat, id diligenter debere à Confessariis aduerti, ne damnent pœnitentes peccati mortalis, quando re vera mortaliter non peccarunt. Affertque pro hac sententia Petrum Ledesmam *part. 2. summ. tract. 27. De Abstinentia, dub. 2. §. A esta duda.* Sanchez *lib. 5. consiliorum cap. 1. dub. 25. n. 5.* & Sancium, *in selectis disp.* 52. *num.* 7. Et benè. Quamuis ex his, Petrus Ledesma, solùm concedat pro collatione, quantitatem vnciarum quatuor, paulò plùs, qua supposita, addit hæc. [No es regla mathematica sino moral, que excediendo vn poco mas, no sera pecado mortal, si nun fuesse la cantidad muy notable, que entonces seria graue peccado por el excesso; porque entonces seria comer segunda vez.] Sic ille. Sanchez verò, benè pro hac parte adducitur; ait enim *loc. cit.* Sic: Nota quòd licèt esset aliquantulù maior iusto collatio, non statim est peccatum mortale, nisi sit notabilis excessus. Sic nonnulli docti iuniores. Sic Sanchez. Imo & Sancius, & sic nouissimè Diana *p. 5. tr. 5. Resol.* 11. & *part. 9. tract. 6. Resol.* 15. Vbi pro hac parte affert Leandrum de Murcia *in c. 2. sup. p. 3. Reg. S. Francisci*, Luysium Turrianum *in sum. Theolog. moral. p. 1. cap. 256. dub. 271.* & Pellizzarium *in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num.* 11. Sic dicentem: Concedo tamen quòd si quis in collatione vespertina sumat vncias decem cibi cõmunis, peccat solùm venialiter. Ita iterum, vbi citatu tenet Diana *p. 10. tr. 14. Res. 56. in fine* Rocafull. & Vidal apud ipsũ.

Qvæstio XV.

An in Vigilia Natiuitatis Domini possit sumi collatio, maior consuetâ?

NEgant Nauarr. *in Man cap.* 21. (non 11. vt inuenies citatum apud Fagundez) *num.* 15. Angles, *in floribus tract. de ieiunio, quæst. 9. art. 2. diff. 4. dub. 1. pag. mihi* 436. Rodriguez *in summ. tom. 1. cap. 23. num. 9.* (non 10. vt inuenies citatum apud Pasqualigum, & Barbosam) *vers. la octaua conclusion.* Anton. Bernar. *in summ. cap. 22. num.* 33. Pedraza *in 3. precep. Decalog. vers. Notando bien fol.* 34. Bossius *sect. 4. de Iubilæo casu 18. num.* 150. Petrus Ruizius *in lib. 2. Reglas dereçar el Officio diuino pagina*, 235. & alij docentes, idem esse dicendum de hac collatione, ac de aliis.

Sed probabiliùs Respondeo: posse sumi absolutè, in prædicta Vigilia, collationem in maiori quantitate. Ratio est. Quia vbique iam est consuetudine introductum, ob solemnitatem tanti festi, vt ad minùs, duplo maior solito, refectiuncula in dicta Vigilia fiat. Sic Fagundez *precep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. n.* 19. vbi sic ait: Azor tamen *li. 7. instit. moral. tom. 1. c. 8. q. 8. paulo ante finem*, affirmat in peruigilio natalitij Domini, vbique ferè esse consuetudine introductum vt duplo maior solito, refectiuncula fiat: & re verà negare non possumus opinionem Azorij esse veram, cùm vbique id videamus fieri, etiam à Pastoribus, & Prælatis: Vnde cùm ordinaria collatio octo vncias possit habere ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus, vt diximus *num.* 13. sequitur, quòd in peruigilio Natalis Domini, sexdecim plus minusve, capere possumus. Sic ille Beja 1. *part. casu 3. vers. Adde Ecclesiam.* Llamas *par. 1. 3. methodi cap. 5. §. 25. pag. mihi* 526. Sanchez *in consil. cap. 1. dub. 26. num.* 1. Basilius, *lib. 5. de Matrim. cap. 8. num.* 2. Sancius *in selectis disp.* 52. *num.* 10. Turrianus *in summ. 1. part. cap. 256. dub.* 38. *concl.* 3. Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 3. n.* 9. Lezana *verb. Ieiunium, num.* 4. Petr. Ledesma, 2. *part. summ. tr. 27. cap. 2. diff. 5. verb. Digo lo segundo.* Filliuc. *tr. 27. cap. 2. num.* 34. Villalob. *tract. 23. diff. 7. num* 5. Medina, 1. *part. summ. cap. 14. §. 10. vers. De donde se sigue.* Diana 1. *part. tr. 9. Resol.* 35. & 5. *part. tract. 15. Res.* 12. Lublinus *verb. Ieiunium num.* 4. Lupez 2. *part. instruct. cap.* 112. *de Ieiunio, vers. sed de collatione* Ludou. *de* S. Ioan. 1 *par. summ. tract. de ieiun. art. 12. dub.* 3. Pasqualigus *decis* 92. Qui etiam citat Bonacinam *de vltimo precepto Ecclesiæ quæst. 1. punct. 3. num. 2. vers. sed mihi.* Sed hic Author in 1. editione nihil dicit de collatione huius vigiliæ, *in 2. verò edit.* solùm ait, id esse licitum vbi adest consuetudo, per hæc verba: Filliuc. tamen *num.* 34. cum Medina, & Caietano admittit in vigilia Natiuitatis licitum esse maiorem quantitatem cibi sumere; quod ego etiam non improbo, vbi talis consuetudo recepta est. Sic ille, & P. Iuan à S. Thom. *in explicat. Doctrinæ Christiana, p. 2.* vbi *de quarto precep. Eccl. s.* Barbosa *tom. 2. in lib. 3. Decretal. c. Ex parte de obseruatione ieiuniorum num.* 3. & alij infrà citandi.

Qvæstio XVI.

An in dicta Vigilia Natalis Domini possit sumi collatio, non solùm duplo maior solito, verum etiam absque mensura, & limite?

NEgant non solùm Authores, primæ sententiæ nuper adducti; verum etiam & pro secunda adducti, Azor, Fagundez, Filliuc. Lublinus, Turrianus, Ludou. de S. Ioan. Basilius, Diana, Trullench, Lezana, & alij, qui solùm concedunt illi Nocti collationem duplo maiorem solito, Sanchez etiam (licèt hic concedat triplo maiorem) & alij,

Sed, certè, æquè probabiliter, Respondeo: In dicta Vigilia posse iam sumi in collatione serotina, sine mensura, & limite quantum libuerit, ex fructibus, & pane. Quia iam, etiam apud timoratos, & religiosos viros, hæc inualuit consuetudo. Et certè nescio, qua ratione concedi debeat, quòd possit in dicta vigilia sumi à ieiunantibus pro refectiuncula quantitas sexdecim, imo, & vigintiquatuor vnciarum, ex fructibus & pane; & non possit sumi maior sine mensura; Si enim illa quantitas non frangit istud ieiunium; nec hæc faciet. Dicamus ergo, quòd nulla frangat. Sic vtiis concedens, ob lætitiam, & excellentiam festi. An autem secluta consuetudine posset quis, vti ex natura rei, maiori collatione consueta, dicemus infrà q. 22. Sic Medina, *in instruct. confess. 1. part. cap. 14. §. 10.* per hæc verba: [De donde se sigue, que el que en la

Vigilia

Digitized by Google

Vigilia de Navidad haze colacion con quanto quisiere,como sea fruta,no quiebra el ayuno, porque ya ay costumbre recibida, y los Prelados lo veen, y lo consienten, y ellos lo hazen.] Sic ille. Llamas *loc. cit.* ita dicens: De collatione autem noctis Natiuitatis Domini, respondeo, quod respondi sæpius interrogatus, quòd consuetudo, non solùm hominum, parum de sua salute spirituali curantium, sæcularium, quia talis corruptela dicenda esset; sed omnium clericorum, imo religiosorum, & Prælatorum, etiam Episcoporum,& Archiepiscoporum bonorum, inualuit,vt illa nocte opulentas collationes fructuum, & cònseruarum (vt pinguius vtar vocabulo,cùm omnibus scribam) & rerum ex sacchato confectarum, in suis mensis ministrentur: quorum mensis adsui,& testis sum,& sic dico posse fieri illa nocte cum talibus,non seruata mensura ieiunij:nam cùm ieiunia Ecclesiastica, iure humano sint constituta, quoad dies, & modum, rationabili consuetudine possunt præscribi, vt sint restrictiora, vel mitiora,vel tollatur aliquis dies, & addatur alius, vt liquet argum. *c. fin. de consuetud.* & Nauarrus in hoc non est audiendus,quia S.Thomas, & omnes Summistæ, si tam latè vidissent totius orbis consuetudinem (ne dicat ij se, quòd sola in Lusitania) idem affirmarent. Sic Llamas. Cenedus, *in q. Canon. q. 41. n. 5.* vbi docet, hanc opinionem esse tenendam in Prouinciis, in quibus id fieri est vsu receptum in aliis verò minimè. Sed certè hic Author debebat aduertere, quòd iam per totum orbem (vt dixit Llamas) est hic vsus extensus & diffusus. Sancius *in selectis disp. 52. num. 1.*. qui *in ed tio e Lugd. mensis* citat pro se, Ledesmam, Azorium, Filliucium, Lucium, Lopezium, Llamas, Cenedum, Vegam, Ludouicū de S.Ioan Nieua, Chacon, Basiliū de Leon, Summam Coronam, Sanchez, Fagundez, & Ioannem de Medina. Sed ex his Authoribus omnino citantur malè, Azorius, Filluc. Fagundez, Basilius, Diana, Ludouicus Cenedus,& Sanchez,vt vidimus; Tenent etiam nouissimè, Barbosa in cap. *Ex parte, de obseruatione ieiun. num. 3.* nuper citato,& Anton.de Leon *quest. moralis de Chocolate part. 2. fundam. 5. §. 1. num. 9.* Sic concludens: [En este cosa la opinion, a mi juizio mas prouable, de que las colaciones de Nauidad pueden ser cenas sin limitacion, ni distincion de manjares, como sean de viernes, porque la costumbre, dize el Lic. Ioan Sanchez, ha quitado en este dia el precepto del ayuno: y añade el P. Fagundez, que no le ha quitado de todo el dia, sino de lo que ay de las nueue, o diez de la noche, hasta las doze della. Y si repetimos aqui lo que hemos dicho, de que las collaciones pudieran ser fin del ayuno, y conforme à su precepto, si forma rigurosa à no ajustarse a la Iglesia con sus horas, a las del dia natural, hallaremos menos difficultad, en que por la grandeza desta fiesta, que por antigua costumbre de la Iglesia es tan celebre, que en su dia, aunque sea viernes se come carne: *Propter festi Excellentiam*, dize el Papa Innocentio Tercero, y en su segunda fiesta se excluye la Vigilia del Euangelista, y Apostol S. Iuan; por el mismo respeto, y causa; por alterarse la hora comun de las Missas, retirando la del alua, a la media noche, que entonces son mas de seis horas, retire la obligacion del ayuno, dos,ò tres, y alli le fenezca, y acabe,] Huc vsque Leon. Legatur Fagundez *loc. cit. n. 19.* vbi in edit. noua refert hanc sententiam, nec improbat. Quòd si hic inquiras, An si quis in vigilia Natiuitatis vellet sumere collationem serotinam mane, possit illam sumere in quantitate, qua licitum est, illam serò sumere?

Huic quæsito respondent negatiuè Sanchea *to. 2. opuscul. lib. 7. c. 1. dub. 26. n. 6.* & Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 3. dub. 6. n. 11.* quibus adhæret Diana *p. 9. tr. 6. Res. 17.* Quia talis, inquiunt, consuetudo, in collatione nocturna tantùm præualuit.

Sed probabiliter Respondeo; Etiam posse: Quia ratio inducendi consuetudinem refectiunculæ adeo magnæ in vigilia Natiuitatis, est excellentia festi, & non solus labor nocturni officij: at hæc ratio, æquè procedit,siue collatio sumatur meridiè, siue vesperè, vt patet: ergo. Sic tenet Pellizzarius, *in Man. Regul. tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 13.* Cuius sententiam putat Diana probabilem, eo quòd dictum ieiunium, sit ieiunium lætitiæ.

QVÆSTIO XLII.

An quando Vigilia Natiuitatis incidit in Sabbatum, & Festum in feriam secundam, liceat sumere collationem in quantitate prædicta?

NEgat Bossius *sect. 4. de Iubil. casu 18. num. 156.* quia (inquit) non adest consuetudo. Negat etiam R.P. Ioan. à S. Thoma in sua explicat. Doctr. Christianæ *part. 2. vbi de 4. precept. Eccles.* per hæc verba: [Mas quando Nauidad cae en lunes, el Sabado antes no se puede alargar la colacion, porque entonces, aunque es Vigilia, pero no ha entrado la solemnidad de la fiesta por cuya razon se ha introduzido aquella costumbre; a demas, que es aquel Sabado de quarto temporas.] Ita ille.

Sed probabilius Respondeo: Licere etiam. Quia hoc est priuilegium talis ieiunij pro tali festo: ergo ipsum sequitur, quocumque die fiat. Imo vt magis dignum trahit ad se ieiunium quatuor temporum, quod in dicta die occurrit. Sic Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 26. num. 3.* Ita dicens: Nota idem esse dicendum, licèt Natiuitas accidat feriâ secundâ,& sic Vigilia sit in Sabbatho: Imò licèt illo Sabbatho occurrat simul ieiunium quatuor temporum, quia adhuc est Vigilia Natiuitatis, & id quod dignius est, trahit ad se minùs dignum. Sic multi docti, re latè discutatâ. Huc vsque sapientiss. Thomas Sanchez. Sancius *n. 10. cit.* in edit. Lugdunensi, Luysius Turrian. *in summ. 1. part. cap. 256. dub. 38. concl. 4.* Sic loquens: Quando dies Natiuitatis est feria secunda, & Vigilia Sabbatho antecedenti, licita est quantitas ex vsu. Sic ille Pasqualigus *decis. 92. n. 7.* Diana etiam *part. 5. tract. 14. Resol. 12.* Ausonius *in Summa Dianæ, verb. Ieiunium, num. 61.* & Machado *tom. 1. l. 2. part. 4. tract. 3. docum. 7. num. 4.* & tandem sic tenent omnes ferè Theologi vtriusque vniuersitatis, Salmanticensis videlicet,& Complutensis,à me de hac re consulti. Quibus addo nouissimè Doctissimum Basilium legion. quem affert, & sequitur Caramuel *in Regul. S. Bened. disp. 118. num. 1613.* & Pellizzarium *in Man. Regular. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 13.* quos nouissimè sequitur Diana *p. 9. tract. 6. Res. 17. & p. 10. tract. 12. Resol. 41.*

Exeat nunc nescio quis scrupulosus Magister dicendo, hanc meam opinionem non esse probabilem, & ideò, vt talem, explodendam à libro. ò Bone Deus! Inquiro à te ò Magister, scis quidnam requiratur, & sufficiat, vt opinio quæuis sit probabilis; Dicam, si ignoras. Quòd sit ratione, & Doctore suffulta. Cum igitur iam videas hanc nostram sententiam, & ratione satis probabili, & tot, & tantis Doctoribus fulciri, retrorsum abi; recede à dictis, vt sic, victor ego cantare possim; Magister vidit,& fugit: IORDANIS conuersus est retrorsum.

QVÆ

QVÆSTIO XVIII.

An in peruigilio Paschatis, liceat etiam sumere ampliorem consuetâ collationem?

NEgat licere, vbi non adest consuetudo assistendi officio noctis, Filliuc. *tr.27.p.2.c.2.n.*34. Fagundez verò *loc.cit.n.*20. id concedit, solùm in terris vbi de hoc est consuetudo, per hæc verba: Idem dicendum est de peruigilio Paschatis in regionibus, & prouinciis, vbi id fuerit communi vsu receptum; potest enim hæc refectiuncula paulò maior solito sumi. Ita docet Azor *vbi suprà*, non tamen in nostra Lusitania vbi id nequaquam fit. Et verò, teste Ioanne maiore *in 4. dist.* 15. *q.* 5. Britanni maiori in hac Vigilia refectione vti solent, quàm Galli, adde, quàm Lusitani quàm Hispani, quod sciam. Ita ille. Negant deinde, nominatim contra me, & Pasqualigum Diana *Ref.*41. *cit.* & penes illum, Gregorius Gobat, *de Iubil.duplic.c.*28. *n.*208. Quia, inquiunt, in hac Vigilia consuetudo non permittit in collatione maiorem quantitatem quàm solitã: ergo tantùm illã sumere possimus.

Sed æquè probabiliter, Respondeo. Absolutè licere. *Primò*. Quia dictum ieiunium, est ieiunium lætitiæ: cùm lætitia Paschatis in ipsa incipiat Vigilia, in qua iam ipsa Resurrectio celebratur: ergo cum lætitia debet celebrari; & sic cum ampliori refectiuncula vespertina. *Secundò*. Quia, licitum est, in Vigilia Natiuitatis Domini, fieri collationem maiorem solito: ergo etiam erit licitum in Vigilia Resurrectionis. Antecedens ex dictis liquet; consequentia probatur. Quia, non ob aliam rationem, introductum est, fieri maiorem collationem in Vigilia Natiuitatis, nisi ad ostensionem lætitiæ tanti festi; nam ad hanc ostendendam, Ecclesia in dicto die Natalis, si sit dies Veneris, vel Sabbati, concedit carnes comedere, vt notat Abbas in capite *Explicari de obseruat. Ieiun. n.*2. per hæc verba: *Nota quòd propter excellentiam diei detrahitur abstinentiæ, & macerationi carnis: & sic videtur quòd in die festo, non solùm spiritualiter homines gaudere debent; Sed etiam cum honestate possunt in cibis aliquam delectationem accipere.* Sic Abbas. Nunc ego: Sed sic est, quòd festiuitas Resurrectioins, seu Paschatis, est festiuitas festiuitatum, & (vt canit Ecclesia) solemnitas solemnitatum: ergo debet maxima cum lætitia celebrari: ergo & eius Vigilia; cùm hæc tanquam accessorium debeat sequi conditionem festi; ergo; sicut in ieiunio Vigiliæ Natiuitatis; ita in ieiunio Resurrectionis, tanquam in ieiuniis lætitiæ, concedi debet maior refectiuncula. Vnde hanc sententiam, tenet perdoctus Lublinus, ex Dominicana familia, *in summ. v. Ieiun. n.*4. Sic dicens: Vnde in Vigilia Natalis Domini, vbique est ferè consuetudine introductum, vt duplo maior solito refectiuncula sit, ex hoc motiuo, quia omnes ea nocte olim vigilabant, & in templo diuinis officiis intererant, idem dicendum de Vigilia Paschæ. Sic ille. Et Pasqual. *decis.*93. *num.*2. Qui pro hac parte citant Azorium 1.*part.lib.*7.*c.*8.*q.*8. Sed Azorius, id solùm docet, vbi id fuerit vsu receptum. ait enim sic: Idem iuris est de peruigilio Paschatis, vbi fuerit vsu communi receptum, vt refectiuncula, tunc paulò maior solito sumatur. Tenent etiam alij doctissimi de hac re à me consulti.

QVÆSTIO XIX.

An etiam in Vigilia Pentecostes, licitum sit sumere largiorem solito collationem?

NEgabit certè Filliuc. Quia in hac Vigilia non adest consuetudo alicubi assistendi, nocturno tempore, officio; sicut adest in Vigilia Natiuitatis, & Paschatis. Negant etiam, & Diana & Gobat, nuper citati.

Sed probabiliter Respondeo: Etiam esse licitum. *Primò*. Quia ieiunium Vigiliæ Pentecostes, est etiam ieiunium lætitiæ, sicut est dies ipsa Vigiliæ, in qua, aliquo modo, incipit solemnitas ipsa festi; cùm in ipsa celebretur Missa solemnis, cum paramentis rubeis &c. quæ omnia indicant specialem solemnitatem, cum speciali quadam lætitia: ergo ad hanc ostendendam, licitum erit, largiorem solito collationem sumere.

Secundò. Quia ieiunium Pentecostes, est tantùm consuetudine introductum, contra ius prohibens ieiunia, toto tempore Paschali, vt constat *ex cap. Scire. dist.*70. Et ideò excludit idem ius à ieiunio Vigiliam Apostolorum Philippi, & Iacobi, *c. Consilium de obseruat. Ieiun.* quia videlicet incidit intra tempus Paschale; quod maxima cum lætitia debet celebrari: ergo iustum erit, (vtpote iuri conforme) quod ad minùs, refectiuncula largior solitò in dicta die sumatur.

Adde quòd non desunt Authores contendentes prædictum ieiunium, non obligare ad mortale. Sed de hoc infrà. Vnde nostram sententiam tenet Pasq. *loc.cit. num.* 3.

Nec obstat fundamentum Filliucij; quia probabilius longè est quòd consuetudo vtendi largiori collatione in Vigiliis Natiuitatis, & Paschatis, non sit introducta ob assistentiam officiorum, nocturno tempore, aliàs qui nocturno officio non assisterent, non possent refici, sicuti alij sui conciues, maiori collatione; sed ob excellentiam dictarum festiuitatum, vt constat ex traditis *quæst.* 16. & 17. Quod, & tenent Doctores ibi citati.

QVÆSTIO XX.

An etiam in Vigilia Sancti Ioannis Baptistæ, licita refectiuncula maior solito, saltem apud Granatenses?

AFfirmat Basilius *lib.*5. *de Matrim. cap.*8. *num.*2. Esse licitam apud Granatenses. Quia apud illos (inquit) viget consuetudo sumendi collationem in Vigilia S. Ioannis Baptistæ, sicut in Vigilia Natiuitatis Domini.

Negat è contrà constanter nihilominus Ioan. Sancius *in selectis disp.*52.*n.*10. & Fagundez, vbi suprà: Quia negant, talem consuetudinem esse apud Granatenses.

Ego verò Respondeo. Esse licitam maiorem refectiunculam, si apud Granatenses (aut apud alios) vigeat consuetudo sumendi, in dicta vigilia, refectiunculam maiorem, vt existimat Basilius, secus verò, si non detur talis consuetudo, vt firmat Sancius, & post illum, Fagundez *de 4. præc. Eccles. in noua edit. lib.*1. *c.*4.*n.*20. Vbi ait: plurimam fecisse diligentiam cum prædictis Granatensibus, & id constanter negasse.

QVÆSTIO XXI.

An in prædictis Vigiliis Natiuitatis, Paschatis &c. licitum sit Religiosis, tam amplâ vti refectiunculâ quàm sæculares vtuntur?

NEgant Bossius *de Iubilæo, sect.* 4. *casu* 18. *n.*160. Villalob. *tr.*23. *diff.*7. *num.*5. & Diana, 1. *part. tract.*9. *resol.*35. *vers. Sed an talis.* Qui pro hac parte citat Petrum Ledesmam *tr.*27. *cap.* 2. *concl.* 4. *in fine.* Sed certè hic Author, id asseuerantur non dicit,

sed sub dubio: ait enim sic: [Entre los Religiosos esta costumbre no ha prevalecido, porque siempre hazen collacion con moderation, aunque sea la Vigilia de Nauidad. Por loqual de los tales tengo yo muy gran duda, que los Religiosos puedan vsar de la tal sentencia.] Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo: Esse illis licitum. *Primò*. Quia probabilius est, id etiam apud Religiosos esse vsu receptum, & iam inualuisse, apud eos, consuetudinem. *Secundò*. Quia dato, quòd apud ipsos non inualuerit dicta consuetudo, sufficit (vt beneficio illius possint gaudere quod inualuerit dicta consuetudo apud illam communitatem, cuius ipsi sunt pars. Sic optimè Pasqualig. *decis.94.* & ante ipsum, Llamas 3. *p. summ.c.5.§.15.* vt vidimus *q. 15.* Sancius *in selectis.disp.52. num.10.* Luysius Turrian. *in summ. 1.p. c.156. dub. 38. conclus.7.* sic dicens: Bene potest Religiosus vti collatione sæcularium sine peccato, si non sit contra statutum aliquod peculiare suæ Religionis.

QVÆSTIO XXII.

An etiam seclusa quacumque consuetudine, licitum sit cuicumque generi personarum, in præassignatis vigiliis, vti ampliori collatione?

NEgant expressè, vt vidimus, Azorius, Fagundez, Bossius, Villalob. Bonacina, Diana, & alij communiter.

Sed probabiliter Respondeo: Licitum esse. Quia, ex natura rei (vt ita dicam) est licitum cuique personæ, celebrare cum lætitia ieiunium lætitiæ; at sic est, quod prædictæ vigiliæ; cùm sint vigiliæ solemnissimorum festorum, sunt solemnissimæ, & maximæ lætitiæ: ergo, ex natura rei, ij semet Vigiliæ petunt cum lætitia celebrari, & consequenter, vti in hunc finem ampliori collatione. Quia sic regulariter solent omnes, in refectione diei, lautioribus cibariis celebrare ieiunium, ad ostendendam hilaritatem ieiunij. Sic Pasqualig. *decis. 94. cit. num.4.*

QVÆSTIO XXIII.

An seclusa consuetudine, possit quis in dictis Vigiliis Natiuitatis, Paschatis, & Pentecostes, vti collatione, duplo maiori consuetâ?

AFfirmatiuam sententiam videtur amplecti Lublinus, vt constat ex verbis eius relatis, supra, *q.18.* quamuis hic Author, non loquatur exclusa consuetudine. Eandem deberet sustinere Pasqualigus, iuxta doctrinam, quam tradit, *decis.92. à num. 4.*

Sed ego mediâ viâ, Respondeo dicendum; quòd licèt non sit licitum, vti collatione duplo maiori in dictis Vigiliis, seclusa consuetudine, (nam si hæc adest, optimè potest dicta quantitate, imo, & maiori, vti secundùm consuetudinem patriæ, vt habitum est suprà loquendo de Vigilia Natiuitatis) sit tamen licitum, vti collatione in quantitate paulò maiori solitâ, videlicet, decem, aut vndecim vnciarum: quia hæc, quantitas est sufficiens ad celebrandas cum hilaritate dictas Vigilias. Sic aliqui viri docti de hac re à me consulti.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam, qui vouit ieiunare in Vigilia Natiuitatis, Pascha, & Pentecostes, possit adhuc sumere collationem maiorem consueta?

NEgat Rodriguez *tom.1. summ. c.23. n.10.* quem citat, & sequitur Petr. Ledesm *tr.27. cit. à vers. A esta dificultad*, casu (inquiunt) quo vouerit ieiunare, sicuti cæteris diebus.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse. Nisi aliàs habuerit intentionem expressam abstinendi ampliori collatione. Quia secundùm interpretatiuam vouentis voluntatem, intelligendum est, se voluisse exercere ieiunium, secundum consuetudinem Ecclesiæ, & secundùm conditionem ieiunij. Sic Sanchez, *lib.4. in Decalog.c.11. n.65. & lib.5. consil. c.1. dub.26. num.3.* Bartholà S. Fausto, *lib.1. Thes. Relig. q.151.* & Pasqual. *decis.95. à num.3.*

QVÆSTIO XXV.

An in Curia Romana, possit sumi collatio maior consuetâ?

REspondeo: Posse. Quia id consuetudine est introductum, & toleratum à Pontifice: Sic Caiet. *in summ. v. ieiun. 3.1.* Armilla, *v. ieiun. n.12.* Azor, *1. p. lib.7. c.8. q. 8. in fine.* Fagund. *lib.1. de 4. prac. Eccles. c.4. n.24.* Vega, *2. p. summ. c.84. casu 5.* Toletus, *lib. 6. c.2. n.7.* Molsec. *tr.1c. summ.c.3. n.44.* Bossius, *sect.4. de Iubil. casu 18. n.151.* Filliuc. *tr.27. p.2. c.2 n.34.* Diana, *1. p. tr. 9. resl.35.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqual. *de ij.66. n.1.* Cum quibus notandum, hanc consuetudinem non esse extendendam ad alias Prouincias, ex eo solùm, quòd Romana Curia illam seruet. Quidquid in contrarium dicat, Vega, *1. p. summ. 14. casu 5. n. 104* Vbi inquirens: [Si el que ayuna quebranta el ayuno por hazer la colacion (como dizen) Romana? Respondet Que no, principalmente en Roma, que es costumbre antigua hazerla vn poco larga, laqual el Papa tolera. Armilla, y Caietano. Entiendo por Romana, vn poco mas de lo acostumbrado.] Ita Vega. Et ante illum Viguerius, *de Institut. Theolog. c.7. de temperantia, §.3. versu 1.* Vbi dicit, quòd non frangit ieiunium acceptio plurium fructuum in collatione, more Romanæ Curiæ.

QVÆSTIO XXVI.

An qui in Curia Romana sumeret collationem ita largam, vt sufficeret pro cœna, ieiunium frangeret?

NEgat Bossius. *loc. cit. n.154.* Qui talis, inquit, excusaretur ratione consuetudinis, & tolerantiæ Pontificis.

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Affirmatiuè. Quia certum mihi est, nec de facto dari talem cõsuetudinem; nec id à Pontifice tolerari. Sic Pasqual. *loc. cit. n.3.* Vbi docet, quòd de facto, nec talis consuetudo adsit, nec possit rationabiliter introduci, saluo ieiunio.

QVÆSTIO XXVII.

An qui est de Curia Romana, possit sumere extra ipsam, collationem, iuxta consuetudinem Curiæ?

AFfirmat Pasqualigus, *loc. cit. num.5. & decis.97. per totam*, ductus ex doctrina satis communi, quæ,

quæ docet, leges loci non obligare peregrinos ibi existentes; quam tradit Sanchez, *lib.3. de Matrim. disp.18.& tom.1.in Decalog. lib.1.c.12.n.38.* Tenebit, & à fortiori, Vega loco nuper citato, cùm id etiam illis, qui non sunt de Curia, concedat.

Sed probabiliùs, Respondeo: Non posse. Quia probabiliùs existimo, vt suprà, *tract.1. disp.3.à. q.19* diximus, quòd peregrini teneantur legibus, & consuetudinibus locorum, vbi existunt, vel per quæ transeunt. Sic debent sentire Authores, loco citato, adducti.

QVÆSTIO XXVIII.

An viri nobiles, seu graues, possint maiori vti collatione, quàm cæteri de plebe?

NEgat in re Fagundez, licèt verbis, id videatur concedere, *lib.1.de 4.precep. Eccles.cap.4.n.21.* Vbi quæstioni præpositæ à nobis, sic facit satis:Respondeo, si modum non excedant,eos licitè vti posse paulò maiori collatione, quàm cæteri homines plebei: tum, quia eos consuetudo excusat; tum, quia infirmioris sunt plerumque valetudinis,& delicatioribus cibis assueti, & pluribus epulis vescuntur;non excedent autem modum, si regulam à nobis suprà *n.13.* traditam, octo vnciarum, non excedant. Huc vsque ille. Nunc ego; sed sic est, quòd in sua sententia tradita, *n.13. & 19.* omnes, vniuersaliter loquendo, & cuiuscunque status, & conditionis personæ, possint vti collatione vsque ad quantitatem octo vnciarum: ergo si hanc quantitatem non debent excedere nobiliores, & graues viri, si modum nolint excedere, nihil amplius eis quàm plebeis viris concedit. Sed quidquid velit Fagundez.

Respondeo dicendum: Quòd possint vti maiori collatione. Ratio est quam Fagundez, verbis relatis, assignat; nempe. Et quia consuetudo eos excusat,& quia sunt debilioris valetudinis,&c.Sic Pasqualigus, *decis.98.num.1.* citans pro hac parte Azorium,*tom.1. lib.7.cap.8.q.8. circa finem.* Laymanum, *lib.4. Theol. moral. tract. 8.cap. 1. num. 9. ver. Quod attinet.* Sanctum *in selectis, disp.52. num.9.* Fagundez. (*loc.cit. à nobis*) Dianam 1. *p.tr. 9.ref. 1. verb. Nota tamen.* Bossium, *sect.4. de Iubil. casu 18.n.151.*& Molfesium, *tr.10. summ. c.3.n. 44.* Sed ex his non ita bene citat Fagundez, vt ex dictis constat. Addi tamen possunt, Tannerus, *2.2. disp.3.q.3. dub.5.n.91.* Machados *l.2. part.4.tr.3. docum.7.n.2. in fine.* Trull. *lib.3.in Decalog.c.2. dub.3. n.9. in fine,*& Villalob.*1.p.tr.33. diff.7 num.4.*

QVÆSTIO XXIX.

An qui sunt delicatioris complexionis, possint maiorem collationem sumere, quàm, qui robustioris sunt?

REspondeo: Posse. Quia, cùm faciliùs per ieiunium debilitentur prædicti, iustum est, quòd per ampliorem refectiunculam,quod deperdunt,reparetur. Sic Pasqualig. *loc.cit.* Sed certè non consequenter cùm suprà, *decis.88.* docuerit, in assignanda collationis quantitate, non esse habendam rationem personarum propter quod, nos ipsum, in hac parte, suprà *q.5.* refutauimus. Sic etiam Hieron Llamas,*3.p. Method.c.5.§.24.* Loquendo de his, qui capite sunt debiles. Layman, *n.9. citato, v.Quod attinet.*

QVÆSTIO XXX.

An qui studiis vacant, possint ampliorem refectiunculam sumere?

NEgat Pasqualig. *decis.89.* casu duntaxat,quo illi qui studiis vacant, studeant duntaxat certis horis, recreationis causâ. Nam si prædicti, continuò vacent studiis; ita vt in illis insumant totum illud tempus diei, quod solet impendi in operando,ingenuè fatetur, posse illos ampliori collatione vti.

Sed ego absolutè, probabiliùs longè, Respondeo: Posse ampliorem refectiunculam sumere; etiamsi continuò studiis non vacent dummodo certis horis (hoc est, quinque vel sex) studeant etiamsi id faciant recreationis causâ. Ratio est. *Primò.* Quia studium, etiam recreationis causâ habitum, valde debilitat, & consumit spiritus: ergo si debiles,& delicatioris complexionis possunt ampliori refectiuncula vti ad recuperandam debilitatem; vt suprà est habitum, eodem iure, & poterunt eadem collatione vti studio vacantes.

Secundò, ad hominem, sic contra Pasqualigum arguo. Nam (vt ipsemet concedit, *decis.333. à n.3.*) qui continuò, & assiduè student, etiam recreationis causâ, non solùm possint vti maiori collatione, verumetiam sunt immunes à ieiunij obligatione; ergo malè hic affirmat,solùm posse vti ampliori collatione,qui continuò studiis vacant. Sufficiet ergo illis ad licitè largiorem collationem sumendam, quòd per quinque,vel sex horas studiis quotidie vacent,etiamsi id recreationis causâ faciant. Sic sentit Layman, *n.9. cit. in fine.*

QVÆSTIO XXXI.

An aduocati, Procuratores, & aliæ personæ, quæ ingenio laborant, possint largiorem collationem facere?

AFfirmat Pasqualig. *decis.99.n.3.* casu tamen, quo tota die ingenio laborent, consulendo,informando, scripturas legendo, &c.

Sed ego absolutè Respondeo: Posse etiamsi tota die non laborent, sed per aliquas horas nempe, per quinque, aut sextam hic labor sufficientissimam afferet debilitationem, vt dictæ personæ paulò amplius corpus in collatione reficiant. Nec ad hoc est opus, vt tota die laborent; cùm ita laborantes, ab obligatione omnino ieiunij excusent, vt infrà videbimus,& ipsemet Pasqualig. *decis.325. & 334.* excusat.

QVÆSTIO XXXII.

An qui malè dormiunt, quando non cœnant; possint refectiunculam solitam excedere?

REspondeo: Posse excedere, in tota illa quantitate, quæ censeatur necessaria, vt possint congruè dormire. Sic Hieron. Llamas *c.5.cit.§.24.*& Pasqualig. *decis.100.* Qui bene notat, ad hanc indulgentiam capiendam, non requiri, quòd somnus omnino impediatur, sed aliqualiter.

QVÆSTIO XXXIII.

An quotiescumque consueta exercitia valde corpus, aut animum fatigant, sit licita paulò largior collatio?

REspondeo, Affirmatiuè. Quia si huiusmodi exercitia soluunt obligationem ieiunij, quando

sine incommodo notabili non possunt ieiunando exerceri: multò magis reddent licitam, refectiunculam paulo laxiorem, quando censetur necessaria ad vitandam nimiam debilitatem. Sic optimè Pasqualig. *loc. cit.* licèt eius ratio militet contra ipsum, & in fauorem horum, quæ nuper, *q.* 29. *&* 30. diximus.

QVÆSTIO XXXIV.

An obligatus ex voto, aut pænitentia ad ieiunandum certa die, si in ipsa incidat vigilia Natiuitatis, satisfaciat vtrique obligationi, sumendo collationem, iuxta consuetudinem diei?

NEgant Rodriguez, *in summ.* 1. *part. cap.* 23. *n.* 10. Petrus Ledesma, *tract.* 27. *cap.* 2. *vers. A esta dificultad.* Bossius, *de Iubilao*, *sect.* 4. *casu* 18. *num.* 162. & Ludouic. de S. Ioann. *quæst. de Ieiunio*, *art.* 12. *diff.* 3. *dub.* 3.

Sed probabiliùs Respondeo: Satisfacere. Quia cùm obligatio ad ieiunium sit determinata pro illa die, implicitè intelligitur esse, iuxta consuetudinem diei eiusdem. Sic Sanchez, *lib.* 4. *in Decalog. c.* 11. *n.* 65. Pasqualigus, *decis.* 101. & alij.

QVÆSTIO XXXV.

An in collatione, liceat alicui sumere totam illam quantitatem panis, vino madefact., aut iusculo cocti; quam sumere liceret, si crudum panem sumeret.

NEgat Filliuc. *tr.* 27. *cit. part.* 2. *c.* 2. *n.* 31. eo quòd ex iusculo, aut vino, & pane fiat vnicus cibus solidus, cuius quantitas excedit mensuram licitam collationis. Et ideò demendum est, inquit, ex iis, quod superat debitam mensuram. Ita etiam Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9.

Sed probabiliùs Respondeo: Licere. *Primò.* Quia iusculum, quod miscetur cum pane (vel alio cibo solido) non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem; vt constat: ergo eadem duntaxat quantitas cibi nutritiui sumitur, ac si sumeretur crudus. *Secundò.* Quia licitum est omnino, sumere totam quantitatem panis, quæ est licita, & ipsam vino imbuere, quamuis ex hoc crescat in pondere: ergo, & quocumque alio liquore. Sic Pasqualig. *decis.* 106. dicens, sic sentire doctissimos Recentiores, super hoc consultos, & à viris prudentibus obseruari in praxi. Et Bossius, *sect.* 4. *cit. casu* 18. *num.* 128.

Nec obstat ratio Filliucij; scilicet, quòd panis madefactus, in pondere crescat, & ideo demendum sit ex illo, quod superat debitam mensuram: quia respondetur, quòd illud augmentum ponderis, est omnino per accidens, nec est secundùm rationem substantiæ ordinatæ ad nutritionem; sed secundùm rationem temperamenti ordinari per modum medicinæ ad commodum stomachi; & ideò non est necessarium quòd adimatur illa quantitas, quæ in pondere creuit. lege pro nostra opinione Dianam *p.* 9. *tr.* 6. *Resol.* 29. Escobar, & Pellizarium apud ipsum.

QVÆSTIO XXXVI.

An in collatione, licitum sit, vti pane?

NEgat D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *cap.* 2. *§.* 9. per hæc verba: Et quia panis est principalis cibus ordinatus ad nutriendum, minùs congruum videtur panem sumere, sumendo autem buccellam panis, frangitur ieiunium. Ita ille. Cuius sententiam tenuerunt alij, quos, suppresso nomine, citant Azor. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 7. & Vega *infrà.*

Affirmant verò alij, licitum esse vti pane, per modum medicinæ, ne videlicet stomachus potu labetur; non verò, per modum cibi. Ita Abulens. *q.* 170. *in c.* 6. *Matth.* Archidiac. apud Syluestrum. Angel. *verb. Ieiun. n.* 3. & penes ipsum, Gotfred. & alij. Ledesma, 2 *part.* 4. *quæst.* 17. *art.* 5. *concl.* 4. Innocenc. *in Rub. de obseru. Ieiunior.* & in hanc sententiam videtur inclinare Syluest. *verb. Ieiun. n.* 10. *in fine*, quamuis id concedat in casu, quo quis sine pane, potus, quo indiget, obesset; aut quando fructus non habet, vel si habet, non stomachum fructibus opportunum.

Sed vt iam certissimum, Respondeo: Iam licitum esse vti pane, etiam per modum cibi. Quia id iam vsus & consuetudo præscripsit. Sic Nauarr. *in Manuale c.* 21. *à n.* 13. Caiet. *in summ. verb. Ieiun. §.* 1. *&* 22. *q.* 147. *art.* 6. Armilla, *v. Ieiun. n.* 1. Angles, *q.* 9. *de ieiun. art.* 2. *diff.* 4. *in fine*, quamuis hic Author scrupulosè loquatur: ait enim, non esse habendum scrupulum, si panis buccella interponatur. Viuald. *in candelab.* 3. *p. c.* 11. *n.* 25. apud Pasqualigum, apud me vero, *c.* 15. *n.* 40. *pag.* 75. Fagundez, *c.* 4. *cit. n.* 13. Grass. 1. *p. decis. lib.* 2. *c.* 37. *n.* 29 Molfes. *tom.* 1. *summ. tr.* 10. *c.* 3. *n.* 24. Syluius 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *q.* 2. Bein, 1. *p. casu.* 3. Vega, 1. *p. summ. c.* 14. *casu* 5. Hieron. Llamas, 3. *p. Method. c.* 5. *§.* 24. *pag. mihi* 525. Filliuc. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 29. Azor. *loc. cit.* Layman, *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 9. Petr. Ledesma, *tr.* 27. *c.* 2. *vers. A esta duda, pag. mihi* 741. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 8. Bossius, *sect.* 4. *cit. casu* 18. *n.* 123. *&* 124. Lezana, *v. Ieiunium. num.* 4. Ghetius, *in Thesauro animæ v. Ieiunium, c.* 1. *n.* 4. Villalob. *p.* 1. *tr.* 23. *diff.* 7. *n.* 3. Pasqualig. *decis.* 107. qui, & citat Rodriguez, 1. *p. summ. c.* 23. *n.* 8. Sed malè, quia nec, *n.* 8. *nec* 9. de hac quæstione agit; nec adhuc obiter, circa illam, quid dicit: Citat etiam Emanuelem Sà, *verb. Ieiunium, n.* 8. *verb. Tres, aut quatuor* sed, nec hic Author talem versum habet; nec in toto tractatu de ieiunio, de hac agit quæstione lege Dianam *p.* 9. *tr.* 6. *Resol.* 15. qui optimè contra Pellizzarium posse quem licitè sumere in collatione totam quantitatem licitam in solo pane.

QVÆSTIO XXXVII.

An liceat in collatione, sumere herbas elixatas aquâ, & oleo, &c. Hispanè. Ensalada cocida?

NEgant Doctores, qui pro collatione sumenda, solum panem, vel fructus; veluti, poma, pyra, & alia huiusmodi, concedunt Sunt autem, D. Anton. 1. *p. tit.* 6. *c.* 2. *§.* 9. Abulens. *q.* 170. *in c.* 6. *Matth.* Ledesma, 2. *p.* 4. *q.* 17. *art.* 5. *concl.* 4. Innoc. *in Rubrica de obseruatione Ieiunij.* Armilla, *verb. Ieiun. n.* 1. Nauarr. *cap.* 21. *cit. à n.* 13. Vega, 1. *p. sum. c.* 14. *casu* 15. Viualdus *loc. nuper citat.* & alij.

Sed vt etiam certissimum, Respondeo: Licere. *Primò*, ob consuetudinem receptam. *Secundò* quia omnes concedunt esse licitum vti in collatione fructibus, & herbis crudis: ergo, & coctis: quia coctio nihil substantiæ eis addit; sed solùm adimit, aut mitigat earum cruditatem. Sic Bossius, *casu* 15. *cit. num.* 118. Layman, *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. *in fine* Pasqualigus *decis.* 108. & alij statim citandi.

QVÆ

QVÆSTIO XXXVIII.

An iuscula, ex herbis, pane, & huiusmodi, sale, & oleo condita; possint sumi in collatione?

NEgant, non solùm Authores citati pro prima sententia, nuper relata, sed etiam Layman, *loc. cit.* Fillinc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 9. Lezana, *in summ. verb. Ieiunium, n.* 4. apud Pasqualigum, *vbi infrà.*

Sed ex his Authoribus, Trullench, oppositum videtur amplecti; per hæc verba: Vnde absolutè, & simpliciter ego non condemnatem eum, qui in refectiuncula vescitur pane cocto, cũ aqua, oleo, & sale, quòd vulgò dicitur, *Migas*, in quantitate aliàs licita, quia hic cibus solet sumi in ientaculis; præcipuè si aliqualis intercedat causa. Sic ille. Vnde,

Probabiliùs Respondeo: Posse. Quia iuscula huiusmodi solùm important mixtionem illorum, quæ aliàs cruda, imò & cocta possunt adhiberi pro collatione: at mixtio nihil eis addit substantiæ: ergo. Sic Pasqualigus, *decis.* 109. & apud ipsum, Azor *part.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 8. *in fine.* Fagundez, *lib.* 1. *de* 4. *præc. Eccles. c.* 4. *n.* 20. Bossius, *sect.* 4. *de Iubil. casu* 18. *n.* 128. Ghetius, *verb. Ieiunium, c.* 1. *n.* 4. Bizozer, *in summ. part.* 4. *de* 3. *præcep. Decalogi, c. vlt. memb.* 2. *n.* 3. *vers. Sed Caiet.* Quibus addi possunt Reginald. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 14. *num.* 185. *vers. Quartum documentum,* & Bonac. *disp. vltim. de præcep. Eccles. q.* 1. *punct.* 3. *n.* 3. Quos citat, & nescio, an sequatur, Diana, 1. *p. tr.* 9. *resol.* 34. *vers. Non reticebo.* Leander de Murcia, *c.* 2. *n.* 42. *super cap.* 3. *Regula S. Francisci.* Sanchez, *in consil. lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 25. *num.* 1. Villalob. *loc. cit. num.* 3. & Trullench, *vbi suprà.*

QVÆSTIO XXXIX.

An legumina cum iusculo condita, possint adhiberi in collatione?

AFfirmant aliqui posse. Fundamentum eorum est. Quia legumina viridia (v.g. fabæ, ciceres. & pisa) assumi possunt; imo, & communiter de facto assumuntur, pro collatione: ergo, & sicca, & cum iusculo condita, possunt assumi cùm eandem omnino retineant substantiam. Sic Pasqualigus, *decis.* 110. & (penes ipsum) Bonac. *punct.* 3. *n.* 3. *cit.* Bossius, *sect.* 4. *de Iubil. casu* 18. *num.* 128. Ghetius. *verb. Ieiunium. cap.* 1. *n.* 4. Bizozer, *part.* 4. *de* 3. *præcep. Decalog. cap. vltim. membr.* 3. *n.* 3. *vers. Sed Caiet.* & Fagundez, *lib.* 1. *de* 4. *præc. Eccles. cap.* 4. *num.* 20.

Sed ex Authoribus, quos Pasqualigus citat, hic vltimus, oppositum docet, loco cit. per hæc verba: Respondeo, fas esse sumere; dummodo, iusculum cum aliquo cibo aliàs vetito, non sit coctum; sed tantùm vel cum pane, vel cum fructibus, aut herbis cum oleo, & dummodo ea etiam refectiuncula tàm parum, & modicè sumatur, vt in cœnam non transeat & ita docet Azor, &c. Huc vsque Fagundez, ex Azorio omnino, quem pro opposito citat Pasqualigus, & pro hac parte Fagundium: sed malè, vt vides. Dicit tamen Trullench, *loc. cit.* hanc sententiam esse probabilem, nec post factum, condemnare quem, illam secutum.

Sed ego probabiliùs, Respondeo: Non posse. *Primò,* quia in collatione, solùm sumi possunt bellaria, hoc est, fructus, insalata, dulciaria, & alia, quæ ante prandium, ad excitandum appetitum, vel post, ad sigillandum cibum, apponi solent; sed legumina cocta non sunt ex his cibis: ergo. *Secundò.* Quia consuetudo huc vsque non introduxit, vt in collatione sumantur legumina cocta: ergo non possunt nunc licitè sumi. Sic Azor, *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 8. *vers. Quæres insuper.* Et ex illo Fagundez, *lib.* 1. *de* 4. *præcept. cap.* 4. *num.* 20. *cit.* Layman, *lib.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1. *n.* 9. Fillinc. *num.* 30. *cit.* Villalob. *tract.* 23. *diff.* 7. *num.* 7. Reginald. *num.* 185. *cit. vers. Pro huius explicatione.* Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. Lezana, *verb. Ieiunium. num.* 4. Diana, 1. *part. tract.* 9. *resol.* 1. & 34. & *part.* 5. *tr.* 14. *Resol.* 14. Ausonius in summ. Dianæ, *verb. Ieiunium, num.* 62. Victorellus, *in Notis ad Toletum, lib.* 6. *cap.* 2. *versu, Viris Nobilibus.* Leander de Murcia, *loc. cit.* Anton. de Leone, *part.* 3. *de Chocolate. num.* 4. *fol.* 96. & alij.

Ad fundamentum autem Pasqualigi: neganda est consequentia. *Tum,* quia legumina viridia connumerantur inter bellaria; non verò condita. *Tum etiam,* quia de illis extat consuetudo præscripta; de iis verò minimè.

QVÆSTIO XL.

An cremor amygdalinus, aut triticeus (Hispanè Almendrada, y Almidon) *sumi possit in collatione?*

AFfirmant, & consequenter, Authores pro prima sententia quæstione antecedenti, adducti. Quia (inquiunt) omnes communiter concedunt Amygdalas, triticum coctum, vel substantiam triticeam, factam panem, posse sumi in collatione serotina; ergo consequenter debent concedere, posse assumi cremores amygdalinos, aut triticeos, qui ex illis fiunt. Patet consequentia, quia non debet pro collatione negari id quòd aliàs conceditur, ex eo, quòd subeat aliquam mutationem accidentalem; cùm hæc non augeat virtutem nutritiuam. Nec condimentum quod additur obstat: nam hoc assumi potest in collatione, cùm consistat in sacchato, sale, & aliis huiusmodi: ergo. Sic Pasqualigus, *decis.* 111. qui pro hac parte citat Caietanum, *in summ. verb. Ieiunium,* §. 1. *in fine.* Bonac. *disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 3. Bizozer, *part.* 4. *summ. de* 3. *præcept. Decalogi c. vltim. membr.* 3. *num.* 3. *vers. Sed Caiet.* Sed certè, nec Caiet. nec Bonacina (imo nec Bizozer, vt ipse Pasq. innuit) id expressè docet: an verò colligitur ex eorum doctrina, infrà constabit. Vnde,

Ego, iuxta nuper dicta, probabiliùs Respondeo negatiuè: Ob rationes, nuper pro nostra sententia, quæstione antecedenti, assignatas. Sic debent tenere omnes Doctores, quos suprà *à q.* 35. *vsque ad* 38. pro oppositis nostræ sententiæ citauimus. Et in speciali id tenent Bossius, *sect.* 4. *de Iubilæo, casu* 18. *num.* 129. Sanchez, *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 25. *n.* 4. (licèt id concedant ex iusta causa) Trullench, *n.* 8. *cit.* Lezana etiam, *n.* 4. *cit.* Fillinc. *tr.* 27. *part.* 2. *n.* 30. Leander de Murcia, *loc. cit. n.* 36.

QVÆSTIO XLI.

An liceat in collatione, vti piscibus recentibus in quantitate debita?

AFfirmat Pasqualigus, *decis.* 113. *num.* 2. afferens pro se, Azorium, 1. *part. lib.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 7. & Lauorium, 1. *part. de Iubilæo, cap.* 20. *de Ieiunio, n.* 10. concedentes, paruos pisciculos recentes. Caietanum, *in summa verb. Ieiunium,* §. 1. *in fine,* Bonacinam, *pun.* 3. *num.* 3. *cit.* Ghetium, *verb. Ieiunium, cap.* 1. *num.* 4. & Bizozerum, *part.* 4. *summ. de* 3. *præcept. Decalog.*

cap. vltim. mem.2. num.2. verb. Sed Caiet. Quibus adde Patrem Vidal, Marchantium, Ghetium, Nicolaum Moscicensum, Vuigers, Zambellum & alios apud Dianam infrà.

Sed, ex his Authoribus, oppositum docet Azor, *cap.8.cit.q.8.* vocans contrarium, corruptelam, per hæc verba: Vt proinde corruptela sit, si ij cibi sumãtur, qui potissimùm ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces. Vnde, qui his dum, refectiunculam capit vespertinam, vtitur, cœnat proculdubio, & Ieiunium soluit. Sic Azor. Et sic pro contraria sententia illum citat Layman. Nec Caietanus id concedit, loco citato à Pasqualigo, saltem expresŝè: Imò, nec tacitè; vt, ex dicendis, quæstione sequenti patebit. Benè tamen Bonacina, per hæc verba: Posset etiam comedi pisciculus, aut exigua pars piscis maioris. Et credo, quòd etiam alij Doctores, quos Pasqualigus citat, id docent, probabile reputat Trullench, vbi infrà.

Probat Pasqualigus hanc suam sententiam multis argumentis. *Primo.* Quia, vel refectiuncula adhibetur per modum medicinæ; vel ad confortandam naturam: propter hunc finem non erit contra illum, sed potius conformius illi, adhibere recentes pisciculos, aut piscem quemcumque, in exigua quantitate, quantumuis hic, ex sua primaria institutione, ordinetur ad nutriendum. Si autem adhibeantur, propter medicinam, adhuc sequitur, potiùs esse adhibendum piscem in collatione, quàm fructus, & alia, quæ solent adhiberi; cùm hæc, potiùs debilitent, & relaxent stomachum, & generent cruditates; pisces verò stomachum corroborent, & tribuant illi virtutem, ne potus noceat &c. ergo.

Secundò. Quia pisces sunt cibus maceratiuus & exigui nutrimenti: ergo, etiamsi in refectiuncula adhibeantur, adhuc seruabitur maceratio proportionata ieiunio.

Tertiò. Quia pisces minùs nutriunt, quàm plures alij cibi concessi pro collatione, videlicet, quam panis, & quædam genera nucum, vt pinei, pistacei, caseus, & butyrum, quæ plus nutriunt, quàm pisces: ergo si conceduntur cibi, qui plus nutriunt, non videtur negandus piscis, qui minùs nutrit. *Quartò,* tandem, quia sic sentiunt docti, & probi Recentiores. His tamen non obstantibus.

Tanquam certum mihi Respondeo: Quòd in collatione non liceat vti piscibus recentibus. *Primò* Quia consuetudo omnium, tam Doctorum, quàm vulgarium hominum, vsque ad hæc nostra tempora, oppositum tenuit, vt constat: ergo illam excedere, non erit licitum, sicut non est licitum legem excedere; nam consuetudo vim legis habet.

Secundo. Quia collatio, propter consuetudinem duntaxat est licita: Sed sic est, quòd nunquam sunt introducti pro collatione pisces, præcipuè recentes: ergo illos manducare, illicitum erit.

Tertiò. Quia sic tenent communiter Doctores. Azor 1. *part. lib.7. cap.8. q.7.* vocans oppositum, corruptelam. Fagundez *de 4. precept. Eccles. lib.1. cap.4. num.8.* (vbi pro opposita sententia, etiam citat Azorium. Sed certè Azorius, vel sibimet contrariatur expresŝè, vel intelligendus est, dum oppositum dixit, de pisce siccato, non recenti, vt infrà notabimus.) Layman *lib.4. Theol. moral. tract.8. cap.1. num.9.* Angles *in floribus tract. de ieiun. art.2. diff.4.* Reginald. *lib.4. cap.14. dub.10. num.185. in principio.* Filliuc. *tom.2. tract.27. part.2. cap.2. dub.6. num.30.* Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.24. num.4.* Ledesma *tract.27. cap.2. vers. A esta duda.* Luysius Turrian. *in summ.1. part. c.256. dub.37. concl.5.* Bossius *de Iubil. sect.4. casu 18. num.130.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.3. num.8.* Lezana *in summ. verb. Ieiunium, num.4.* Villalob. *tract.23. diff.7. num.3.* Viuald. *in Candelab p.3. cap. mihi 15. num.42. pag.75.* Diana 1. *part. tract.9. Resol.1.* vbi oppositam sententiam, sine ratione, & fundamento: & contra communem sensum Doctorum, appellat. & 4. *part. tract.4. Resol.117. ver. Nota. & part.5. tract.14 Resol.14.* & nouissimè me citato *part.10. tract.14 Resol.58.* & antea *part.9. tra.1. Resol.8.* Leander de Murcia, Pelizarius, Ioanoes Henriquez & alij apud ipsum. Tenent & omnes alij, qui solos fructus, vel ea, quæ ante, vel post prandium solent adhiberi, pro collatione, concedunt.

Ad Primum argumentum Pasqualigi, dicendum est, verum esse, quod refectiuncula iam ordinetur ad nutriendam etiam naturam: sed ex hoc non sequitur quòd debeat quis in refectiuncula nutriri necessariò, per ea, que ex primaria sua institutione ordinantur ad nutriendum; aliàs posset, absque dubio, per optima absque distinctione, cibaria, in die ieiunij non vetita; quod, ad vsque hæc nostra tempora, nemo ausus est dicere; quia nemo ausus est sic cibari, aut refici. Nec rursus, ex eo cap. quòd refectiuncula sumatur per modum medicinæ (cui, illi ex primaria sua institutione competere *quæst.3.* diximus) sequitur, potiùs esse adhibendos pisces, quàm fructus, ea de causa, quod fructus debilitent stomachum, & generent cruditatẽ; pisces verò corroborent stomachum, & tribuant illi virtutem, ne potus noceat, &c. nam id falsissimum est; quia (vt bene notat Schola Salernitana, *in opusculo de tuenda valetudine, misso ad Regem Anglia cap.30. & cap.38. vers. Post pisces nux sit, post carnes caseus adsit:*) Pisces phlegmata generant, suntque frigidioris, & humidioris temperaturæ; & ideo, ob id difficiliùs concoquuntur, tardiùs subducuntur, promptissimè in ventriculo corrumpuntur, & putrescunt, & putrescendo sitim generant, & veneni interdum non nihil in se continent. Sic ibi Schola. Non ergo pisces adhibendi in collatione debent, quia virtutem tribuunt stomacho, & saluberiores fructibus sint; cùm falsissimum id esse cõstet. Adhibeantur ergo fructus, aut herbæ coctæ; nam istæ faciliùs cõcoquuntur, sitim mitigant, & sufficienter stomachum corroborant.

Ad Secundum argumentum, quod contrarium omnino primò, facto ab ipsomet Pasqualigo, est dicendum: Quòd dato, quòd pisces sint cibus maceratiuus, exiguique nutrimenti, non ideò sequitur, posse in collatione adhiberi si aliàs per consuetudinem sint, (vt sunt) prohibiti. Adde, quòd magis maceratiuus cibus sunt fructus, & minoris nutrimenti, ideoque fructibus, non piscibus, vsi sunt omnes Sancti Monachi, & Eremitæ.

Ad Tertium dicendum est, quòd; dato, quòd pisces minùs nutriant, quàm panis, & aliqua alia, quæ possunt in collatione adhiberi, non inde sequitur, quòd etiam adhiberi pisces possint. *Primò*, quia hos cõsuetudo prohibuit; non panem, & fructus. *Secundò*, quia licet panis magis nutriat, quàm piscis; magis tamen nutrit panis cum piscibus sumptus, quàm sumptus cum herbis aut fructibus. Quis enim poterit in dubium vertere; an maius nutrimentum afferat sumptio trium vnciarum panis, & quinque piscium; præcipuè magnorum (vt Thunni, Salmonis, Truttæ, Hispanè, *Atun, Salmon, Trucha, &c.*) quàm sumptio panis, quantitate trium vnciarum, & vnciarum quinque fructuum? Nullus profectò. Sicut nullus poterit dubitare, sed pro certo habere, non ieiunare illum, qui in refectiuncula vespertina, cum duabus panis vnciis, sex Thunni, Salmonis, &c. sumeret.

Qvæ

QVÆSTIO XLII.

An saltem liceat in collatione vti piscibus fumo siccatis, saléque conditis?

AFfirmant Layman *lib.4. Theol. moral.tract.8.c.1. num.9.* Qui, & citat Azorium 1.*p.lib.7. cap.*8. q 7. Bossius *sect.4. de Iubil. casu* 18. *num.*126. quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus *decis.*112. addens, ita debere sentire illos, qui docent, non esse attendendam qualitatem, sed quantitatem cibi, qui sumitur. Sunt autem, apud ipsum, Caietanus, Bonacina, Ghetius, & Bizozerus.

Sed certè ex his Doctoribus, Caietanus, saltem, & Bonacina, quos vidi, nequaquam docent, non esse attendendam qualitatem, sed solùm quantitatem cibi. Nam Caietan. 2. 2.*q.*147. *art.6.* contrarium expressè sentit, dum docet; non licere vti pane in collatione ieiunij, vbi id non est consuetum. Ait enim sic: Deferendum tamen est consuetudini loci, scilicet, vbi non consueuit sumi panis, non sumatur, sine rationabili causa, putà, quia fructus nocerent, aut non habentur, aut non possunt conteri dentibus. Sic ille. Nunc ego. Quomodo igitur Caietanus docere potuit, non esse attendendam in collatione qualitatem cibi, qui tam asseuerantet tenuit, non posse in ea sumi panem, nisi casu, quo fructus nocerent, &c. Valeat ergo Pasqualigus, & intelligat Caietanum in summa, explicétque illum, per ea, quæ latius, & seriùs, 2.2.*loc.cit.* docuit. Non enim tempore Caietani, de his quæstionibus, quas nunc exagitamus, erat dubium; sed solùm; an panis poterat pro collatione sumi; ad hanc ergo quæstionem respondet Caietanus *in summa & 2. 2.* posse, cum limitatione assignata. Audiat nunc Pasqualigus, quæso, Laymanum, sic Caietanum explicantem, *cap.1.cit.* per hæc verba: Id porrò non satis intelligo quid Caiet.verb. Ieiunium, in fine capit.1. inquiens: *Non referre, quid quisque in serotino ientaculo sumat, si modum non excedat.* Si enim de omnibus cibis vniuersim loquitur, profectò, & consuetudini Ecclesiarum, & aliorum Doctorum, fideliúmque persuasioni contradicit. Sed arbitror, solùm intellexisse de pane, & fructibus, nihil referre, quid quisque ex his sumat in quantitate modica. Hùc vsque Layman *loc. cit. num.9.* Et ante illum, sic exposuit, & intellexit Caietanum Bossius *loc.cit.num.*134. & penes illum, Azor *quæst.cit. in fine.*

Rursus, nec Bonacina id absolutè docuit; potiùs innuit, aliqualiter, esse attendendum ad qualitatem collationis: ait enim *num.3.cit.* sic: Obserua tamen in secunda refectione, non ita strictè prohiberi cibi qualitatem, sicuti interdicitur quantitas, &c. & *infrà,* Ex quo patet, in secunda refectiuncula tempore ieiunij sumenda, magis seruandam esse quantitatem. quàm cibi qualitatem, modo iis cibis non vtamur, qui tempora ieiunij in prima refectione prohibentur. Ita ille. Ex cuius verbis constat, sensisse hunc Authorem, licèt non ita strictè, ac quantitatem, prohiberi aliquo modo qualitatem cibi in refectiuncula, & ad illam esse attendendam, vt constat ex illis verbis: *magis seruandam esse quantitatem* &c. Vnde.

Longè multò probabiliùs, multóque veriùs, & vt mihi certum, Respondeo: Non posse. Quia, nec ratio; nec vsus virorum prudentum, & timoratæ conscientiæ, ad contrarium tuendum, vegent; vt constat; cùm sit omninò contrarius.

Nec facit quidquam, caput *Presbyter distinct.*82. *& cap.2. de Homicidio,* (quod Pasqualigus, & Layman ad confirmandam suam sententiam afferunt) vbi agentibus pœnitentiam in ieiunio in solo pane, & aqua, conceduntur pisciculi. Quia potiùs hi textus fauent nobis, concedendo, videlicet, pœnitentiam agentibus in pane, & aqua, paruos pisciculos non absolutè, sed in præcipuis solemnitatibus, & ad recreationem pœnitentium: ait enim textus sic: *Pane, & aqua à vespera in vesperam viatur, tantùm autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne, & sagimine, ouis, & caseo &c.* Sic communiter Doctores citati pro primis sententiis à *quæst.*35. Præcipuè, Fagundez *in 4.præcept. lib.1. cap.4. num.*18. Diana 1.*part. tract.9. Resol.*1. & penes illum ibi, Villalobos, Azorius, Reginaldus, Angles, & alij. Et *part.5. tractat.*14. *Resolut.*14. vbi pro hac parte citat Bossium, loc. à Pasqualigo pro se citato, *num.*130. Anton. de Leon *quæst. de chocolate, part.3. num.4. fol.* 96.

QVÆSTIO XLIII.

An cibus albus, Hispanè, **Manjar blanco.** ***Si, vice carnis, conficiatur ex pisce; possit adhiberi in collatione?***

AFfirmat absolutè Pasqualig. *decis.*113. *cit. n.9.* Quia (inquit) est ex cibis, qui post prandium apponi solent, & enumerantur inter placentas. Vnde cætera etiam pulmenta, quæ fiunt ex piscibus poterunt (inquit) adhiberi; nam quæ ipsa ingrediuntur, non sunt aliàs prohibita in refectiuncula.

Sed longè multò probabiliùs, imò vt mihi certum, Respondeo, iuxta dicta: Non posse. Quia piscis substantia, quæ in illud genus cibi ingreditur, est prohibita in refectiuncula, vt nuper est habitum. Nec est asserendum contrarium vrget quid argumentum Pasqualigi. Nam etiam caseus solet apponi post prandium, & tamen, vt statim dicemus, nequit in refectiuncula sumi. Sic debent sentire omnes Doctores pro nostra sententia, quæstione præcedenti, adducti.

QVÆSTIO XLIV.

An quando in die ieiunij, est licitum lacticinia in prandio edere; sit etiam licitum, caseum, & aliud quidquam ex lacte confectum, in collatione sumere?

AFfirmat etiam Pasqualigus *decis.*114. Quia (inquit) cùm caseus, & lacticinia, non sint vetita in die ieiunij, & habeat caseus illas conditiones, quas requirunt, qui rigidè in assignandis cibis pro refectiuncula, procedunt; nam non enumeratur inter fercula; apponitur post prandium inter bellaria; adhiberi solet extra ieiunium in ientaculis communiter, non video rationem aliquam ob quam non sit licitus pro refectiuncula ieiunij, sicut, & cætera, quæ ex lacte constant, cùm sint eiusdem substantiæ, & nutrimenti. Ita ille. Et (penes ipsum) Layman *lib.4. Theol. moral tract.8. cap.1. num 9. vers. Id porrò, in fine.* Luysius Turrian. *in sum. 1.part. capit.*256. *dub.*37. *concl.*2. Syluius 2. 2. *quæst.*147. *art.*8. *quæsito* 2. Ghetius, *in thesauro animæ, verb. Ieiunium cap.1. num.4.* & Bossius *sect.4. de Iubil. casu* 18. *n.*132. Additque in hanc sententiam videri inclinare Dianam, *part.5. tract.*14. *Resol.*12. *vers. Sed negatiuam,* & à fortiori, id debere tenere Caietanum, Bonacinam, & Bizozer.

Sed, ex his Doctoribus, quos Pasqualigus, pro se citat; ad minùs Diana, oppositum expressè tue-

tur 1. *part. tract. 9. Resol. 1. ver. Sed cum quantitatem.* Vdi sit ait: Difficultas ergo erit, circa qualitatem ciborum dictæ collationis; nam multi pessimè in illa sumunt pisces, oua, & cætera lacticina, quibus possunt ex priuilegio vesci, ideò, quoad secundum punctum de qualitate ciborum, assero in dicta collatione sub onere peccati mortalis, quantitatem licitam non posse sumi in piscibus, ouis, & aliis lacticiniis, seu cibis substantialibus in cœna manducari solitis &c. Sic Diana ibi. Et *vers. ex his omnibus*, oppositum esse contra omnes Theologos, & improbabile, & falsum, apertè ait. Quid autem sentiat 5. *part. tract. 14. Resol. 12.* Videant alij. Deinde, nec Caietanus, nec Bonacina sunt expressè pro hac sententia, vt, ex dictis suprà *q. 40.* patet. Nec Layman illam absolutè docet; cùm solùm dicat, *In Septentrionalibus regionibus, vbi fructuum inopia est, multos etiam modico caseo cum pane vesci in cœnula ieiunij: quod propter consuetudinem reprehendi non potest.* Sic ille. Nunc ego: ergo vbi non adest consuetudu reprehendi debet ex sententia Laymanij. Denique Bossius citatus, licèt sententiam Pasqualigi doceat, est tamen cum timore; cùm in fine addat; tutiùs esse abstinere à caseo, idque consulendum pœnitentibus. Vnde,

Tanquam certissimum mihi Respondeo: Non esse licitum in prædictis diebus ieiunij, caseum, vel aliud quodcumque ex lacte confectum, in collatione sumere. *Primò.* Quia consuetudo, huc vsque, esum casei, & aliorum lacticiniorum non introduxit in collatione: ergo huc vsque non possunt in ea licitè sumi.

Secundò. Quia, licèt caseus non numeretur inter fercula, quæ in cœna apponi solent, & ex hoc capite posset in collatione sumi, numeratur tamen inter cibos, qui prohibentur in collatione exhiberi; & ita, ex hoc capite, non potest illo quis in refectiuncula vti.

Tertiò. Quia, ad minùs, multa, quæ ex lacte conficiuntur condimenta, enumerantur inter fercula, quæ in cœna apponi solent, vt sunt cibus albus, Hispanè, *manjar blanco, natillas*, &c. ergo malè dicit Pasqualigus, ex hoc capite, non prohiberi in collatione sumi.

Tandem. Quia (vt affirmat Pasqualigus) quòd assumitur in collatione, debet esse tale, quod det virtutem stomacho, illúmque aliqualiter corroboret; at caseus non solùm stomacho, sed, & capiti, & pectori nocet, vt docet Schola Salernitana *opusc. cit. pag. mihi* 215. ergo, nec ex hoc capite erit congruum in collatione adhiberi. Sic sentiunt communiter Authores, suprà pro nobis citati. Et expressè Sanchez *in consilijs, lib. 5. cap. 1. dub. 24. num. 4.* Diana 1. *part. loc. cit.* & quod attinet ad butyrum, etiam negat Bossius *loc. cit. num.* 131. Sed certè non consequenter: Cùm eiusdem sit substantiæ cum caseo, & lacte; & solùm differat in eo quòd conficitur ex subtilioribus partibus lactis.

Ad argumenta autem Pasqualigi, ex probationibus, pro nostra responsione probanda adductis, facilis constat responsio.

Qvæstio XLV.

An sit licitum adhibere in collatione, placentas, quæ constant ex lacte, caseo, & butyro?

AFfirmat Pasqualigus *decis.* 114. *cit. num.* 5. Quia (inquit) cætera, quæ ingrediuntur placētas huiusmodi, non sunt ex his, quæ non sunt permissa in refectiuncula; nec fit tertia substantia illicita; quia quodlibet ingredientium manet in propria substantia. Sic pasqualigus, citans pro hac sua sententia Bossium, *loc. cit. num.* 133. Sed certè Bossius, solùm docet posse sumi placentam in modica quantitate; eo quòd Butyrum transeat in aliud genus cibi.

Sed vt certissimum Respondeo: Nun esse licitum. Quia quodlibet ingredientium placentas, manet in propria substantia, vt concedit Pasqualigus, (quidquid aliud velit Bossius:) at sic est, quòd quodlibet eorum est omninò prohibitum, in collatione adhiberi, vt quæst. præcedenti, est habitum: ergo à fortiori, erunt prohibita omnia simul: ergo placentæ, constantes ex lacte, caseo, & butyro, non possunt licitè in collatione adhiberi. Vnde, & constat, id nec consequenter concedi à Bossio negante, butyrum posse in collatione sumi: & esse ridiculum id, quod Pasqualigus dicit; videlicet, quòd cætera, quæ ingrediuntur placentas, non sint ex non permissis in refectiuncula. Inquiro namque ab ipso, quænam sunt cibaria, quæ in sua opinione, non sunt permissa in collatione adhiberi? Si enim pisces, tam sicci, quàm recentes; tam parui, quàm magni; lac, caseus, butyrum; imo & oua, ab ipso permittuntur, quænam fercula restant, quæ non permitti possint in collatione? Dicam pro ipso. Fercula perdicum, Turturum, Phasianorum, Gallinarum, & huiusmodi. O bone Deus Mitiga, mi Pasqualige, ieiunia, laxa tantisper, vt suauiter seruentur; non tamen è medio tollas, non relaxes omnino. Sic debent tenere Authores pro nobis nuper citati, & expressè docet Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 9.*

Qvæstio XLVI.

An oua licitè possint in collatione adhiberi; quando in die ieiunij non sunt prohibita: aut si sunt, possunt illis, ex priuilegio, vesci?

AFfirmat Pasqualigus *decis.* 115. *Primò.* Quia, licèt oua satis nutriant, minùs tamen nutriunt, quàm nutrit caro. Vnde conceduntur in ieiuniis, extra Quadragesimam à iure communi, tāquàm cibus proportionatus pro abstinentia: & tanquam cibus leuis, parum famem sedans. Vnde, ex hoc capite quoque, proportionata sunt, vt magis sentiatur afflictio ieiunij: plus enim fames sedaretur in refectiuncula vespertina, sumendo nuces, panem, ficus, & alios huiusmodi cibos, quàm sumendo eandem quantitatem ex ouis.

Secundò. Quia refectiuncula, (vt omnes concedunt) est propter confortationem stomachi, & subleuationem naturæ: at sic est, quòd huic fini magis proportionata sunt oua, quàm alij cibi: ergo.

Tertiò. Quia in refectiuncula, potest sumi panis confectus ex ouis, Italicè, *pasta reale, seu Pane di Spagna.* Hispanè *Pan de Vizcochos, ò pan real*: at is magis, & solidiùs nutrit, quàm nutriunt oua: ergo.

Quartò. Quia oua connumerantur inter bellaria, & sic passim solent in ientaculis matutinis, sorbilia sumi; in vespertinis, obdurata: ergo etiam in collatione sumi valebunt. Ita Pasqualigus, pro hac sua sententia, solùm affert Caietanum, Bonacinam, & Bizozer, *locis suprà citatis*, eò quòd doceant, non referre quid sumatur in collatione, dummodo debita quantitas non excedatur: & Bassæum *in florib. Theol. verb. Ieiun.* 1. *num.* 9. hanc sententiam referentem vt probabilem. Sed certè ex his Authoribus non bene citat Pasqualigus Caietanum, & Bonacinam, vt ex dictis *q. 41. colliges.* Nec Bassæum; nam hic Author, licet

licèt ferat sententiam Bonacinæ, illam tamen omnino cum Diana reprobat, Meliùs tamen posset pro se citare Hieronymum Llamas *tertia p. Method. cap.5. §.24.pag.mihi 525.* referentem etiam Sotum, per hæc verba possunt, & nimium studentes, & capite debiles (qui malè non cœnati dormiunt) aliquantulò in hoc longiores esse; quibus Soto *in 4.dist.15.* vsque ad paris ouorum esum concedebat: neque nobis videtur in hoc largus, cùm sciamus ieiunium cùm illis omnibus obseruari posse, quæ eius essentiæ, neque saluti, neque maiori bono repugnet, &c. Ita ille. Ita etiam, apud Machado *lib.2. part.4. tract.3. docum.7. num.5.* Tenuit D. Garcia de Porras, vir eruditus, & Cathedriæ vespertinæ Canonum in Salmanticensi Vniuersitate moderator. Et tenet nouissimè Pater Vidal in arça Theolog. Moral. *de Ieiunio, inquisit.1. num.140.*

Sed vt certissimum mihi Respondeo: Non posse oua licitè in collatione adhiberi.

Primò. Quia huc vsque, non est introductus vsus ouorum in refectiuncula: ergo huc vsque non possunt licitè in illa adhiberi. Patet quia collatio, ob consuetudinem duntaxat est licita: ergo etiam illud solùm erit licitum, quod, circa eius qualitatem, eadem consuetudo præscripsit, & præscribit.

Secundò. Quia oua, vt fercula principalia apponi solent in prandio, aut cœna, in mensis etiam Nobilium, & valde diuitum; præcipuè ieiuniorum tempore, vt constat: ergo ex hoc capite, nequeunt in collatione adhiberi. Si dicas cum Pasqualigo *decis. 113. num.7.* impertinantem rem esse, & valde accidentalem pro nostro casu, quòd oua habeant rationem ferculi principalis in refectione perfecta; cùm solùm debeat attendi, an minùs nutriant, quàm panis, & alia quædam cibaria, quæ collationi conceduntur. Respondendum est tibi, quòd, concesso gratis, quòd non ad illud, sed ad hoc debeat attendi, adhuc nostrum argumentum vires habeat, vt ex responsione ad primum argumentum Pasqualigi, patebit.

Tertiò. Quia si quis licitè posset vti in refectiuncula ouis, licitè certè, aut saltem, absque fractione graui ieiunij, posset in ea sumere, duo (imo, & tria) oua, cum duobus, aut tribus vnciis panis; cùm tota hæc quantitas non excedat octo, aut nouem vncias: at hoc asserere, est scandalosum, & temerarium, vt patet. Quis namque fidelis, cuiuscumque fuerit conditionis, non scandalizaretur, videns alium fidelem in die ieiunij, vespertina in refectione se pari ouorum cibare.

Et ideò, hanc nostram sententiam tenent omnes Doctores antiqui, præcipuè illi, qui pro refectiuncula, solùm concedunt panem, & fructus, quos supra retulimus. Tenent etiam ex modernis Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.24. num.4.* Villalob. *1. part. summ. tract.23. diffic.7. n.3.* Fillucius *tom.2. tract.27. part.2. cap.2. num.30.* Petrus Ledesma *tract.27. cap.2. ver. la difficultad.* Luysius Turrian. *in sum. loc. cit. dub 37. concl.3. & in selectis centur.2. dub.94.* vbi oppositam sententiam vocat scandalosam, temerariam, & cõtra bonos mores, Bossius *sect.4. de Iubil. casu 18. num.134.* dicens, id esse omninò certum, & Diana *1. part. tract.9. Resol.1. vers. Sed etiam & vers. Ex his omnibus* vbi contrariam sententiam, etiam appellat falsam, & improbabilem. Sic etiam Villalob. Anglès & alij, penes ipsum Anton. de Leone, infrà citandus, & alij. Quos me nouissimè citato, tenet Perdoctus Diana *q.10. tract.14. Resol.57.*

Ad Primum in contrarium, dicendum est, validum profectò esse hoc Pasqualigi argumentum, videlicet, ideo posse quis licitè oua in collatione sumere, quia hæc minùs nutriunt, quàm caro. Quid enim quæso, mi Pasqualige, refert quòd plùs, vel minùs nutriant, si vtrumque est prohibitum; caro, communi iure; oua, consuetudine immemoriali? Deinde id, quod addis, nempe, quòd oua concedantur à iure, in ieiuniis extra Quadragesimam, tanquam cibus proportionatus pro abstinentia, & tanquam cibus leuis, parum famem sedans, falsum est. Nam ius, solùm prohibet oua in ieiuniis Quadragesimæ, eo quòd non sit cibus proportionatus pro tam solemni ieiunio, cùm sit cibus proximior carnibus, delicatus, & ab abstinentia rigorosa alienus, in reliquis verò ieiuniis, id permittit, eo quòd non requirat in illis tam strictam abstinentiam, non verò, quia sunt cibus leuis, parum famem sedans; cùm potius valde nutriant, vt testatur Schola Salernitana *capit. 8. fol. mihi 49.* ex Auicenna, sic dicente: *Quandoque est nutriens parua quantitatis plurimo reficiens alimento; eius generis sunt potissimùm oua, & testes gallinacei, quorum ferè nutrimentum cum ipsorum pensatur pondere.* Sic Auicenna. Ex illo ergo constat, & falsum esse, quod oua sint cibus leuis, & parui nutrimenti, cùm in hoc, paria sint testibus gallinaceis; & etiam falsum esse consequenter, quòd plus sedetur fames, sumendo panem, ficus, nuces, & huiusmodi fructus; quàm sumendo panem cum ouis; vt experientia docet. Et constat, cùm oua plus afferant nutrimenti, quam pisces; vt ex Grassio docet Anton. de Leon *quæst. de Chocolate part. 3. num. 4. fol. 96.* Ita dicens: [Las carnes en los dias de ayuno se prohibé por ser de mucho susteoto, y por esta calidad los hueuos, y lacticinios en Quaresma a los que no tienen Bula, por ser de mas sustento vn hueuo, que doblada cantidad de pescado, como lo aduierte Iacobo de Grassis. Y los lacticinios y huebos, què con Bula se permiten en la comida meridiana, se excluyen eo la colacion.] Sic ille.

Ad Secundum dicendum, verum esse, quòd refectiuncula, sit propter confortationem stomachi, & subleuationem naturæ; sed inde non sequi, quòd per ouorum esum debeat confortari; cùm sint alij cibi, qui id præstare valeant, vt panis, fructus, herbæ, & alij huiusmodi, que prohibita in collatione nun sunt sicut sunt, per consuetudinem, oua.

Ad Tertium dicendum quòd dato pro nunc maiori, neganda omnino sit minor. Falsum namque est plùs, & solidiùs, nutrire panem confectum ex ouis; quàm ipsamet oua cum pane simul; si enim ille panis ita bene nutrit, quia confectus ex ouis; meliùs nutrient, absque dubio, oua ipsa: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Ad Quartum dicendum. Quòd etiam sit falsum, imò, & falsissimum, quòd oua connumerentur inter bellaria, loquendo præsertim de cibis quadragesimalibus, aut de cibis, qui mandi diebus ieiunij possunt. de his namque loquendo (vt impræsentiarum loquimur (oua inter meliora, imo, & optima fercula numerari debent, & de facto abomnibus enumerantur Nec obstat, quod aliquando oua in ientaculis sumantur, nam, ex hoc non infertur bene, quòd debeant inter bellaria numerari, & ideò in collatione sumi possint: quia, vt notum est omnibus, multa alia, quæ habent rationem ferculi principalis, passim in ientaculis, tam matutinis, quàm vespertinis apponuntur, cùm hoc ex appetitu, aut voluntate eorum, qui prandium faciunt, aut cœnam, dependeat sanè, non ex alio capite.

QVÆSTIO XLVII.

An saltem, capite, aut stomacho debiles possint, in præfatis diebus ieiunij, ouis in collatione vti?

AFfirmant expressè Llamas, *loc. citato* (& penes illum, Sotus *in 4. dist. 15.* & Pasqualigus *loc. cit. num. 7.* sic concludens: Itaque non possumi non censere hanc sententiam valde probabilem; & saltem, stante aliqua debilitate stomachi, posse tutò in praxim deduci.

Sed adhuc certissimè Respondeo: Non posse. Quia alia cibaria dantur, quibus licitè vti in collatione possint ad tollendam debilitatem capitis, & confortandum stomachum; vt ex dictis constat: illis ergo debent vti, stomacho, aut capite debiles, non ouis, per consuetudinem, prohibitis. Sic affirmabunt profectò, Authores nuper pro nostra sententia adducti. Et affirmat me citato, Diana *part. 10. tract. 14. Res. 57. in fine.*

QVÆSTIO XLVIII.

An liceat in collatione serotina, sumere ex pane ouis confecto (Hispanè, de pan de Bizchocos) *vsque ad octo vncias?*

AFfirmat Ioan. Sancius *in selectis disput. 52. n. 7.* per hæc verba: Et posse sumi dictam dimidiam libram *de bizcochos* de his, qui venduntur Matriti teor: quia modicissima quantitas ouorum eis obtingit, & nullò minùs satisfaciunt dicti *Bizcochos*, quàm si sumeretur dimidia libra ex pane vsuali, & oleribus, vel conseruis, vt experientia liquebit. Ita Sancius, quem necessariò sequi debet Pasqualigus, vt ex Doctrina eius, nuper tradita, constat.

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Non licere. Quia re vera, non parua quantitas ouorum, sed satis magna, ingreditur dimidiam libram panis biscocti, etiam vt regulariter fieri solent, vt denotat Rodriguez *in summa cap. 23. ante primam concl.* his verbis: [Ni obsta què la sustancia del hueuo es poca, y asi no es materia de peccado mortal, porque las que hazen los buenos vizcochos afirman, que cada vno dellos, lleua mas de vn hueuo, y assi me lo han certificado.] Sic ille. Quamuis nimius in credendo, quòd vnum biscoctum imbibat in se vnum ouum. Quòd verò minùs satisfaciant, quàm alij cibi, nil facit ad rem, cum non ex hoc sed ex eo, quòd materia sit, vel non sit prohibita, diiudicari debeat. Sic Authores statim citandi, & constat ex dictis suprà. Et tenet nouissimè me citato, Diana *Resol. 57. citata.*

QVÆSTIO XLIX.

An saltem, possit quis, sine fractione ieiunij, & absque labe mortali, vti in collatione lacticiniis, & ouis, in quantitate parua?

REspondeo: Posse. Quia in his rebus, verè datur paruitas materiæ, excusans quem à fractione præcepti, & à peccato mortali. Poterit ergo quis, hæc non incurrendò, vti lacticiniis, caseo, butyro, & ouis, in parua quantitate, id est, vsque ad dimidiam vnciam, paulò plùs, vel minùs. Sic tenent expressè Villalob. *1. part. tract. 33. diff. 7. num. 3.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 4. num. 8. & Diana 1. part. tr. 9. Resol. 31.* docentes, posse quem absque fractione ieiunij, sumere in collatione vt vulgò dicitur, vn *Bizcocho*, etiamsi ouis soleant aptari, quia vix (inquiunt) quarta pars oui in eis reperitur, & sic videri in vsu positum Id nouissimè fatetur Leander de Murcia *cap. 2. num. 35. in 3. cap. Regulæ S. Francisci*: addens, adhuc esse omnino licitum, per hæc verba. [Licito es en la Quaresma comer vno o dos vizcochos, ò hazer colation con ellos. Assi lo tienen Villalob. *in summ. tom. 1. tract. 23. diff. 7. num. 3.* Rodriguez, *in summ. tom. 1. cap. 23. ante 1. concl.* (aunque Ledesma, y Vega le atribuyen lo contrario, eo loqual se engañaron) Ledesma, *in summ. tom. 2. tract. 27. cap. 2. diff. 5. fol. 690.* Y la razon es, porque los vizcochos lleuan muy poca cantidad de hueuo, como dizen todos los que los hazen: Luego, assi por la modicidad, como por la costumbre, se podran comer en la forma dicha en la Quaresma.] Sic Leander, & bene, non tamen in eo quòd citet pro hac parte Rodriguez, cùm oppositum clarè indicet *loc. cit.* Sic etiam tenet me citato, Diana *p. 10. tract. 14. Resol. 57. in fine.*

DISPVTATIO V.

De rebus, quæ contrariantur vnicæ Comestioni Ecclesiastici ieiunij.

QVÆSTIO I.

An potus lactis, iuris, & aliorum liquidorum similium, soluat ieiunium?

REspondeo, vt certissimum: Soluere. Quia huiusmodi liquida, habent rationem cibi ordinati per se primò ad nutritionem. Sic omnes DD. Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. num. 34.* Palatios, *disp. 8.* Abulens. *q. 173. in cap. 6. in Matth.* Angles *in Floribus, q. 9. de ieiunio, art. 2. diff. 2. vers. Notantur.* Sanchez, *in consiliis, lib. 5. cap. 1. dub. 23. num. 1.* Bossius, *de Iubil. sect. 4. casu 18. num. 11.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 1. num. 15.* Lezana, *verb. Ieiunium, num. 2.* Pasqualigus, *tract. de ieiun. decis. 116.* Fagundez, *de 4. præcepto Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 14.* & alij.

QVÆSTIO II.

An potus vini, ieiunium soluat?

AFfirmant penes Antonium de Leone, *in quæst. Morali de chocolate, part. 2. §. 5. num. 4. fol. 44.* D. Ioannes Chrysostom. Clemens Roman. Cyrillus Hierusolymitan. Theodoretus, Theophilus Alexandrin. Origenes, Basilius, & D. Augustinus, Alexand. Alensis, *4. part. mem. 8. art. 1. §. 3.* D. Anton. *2. p. summ. tit. 6. cap. 2. §. 9.* Reginald. *tom. 1. lib. 4. cap. 13. sect. 1. num. 152.* Azot, *1. part. instit. moral. lib. 7. cap. 10. q. 4.* Medina Cumplutens. *C. de Ieiun. q. 11.* Couarruu. *4. variar. cap. 20.* & Rosella *verb. Ieiunium, num. 5.* Sed certè, ex his Authoribus, malè citat pro hac parte, D. Antoninum Reginaldum, Medinam, Azorium, & Rosellam. Imò Couarruuias, solùm dicit; ieiunium Ecclesiasticum, non solùm in hoc versari, vt à superfluis, & potibus abstineamus, &c. Potest *quatuor coæqueuis tract. de quatuor virt. Cardin. dist. 63.* dicens, quòd potus ante prandium soluat ieiunium, non post prandium.

Sed tanquam certissimum, Respondeo: Iam non soluere ieiunium; etiamsi sumimo manè, & in quantitate magna sumatur. *Primò.* Quia id non prohibet Ecclesia

Ecclesia in ieiunij diebus. *Secundò.* Quia vinum; nec est cibus, nec per se, aut ex se, & natura sua, ordinatur ad nutriendum, sed ad extinguendā sitim: ergo. *Tertiò.* Quia iam sic tenet praxis Ecclesiæ: ergo. Sic communiter omnes DD.D.Thom. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. q. 1. & 2. Et 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2.* & ibi Caietan. *in principio.* Durand. *in 4. dist. 15. q. 9.* Nauarr. *cap. 21. num. mihi 13.* Syluest. *v. Ieiun. q. 3.* Rosella, *num. 3.* Tabiena, *num. 24.* Medina, *C. de ieiun. quæst. De ijs per quæ Ecclesiæ ieiunium soluitur.* Azor, *1. p. lib. 7. c. 10. q. 7.* Lessius, *lib. 4. de iust. & iure, cap. 2. dub. 2. num. 10.* Molfesius, *tract. 10. cap. 3. num. 33. & 45.* Ioann. Pineda, *tom. 2. de la Agricultura Christiana, Decalogo 29. §. 1.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 3. qu. 10. num. 62.* Graffius, *lib. 2. decis. c. 37. num. 24.* Bonac. *disp. vltim. de 1. Eccles. precept. q. 1. punct. 1. num. 1.* Reginald. *lib. 4. cap. 13. num. 151.* licet addat, olim vinum fuisse in die ieiunij prohibitum; minimè tamen nunc. Basseus, *verb. Ieiun. 1. num. 8.* Valentia, *tom. 3. disp. 9. q. 2. punct. 3.* Rodriguez, *1. part. cap. 23. num. 1.* Moure, *p. 2. summ. cap. 8. §. 2. num. 1.* Vega, *1. part. summ. c. 14. casu 32.* Pasqualig. *decis. 116. & 117.* Ant. on. de Leone, *loc. cit.* Palud. Palat. & omnes alij Doctores citati. *quæst. 1.* Præcipuè Fagundez, *loc. cit.* & etiam (in noua edit.) *cap. 1. num. 46. & 47.* Vbi ait, iam esse concordem omnium Theologorum, & Canonistarum sententiam.

Ad authoritatem sanctorum Patrum, qui pro opposito referuntur, dicendum, est: verum esse, quòd olim veterū Christianorum more introductum fuisse vini abstinentiam in ieiuniis præcipuè Quadragesimæ, nunc, verò, more successorum sublatam esse; ac proinde iam esse licitam potionem vini, ieiuniis, etiam Quadragesimæ.

Qvæstio V.

An saltem, potus vini soluat Ieiunium; casu, quo sumatur ad sedandam inediam, & famem?

AFfirmant (apud Pasqualigum) D.Thomas, *in 4. dist. 15. quæst. 3. vt. 4. quæst. 1. ad 1.* Ricard. *art. 3. quæst. 7. ad 2.* Palat. *disp. 8.* Gabriel, *dist. 16. q. 3. art. 3.* Abulens. *q. 164. in cap. 6. in Matth.* Medina, *cod. de ieiun. loc. cit.* D.Anton. *2. part. tit. 6. cap. 2. §. 9.* Rosella, *verb. Ieiunium, num. 5.* Tabiena, *quæst. 2.* Syluester, *q. 3. dict. 1.* Angel. *num. 4.* Ledesma, *2. part. 4. q. 17. art. 6. verb. In his omnibus.* Reginald. *lib. 4. cap. 3. num. 153.* Siluius, *2. 2. q. 147. art. 6.* & Ghetius, *ver. Ieiunium cap. 1. num. 6.* His addi possunt Azor, *in citata q. 7.* sub finem. Pater Thomas Hurtado, *in disp. morali de chocolate, num. 21.*

Sed probabilius multò, Respondeo. Adhuc non soluere. *Primò,* Quia vt suprà est habitum, Ecclesia nunquam prohibuit potum vini; ergo nec ontritionem illam, quæ ex sumptione illius prouenit: ergo quantumuis quis illam inteudat, non faciet contra præceptum ieiunij.

Secundò. Quia potus vini, non ordinatur, ex natura sua, & per se primariò ad nutriendum: sed ad extinguendam sitim; vt nuper est habitum: ergo, etiamsi sumatur in eum finem, in quem sumitur cibus, hoc est, ad nutriendum, nunquam poterit sumi, vt cibus, aut per modum illius; patet consequentia, quia intentio sumentis, nequit mutare naturam ipsius vini, eius potus per se, & ex se, non ad nutritionem, sed ad extinctionem sitis ordinatur. Sic optimè Pasqualigus, *decis. 117.* & (penes ipsum) Nauarr. *cap. 21. num. 13.* Angles, *dist. 2. cit.* Paulus Palat. *in summ. verb. ieiunium,* Pedraza, *precept. 3.* Vega, *tom. 1. summ. cap. 14. casu 32.* Homobonus, *part. 2. exam. Eccles. tractat. 8. cap. 7. q. 20.* Filliuc. *tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 2. n. 42.* Layman. *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7. vers. Sed contrarium.* Molfes. *tom. 1. summ. tract. 10. cap. 3. num. 45.* Viuald. *in Append. ad Candelab. c. 15. de Ieiun. num. 45.* Bonac. *disp. vltim. cit. punct. 1. num. 8.* Llamas, *3. part. Method. cap. 5. §. 24.* Lublinus, *verb. Ieiunium, num. 3.* Trullench, *dub. 1. cit. num. 3.* Lezana, *verb. Ieiunium num. 2.* Fagund. *lib. 1. cit. cap. 2.* (in edit. noua) *n. 47. & cap. 4. num. 14. cit.* Diana, *1. part. tract. 9. resol. 23.* Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 23. num. 4. &* Bossius, *de Iubil. sect. 4. casu 18. num. 12.* His addi possunt in primis S.Thomas, *2. 2. q. 147. art. 6. cit.* qui hic, pro hac sententia citatur à meo Nauarro, & ab Hieronyma Llamas, *locis cit.* Lessius *dub. 2. cit. num. 10.* Sancius, *in selectis, disputat. 51. num. 2.* & alij, cum quibus idem à fortiori tenendum est, loquendo de potu ceruisiæ; quidquid velit etiam Angelus, *loc. cit.*

Qvæstio IV.

An potus aquæ, sacchato, aut melle, mixta, soluat Ieiunium?

AFfirmant Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 23. num. 1. in fine,* & penes ipsum, alij docti Recentiores. Quos refert, & videtur sequi, Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 15.*

Sed, vt certum, Respondeo: Non soluere, si quantitas sacchari, vel mellis, in parua sit quantitate. *Primò.* Quia sic vsus. *Secundò.* Quia, licèt saccharum, aut mel, quod infunditur in aquam & cum illa miscetur, habeat rationem cibi, non tamen adhibetur per modum talis, sed per modum electuarij ad temperandam cruditatem aquæ: Sed sic est, quod, quidquid per modum electuarij sumitur, non frangit ieiunium: ergo. Sic Pasqualigus *decis. 118. num. 2.* Qui idem docet dicendum, de aliis aquis sacchato, cedro, & gelsomonis, aut aromatibus conditis, cùm eadem sit de omnibus ratio, etiamsi prædictæ aquæ bibantur, quia gustui placeant; & non propter stomachum. Sic etiam sentiunt communiter Doctores, vt videre est, apud Antonium de Leone, *quæst. de chocolate, part. 2. §. 6. num. 6. & §. 11. num. 4.* & Leandrum de Murcia, & Thomam Hurtado, mox citandos. Et tenet expressè Luysius, *in summ. 1. part. capite 256. dub. 24. concl. 1. 2. & 3.* Secus autem diceremus si in aquam infunderetur maior valdè quantitas sacchari vel mellis, vt constabit ex mox dicendis.

Qvæstio V.

An potio chocolatica, ex se, aut ex natura sua frangat ieiunium?

NEgant plures Doctores. Quorum fundamentum est. Quia Chocolate, ex sua primaria institutione, non est cibus; nec vt talis, institutus ad inediam sedandam, & famem expellendam; sed est institutus, vt potus, vt homines illum biberent, & potarent, per illumque refrigerarentur, Sed sic est, quòd potus cuiuscunque rei, quæ non est cibus, nec naturâ suâ, aut primaria institutione, est ordinata ad manducandum, nutriendum, non frangit ieiunium etiamsi sumatur in magna quantitate; & toties, quoties libuerit: ergo potio chocolatica non frangit ieiunium, etiamsi sumatur in magna quantitate, & quoties libuerit. Maior, in qua est difficultas, probatur à simili; quia ideò nec potus vini, etiamsi habeat admixtum aliquid sacchari, & liquoris acidi (quod vulgò dicitur *Limonada.*) Nec potus

aquę

aquæ, etiam coctæ aliquâ herbâ, melle, & alia specie aromaticæ (qui Hispanè, dicitur *Aloxa*) & alij similes, frangunt, ex naturæ sua ieiunium, quia licèt componantur ex rebus comestibilibus; ex sua primaria institutione sunt potus; ergo talis, & erit potio chocolatæ. Sic sentit, & latè docet Thomas Hurtad. *disp. vnica de chocolate*, per totam, & præcipuè, *membro* 3. Qui, & citat pro se sapientissimum Magistrum Atolinez Archiepiscopum Compostellanæ Ecclesiæ, necnon Basilium, Cornejum, & alios viros doctissimos. Citant etiam pro hac parte, Pasqualigus, Leander Murcia, & alij, Luysium Turrianum *in summ. 1. part. cap. 256. dub. 24. concl. 4. & 7.* Lezanam, *verb. Ieiunium, num. 2.* Ludouicum Lopez *tom. 1. instruct. cap. 132. edit. anni 1640.* Antonium de Escobar, *in examine Confessor. tract. 3. c. 5.* & alios. Sed an benè omnes, infrà constabit.

Affirmant verò è contrà, quamplures alij Doctores, docentes, potionem chocolatæ ex se, & ex natura sua frangere ieiunium, sicque nec posse sumi, sine ieiunij fractione, in magna quantitate; nec toties, quoties libuerint. Ratio eorum est. Quia omnia, quæ habent, ex se, & ex naturæ sua, rationem cibi; ex se, & ex natura sua, soluunt ieiunium; etiamsi potabili modo sumantur, vt habitum est suprà *q. 1.*

Sed sic est, quòd chocolate, naturâ suâ est cibus, & non potus, cùm potiùs ordinetur ad nutriendum, quàm ad sedandam sitim, vt constat: ergo etiamsi potabili modo sumatur, naturâ suâ, & ex se franget ieiunium. Ita docent Diana, *part. 4. tract. 4. Resol. 194. & part. 5. tract. 5. Resol. 11. vers. Notandum est.* Anton. de Leone, *in quæst. de Chocolate, part. 3. numer. 20.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. x. n. 15.* Quos omnes citat, ac sequitur Pasqualigus *tract. de Ieiunio decis. 141. à num. 2.* Leander de Murcia, *quæst. 15. super. cap. 3. Regula S. Francisci, n. 8.* R. P. Ioannes de S. Thoma *in Explicatione Doctrinæ Christianæ, part. 2. vbi de 4. præcep. Eccles.* Et nouissimè Solorzano *in sua politica, lib. 2. cap. 10. pag. 118. & 119.* vbi pro hac parte citat etiam Fagundum, *de 4. præc. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 14.* Quatenus absolutè docet, esse prohibitum in die ieiunij potum, qui in cibum pariter sumitur, qualia sunt quædam pocula, quibus est cibus admixtus, & quæ potissimum nutriunt, & ad nutrimentum ordinatur, vt lactis, & alia similia, vt optimè notant Paludan. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. concl. 3.* Rosella, *verb. Ieiunium, num. 4.* & Tabiena *eo v. num. 24.* Hucvsque Fagundez. Sed certè, ex exẽplo lactis, quod affert, & ex Authoribus, quos citat, clarè colligitur, non loqui de potione chocolatica. Sed de alijs, vt lactis, & similium: vt clarè colligitur, ex similibus verbis Fagundij habitis, *c. 2.* eiusdem lib. citati, *num. 46. in noua edit.* quæ sic se habent; quamuis enim omnis potus, qui in cibum pariter sumitur in die ieiunij sit prohibitus, qualia sunt quædam pocula, quibus est cibus permixtus, & quæ præcipuè nutriunt, vt iuscula, quæ lac, vel saccharum, vel oua, vel farinam admixtam habent, vt docent Paludan. & Rosella, &c. Ita Fagundez. Non ergo de potione chocolatica sermonem agit; sed de alijs diuersis multo potionibus, quæ habere rationem cibi, omnibus est notum.

Sed ego, vt quod sentio dicam, aduerto, quòd in præsentiarum non est difficultas inter Doctores, nec quæstio, an videlicet, sumptio chocolate in se, hoc est: *En miga, pasta, ò pastillas*, sit fractiua ex se Ieiunij; nam hoc apud omnes est certum, sicut est certum quòd chocolate in se sumptus, sit verè cibus, sicut est saccharum, & huiusmodi: vnde sumptus in magna quantitate, franget sine dubio ieiunium. Difficultas ergo solùm est, inter ipsos; an sumptio potionis chocolate, seu potus qui chocolate dicitur, sit ex naturâ suâ, aut ex se, cibus, ideo, ex se frangat ieiunium; an verò sit potus simpliciter, & consequenter licitus in die ieiunij. Hoc igitur præsupposito ad quæstionem propositam,

Sic ego sub distinctione, Respondeo. Si potio chocolatica parum habeat admixtum sacchari, amigdalarum, nucum, Mazi, & aliorum ingredientium, verè, ex natura sua, non franget ieiunium; quia tunc remanet simpliciter in ratione potûs; si verò talis potio multùm habeat admixtum materiæ chocolate, ita vt in quãtitate valdè excedat aquam, cui admiscetur; tunc, ex natura sua, franget ieiunium, quia remanet ne simpliciter in ratione cibi. Ratio huius nostræ respõsionis est. Quia mixtum, seu compositum, ex duobus oppositis, seu contrarijs, semper à prædominante, tale dicitur, seu denominatur; vt cõstat in mixto, ex aqua & vino composito; ipsum namque semper remanet in ratione vini, quoad vsque superetur ab aqua; quia tũc ratione contrarij prædominantis aquæ, potus erit, ac denominabitur. Sic ergo in proposito. Mixtum ex materia chocolate, & aqua, & potest esse, & denominari, cibus; & potest esse, & denominari potus; cibus quidem, si excedat in materia comestibili; potus verò, si excedat in materia potabili, hoc est in aqua. Si excedat in illo materia comestibilis, naturâ suâ, & ex se franget ieiunium, si sumatur in magna quantitate; si verò è contrà, in illo mixto sit maior materia potabilis, seu quantitas aquæ; tunc non franget ieiunium, quãtumuis sumatur in quantitate magna, & quoties libuerit; quia ex se est potus; cùm remaneat in esse talis; quod constat in potione, quæ dicitur *Aloja*; & in mixto, quod fit ex quantitate magna aquæ, & paruo melle, &c.

Confirmo rursus hanc nostram sententiam ab alio simili. Nam aqua naturalis admixta cum aqua rosacea, vel cũ aliquo alio liquore, aut corpore in quantitate tanta, vt ita admixta nequeat amplius denominari aquæ naturalis, nullo modo est materia Baptismi apta: sicut est admixta cũ parua quantitate aquæ rosaceæ, aut alterius liquoris, & materiæ, eo quòd in hoc casu, non desinat esse verè aqua naturalis; sicut diximus in primo, vt ex Concil. Florent. D. Thom. Archangelo, Filliucio, Bonacina, & alijs, diximus *1. p. de Sacr. tr. 2. disp. 2. q. 17. & 18.* Ergo similiter dicendum est in præsenti casu. Quòd scilicet, si aqua infundatur in quantitatem magnam chocolate, ita vt ita admixta adeò ab illa absorbeatur vt ampliùs nequeat illud mixtũ denominari potus; tunc verè franget ieiunium ex se: secus verò, si infundatur, vel admisceatur cum parua quantitate chocolate; cùm tunc verè remaneat simpliciter in esse potus.

Hanc nostram responsionem, & sententiã, & non aliam tenet, vt mihi videtur, Luysius Turrianus *loc. cit.* Nam *concl. 4.* sic dicit: Potus, qui dicitur *chocolate*, licitus est, vt non violetur ieiunium cum eo, si parum habeat admixtum Sacchari, vel alterius cibi similis. Ita ibi. Et clariùs *concl. 7.* per hæc verba: Per *chocolate*, posse violari ieiunium, si tantùm cibi admisceatur, vt non maneat in statu potûs; neque credendũ est, quòd aliqui fingunt, talem potum cum tanta quantitate cibi approbatum esse à Pontifice in die ieiunij; quòd si talis aliqua approbatio aliquando contigerit, intelligenda est, de *chocolate*, quod parum habet cibi admixtum. Hucvsque Luysius. Ex quo constat malè citari ab illis Authoribus, pro prima sententia, cùm illam minimè absolutè doceat. Imo & Escobar, nã hic *loc. cit.* expressè ait; quòd chocolate ouis, aut lacte confectum, non sit potus & rursus, quòd potio chocolatica admodum crassa, in notabili quantitate, frangat ieiunium.

§. II.

An ſaltem potio chocolatica, ſit abſolutè, & ſimpliciter licita in die ieiunij, ex conceſſione Pontificis?

AFfirmant omnes ferè Authores adducti pro prima ſententia; præcipuè Thomas Hurtado *diſp. cit. memb. 3. 4. & 5.* Et probatur. Quia ita declararunt Summi Pontifices, nempe Pius V. Gregorius XIII. & Paulus V. vt refert dictus Thomas Hurtado, & Leander de Murcia, *loc. cit. numero 7.* per hæc verba: [Prueuaſe lo quinto, principalmente, y como a priori, porque el Papa Gregorio XIII. declarò conſultado ſobre eſta materia, que el chocolate es beuida, y que no quebranta el ayuno; como lo eſcriue D. Fray Aguſtin de Padilla, Arçobiſpo de la Eſpañola en el *l. a. de la Hiſtoria de Mexico cap.* 84. con eſtas palabras. Yo he viſto la conſulta que ſe hizo al Papa Gregorio XIII. por mano del Doctor Alpizcueta Nauarro, à inſtancia de la Prouincia de Chiapa, donde ſe començò eſta beuida, y con ſer la relacion harto encarecida, reſpondiò el Papa por dos vezes, que no quebrantaua el ayuno. Lo miſmo declarò Pio V. à inſtancia del Padre Fray Geronimo de San Vicente, Dominicano, el qual auiendo conſultado al dicho Summo Pontifice; reſpondiò el Papa: *Potus non frangit ieiunium.* Y lo miſmo afirma el Padre Rodrigo Manrique, en vn tratado que hizo deſta materia, hauer reſpondido Paulo V. auiendoſe hecho el chocolate en ſu preſentia, que auiendole viſto, dixo: *Hoc non frangit ieiunium.* Luego aunque aya duda eſpeculatiua del ſi el chocolate es beuida, ò no, eſtando declarado de los dichos Summos Pontifices, ſer ſolo beuida, a quien toca declarar las dudas que ſe ofrecen en la Igleſia a cerca de la Fè, ò buenas coſtumbres, no puede quedar duda practica en la materia, y aſſi ſe puede vſar de la dicha beuida con toda ſeguridad de conciencia,] Huc vſque Leander, in fauorem huius ſententiæ.

Negant verò alij, putantes, nec ex hoc capite, eſſe licitam potionem chocolaticam in die ieiunij. Quia putant, dictas declarationes Pontificum, in quibus continetur, *que el chocolate es beuida*, vel non dari, vel de illis non conſtare authenticè; & ſic nullam habere vim. Sic reſpondet Leander de Murcia, *queſt. 15. cit. n. 12. & 22.* Vbi argumento 5. facto pro contraria ſententia, ita reſpondet: [Al quinto ſe reſponde, que las declaraciones que alegan de los Summos Pontifices, no ſon autenticas, y aſſi no deuen ſer admitadas (aunque ſean muy verdaderas) para el gouierno de la Igleſia; porque ſi ſe admitieſſen tales declaraciones, reſcriptos, ò decretos del Papa no autenticos, ſe ſiguieran infinitos abſurdos en la Igleſia.] Ita ille, & alij: ergo ex hoc capite non ſit licita potio chocolatica in die ieiunij.

Sed ego, iuxta ſuprà à me dicta, Reſpondeo, quod dato adhuc, ſeu conceſſo, quòd dictæ declarationes extent, ſintque veræ, & conſtent authenticè, nihilominus, non inde colligatur, quòd ſit licita abſolutè, & ſimpliciter, quæcumque potio chocolatica, ſed illa tantùm quæ, propter parum cibi chocolatici, quem habet, & in ſe continet, remanet in eſſe potûs. De hac enim ſolùm intelligitur declaratio, ſi quæ extat, Pontificia; non de alia, quæ habet rationem cibi, ob multam materiam comeſtibilem, quam in ſe imbibit. Sic tenet expreſsè Luyſius Turrianus, *concl. vſ. cit. 7.* vt demonſtrant eius verba allata, §. 1. pro noſtra ſententia confirmanda. Neque (inquit) credendum eſt, quod aliqui fingunt, talem potum cum tanta quantitate cibi approbatum eſſe à Pontifice in die ieiunij: quòd ſi talis aliqua approbatio aliquando contigerit, intelligenda eſt *de chocolate*, quod parum habet cibi admixtum. Sic ille. Et bene.

§. III.

An ad minùs, ex vi conſuetudinis introductæ, licita omnino ſit quæcunque potio chocolatica, etiam in magna quantitate, & toties, quoties libuerit?

AFfirmant Thomas Hurtado, *diſp. cit. memb.* 4. Lopez, & Eſcobar, *locis*, pro prima ſententia, §. 1. *citatis*; Necnon, Trullench, *num. 15. cit.* Vbi ſic illum concludit: Aduertit tamen Diana, *reſolut. 194. citat.* ſe accepiſſe ab Inquiſitore Traſmira, viro docto, aſſerente multos Salmanticenſes S. Theologiæ profeſſores exiſtimare, *chocolate*, non frangere ieiunium, quia ſumitur vt potus vſualis, ideò non audet hanc ſententiam damnare, nec ego, vbi eſt poſitum in conſuetudine apud viros probos, & doctos. Ita ille, Nunc ego. Sed ſic eſt, quòd ſaltem in tota fere Hiſpania, eſt in vſu potio chocolatica apud omnes viros, etiam probos, & doctos, non ſolùm ſæculares, ſed etiam Religioſos: ergo ad minùs ex conſuetudine, licita erit potio chocolatica, etiam in magna quantitate ſumpta, & toties, quoties libuerit. In hanc eamdem ſententiam videtur inclinare Machado, *l. a. part. 4. tract. 3. docum. 1. n. 8.* quatenus poſt relatam opinionem contrariam hæc dicit verba: [Pero no obſtante eſto, lo contrario han ſentido muchos Theologos de la Compañia de IESVS, Catedraticos de Salamanca, hombres doctos, fundados, en que en Eſpaña, y en las Indias, ſe ha hecho beuida vſual. Y la verdad es, que lo es tanto, que caſi nadie haze eſcrupulo de tomarla el dia de ayuno.] Ita Machado.

Negant tamen è contrà Authores ſecundæ ſententiæ, §. 1. citati. Præcipue Paſqualigus, *deciſ. 141. citata, num. 4.* Vbi ſic ait: Nec puto, obſtare conſuetudinem, qua talis potio in Hiſpania ſit facta vſualis, quia hoc ſicuti non mutat naturam ipſius, ita etiam non facit, vt ſit purus potus, quia non eſt poſita in vſu ad extinguendam ſitim, & vt ſit vehiculum cibi, ſed ad ſuſtentandam, & roborandam naturam, & proinde conſuetudo non facit, vt ſit purus potus. Alioquin poſſemus dicere, quod ſi introduceretur vt ſtillatus gallinæ, aut pulli, ſumeretur pro potu, poſſet etiam ſumi in die ieiunij tanquam potus, quod magis apparenter diceretur, quia in ordine ad ſenſum non differt ab aqua, & tribuitur infirmis ad extinguendam ſitim. Huc vſque ille. Et idem docet Leander de Murc. *q. 15. cit.* & probat latè *n. 15. 16. 17. & 20.*

Sed ego clariùs, iuxta diſtinctionem ſuprà à me datam, Reſpondeo dicendum, quòd nullo modo ſit licita, in die ieiunij, adhuc ex vi conſuetudinis introductæ illa potio chocolatica quæ propter magnam quantitatem ingredientium comeſtibilium, eſt ſimpliciter cibus; bene tamen illa, quæ propter paruam materiam comeſtibilem, quam in ſe imbibit, ſemper remanet in eſſe ſimpliciter potûs. Quia pro hac duntaxat potione ſtat, & valet conſuetudo; non pro prima, contra quam tantùm, ſi quid probat, probat ratio Paſqualigi. Quod bene probat Leander *num. 15. cit.* per hæc verba: [Porque o el dicho chocolate es beuida, ò comida; ſi es beuida, no ay neceſſidad de alegar coſtumbre, para tomarle en dia de ayuno, porque eſta de ſu naturaleza no le quebranta; ò es comida, y ſi lo es, la coſtumbre contraria contra el precepto de la Igleſia, no es coſtumbre, ſino corruptela: Luego no puede eſcuſar de la ley del ayuno.] Sic ille. Igitur conſuetudo tantùm ſtat, & declarat, quòd

ſit licita in die ieiunij potio chocolatica, quæ eſt potus, non illa, quæ eſt cibus, vt diximus, loquendo de declarationibus Pontificus, §. 2. Ex quo conſtat, nullum vim habere contra noſtram ſententiam argumentum Paſqualigi.

§. IV.

An tandem, ratione paruitatis materiæ poſſint ſumi duæ vnciæ de chocolate, *ſine fractione ieiunij?*

NEgat omnino Paſqualigus, *deciſ.* 241. *num.* 5. per hæc verba: Solùm paruitas materiæ poſſet excuſare à mortali; ſed difficultas eſt, quænam cenſenda ſit parua materia: cùm enim talis potio adeò nutriat, & corroboret, diuerſa eſt ratio de ipſa, ac de cæteris cibis. Antonius de Leone, *loc. cit.* putat dimidium vnciæ chocolatæ poſſe in potione miſceri, tanquam paruam materiam. Sed ego hoc nimium exiſtimo, quia porportionaliter loquendo, vncia dimidia chocolatæ plus nutrit, & corroborat, quàm ſex vnciæ alterius cibi valde nutritiui. Vnde cum in hoc non attendenda ſit quantitas formalis, nempe virtus nutritiua, vtpote quia in ieiunio præcipitur abſtinentia à cibo tanquam à nutritiuo, illa habenda eſt pro parua materia, quæ parum nutrire poteſt; vnde puto, non poſſe excedere octauam partem vnciæ, aut ad ſummum ſextam partem, alioquin ſemper afferet notabilem nutritionem. Huc vſque Paſqualigus. Negat etiam Eſcobar, vbi ſuprà, quatenus ſolùm vnam vnciam admittit, ne ieiunium frangatur, dato quòd ſit cibus.

Sed ego probabiliùs longè Reſpondeo: Poſſe abſque mortali peccato, & abſque fractione ieiunij, ſumi duas vncias *de chocolate*, in diebus ieiuniorum. Probo *Primò*. Quia ipſemet Paſqualigus, *deciſ.* 1 5. fatetur, quòd ille, qui per duas vncias excederet quantitatem præfixam collationis, nullo modo peccaret mortaliter: ergo, nec ſic peccabit, qui in die ieiunij duas vncias *de chocolate* ſumeret: patet, quia idem exceſſus eſt in vtroque caſu.

Secundò. Quia hæc materia abſolutè reputanda eſt parua: ergo per illam, non ſoluitur ſimpliciter ieiunium. Sic ſentiunt Pinellus, & Hurtadus, relati à Leandro de Murcia, *q.* 15. citata, in fine, ita dicens: [Finalmente, por remate deſta queſtion, digo con Pinelo, y con el Padre Tomas Hurtado, que ſi el chocolate ſe toma en cantidad de onza y media, ò dos, de todo ingrediente, por paruidad de materia, no quebrantarà el ayuno: aunque pecarà venialmente elque le tomare ſin cauſa; pero auiendo alguna razonable, no ſerà pecado alguno.] Sic ille. Et poſt illum, Diana, *part.* 8. *tract.* 7. *Reſol.* 55.

Addo ego, quòd cauſa rationabilis excuſans etiam à veniali, erit, ſi ſumatur dicta quantitas *de chocolate*, per modum medicinæ, vel ad confortandum ſtomachum debilem, &c.

Nec contra hanc noſtram reſponſionem obſtant quid verba Paſqualigi; nam illa multa inuoluunt falſa. Nam imprimis falſum eſt quòd Antonius de Leone dicat, quòd dimidium duntaxat vnciæ chocolatæ, ſit materia parua, quoniam ille, maiorem quantitatem pro parua materia aſſignat; vt verba eius relata à Diana, *part.* 5. *tract.* 5. *Reſol.* 1 r. apertè demonſtrant. Sunt autem hæc: [Se pueden cõſiderar los ingrediẽtes de por ſi, para hazer el compueſto, y tambien el compueſto hecho. Si eſte ſe conſidera, ſe podrà beuer la quarta parte de vna xicara comun, y ordinaria, y a lo mas, la tercera parte. Si ſe conſideran los ſimples, que es modo menos engañoſo, ſe podià hechar media onza de paſta, açucar neceſſario, con la cantidad de agua que cada vno quiſiere, y eſta tengo para mi, que ſea materia parua.] Sic ille. Vbi vides, quòd vltra dimidiam vnciam *de chocolate*, addit etiam neceſſarium ſacchari.

Deinde, falſum eſt, quod adijcit, nempe, quòd dimidia vncia chocolatæ plus nutriat, quàm ſex vnciæ alterius cibi, valdè nutritiui. Quis enim dicet, quòd dimidium vnciæ *de chocolate*, plus nutriet, ac roborabit, quàm ſex vnciæ panis, ouorum, piſcium, & ſimilium? Quis pro refectione facienda, omitteret duas vncias panis cùm quatuor piſcium, aut ouorum, & eligeret ſibi dimidium vnciæ *de chocolate?* Nullus profectò, qui illum potum guſtauit, nullus.

Rurſus, falſum eſt etiam, quòd in aſſignanda materia parua in ieiunio, non ſit attendenda quantitas materialis, ſed quantitas formalis; nempe virtus nutritiua, & ideò illa ſola ſit habenda pro materia parua, quæ parum nutrit; pro magna verò, & notabili, quæ multum nutrit. Quia contra eſt. *Primò*, quòd duæ vnciæ *de chocolate*, non multùm, ſed parum nutriunt. *Secundò*. Quia ſi in aſſignanda materia parua pro ieiunio, eſſet ſolùm attendenda quantitas formalis, & non materialis cibi, fruſtra determinaretur quantitas cibi pro collatione ſumenda, nempe octo vnciæ; cùm ex cibis, quidam plusquàm alia nutriant. Vnde, ſi ex fructibus poſſent octo vnciæ pro collatione ſumi, non poſſent ex pane, (& minùs, ex piſcibus, ex lacticiniis in opinione ipſius Paſqualigi id concedentis) quod nullus dixit: ergo, &c.

Concludo igitur hanc quæſtionem dicendo, quòd ſit omnino licitus potus chocolaticus, qui propter paruam quantitatem cibi, quem in ſe includit, remanet ſimpliciter in eſſe potus, & hic poteſt conſequenter ſumi toties, quoties libuerit, ſicut ſumitur potus *de aloxa, de limonada, cerueza, &c.* Minimè verò, potus chocolaticus, qui ratione magnæ quantitatis cibi, quem in ſe imbibit, iam eſt cibus ſimpliciter, & ſecundum quid, potus. Vnde hic, ſolùm poteſt ſumi ſemel in die ieiunij, ſine illius fractione, dummodo non excedat quantitatem duarum vnciarum de chocolate. Lege pro me Dianam *p.* 8. *tract.* 7. *Reſol.* 54. *&* Machado *loc. cit.*

QVÆSTIO VI.

An ſumptio pomorum, pyrorum, aut ſimilium, cauſâ ſedandæ ſitis, frangat ieiunium?

NEgant apud Paſqualigum, Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 43. Boſſius *ſect.* 4. *de Iubil. caſu* 18. *n.* 13. Gabr. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. *circa tertiam opinionem.* & Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* . *fine.* quos citat, & ſequitur Paſqualigus. *deciſ.* 135. Qui probat *Primò*. Quia pomum, & pyrum, quàuis ſit quid comeſtibile, non ordinatur tamen ad nutriendum: ſed ſumitur loco potûs: Vnde, cùm liceat in die ieiunij bibere, licebit etiam comedere pro ſiti ſedanda, quia, ſtante paruitate materiæ, non habenda eſt ratio illius parui nutrimenti, quod inde percipitur, quia per accidens ſe habet ad extinctionẽ ſitis.

Secundò. Quia, (vt inſtà diximus) ſine fractione ieiunij, poteſt quis aliquid cibi ſumere per diem, ne potus noceat: ergo, & poterit ſumere pomum ſimul cum potu: ergo multò magis licitè, ſine potu.

Sed vt mihi certiſſimum, Reſpondeo: Per ſe frangere ieiunium; licèt per accidens, ratione paruitatis materiæ, poſſit non frangere.

Primum conſtat. Quia poma, pyra, & ſimilia, per ſe, ex ſe, & ex natura ſua, ſunt cibus, & quid comeſtibile,

bile, ordinatum ad nutriendum: ergo eorum sumptio, si sit magnæ quantitatis, omnino franget ieiunium. Consequentia liquet, & antecedens etiam ex se constat, & docet expresse Paludan. *in 4. dist.* 15 *q.4. art.4. concl.3.* per hæc verba: Bina comestio frangit ieiunium scilicet, quæ communiter sumi solent in cibum; vbi etiam fructus, vt cerasa, & pyra, & nuces computantur, quia in loco refectionis sumuntur in prandio, & cœna. Ita ille.

Nec valet dicere, quòd sumptio talis cibi, non ordinetur à sumente ad nutriendum, sed ad sedandam sitim: Quia si pomum, pyrum, vel quid simile, ex natura sua, & ex se, est cibus ordinatus ad nutriendum, nunquam poterit aliter, quàm, vt cibus sumi; nam intentio sumentis nequit mutare naturam ipsius pomi, pyri, &c. vt, loquendo de sumptione vini, concessit ipsemet Pasqualigus, *decis.* 117. & ex illo, nos *quæst.3. vers. Secundo.* Rursus ipsemet Pasqualigus, ait, quod nutrimentum, quod pomum, & pyrum generant in sumente, per accidens se habet ad extinctionem sitis: ergo per se, se debet habere ad aliud; sed non est aliud, ad quod per se, se debeat habere, quàm ad nutritionem: ergo.

Secundum, etiam constat. Quia (vt omnes concedunt) à fractione ieiunij excusat paruitas materiæ, sicut excusat à fractione aliorum præceptorum: ergo sumptio poma, in parua quantitate, non franget ieiunium. Sic Bonac. *in edit. nouiss. disp. vlt. de 1. Eccles. præcept. q. 1. punct.1. num.7.* Et sic intelligendi sunt Authores, quos Pasqualigus pro sua sententia citat: Imo & fortitan ipsemet, vt constare videtur ex doctrina, quam, ex ipso referemus, infrà *q.9.*

QVÆSTIO VII.

An saltem, sine fractione ieiunij, possit quis sumere, ad extinguendam sitim, mala massilica, aut medica, Hispanè; Limones, ò Naranxas?

AFfirmat (& à fortiori) Pasqualigus *decis.* 135. *num.* 3. Quia hæc inquit magis ordinantur ad sitim extinguendam, quàm ad nutriendum; imo, secluso cortice, ex natura sua habent potius rationem potus, quàm cibi; cum ipsis præponderet succus: ergo. Vnde *num.* 5. addit, huiusmodi fructus posse sumi ad sedandam sitim per diem, quoties libuerit; quia, (inquit) quamuis videantur habere rationem cibi; dum tamen, dentibus conterantur, in liquorem resoluuntur, & per modum potus transmittuntur ad stomachum. Ita ille. Quem postea sequutus fuit Pater Vidal *in arca Theolog. Moralis tit. de Ieiunio inquisit.1. num.* 155.

Sed adhuc, ve mihi certum, Respondeo: Non posse quempiam sumere mala massilica, medica, & similia, in quantitate magna, aut quoties libuerit, etiamsi id fiat causâ extinguendi sitim, sine fractione ieiunij. Quia etiam est certum, prædicta mala, per se, & ex natura sua esse cibum, & ordinatum ad nutriendum; (licèt per accidens ratione magni succi, quem in se habent, apta sint ad extinguendam sitim, & refrigerandum corpus:) ergo eorum sumptio, per se franget ieiunium. Consequentia, ex dictis nuper, est, euidens: antecedens verò, etiam est notum: quia prædicta mala, per se sunt ordinata ad manducandum, non ad bibendum; non enim dicimus bibamus nonnulla massilica mala, sed manducemus illa: Sed sic est, quòd sumptio eorum, quæ per se sunt ordinata ad manducandum frangit ieiunium; vt expresse docet D.Th. *in 4. distinct.* 15. *quæst.3. art.4. q.5.* ergo malorum prædictorum sumptio, etiam cum intentione

extinguendi sitim, ieiunium franget. Intentio enim sumentis in præsentiarum, nihil mutat, vt ex suprà dictis liquet, Sic contra Pasqualigum tenent nouissimè Pellizarius *in Manuali Regul. tom.1, tract.5.c.5.n.8.* & cum aliis Diana *part.9. tract.6. Res.* 14. & me cit. *p.10. tract.* 14. *Resol.56.*

Ex quibus ad fundamentum Pasqualigi, iam constat, quid dicendum. Negandum enim est prædicta mala magis ordinari ad extinguendam sitim, quàm ad nutriendum; nam ad hunc finem primò, & per se ordinantur; per accidens, & secundariò ad extinguendam sitim.

QVÆSTIO VIII.

An ad minus, possit ieiunans manducare quoties libuerit, vuas recentes ad extinguendam sitim, sine fractione ieiunij?

AFfirmat (& consequenter) Pasqualigus *decision.* 136. per totam. Et probat per hæc verba. Quia in vua reperitur substantia triplicis generis, nempe cortex, vinacea, seu ligna granula in acinis vuæ inclusa, & succus, qui exprimitur; quod patet, quando vua conteritur, nam tota resoluitur in hanc triplicem substantiam. Ex hac autem triplici substantia, solus succus in stomacho digeritur, & conuertitur in substantiam viuentis, cætera autem minimè, sed integra in propria substantia egeruntur, non secus ac res aliæ, quæ nec aptæ sunt ad nutriendum, nec habent rationem cibi. Quando ergo comedimus vuam, idem est in ordine ad cibationem, & nutritionem, ac si sumeremus solum succum ipsius, quia solus est aptus, vt digeratur: & quia cortex, & vinacea egeruntur in propria substantia, non possunt habere rationem cibi, atque adeo non frangere ieiunium Ecclesiasticum, per quod solus cibus nutritiuus prohibetur, non secus ac non frangitur si sumeretur, & transglutiretur lignum, papyrus, palea, terra, & quid simile. Quare vua non potest frangere ieiunium ratione corticis, aut vinaceorum. Sed neque ratione succi frangit ieiunium, quia succus in sua substantia est vinum, & habet rationem potus; & proinde expressus est materia apta, vt consecrari possit in sacrificio Missæ. Vnde quia exprimitur de acinis, quando vua dentibus conteritur, in ipso ore acquirit rationem potabilis, atque adeò transmittitur ad stomachum per modum potus. Et sicut mustum non frangit ieiunium, quia est potus, ita nec etiam talis succus, quia re vera est mustum. Hæc (addit Pasqualig.) vt probabilia proposui: ea tamen meliori iudicio examinanda relinquo. Huc vsque hic Author. Cuius verba transcripsi, vt videat Doctus (imo, & indoctus) per ea, quantæ efficaciæ sit ratio, cui, ad asserendum nouum quid, & inauditum huc vsque, contra praxim omnium fidelium, hic nouus Author, aliàs doctus, nititur, quem tamen iam sequitur Pater Vidal *loc. cit.*

Respondeo ergo, tanquam certum, & indubitatum, imò, & indubitabile. Quòd nullo modo possit ieiunans, sine fractione ieiunij, manducare in quantitate notabili, vuas recentes, etiam ob sitim sedandam. Sic expressè tenet Thomas Hurtado *disputat. citata de potione chocolatica* vbi *num.1. num.* 5. Sic ait: Quartò conueniunt omnes, quòd si ea materia, quæ aqua delibata est, manducetur, frangit ieiunium amittit enim formam potus; sicut, qui vuam vnius libræ manducet, frangit; non tamen si ex illa mustum expressum bibat: similiter si quis poma, ex quibus fit ceruizia manducet, non tamen si ipsam ceruiziam bibat. Sic ille. Et ante illum, Abulensis *in Matthæum quæst.*

quæst. 165. Quatenus edentem vuas, solùm ob paruitatem materiæ, à fractione ieiunij excusat, his verbis: Potest (inquit) quis sumere ita modicum à cibo, quòd non dicatur comedere, etiamsi pluries hoc faceret, vt si quis sumeret vnicam micam panis, vel vnicum granum vuæ. Hæc ille. Et credo cum illo omnes Doctores. Quod licèt sufficeret in re tàm aperta.

Probo tamen ratione responsionem dictam. *Primò.* Quia certum est, & indubitatum, apud omnes, quòd vua non solùm sicca, (vt vult Pasqualigus *n.* 11) Sed, & recens, sit purus cibus aptus, imò, & aptissimus ad nutriendum, & ad hunc finem, primariò, & per se à natura ordinatus: ergo sumptio eius, in quantitate notabili, franget ieiunium. Consequentia, ex dictis, & ex se, est euidens. Antecedens verò, probatur primò, ex consensu omnium Medicorum, & præcipuè, eorum Magistri, Galeni, *lib.* 1. *de aliment. facult. cap.* 9. *& lib.* 1. *de locis affect. c.* 4. & sapientiss. Medicorum Scholæ Salernitanæ *in opusc. de valetudine tuenda ad Regem Angliæ misso, cap.* 9. *fol. mihi* 56. qui expressè vuas recentes, inter cibos benè nutrientes, & impinguantes, vt sunt, triticum, lac, caseus, testiculi, caro porcina, oua, ficus, & similes, enumerant. & *fol.* 62. *col.* 2. id experientia, his verbis Galeni, *cap.* 9. *cit*, probant sic. Nam ficus, & vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent: ita fugacibus omnibus magis nutriunt; minimumque praui succi habent, præsertim cùm exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porrò, quòd ipsæ nutriant, maximo argumento sunt ij, qui vinearum fructum custodiunt: qui, cùm duos menses solis vuis, ac ficubus quorum custodiæ præsunt, vescantur (nisi fortè panis quidpiam cum illis addant) corpulenti tamen admodum fiunt. Sic isti Doctores, ex Galeno: ergo ex sententia Medicorum, vua recens, cibus purus, ac nutritiuus, ex natura sua, est.

Secundò, dictum antecedens, sic ratione probo. Nam vua recens est, (sicut, & sicca) materia densa, masticabilis, ac à dentibus conteribilis, & ordinata per se ad nutriendum: ergo verè habet rationem cibi. Antecedens experientia, omnibus ratione vtentibus, est notum: consequentia verò clara; nam de ratione cibi, solùm est, quòd de se sit ordinatus ad nutriendum, sicut, & de ratione potûs, quòd de se magis ordinetur ad digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, ex D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2.

Tertiò. Quia, si aliqua ratione, vua recens deberet habere rationem potûs, maximè ratione musti inclusi: at sic est, quòd nec ratione huius id habet: ergo. Minorem probo. Quia mustum intra grana inclusum, cùm sit sicut pars in suo toto, non est potus, sed cibus, & ideò nequit esse materia consecrationis, vt diximus 2. *part. tract.* 7. *disp.* 8. *q.* 30. ergo.

Quartò. Probo nostram Conclusionem, euertendò omnino fundamentum, quo fundatur Pasqualigus ad nouam suam sententiam stabiliendam. Quia, imprimis falsissimum est, quòd in vua solùm reperiatur substantia triplicis generis, nempe, cortex, vinacea, & succus. Nam præter hæc, inuenitur alia quarta substantia; nempe quædam, materia crassa, plena minutissimis venulis, seu filis, in qua inclusum, tanquam in suo toto, est mustum; & ex qua præcipuè, quando vuæ calcantur in torculari, exprimitur; vt notum est omnibus, quibus notæ sunt vuæ, & expressè docet Galenus *cap.* 9. *cit.* per hæc verba: Nam acinorum substantia; composita est ex ipsarum velut carne, & humore, qui per carnem est dispersus, ex quo fit vinum; præterea ex seminibus, atque ex membranoso tegumento, quod omnia hæc extrinsecus circumambit. Sic ille. *Et post pauca.* Liquet porrò quòd aluus magis laxatur, si sola acinorum caro cum succo fuerit transglutita, sine seminibus, ac membrana extrinsecus ambiente. Laxatur autem impensiùs; cùm solus ipse succus expressus (musto, vulgò appellant) fuerit transglutitus: Ex hoc sanè succo alimenti nonnihil corpori accedit, copiosus tamen ex carnea substantia. Sic Galenus. Ex quo clarè constat, in vua non solùm reperiri substantiam triplicis generis, vt vult Pasqualigus; sed quadruplicis; ac proinde falsissimum esse fundamentum illius.

Rursus falsissimum etiam est: Quòd ex his substantiis, solus succus in stomacho digeratur, & conuertatur in substantiam viuentis, cæteræ verò minimè, sed integræ in propria substantia egerantur: Nam præter succum, etiam digeritur (imò præcipuè) & conuertitur in substantiam viuentis illa quarta substantia, quam nos inueniri in vuis, diximus; & etiam clarè docet Galenus *loc. cit.* Imò, & cortices, seu membranæ, & vinaceæ vuarum (licèt hæc difficiliùs) vt expressè colligitur in Galeno *lib.* 2. *de aliment. facult. cap.* 9 *& lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 4. & ex Schola Salernitana *loc. cit. fol. mihi* 63. In quibus locis docent, quòd conueniat, cùm vuæ comeduntur, membranam, & nucleos expuere, eo quòd difficulter conficiantur. Ergo ex horum sententia, clarè constat falsissimum esse, quòd solus succus vuarum digeratur, conuertatur in substantiam viuentis, & consequenter, quòd quando comedimus vuas idem fiat ordine ad cibationem, & nutritionem, ac si sumeremus succum ipsarum, & propterea per earum esum non frangi ieiunium: hæc namque omnia falsissima esse ex dictis constat.

Tandem. Quia si argumentum, Pasqualigi vim aliquam habet, non solùm probat quòd possit quis ad extinguendam sitim edere vuas, verumetiam absolutè, sicut absolutè quis potest bibere vinum, seu mustum, etiamsi bibatur ad mitigandam famem, vt suprà est habitum: at hoc est plusquam falsum: ergo. Valeat igitur Pasqualigus cum sua noua opinione falsa omnino, omnino improbabili, omninòque ab omnibus reiicienda, vt nouissimè, me ad longum citato, reiicit Diana *part.* 9. *tract.* 6. *Resol.* 24. *& p.* 10. *tr.* 14. *Resol.* 56. & Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8.

QVÆSTIO IX.

An tandem, sine fractione ieiunij, possit quis, ob sedandam sitim, sumere poma, pyra, vuas, & similia, & dentibus conterendo illa reiecta substantia solida ab ore, deglutire succum dentibus expressum?

AFfirmat (vt à fortiori debet) Pasqualigus, *decis.* 155. *num.* 4. per hæc verba: Si tamen non deglutiretur substantia solida pomi, aut pyri; sed tantùm succus expressus, dum dentibus conteritur, tunc posset sumi, quoties vrget sitis, quia idem est ac si biberetur; Vnde etiam ea tali succo solet fieri potus, qui licitè potest adhiberi, quoties libuerit, in die ieiunij. Ita ille: Loquendo de succo pomorum; ac pyrorum, qui à fortiori idem tenetur asserere, de succo vuarum.

Sed adhuc Respondeo: Non posse: *Primò.* Quia impossibile videtur, quòd quis possit, ita dentibus conterere poma, pyra, & vuas vt possit deglutire eorum succum, & non substantiam aliquam habentem rationem cibi: ergo non potest id efficere sine fractione ieiunij.

Secundò,

Secundò. Quia contetere poma, pyra, & vuas, dentibus, eaque masticare, & deglutire succum ex illis expressum, nil aliud est, quàm manducare aliquid per modum cibi: at hoc est, quod frangit ieiunium Ecclesiasticum: ergo. Et certè, loquendo de vuis, mihi certissima est responsio, cùm experiamur nullo modo posse quem masticare acinos vuarum, & exprimere succum purum eorum, & deglutire, absque vlla eiusdem cibi substantia. *Tandem.* Quia, vt nuper dicebamus, argumentum Pasqualigi, liquid probat, probat certè, quòd non solùm causâ sitis sedandæ; sed etiam famis, posset quis sumere, prædicto modo, poma, pyra, &c. Quod nemo dixit, nec dicet.

Hanc sententiam omnino debet amplecti Anton. de Leone, quatenus docet, quod mustum, adhuc expressum ex vuis, non sit vinum sed alia potio distincta includens quid comestibile. Id enim docet quæst. de Chocolate *part.* 2. §. 6. *num.* 1. *&* §. 5. *num.* 14. vbi sic ait, [El vino escumo de vuas sacado per expression, y perficionado por infusion, liquido, y claro, y que por el trasiego, y cozimiento, pierde quanto comestibile auia sacado de las vuas, &c.] Hæc ille. Quamuis non benè; in eo quod asserit mustum expressum iam ex vuis, non esse vinum. Est namque: cùm in eo validè possit consecrari, vt cum communi diximus. 2. *part. de Sacram. tract.* 7. *disput.* 18. *q.* 32. quod nullo modo posset, si mustum non esset vinum: cùm hoc sit materia tantùm, consecrationis Sanguinis. Sic nouissimè me citato, tenet Diana *part.* 10. *tract.* 14. *Resol.* 56.

QVÆSTIO X.

An in die ieiunij possit quis licitè, toties quoties bibit, aliquid cibi sumere, ne potus noceat?

NEgat, loquendo absolutè, Caietan. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *in fine*, docens, id non licere, nisi post cõpletam digestionem, per hæc verba: Vnde magna abusio est illorum, qui cibo indigesto, vesperè bibunt ieiunantes. Et quod peius est, ne potus noceat, sumunt aliquod comestibile, vt duo cruda, cibus scilicet, & potus; adduntur indigesto.

Sed Respondeo absolutè: Posse, dummodo id non faciat in fraudem ieiunij, quæ tunc adesse censenda debet, quando quis biberet non ob sitim sedandam; sed vt posset sumere illud parum cibi. Probatur responsio. Quia Ecclesia, in ieiuniis concedit potum: ergò, & quidquid est necessarium, ne ille noceat: ergo aliquid cibi: ergò quoties contigerit bibere, toties poterit quisquid cibi sumere. Sic D. Thom. *in* 4. *distinct.* 15. *q.* 3. *art.* 4. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *conclus.* 3. Ledesma 2. *part.* 4. *qu.* 17. *art.* 5. *conclus.* 8. Syluest. *verb. Ieium. num.* 9. Armilla *num.* 1. Sà *num.* 8. Azor *lib.* 7. *cap.* 10. *qu.* 7. §. *certè negari.* Reginald. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 175. (non *num.* 17. vt inuenies apud Pasqualigum) Fagundez *lib.* 1. *citat. cap.* 2. *num.* 20. & in noua edit. *num.* 48. *&* *cap.* 4. *num.* 14. *& in noua edit.* 15. *cap.* 4. *numero* 14. Homobonus *part.* 2. *exam. Ecclesiæ, tract.* 8. *capit.* 7. *quæst.* 20. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 8. *numero* 7. Molfes. *in summ. tom.* 1. *tractat.* 10. *cap.* 5. *numero* 23. Philiarc. *tom.* 1. *de off. sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. Bonacin. *disp. vltim. de precept. Eccles. qu.* 1. *punct.* 3. *num.* 4. Petr. Ledesma *in summ. tract.* 27. *cap.* 2. *dub.* 3. *vers. A esta difficultad.* Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 3. Bossius *de Iubil. casu* 18. *num.* 16. Villalob. *in summ. tract.* 23. *diff.* 8. *n.* 14. Diana 1. *part. tract.* 9. *Resol.* 24. Medina, 1. *part. summ. cap.* 14. §. 10. Lauorius, & Perez. Quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus *decis.* 119. vbi, præter hos, etiam

R. P. Leand. in V. Precept. Eccles.

citat Abulensem *qu.* 156. *in* 6. *cap. Matth.* Sed ibi de hac quæst. nihil Abulens. bene tamen quæst. 169. Posset etiam citare Viguerium *de institution. Theolog. c.* 7. *de temperant.* §. 3. *vers.* 1. *fol. mihi* 68. Sic dicentem. Neque franget ieiunium sumere parum panis, aut fructuum, ne vinum, vel aqua dissoluat, aut dilaniet stomachum; etiamsi pluries in die fiat, prout alteratio exigit. Sic ille.

QVÆSTIO XI.

An, ne potus noceat, possit quis sumere aliquid cuiuscunque generis cibi?

NEgat Azorius *loc. cit.* & penes ipsum, Syluest. *loc. etiam cit.* Quibus addi potest Abulen. *loc. cit. q.* 169. Quia existimant, solùm posse quem accipere, ne potus noceat, aliquam exiguam portionem medicamenti, vt parum sacchari rosacei, aut quinque, aut sex amygdalas confectas sacchato: non verò portionem panis, herbarum, aut aliorum fructuum arboris.

Sed absolutè omnino, Respondeo: Posse sumere modicum quid cuiuscunque generis cibi, panis, videlicet, fructus, & huiusmodi. Quia etiam ista adhiberi possunt per modum medicamenti, ne potus noceat. Sic expressè Fagundez, Layman, Bonacina, Molfesius, Viguerius, Diana, Sanchez, Bossius, & Pasqualigus, *loc. citatis.*

QVÆSTIO XII.

Quanam quantitas cibi potest sumi, quando per diem bibitur, ne potus noceat?

REspondet Bonacina *loc. cit. num.* 4. Quòd duæ castaneæ, duæ ficus, vel quid simile. Diana verò *loc. cit.* & Fagundez *c.* 2. *cit. n.* 20. Quòd quinque, vel sex amygdalæ sacchato confectæ, vel quid simile. Ledesma, quòd duodecim confecti (Hispanè, *confites*) aut quid simile. Pasqualigus tandem *decis.* 119. *n.* 6. quòd, regulariter loquendo, possit sumi quantitas cibi, infra vnicam vnciam. Sed hæc cibi quantitas, quam Pasqualigus assignat, regulariter loquendo, nimia videtur. Et certè miror, & valde, quod ille, qui ad summum sextam partem vnciæ *de chocolato* concedit; concedat nunc ex quocumque alio cibo, vnciam ferè, vnde. Ergo, determinando quantitatem cibi, pro potu sumendo.

Respondeo: Posse, regulariter loquendo, sumi quantitatem cibi, infra dimidiam, vnciam. Quia hæc quantitas, regulariter loquendo, videtur necessaria, & sufficiens, vt potui in stomacho commixta, impediat ipsius nocumentum. Sic omnino me citato tenet Diana *p.* 10. *tract.* 14. *Resol.* 59. *in fine.*

QVÆSTIO XIII.

An semper, quando quis per diem bibit, possit dictum parum cibi sumere; etiamsi aliàs, sine ipso, potus illi non noceret?

AFfirmare videtur Pasqualigus *loc. cit. num.* 7. dum in fine huius numeri, respondendo quæstioni propositæ, hæc dicit: Quia tamen materia parua est, & potus solus stomacho non confert, ideò nemini inicerem scrupulum, grauis saltem peccati, si sumeret hunc exiguum cibum. Ita ille.

Sed absolutè Respondeo: Non Posse, casu, quo certus esset, quòd potus minimè, absque cibo noceret. Quia, ideo solum est licitum, quid cibi, ante potum

 sumere,

sumere, ne hic stomacho noceat: ergo casu, quo noceat, non erit licitum; cùm cesset ratio finalis, propter quam erat licitum. Secùs verò dicendum, quando quis est certus de nocumento; vt habitum est. Imo & quando probabiliter timet illud, aut est dubius; quia tunc, cùm stet in possessione sui iuris ad illum cibum sumendum, licitè poterit illum sumere, vt in hoc bene Pasqualigus.

Ad cuius fundamentum dicendum, quòd solùm probat, quòd propter paruitatem materiæ, non incurrat mortale, ille qui semel, aut iterum, sine causa, parum quid cibi sumeret; non verò, quòd non incurrat veniale; nedum mortale, si sumptus cibus pluries, perueniret ad notabilem quantitatem; quia tunc verè frangeret ieiunium, & consequenter peccaret mortaliter. Sic innuit Molfes. *cap. 5. cit. num. 23.* dum hæc scribit verba: Qui enim vrbanitatis gratiâ, ob superuenientem amicum, vel ad extinguendam sitim, bibere vellet, & aqua ipsa noceret, non peccaret. Ita ille. Nunc ego. Ergo si aqua non noceret, non posset tunc parum cibi absque culpa sumere.

QVÆSTIO XIV.

An in diebus ieiunij, possit quis, absque culpa veniali, rogatus ab amico, aliquid cibi sumere?

AFfirmant Medina *in summ. lib. 1. cap. 14. §. 10.* & penes illum Victoria, Cenedo *in quæst. Canon. q. 41. num. 7.* Ledesma *tom. 2. tract. 27. cap. 2. dub. 3.* Filliuc, *tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 41.* Sà *verb. Ieiunium, num. 8.* Fagundez *precept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 3.* Vega *tom. 1. summ. c. 14. ca. u 2.* Lauor. *p. 1. de Inst. l. c. 20. n. 12.* Diana *1. p. tract. 9. resol. 29.* Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 22. numero 6.* Lezana *verb. Ieiunium, num. 4.* Quos omnes, sic citatos, sequitur Pasqualigus *decis. 137.* dicens sibi videri certam sententiam. Quibus adhuc addi possunt Bonac. *quæst. 1. cit. punct. 3. num. 4.* & Reginald. *lib. 4. numero 174. & 189.*

Sed probabiliùs Respondeo. Non posse illud sumere, absque culpa veniali. Quia certum est quòd siquis sumeret quantitatem notabilem cibi, rogatus ab amico, & in eius etiam obsequium, quòd frangeret ieiunium, & peccaret mortaliter, vt omnes concedunt: ergo si sumeret quantitatem modicam, etiamsi id faceret propter eundem finem, nempe, ob vrbanitatem, & in obsequium amici, peccaret venialiter. Nam ab hac culpa excusanda, nullo modo est sufficiens causa, petitio amici. Sic Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 2.* Ricard. *q. 3.* Caietan. *2. 2. q. 147. artic. 3.* Syluest. *verb. Ieiunium, q. 4.* Nauarr. *cap. 21. num. 15.* Azor. *1. part. lib. 7. cap. 9. 1.* Ioann. à Cruce *1. part. Director. precept. 4. art. 4. dub. 1. concl. 1.* Rodriguez *1. part. summ. cap. 23. num. 1.* Villalob. *1. part. summ. tr. 23. diff. 6. num. 4.* & Llamas, *part. 3. Method. cap. 5. §. 25.* Quos omnes, pro hac nostra sententia, sic citat Pasqualigus *loc. cit. num. 2.* Sed certè, ex his Authoribus, nec Caietanus, nec Syluester, nec Nauar. (quos etiam pro hac parte citant Azor, Fagundez, & Diana) quid in fauorem eius (expressè saltem) dicunt. Citat etiam Fagundez pro nostra sententia D. Antonin. *2. part. tit. 6. c. 2. §. 6.* etiam malè. Tenet tamen illam nouissimè Leander de Murcia *cap. 2. num. 50. super 3. caput Regulæ S. Francisci.* [Porque entre Christianos (inquit) el que responde quando le conbidan, que ayuna, ni es, ni puede ser tenido, con razon, por inurbano.

QVÆSTIO XV.

An electuaria, & sacchara condita, possint sumi in die ieiunij, ob solam delectationem?

AFfirmant D. Thom. *in 4. dist. 15. qu. 4. artic. 4. qu. 1. ad 3.* Gabriel *distinct. 16. q. 3. dub. 1. vers. Sed quid de potu vini.* & D. Anton. penes ipsum. Ricard. quem citat, & sequitur Syluest. *verb. Ieiunium. quæst. 3. num. 9.* & Abulens. *in cap. 6. Matth. quæst. 169. in fine.*

Sed vt certissimum Respondeo: Non posse. Quia electuaria, & sacchara condita, verè habent rationem cibi nutritiui: ergo illorum sumptio, extra permissam refectionem franget ieiunium. Nec quòd dicta electuaria sumantur ob delectationem, tollit, quia eorum sumptio sit vera comestio, ordinata ex se ad nutritionem; nam (vt aliàs diximus) & docet ipse Abulensis; intentio sumentis, non mutat naturam rerum comestibilium. Sic Innocentius in Rubric. de obseruat. Ieiun. *num. 5.* vbi docet, quòd non liceat vti electuariis, nisi sicut alio cibo delicato. Pasqualigus *decis. 134.* & alij, quos, suppressis nominibus, citat D. Thomas.

QVÆSTIO XVI.

An saltem in die ieiunij, possint sumi, per modum medicinæ, extra consuetam refectionem, dicta electuaria, & sacchara condita: & etiam Bellaria, nempe, fructus, panis, & huiusmodi?

NEgant aliqui, quos, suppresso nomine, refert Abulens. *loc. cit. q. 168.* eo quòd prædicta, etiamsi sumantur per modum medicinæ, aut tanquam remedium, & curatiuum ægritudinis, verè sunt, & habent rationem cibi.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Posse. Quia Ecclesia non prohibet, per ieiunij præceptum, ea quæ ordinantur ad recuperandam sanitatem corporis: Sed sic est, quòd ad hanc recuperandam, non solùm possunt deseruire electuaria, aut sacchara condita, vulgò, *Conseruas*; verumetiam, fructus, vt vuæ passæ ad emolliendum ventrem; & panis biscoctus, quando stomachus est aqueus: ergo. Sic communiter Doctores omnes. D. Thom. *2. 2. quæst. 147. art. 6. &* ibi Caietan. & Siluius, Gabriel *in 4. distinct. 16. q. 3. art. 3.* Ricard. *distinct. 15. art. 3. q. 7.* Syluest. *verb. Ieiunium, quæst. 3.* Armilla *num. 1.* Nauarr. *cap. 21. à num. 13.* Lessius *lib. 4. de iust. c. 2. dub. 1. num. 11.* Layman *tract. 8. cit. cap. 1. num. 7.* Petrus Ledesma *tr. 27. cit. cap. 2. diff. 1. circa 2. condition. Ieiunij*, Reginald. *lib. 4. cap. 14. num. 175.* Fagundez *lib. 1. de 4. precept. Eccles. cap. 4. num. 2.* Sanchez *lib. 5. consilior. cap. 1. dub. 22. num. 1. & 2.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 1. num. 3.* Ghetius, Bizozer, Lezana, Filliuc. Llamas, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus *decis. 133.*

QVÆSTIO XVII.

An etiam, dicta electuaria, sacchara condita, &c. possint sumi (sine fractione ieiunij) per modum medicinæ, non solùm ob recuperandam sanitatem (vt est habitum) sed etiam ob conseruandam?

AFfirmare videtur Pasqualigus, *decis. 133. citat. num. 2. 3. & 4.* quatenus concedit, dicta posse sumi, ad conseruandam, & præseruandam bonam dispositionem

dispositionem corporis. Pasqualigum sequitur nouissimè P. Vidal. *in arca Theol. Moral. inquisit. 1. de ieiunio num.* 82.

Sed absolutè; Respondeo dicendum; Quòd non possint sumi, ob solam conseruandam, aut præseruandam salutem, nisi aliàs de propinquo ægritudo timeatur. Sic Innocent. *in cap. de obseruat. ieiunij;* docet, per hæc verba. Medicinam autem pro remouenda infirmitate, vel fugienda accipere licet sine peccato in die ieiunij; sed pro conseruanda sanitate non credo. Sic Innocentius. Et post illum, Abulens. *loc. cit. quæst.* 168. Sic dicens, Si autem medicinam, quis acciperet solùm ad conseruandam sanitatem, nullam patiens actualiter ægritudinem, nec timens aliquam de propinquo, videtur frangi ieiunium; si medicina illa habeat modum cibi. Sic dicit Innoc. vbi suprà, ecce, medicinam pro remouenda infirmitate, vel fugienda, accipere licet, sine peccato, in die ieiunij, sed pro conseruanda sanitate tamen, vbi non est signum infirmitatis, non credo. Huc vsque Abulensis. Cuius sententiam approbat Fagundez, *num.* 2. *citato* sic Notat tamen Abulens. *q.* 168. *cit.* videri frangere ieiunium, illum, qui nullam habens actualiter ægritudinem, nec timens aliquã de propinquo, medicinalem cibum sumeret; medicina enim supponit ægritudinem, vel actualiter existentem, vel quæ de proximo timeatur, vt optimè quidem notat Abulensis, aliter enim id fieret in fraudem ieiunij, & in fraudẽ legis, nihil effici iustè potest. Sic Fagundez. Et anteà ex Innocentio, Gabriel. *dist.* 16. *quæst.* 3. *dub.* 1. *litt. P.* & nouissimè, Diana *part.* 10. *tract.* 14. *Resol.* 60. & Martinus de S. Ioseph in Monit. Confessar. *tom.* 1. *lib.* 2. *tr.* 5. *de Ieiun. num.* 7.

Quæstio XVIII.

An qualibet necessitas corporalis sufficiat, vt licitè possit quis sumere aliquid per modum medicinæ?

Respondeo: Sufficere, dummodo attendatur ad exigentiam necessitatis; nã hæc debet esse mensura illius, quod per modum medicinæ est sumendum. Sic expressè Pasqualig. *decis.* 133. *n.* 7. quod clariùs ex mox dicendis constabit.

Quæstio. XIX.

An possit ieiunans ob subleuandam debilitatem stomachi, vel capitis, manè modicum ientaculum sumere?

Respondeo; Posse. Quia, stante debilitate dicta, id quod ad eius subleuationem sumitur, habet rationem medicinæ. Et ideo nec dicti cibi sumptione frangitur ieiunium; nec adhuc veniale peccatum committitur; nisi aliàs cibus, qui sumitur sit notabilis quantitatis excedens notabiliter necessitatem naturæ, nam hæc (vt nuper est habitum) debet esse mensura quantitatis cibi, quæ per modum medicinæ, licitè sumi potest. Sic Pasqualigus *decis.* 130. & penes ipsum Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *in fine* D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *cap.* 2. §. 9. Syluest. *verb. Ieiunium, n.* 9. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 12. & Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. & 8. Qui benè notat, quòd cùm ij, qui dictam debilitatem patiuntur, difficilè inducantur vt ieiunent, debeat confessarius proponere ipsis hoc remedium; nimirum, quòd sumant manè modicum ientaculum, & hoc pacto, si possunt, ieiunent. An autem pro præseruanda debilitate superuentura, possit quis etiam sumere manè quid cibi. Dicendum est ex dictis suprà, *q.* 17. posse si certò, aut probabiliter timeat alter superuenturam; aliàs minimè. Sic etiam Pasqualig. *loc. cit. n.* 6. & ex me, Diana *Res.* 60. *cit.*

Quæstio XX.

An concionatores, casu, quo tenentur ieiunare, possint aliquid cibi sumere ad habendam vocem aptam, ad concionandum?

Respondeo, affirmatiuè. Quia præceptum ieiunij non impedit ea, quæ necessaria sunt pro munere ieiunantium exercendo: ergo consequenter non impediet ea, quæ pro conseruanda voce concionatorũ necessaria fuerint: ergo, &c. Sic Pasqualig. *decis.* 132. & anteà Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 37. Angles, *statim citandus*, & Ludouic. de S. Ioan. *in summ. quæst. vnica de ieiun. art.* 12. *diff.* 2. *appendice,* 1. sic dicens [De aqui se sigue, que si los Predicadores, Lectores, y aun los insignes Cãtores parara aclarar la voz, tomaren alguna cosa por la mañana, sin fraude del ayunn, no quebranta la obligatiõ de guardarle, porque fuera de ser aquello conueniente a su estado, no se toma por modo de comida, sino de medicina.] Sic ille.

Quæstio XXI.

An etiam, Cantores, seu Musici insignes, possint dum ieiunant, aliquid cibi primo manè sumere, ob conseruandam vocem?

Respondeo: Posse etiam. *Primò*, ob rationem nuper traditam. *Secundò*. Quia ientaculum, quod in dictum finem debent sumere Cantores, debet esse aptum, ad conseruandam vocem, & ad reddendam illam suauem: ergo sumunt illud tanquam medicinam ordinatã, ad dictam vocis conseruationem: ergo talis sumptio, non franget ieiunium. Sic Angles *q.* 9. *de Ieiunio, art.* 2. *diff.* 3. *append.* 1. Filliuc. *loc. cit.* Laurius, *part.* 1. *de Iubileo, cap.* 29. *num.* 8. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 11. Sanchez, *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. Quos omnes citat, & sequitur Pasqualig. *decis.* 132. *cit. num.* 1. Quibus addi possunt Bonac. *disp. vltim. de primo Eccles. præc. q.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. *in edit. noua.* Ludouic. de S. Ioann. *loc. nuper citato.*

Quæstio XXII.

An item Religiosi, qui in choro canunt, possint in die ieiunij, ob conseruandam vocem aliquid cibi sumere?

Affirmat adhuc Pasqualig. *loc. cit. n.* 2. eo quòd, etiam pertinet ad ipsorum munus, in choro canere: sed sic est: quòd ieiunium non debet impedire munus consuetum ieiunantis: ergo cum ipso conceditur, quidquid est necessarium, ne tale munus impediatur. Ita ille. Cuius sententia, absolutè intellecta, falsa mihi videtur. Et ideo.

Clariùs, & distinctiùs, Respõdeo dicendum. Quòd si Religiosi, qui in choro canunt sint insignes musici, & magno cum plausu coram populo canent; tunc optimè possunt summo manè aliquid cibi sumere ad cõseruandam suauitatem, & dulcedinem vocis; cùm horum, & aliorum Musicorum sæcularium, vna, in hac parte, sit ratio: at verò si religiosi, qui in choro canunt, non habeat hoc munus, & exercitium speciale sed solùm cantu plano, aut sine notis id faciant; tunc nulla

nullo modo licebit, summo manè ad conseruandam vocem sumere; cùm ad hoc modo canendum, non indigeant suaui voce, & ideò parum refert, quòd illam conseruent, aut non. Sic vt videtur tenebit Angles, *loc. cit.* cùm hanc licentiam solùm insignibus cantoribus concedat, per hæc verba, Hinc Prædicatores, Lectores, imo etiam Cantores insignes, pro conseruanda voce, aut gutture purificando, si aliquid manè accipiant, fraude cessante, non violant ieiunij præceptum. Ratio est: quoniam, præterquam, quòd illud est conueniens statui illorum, per modum medicinæ assumunt. Sic ille, & etiam ex illo Ludouic. de S. Ioan. *in summ. quæst. vnica de ieiunio articul. 12. diff. 2. append. 1.* & nouissimè ex me Diana *part. 10. tract. 14. Resol. 60. vers. Nota verò.* & apud ipsum Martinus de S. Ioseph, & Trullench.

QVÆSTIO XXIII.

An in die ieiunij, possit quis aliquid cibi aromatici sumere, ne os malè oleat?

AFfirmat Angles, *q. 9. de ieiunio, art. 2. diff. 3. Append. 2.* non absolutè (vt citat Pasqualig.) sed casu, quo oporteat eum, cum magnis viris negotia aliqua tractare: ait enim sic: Hinc, si quis oris graueolentia laboret ieiunus, & oporteat eum cum Primatibus negotia gerere, absque scrupulo potest aliquid præsumere: nam huiusmodi, intra latitudinem medicinæ computatur. Ita ille. Et omnino etiam ex illo, Ludouic. de S. Ioan. *diff. 2. cit. appendice 2.*

Sed absolute Respondeo: Quòd possit aliquid cibi aromatici sumere, ad tollendum malum odorem, quem stomachus ieiunus causat, etiamsi non occurrat tractare cum aliis negotia aliqua. Nā, omissa ista, illa sufficientissima est causa ad sumendum quid cibi per modum medicinæ. Sic Filliuc. *tra l. 27. part. 2. cap. 2. n. 37.* Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 22. n. 7.* & penes ipsum, docti Recentiores, Trullench. *li. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 3. num. 11.* quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 131.* Quibus addi possunt Bonac. *q. 1. cit. punct. 1. num. 7. in noua edit.* & alij.

QVÆSTIO XXIV.

An in die ieiunij, possit quis parum cibi sumere, casu, quo prandium sit dilatandum valde?

NEgatiuam sententiam tenere absolutè Caiet. *in summ. v. Ieiun. c. 1.* & Sanchez, *lib. 5. consil. moral. c. 1. dub. 24. num. 2.* ait Pasqualigus, *decis. 129.* Quos *num. 1.* sequitur.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Posse. Quia longa dilatio prandij, communiter loquendo, semper causat debilitatem: sed propter hanc obuiandam, est licitum sumere mane aliquid cibi ergo. Sic Pasqualig. tandem, *n. 4.* In quam hanc sententiam inclinat Caiet. *loco*, pro contraria à Pasqualigo *cit.* nam sic ait: Præsumentes autem aliquid mane propter præuisam longam occupationem retardaturam à prandio, ex eodem capite videntur excusari. Sed quia hora non videtur admittere, quòd ad vnitatē prandij spectet, quod manè sumitur, ideò ex debilitate isti excusantur quando excusantur: quia scilicet, si hoc non facerent, quasi deficerent, & inepti essent ad id, quòd interim facere oportet. Huc vsque Caiet. Malè ergo illos citat Pasqualigus. Quem omnino sequi videtur Sanchez, *loc. cit.* Quia licèt isti Doctores non excusent prædictum, ob vnitatem prandij, sicut excusant lectores, aut inseruientes mensæ, vt statim videbimus; excusant tamen illum, ob debilitatem, vt expressè ait Caietanus, & cum illo Sanchez. Tenet etiam nostram sententiam, Abulensis, *in cap. 6. Matth. quæst. 144.* & nouissimè me citato, Diana *p. 10. tr. 14. Res. 61. vers. Sed hic obiter.*

QVÆSTIO XXV.

An inseruientes mensis sæcularium, possint ieiuniorum diebus aliquid cibi sumere, antequam seruiant, & posteà comederet?

NEgat Angles, *q. 4. de ieiun. art. 2. diff. 1. Append. 3.* loquendo de famulis inseruientibus mensæ communi, & regulari; licet id concedat famulis inseruientibus mensæ solemni, aut grandi conuiuio, per hæc verba: Qua ratione famuli sæculares ministrantes in solemni conuiuio, si aliquid præsumant, excusari possunt; in regularibus autem prandiis famuli ea licentia vti non possunt. Ita ille. (Vnde non omnino bene citat illum Pasqualigus vt infrà.) Et hanc sententiam videtur tenere Abulensis, *loco citato.*

Sed absolutè, Respondeo dicendum, Posse. Quia tunc omnes, tam Domini, quàm eis seruientes incipiunt prandium: sed horum, per aliquod interrumpitur, tempus vt muneri suo satisfaciant. Vnde, propter hāc rationem faciliùs excusantur, ministri communi mensæ seruientes, quàm alij, qui solemni conuiuio inseruiunt: licèt omnes, vt dixi, sufficienter excusentur, & ideò licitè possint aliquid cibi præsumere. Caiet. *in summ. verb. Ieiunium, cap. 1.* Syluest. *quæst.* Angelus, *num. 16.* Nauarr. *cap. 21. num. 13.* Azor, *lib. 7. cap. 9. quæst. 1.* Valentia, *tom. 3. disp. 9. quæst. 2. punct. 3.* Toletus, *lib. 6. cap. 2. num. 7.* Lessius, *lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 40.* Layman, *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 3.* Bonac. *quæst. 1. cit. punct. 3. num. 10.* Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 24. num. 2.* Diana *4. par. 4. resol. 142.* Fagundez, *lib. 1. de 4. præc. Eccles. cap. 4. num. 2.* Syluius, Ghetius, Bassæus, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 128. n. 2.* & me citato, Diana *part. 10. tract. 14. Resol. 58. vers.* Sed hic obiter.

QVÆSTIO XXVI.

An etiam Religiosi inseruientes mensæ, possint sine fractione ieiunij, aliquid comedere, antequam seruiant?

NEgatiuam sententiam tenere Angles, *loc. nuper citato*, ait Pasqualigus, eadem, *decis. 128. num. 4.* Sed certè omnino malè id ait hic Author; cùm oppositum expressè affirmet Angles, *vt infrà.* Non enim intellexit Pasqualigus verba Iosephi Angles à nobis, *quæst. antecedenti*, relata. Ibi namque non agit de regularibus religiosis; sed de famulis sæcularibus seruientibus mensis opulentis, aut solemnibus conuiuiis: & de iisdem famulis seruientibus mensis regularibus (non regularium) hoc est communibus: & primis, concedit licentiam aliquid cibi præsumendi; secundis verò, negat. Vnde,

Absolutè, Respondeo: Quòd etiam Religiosi possint, quia eadem pro his, ac pro sæcularibus ministrantibus, militat ratio. Sic Angles, *loc. cit.* per hæc verba: Hinc etiam Religiosi, qui tenentur aut legere, aut ministrare in mensa, si aliquid interim præsumant excusantur: iam enim censetur prandium pro omnibus inceptum: mihi tamen magis placet huiusmodi excusari ratione laboris futuri, cui sine magno labore ieiunij non sufficient. Sic ille, & sic omnes Autho-

res

res, supra citati; præcipuè Pasqualigus, *num.* 4. & Llama, 3. *part. method. cap.* 5. §. 21. *pag. mihi* 522. Quamuis, hic Author dicat, quòd in sua Congregatione, & in regula Sancti Benedicti, contrarium iubeatur, nempe, vt seruituri, & lecturi diebus ieiuniorum Ecclesiæ, abstineant à præsumptione cibi, & potus, vsque ad secundam mensam, quando plenè sunt cœnaturi, vel comesturi. Sic me citato, tenet Diana loco allegato.

QVÆSTIO XXVII.

An etiam, ad mensam legentes, possint, diebus ieiuniorum, ante lectionem aliquid comedere?

NEgat loquendo de iis, qui pro breui tempore ad mensam legunt, Abulensis, *loc. cit. quæst.* 145. Sic dicens: Si parum legendum est, & immediatè cibum capere possunt, non licet eis aliquid de cibo sumere ante lectionem: si verò lectio in longum extendenda est, & diù expectandum potest nocumentum incurrere lector, si priùs aliquid non comederet, & hoc, tam propter temporis diuturnitatem, quia fit magna resolutio, tum etiam propter lectionem, quia capiti exinanito per ieiunium, valde nocet clamare; si igitur non habeat contrarium consuetudo, licet istis aliquid de cibis sumere; ante lectionem, ne legendo deficiant. Ita ille. Et ex illo Bonacina, *disp. vltim. de præcep. Eccles. quæst.* 1. *punct.* 3. *numer.* 10. & Reginald. *lib.* 4. *cap.* 14. *numer.* 175. non 177. vt citat Bonac.

Sed absolutè, Respondeo: Posse omnes legentes ad mensam, ante lectionem aliquid comedere. Quia iam censetur pro omnibus Religiosis prandium inceptum: ergo siue parum, siue multum legentes legant, omnes possunt absolutè aliquid ante lectionem comedere, & postea prosequi, aut finire cœnam. Sic omnes Doctores citati sup. *q.* 24. & 25. & communis.

QVÆSTIO XXVIII.

An huiusmodi ad mensam seruientes, & legentes, possint, diebus ieiunij; ante seruitium & lectionem, non solùm in modica quantitate cibum præsumere; verumetiam, in magna?

NEgabunt Doctores, docentes, præfatos lectores & seruitores, ideò solùm posse præsumere ante seruitium, & lectionem ad mensam, aliquem cibum, vt aut labore non deficiant suis ministeriis, aut ob vitãdam debilitatem, & sic affirmant posse modicum cibi duntaxat ob dictum finem accipere. Ita Abulens. *loco citato*, Bonac. & Reginald. Angles, Fagundez, Azor, Lessius, Llamas, *locis citatis, quæstio.* 24.

Sed, æquè probabiliter, Respondeo: Posse etiã cibum in quacumque magna quantitate præsumere. Quia, vt suprà est habitum, prædicta sumptio cibi, est inchoatio prandij, post seruitium, & lectionem, futuri; ergo, cùm eadem comestio fit cum sequẽti moraliter, nihil refert quòd id, quod præsumitur sit in parua, aut in magna quantitate. Sic Pasqualigus, *loc. cit. num.* 6. & 7. Et ante illum, ex Caiet. Sanchez, *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 24. *n.* 2. & nouissimè ex me, Diana *p.* 10. *tract.* 14. *Ref.* 61.

QVÆSTIO XXIX.

An frangant ieiunium seruitores, qui dum mensæ seruiunt, comedunt reliquias ferculorum, quas de illa tollunt?

REspondeo: Non frangere, si ipsi seruitores statim post ipsos dominos, quibus inseruiunt sint comesturi (bene tamen aliàs; si quod comederent, esset quantitatis notabilis sufficientis ad frangendum ieiunium) Ratio est. Quia tunc censentur incipere prandium. Sic Sanchez, *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 24. *num.* 3. Diana, *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 142 Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 13. Gherius, *v. Ieiunium, cap.* 1. *num.* 4. quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis.* 126.

Addens, idem esse dicendum casu, quo dicti seruitores comederent dictas reliquias ex mera gula, non cogitãdo de inceptione prandij; dummodo postea prosequantur prandium.

QVÆSTIO XXX.

An omnes ieiunantes possint licitè sumere paulò ante prandium, quodcumque genus cibi, & in quacumque quantitate?

REspondeo: Posse sumere quodcumque genus cibi, & in quacũque quantitate, paulò ante prandium, hoc est, quarta parte horæ, plus minùsve, ante prandium. Ratio est. Quia illa comestio, seu sumptio cibi anticipata per hoc breue tempus, vnam, & eandem facit moraliter comestionem cum prãdio: ergo licita erit, & sic sine fractione ieiunij sumi à quocumque poterit. Sic pasqualigus, *decis.* 127. Et alij Authores infrà, *q.* 32. & 33. citandi & nouissimè me citato Diana *part.* 10. *tract.* 14. *Resol.* 61. & *P. Vidal. in Arca Theolog. Morali, titulo, de ieiunio. inquisit.* 1. *num.* 92.

QVÆSTIO XXXI.

An frangat ieiunium, qui in vnica comestione, ventrem adeo replet, vt ieiunij difficultatem non sentiat?

AFfirmant (apud Couarruuiam citandum) Martinus Ayala Episcopus Guadixien. *lib.* 3. *de tradit. Eccles. cap. de ieiunio*, & Maior, *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3.

Sed, longè multò probabiliùs: imò, vt mihi certum Respondeo: Non frangere. Quia ille talis, verè obseruat quidquid Ecclesia præcipit; cùm à multiplici abstineat comestione, & à cibis, in ieiunio vetitis: ergo. Sic expressè Innocent. in Rubr. *de obseru. ieiun. n.* 4. Vbi ita ait: Item, licèt ieiunium sit abstinentia victus, tamen credimus eum ieiunare, qui in prædictis consuetudinem obseruat, licèt ad ingurgitationem comedat, quidquid sibi placet, quia in ieiunio non tantùm abstinentia attenditur, sed consuetudo Ecclesiæ. Sic ille. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. Ioan. de Medina, *C. de ieiun. cap. de numero refection. & cap. de iis per quæ ieiunium soluitur.* Reginald. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 163. Abulens. *in cap.* 6. *Matth. quæst.* 166. Bonac. *disp. vltima de præcept. Eccles. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 7. Qui pro hac parte refert Couarruuiam, *lib.* 4. *variar. c.* 20. *num.* 11. Sed certè hic Author, in hac quæstione, nihil certò statuit, vt meliùs vidit Reginald. quod constat ex verbis eiusdem, *loc. cit. vers. non me latet*; vbi sibi hanc quæstionem dubiam esse, expressè dicit. Lubinus,

nus, Baſſæus, Siluius, Layman, Trullench, & Ghetius, quos refert, & ſequitur Paſqualigus, *decis.*120.

His addit poteſt Fagundez, *lib.1.cit.c.4.n.1.in fine*; quatenus docet, eſſe certiſſimum quòd licèt Eccleſia definierit, ſemel tantùm in diebus ieiunij eſſe comedendum, cibi tamen, & prandij quantitatem, nec definierit, nec commodè definire poſſet, propter varias hominum complexiones.

QVÆSTIO XXXII.

An frangat ieiunium, qui coactus ob negotium aliquod, per breue tempus, interrumpit prandium?

RESpondeo: Non frangere. Quia interruptio prandij, ob aliquo negotium ſuperueniens, non conſtituit duplex prandium: ergo non franget ieiunium, qui illud interrumpit. Sic communiter omnes Doctores Caietan *ſumm. verb. Ieiun.§.vnica comeſtio.* Syluest. *quæſt.3.* Nauarr.*c.21. num.15.* Bonac.*quæſt.1. cit.punct.5. n.10.* Fagundez, *lib.1.de 4.præcept. Eccleſ. c.4.n.3.* Azor, Reginald. Vterque Sanchez, quos, & alios vſque ad triginta, & ſex Authores refert, & ſequitur Paſqualig. *decis.*121.

QVÆSTIO XXXIII.

An ſaltem ieiunium frangeret, qui coactus, per longum tempus prandium interrumperet?

NEgat abſolutè Paſqu. *l.decis.*121.*cit.num.5.* & 6. docens: Nullomodo frāgere ieiunium, etiamſi (vrgente aliquo negotio) quis, vſque ad noctem prandium interrumperet. Ratio eius eſt. Quia, cùm illa interruptio, licèt ſatis longa, non ſit voluntaria, ſed ex neceſſitate; ſecunda comſtio cenſetur pars, & complementum prioris comeſtionis, quæ imperfecta fuit relicta.

Alij verò cōtrà, abſolutè affirmant; exiſtimantes verè frangere ieiunium, illum, qui per longum tempus, ab arbitrium boni viri, prandium interrumperet. Ita Azor, *lib.7.cap 9.quæſt.1.* Reginald. *lib.4.c.14. num.*177. & Diana, *1.part. tract.9. reſol.*33. Portel. etiam; *in dubiis regul. verb. Ieiunium in addition. num.*10. & Thom. Sanchez, *lib.5. conſil. cap.1. dubit.24. num.1.* Quatenus ille ait, per mediam horam ſolùm; hic verò per vnicam integram, poſſe quem, abſque violatione ieiunij prandium interrumpere.

Sed in hac quæſtione, ſic ſub diſtinctione, Reſpondeo. Quòd ille, qui (etiam ob iuſtam cauſam) interrumpit, per amplius, quàm per duas horas, prandium, ſeu cœnam, non poſſit, abſque violatione ieiunij, ad ipſam complendam redire, ſi comedens aliàs in prima comeſtione ſumpſit cibi quantitatem ſufficientem ad ieiunium tolerandum. Quia hoc tempus, in hoc caſu, ſufficientiſſimum videtur ad diuidendas omnino illas comeſtiones; & conſequenter ad violandum ieiunium, vt expreſsè docet Leſſius, *lib.4.c.2. num.13. verb Infertur quarto.* Qui verò, per minoris temporis ſpatium, interrumperet; nullo modo violaret. Sic Ioann. Sancius, *in ſelectis, diſp.*52.*n.4.* Qui pro ſe citat Angles, *in 4.diſp.9. de vnica comeſtione, art.2. diff.1.* & tenet etiam Ludou. de S. Iuan, *q.vnica de Ieiun. artic.*12. *diff.1. append.*2. & nouiſſimè me citatò Diana *part.*10. *tract.*14. *Reſol.*62. & alij plures penes ipſum.

QVÆSTIO XXXIV.

An ieiunans poſſit, poſtquam ſumpſit prandium aliò ire ad aliquid edendum?

REſpondeo, vt certiſſimum: Poſſe, ſi è menſa in hunc finem ſurgat. Quia ſic nihil facit aliud, quàm continuare moraliter comeſtionem: ergò, abſque violatione ieiunij, id poteſt efficere. Ex quo conſtat, quòd, dum quis domi comedit, poſſit è menſa ſurgere, & ire ad domum amici ad edendum; & etiã ire ad emenda alia fercula, & poſtea ad domum redire, & ea comedere. Sic Molfeſius, *in ſumm. tom.1. tract.10. cap.5. num.*27. & Paſqualigus, *decis.*123.*per totam.*

QVÆSTIO XXXV.

An ieiunans, qui ſurrexit à menſa, animo non redeundi, poſſit iterum, mutatá intentione, ad comedendum redire, ſi adhuc prandium duret?

NEgabunt, qui exiſtimant, per voluntatem amplius non comedendi, interrumpi omnino comeſtio, & phyſicè, & moraliter. Sunt autem ij, quos infrà referam.

Sed, probabiliter æquè, Reſpondeo: Poſſe in propoſito caſu. Quia præfatus ieiunans, licèt propoſuerit ampliùs non comedere, redit tamẽ ad comedendum de eodem conuiuio, & prandio: ergo ad eamdem comeſtionem moraliter: ergo cum vnitate morali comeſtionis, poteſt ſtare interruptio ſumptionis: ergo ſine violatione ieiunij optimè poterit redire ad comedendum de eodem conuiuio. Sic Leſſius, *loc cit. num.*11. Layman, *lib.4. tract.8. cap.1. num.6.* Villalob. *tract.23. diff.6. num.2.* Diana, *1.part. tra .9. reſol.* 32.*verſ. Notandum eſt.* Trullench, *lib.3. in Decalog.c.* 2.*dub.3. num.*13. Quos citat, & ſequitur Paſqualigus *decis.*124.

QVÆSTIO XXXVI.

An præfatus poſſit iterum redire ad comedendum, adhuc caſu, quo prandium eſſet omninò completum?

AFfirmant (apud Paſqualigum) Poſſe redire iterum ad comedendum; ſi modicum tempus intercelſit, Molfeſ. *in ſumm.part.1.tract.10.cap.5.n.*27. Filliuc. *tract.27. par.2.cap.2.quæſt.*10, *num.*41. Baſſeus *in floribus, Theol. prat. v. Ieiun.1, num.*15. Bonac. *diſp. vltim. de præc. Eccleſ.q.1.punct.*10. & Ghetius, *v. Ieiunium c.1. n.4.* Additque, hanc ſententiam approbare Dianam, *1.part.tract.9. reſol.*32.*ver.Sed plus addit.*

Negant verò (etiam apud eumdem Paſqualigum) Nauarr. *cap.*13. (non 25. vt citat Paſqualig.) *num.*15. Pedraza, *præcept.3.* Angles, *quæſt.9. de ieiun. art.2. diff.1. Append.2.* Sanchez, *lib.5. conſil.cap.1. dub.24. num.4.* Layman, *tr.8. cit.c.1.n.6.* Valentia, *2.2.diſp.9. q.2. punct.3.* Portel. *in dubiis Regular. v. Ieiunium in Addit.num.*10. Fernandez, *part.2.exam. Theol.moral. cap.8. §.2. num.*18. Sancius, *in ſelectis diſputat.*52. *num.4.* & Lublinus, *1.part.ſumm. verb. Ieiunium, num.*26.

Sec mediâ viâ, iuxta dicta, clariùs, Reſpondeo: Poſſe iterum redire, ſi redeat poſt breue tempus, & voluntate mutata, ad comedendum ea, quæ in eadem menſa, & conuiuio priùs appoſita erant; quia hoc redit ad comedendum partem (moraliter loquendo)

comeſtio

comestionis præcedentis:& sic non multiplicat moraliter comestionem, & consequenter non frangeret ieiunium. Secus autem Respondeo, casu quo rediret ad nouum prandium; quia tunc assumeret nouam refectionem, & sic frangeret ieiunium. Sic Pasqualig. *decis.*125. *a num.*3. Qui nullum citat pro hac parte Authorem. Sed credo, illam tenere Bonacinam; nam expressè loquendo de nostro casu, sic ait. Si modica intercessit mora, is, qui à mensa recessit, animo non continuandi, poterit adhuc, mutatâ voluntate continuare, & ad conuiuas redire, si nondum est perfectum prandium; quia moraliter censetur vnicum prandium, ob exiguam distantiam. Sic ille. Nostram ergo, & non aliam, docet sententiam. Imo, & Fillnic. si attentè legatur. Molfesius autem, citatus à Pasqualigo pro prima sententia, non loquitur de quæstione à nobis proposita nunc, sed de difficultate proposita suprà, *quæst.*33. Alios Authores pro nunc non vidi.

QVÆSTIO XXXVII.

An ieiunans, qui plicato linteolo, proposuit nil amplius comedere, possit, mutato proposito, de ferculis noniter appositis aliquid sumere?

Respondeo, ex dictis: posse. Quia adhuc in dicto casu, perseuerat idem prandium, cui ipse quoque accumbit; & ideò non instituit nouam comestionem, de nouis ferculis sumendo, propter quod non franget ieiunium, Sic Villalob. *tract.* 23. *diff.*6. *num.*2. Sanchez, *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.*24. *num.*5. Trullench, *cap.*2. *cit. dub.*3. *num.*13. Ghetius, *verb. Ieiun. cap.*1. *num.*4. Quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.*122. per totam. Quibus addendi sunt Diana *Ref.*32. *cit. ver. Notandum est*, & alij.

QVÆSTIO XXXVIII.

An frangatur ieiunium per odorem nidoris exhalantis ex carnibus, & aliis rebus odorem spirantibus?

Affirmabunt aliqui, quos suppresso nomine, refert Abulens. *in cap.*6. *Matth. quæst.*117. Quorum fundamentum potuit esse, quia existimarunt, sequuti opinionem quorumdam Medicorum, quòd odor non solùm confortet, sed etiam nutriat. Quod latè probat Anton. de Leone *quæst. moral. de Chocolate part.*2. §.4. *num.*12. *fol.*38. & *part.*3. §.5. *num.*9. & 10. *fol.*47. & 48. licèt assecuetanter neget non ideò, per odorem solui ieiunium Ecclesiasticum. Vnde,

Vt quid certissimum, Respondeo: Non frangi. *Primò*. Quia odores non sunt prohibiti ab Ecclesia in diebus ieiunij. *Secundò*. Quia certum ferè apud omnes est, quòd licèt odores confortent aliqualiter naturam debilitatam, eiusque vires roborent, non tamen nutriunt illam, eo quòd odor sit substantia ita lenis, quæ nullo modo conuerti possit in substantiam odorantis ad ipsius nutritionem: ergo non sunt repugnantes ieiunio. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.*15. *q.*4. *art.*4. *quæst.*1. *ad* 4. Sic dicens: Ad quartum dicendum quòd odor non nutrit, vt patet per Philosophum in libro de sensu, & sensatu, sed aliquo modo confortat: Vnde non soluit, neque ieiunium naturæ, neque ieiunium Ecclesiæ. Sic D. Thom. Et sic etiam Abulens. *loc. cit.* & Reginald. ex illo, *lib.*4. *cap.*14. *num.*172. Molfes. *in summ. tract.*10. *cap.*5. *num.*11. Angles *quæst.*9. *de ieiunio. art.*2. *diff.*2. *Append.*2. Vega, 1. *p. summ. cap.*14. *casu* 32. *in fine.* dicens, esse communem omnium sententiam. Fagundez *de* 4. *præcept Ecclesiæ lib.*1. *c.*4. *n.*14. inquiens, id esse certissimum.

QVÆSTIO XXXIX.

An ex iusta causa, liceat sumere mane, aut horâ prandij, collationem, dilato in noctem prandio?

Respondeo, tanquam certum: Licere, quia, quamuis consuetudo, per quam collatio est introducta, habeat, vt collatio fiat ad vesperam, vel de nocte, tamen intelligendum venit, cessante omni causa iusta, illam in aliud tempus commutandi; nam hac constante, licita omnino est commutatio. Sic omnes Doctores. Legantur Bossius *de Iubilæo sect.*4. *casu* 18. *n.*102. Molfes. *in summar. tr.*10. *c.*5. *n. vlt.* & Fagundez *de* 4. *præc. Eccles. lib.*1. *c.*4. *n.*16. vbi assignat causas iustas ob quas dicta mutatio fieri possit. Sunt autem; confectio itineris faciendi, intentio negotiorum vrgens, sollicitudòque illorum, vel venatio, aut piscatio, vel alia similia.

QVÆSTIO XL.

An etiam sine causa, liceat sumere collationem manè, aut horâ prandij, dilato in noctem prandio?

Respondeo, tanquam certum; Non licere. Nam ad minùs est veniale. Probatur. Quia, qui prædicta hora collationem sumeret, omnino contra vniuersalem consuetudinem, & morem Ecclesiæ ageret, ergo, cùm id absque iusta causa efficeret, verè venialiter ad minùs, peccaret. Sic omnes Doctores, Cenedo, *in collect.*53. *ad Decret. c. Quadragesima, n.*2. in fine, & penes illum, Armilla, Nauar. Caiet. & Beja. Et alij statim citandi.

QVÆSTIO XLI.

An non solùm sit veniale, verumetiam mortale prædictam commutationem sine causa, facere?

Affirmant Azor 1. *part. lib.*7. *cap.*8. *q.*6. *in fine*, & Fagundez *de præc.*4. *Eccles. lib.*1. *c.*4. *n.*16. Ratio eorum est. Quia collatio est à consuetudine introducta; vel contra ius, vt aliqui volunt; vel contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem, vnicam præcipientem refectionem, vt nos meliùs diximus suprà *disp.*4. *qu.*2. ergo non est amplianda ad diuersa tempora, vltra tempus per consuetudinem inductum. Tunc sic; Sed non est adhuc per consuetudinem inductum, vt collatio fiat manè, aut hora prandij; ergo absque fractione ieiunij, & consequenter absque mortali, nequit collatio sumi manè, aut hora prandij. Citat etiam Bossius, pro hac sententia Caietanum *in summ. verb. Ieiunium*, §.1. *in fine.* Nauarrum, *cap.*21. *n.*14. Graffium *lib.*2. *decis. cap.*37. *n.*30. Cenedum, *lib.* 99. *Canon. quæst.*41. *n.*6. & Lauorium *de Iubil. part.*1. *cap.*20. *num.*14. Sed certè non omnino benè. Quia hi Doctores, solùm dicunt, non esse licitum, absque legitima causa, manè, sumere collationem & vesperi cœnare. Quod verum manet, etiamsi in hoc solùm committatur veniale: vt ipse tandem cum aliis, dictos Doctores explicat, Vnde,

Probabiliùs Respondeo: Esse tantùm veniale. Ratio est. Quia per hoc, quod quis manè, aut hora prandij capiat collationem, & vesperi cœnet, nullo modo

violat

violat ſubſtantiam ieiunij; cum ieiunium hodie, ex prandio vnico, & vnica collatione conſtet: ſed ſolùm tempus: ergo ſolùm frangit ieiunium, quoad leuem circunſtantiam; & conſequenter, venialiter ſolùm. Sic Tolet. *lib.2. cap.2.num.9.* Angles, *de ieiunio q.9. art.2.diff.5.* Vega, *1.p.c.84. caſu 5* Leſſius *de iuſt.lib.4. dub.2. n.11.* Fillinc. *tom.2. tract.27. c.2.n.29.* Bonac. *de praec. diſp. vltim. q.1.punct.3.num.6.* Layman, *lib.4. tr.8.c.1.n.10.* Quos citat, & ſequitur Boſſius *de Iubil. ſect.4.caſu 18. n.105.* Quintanaduenas, *de Iubil.c.8. n.16.* & alij.

DISPVTATIO VI.

De Hora, qua ſumenda eſt refectio in die Ieiunij; & qua ieiunium incipit.

QVÆSTIO I.

An in diebus ieiunij, ſit differenda refectio, quouſque corpus inediam ſentiat?

AFFIRMATIVAM partem latè probat, licèt non ſequatur, Ioann. Medina *C. de ieiunio. q. de hora refectionis.*

Sed certiſſimè Reſpondeo. Quòd non. Quia præcepto ieiunij, non præſcribitur, quod ineliá afflligatur corpus, aliàs fieret, vt vnus teneretur differre prandium vſque ad Nonam, alius ad veſperam, alius ad Solis occaſum, alius denique teneretur tota die non comedere; quod eſſe abſurdum, nemo non videt. S. Thom. *2. 2.q. 147. art.7.* Caiet. & Syluius *ibi* Angles *quaeſt.9. de ieiunio art.3. diff.2.* Reginald. *lib.4. cap.14. num.165.* Medina, *loc. cit.* Bonacin. *diſp. vltima de praecept. Eccleſ. quaeſt.1.punct.4. num.4.* Fagundez *praecept.4. Eccleſ. lib 1. cap.3. num.8.* Paſqualigus, *deciſ.142.* & ſic communis conſenſus fidelium.

QVÆSTIO II.

An antiquitus, hora nona, id eſt, tertia poſt meridiem, fuerit hora comedendi in ieiuniis extra Quadrageſimam?

NEgant quidã, quos, citato nomine refert Abulenſis *in c.6. Matth.q.163.* exiſtimantes, nullam eſſe horam determinatam comedendi pro ieiunio ſeruanda. Hanc ſententiam expreſsè tenuit Philippus Decius, *in cap. Ad audientiam* de reſcriptis, *num.23.* vt conſtabit ex eius verbis infrà, *quaeſt.11.* referendis.

Sed certiſſimè Reſpondeo: Fuiſſe horam determinatam, nempe, Nonam in ieiuniis extra Quadrageſimam. Quia ſic colligitur ex Canone 34. Concilij Monguntiaci, & ex Sanctis Patribus, Athanaſio *lib. de Virginit.* Auguſtino *Epiſt.118. ad Ianuarium. cap. vltim.* Caſſiano *collatio.21. cap.23.* & ex D.Thom.2.2. *quaeſt.247. art.7. in corpore.* Sic dicente. Vt ieiunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatisfactione, conueniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Sic D. Thom. vbi Caiet. hæc addit: Tempore igitur D. Thomæ, communiter homines comedebant hora ſexta, hoc eſt, in meridie: Tunc enim eſt ſummus Solis aſcenſus; & ieiunantes comedebant hora nona, quę cõſequenter eſt hora tertia poſt meridiem, in qua hora conſtat Chriſtum expiraſſe. Ita & Caiet. omnes communiter. Couarru. *lib.4. variar. c.20. n.14.* Fagundez, *c.3. cit. n.1.* Paſqualig. *deciſ.143. n.1.* & Ludouic. de S. Ioan. *q. de ieiunio art.13. diff.1.* Boſſius *de Iubil. ſect.4. caſu 18. num.82.* & alij.

QVÆSTIO III.

An etiam in ieiuniis Quadrageſimae, hora nona fuerit olim hora ſumendi refectionem?

AFfirmabunt, D.Thom. Abulenſ. Richard. Turrecremata, D. Anton. & Couarruuias. Quos pro hac parte citat ac ſequitur Fagund. *loc.cit. n.2.* exiſtimans, idem ſentiendum eſſe de iis ieiuniis, atque de ieiuniis extra Quadrageſimam.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Negatiuè. Quia in Quadrageſimæ ieiuniis, non ſolùm differebatur olim refectio vſque ad Nonam; ſed vſque ad veſperam. Quia ſic colligitur ex regula S.Benedicti *c.14.* Ita dicente: Quarta & ſextâ feriâ ieiunent vſque ad Nonam. In Quadrageſima verò, vſque ad Paſcha, ad veſperam reficiant. Idem docet D.Bernard. *ſerm.3 de Quadrageſima*, & Micrologius, *cap.49. de obſeruatis. Eccleſiaſt.* vbi ſic ait: Hoc quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quòd in aliis, poſt Nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec, iuxta Canones, quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficiuntur. Sic ille, & ſic Paſqualig. *deciſ.143.n.2.* & ante ipſum Azor *lib.7.c.11. quaeſt.2. col.735.* Boſſius, *loc.cit.*

QVÆSTIO IV.

An nunc hora ſumendi refectionem, in omnibus Eccleſiae ieiuniis, ſit hora ſexta, ſeu meridiana?

REſpondeo: Affirmatiuè. Quia ita, vniuerſali conſuetudine, eſt introductum; & contrarium, ab ipſamet, abrogatum. Sic Caiet. *2. 2. quaeſt.147. art.7. & in ſumm. verb. Ieiunium, cap.1.* D. Anton. *2. part. tit.6.cap.2.§.2.* Maior *in 4.diſt.15. quaeſt.2.* Richardus *in 4.diſt.15. art.3. quaeſt.8. in fine*, Medina *C. de ieiunio. quaeſt.1. in fine.* Couarruu. *libro 4. variar. capite 20. num.14. ante finem.* Reginald. *lib.4.cap.13. num.156.* Abulenſis *in cap.6. Matth. quaeſt.163.* Azor *libro 7. cap.11. q.2.* Fagundez *praecept.4. Eccleſ. lib.1. cap.3. num.3.* Layman *lib.4. tract.8. cap.1. num.8.* Sanchez, *lib.5. conſil. cap.1. dub.28. num.5.* Filliuc. *tract.27. part.2. cap.4. num.67.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.4 num.2.* Paſqualigus, *deciſ.143. num.2.* & Boſſius *de Iubil. ſect.4. caſu 18. num.83.* ſic dicens: Verùm cùm poſterioribus temporibus homines propter animi, & corporis infirmitatem tamdiu in ieiunio non perſeuerarent, anticipatum eſt communi Eccleſiarum conſuetudine tempus cœnandi, ſeu potiùs prandendi &c. Quare hodie hora ordinaria, & competens ad ſumendum refectionem, eſt circa meridiem.

QVÆSTIO V.

An hora ſexta, ſeu meridiei, vel duodecima: quae eſt hora taxata ad prandendum, in ieiunij diebus, ſit more mathematico ſeruanda?

REſpondeo: Quòd non; ſed morali, groſſo, & lato modo, præſertim, vbi nullum eſt horologium. Quia

Quia in rebus moralibus, moraliter est procedendum; & certè vt plurimum, impossibile esset seruare punctum Astronomicum meridiei, & ita tenent omnes Doctores, præcipuè citati, Caiet. Azor, Reginald. Fagundez, Abulens. Filliuc. Trullench, Pasqualigus, *loc. cit.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. disp. 12. q. 10. num. 5.* Rodriguez *1. part. summ. c. 23. initio.* Bossius *lo. cit. n. 86.* & alij.

QVÆSTIO VI.

An hora meridiana, taxata ad prandendum, computari etiam possit, secundùm horologium Solare?

RESpondeo, Affirmatiuè. Imò, quia certiùs ostendit hoc horologium meridiem, satius esset illi se conformare. Sic Azor *loc. cit. q. 1. in fine,* hæc dicens: Conuenit inter omnes horam meridianam computandam esse, non secundùm rigidum Astronomorum calculum, sed secundùm horologia vsitata inter homines, & rudi quadam Minerua. Syluest. *v. ieiuniū, quæst. 4. n. 12.* Sic ille. Filliuc. *c. 4. cit. n. 68.* Pasqualigus, *decis. 143. cit. n. 8.* & Bossius *sect. 4. de Iubil. casu 18. num. 87.*

QVÆSTIO VII.

An vbi est consuetudo sumendi prandium, vna aut duabus horis, ante meridiem, licitè possit obseruari?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia sicut olim in more fuit positum, vt in diebus ieiuniorū ederetur ad horam nonam, (hoc est tertiam, post meridiem) vel vesperam (hoc est, sextam ferè, post meridiem) & postea consuetudine etiam effectum est, vt in omnibus ieiunijs, cibus in meridie (hoc est, hora duodecima) caperetur; Sic etiam eadem consuetudine, fieri potuit, vt hora competens ad edendum, sit (vt est apud nos) vna hora ante meridiem, hoc est, hora vndecima vel duabus horis, vt est apud Veronæ ciues; qui, præsertim æstate, duabus horis ante meridiem reficiuntur. Vt notat Pasqualigus *loc. cit. num. 6.* Imò apud omnes, id obseruari iam, clarè docet Viguerius *de institution. Theolog. cap. 7. de temperantia §. 3. versu 1.* vbi absolutè ait, quòd nunc hora competens prandijs sit hora vndecima. Idem docet post illum, Reginald. *num. 156. citato* ex Azorio *q. 1. cit.* Sic dicente. Consuetudine postea est introductum, vt ieiunium soluatur ad horam sextam, vel paulò ante illam, hoc est, ad meridiem, vel sub meridiem qui mos nunc in Ecclesia seruatur, præsertim apud Monachos, ac cæteros Religiosorum Ordines. Sæculares enim ieiunium laxant, ac soluunt, hyeme quidem, vna ante meridiem hora; æstate verò, duabus ferè horis ante meridiem. Monachi verò, & cæteri Religiosi, hyeme, aut semihora ante meridiem: æstate verò, vna hora integra, aut etiam vna & semihora ante meridiem, Sic Azor. & penes ipsum, Syluest. Richard. Angel. Rosella, Tabiena, & Caiet. Pasqualigus *num. 6. cit.* citans etiam Filliucium, Fagundez, Abulens. Rodriguez, Tuletum, Bossium, Trullench. & alios, & addens *num. 7.* Posse Regulares se conformare, hac in re, consuetudini locorum, in quibus habitant; cùm adhuc respectu ipsorum sit rationabilior, eo quòd de nocte ad matutinas preces surgant.

QVÆSTIO VIII.

An qui, sine causa, notabiliter anticipat horam comedendi in die ieiunij, violet ieiunium?

AFfirmant Caiet. 2. 2. *q. 147. art. 7. & in summ. verb. Ieiunium, c. 1.* Palud. *in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 4. concl. 1.* Palat. *disp. 8. post 6. conclus.* Turrecremata *cap. Solent, n. 2. de consecrat. dist. 1.* Abulens. *q. 172. & 173. in cap. 6. Matth.* D. Anton. *2. part. tit. 5. cap. 2. §. vltim.* Nauar. *cap. 21. numero 27.* Couarruu. *libro 4. var. cap. 20. num. 14.* Syluest. *verb. Ieiunium, num. 15.* Tabiena *q. 5.* Ledesma, *2. part. 4. quæst. 17. art. 4. in fine.* Angles, *quæst. 9. de ieiunio articul. 3. diff. 1. Append. 1. post concl. 2.* Graffius, *lib. 2. decis. 37. num. 35.* Azor *1. cap. lib. 7. cap. 11. q. 3.* Vega *tom. summ. cap. 14. casu 53.* Fagundez, *præcept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 4.* Sanchez, *lib. 3. in Decalog. cap. 11. num. 51. & lib. 5. consil. cap. 1. dub. 28.* Llamas *part. 3. Method. cap. 5 §. 25.* Syluius, *2. 2. quæst. 147. art. 3. concl. 3.* Chetius, *in Thesau. anima. verb. Ieiunium, cap. 3. num. 7.* Lauorius, *1. part. de Iubil. cap. 20. num. 15.* Homobonus *de exam. Eccles. 1. part. tract. 7. c. 20. quæst. 90.* Ioan. à Cruce, *1. part. summ. præcept. 4. art. 4. dub. 8. conclus. 2.* Ledesma *tom. 2. summ. tract. 27. cap. 2. dub 4. vers. Tambien seba,* & Reginald. *lib. 4. c. 14. num. 160.* Quos omnes pro hac parte, citat Pasqualigus *decis. 146.* Quibus addi adhuc possunt Ludouic. de S. Ioann *art. 13. cit. diff. 1. append. 2.* August. Barbosa in collectan. Doctor. *in part. decreti dist. 25. cap. vnum orarium, num. 5.* & alij. Ratio eorum est. Quia omnes putant, eum non ieiunare, qui manè in die ieiunij comedit, seu prandium sumit.

Sed, æquè probabiliter, Respondeo: Non violare ieiunium; nec consequenter, peccare mortaliter; sed venialiter tantùm. Quia hora sumendæ refectionis, non est de essentia, seu substantia ieiunij; sed illius circunstantia, seu conditio quædam, vt docent communiter Doctores Palud. Gabriel, Caiet. Angel. Medina, Nauar. Rodriguez, Sanchez, Bonacina, Filliuc. Lauor. Bossius, Diana, Ghislinus, Molfes. Tamburin. Naldus, & Villalob. quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 145.* contra Iuan. Sancium, oppositum tenentem, *disp. 53. num. 5.* ergo, non seruata hora ieiunij, satisfiet verè præcepto ieiunij, quoad substantiam ergo nullo modo peccabit mortaliter, qui horam taxatam pro prandio non seruat. Sic Pasqualigus *decis. 146. num. 3. & 4.* & penes ipsum, Innoc. *c. 1. de obseruatio. ieiun.* & ibi Ioan. Andreas, & Ancharra. & alij Canonistæ. Card. *in cap. Ex parte num. 2. §. Item de obseruat. ieiun.* Archidiacon. *in cap. vnum orarium. §. aliàs ea demum. dist. 25.* Gabriel *in 4. dist. 16. q. 3. art. 3. dub. 1. §. Quando de hora.* Alens. *part. 4. quæst. 103. nu. 3.* Angel. *v. ieiunium num. 2.* Paulus Palac. *in summ. Caietani verb. Ieiunium §. 1.* Richard. *in 4. dist. 15. art. 3. quæst. 8. in fine.* Viuald. *in Append. cap. 15. de ieiun. Quadragesima, num. 59.* Lessius, *lib. 4. de iust. c. 2. dub. 2. num. 13.* Toler. *lib. 6. c. 2. num. 5.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 5. num. 72.* Lopez, *2. part. instruct. c. 112.* Medina, *lib. 1. summ. cap. 14. §. 10.* Rodriguez *tom. 1. summ. cap. 23. num. 3.* Henriquez, *in compend. casuum moral. cap. 18. num. 5.* Ballæus, *in floribus Theol. pract. verb. Ieiunium 1. num. 16.* Ghislinus, *verb. Ieiunium num. 16.* Ludouicus à Cruce *in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 5. dub 14. num. 3. in fine.* Trullench *libro 1. in Decalog. cap. 2. dub. 4. num. 13.* Tamburinus, *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. quæst. 10. num. 6. in vltim. edit.* Lezana *in summa, verb. Ieiunium, num. 5.* Bonac. *disp. vltima de præcept. Eccles. q. 1. punct. 4. n. 3.* Fernandez, *part. 2. exam. Theolog. moral. cap. 8. §. 1. num. 6.* Villalob.

tom.1.ſumm.tract.23. diſſ.9. num.3. Molfeſ.*tom.1.ſum. tract.10.c.5.num.16.* Diana *part.1. tract.9. Reſol.27. verſ. Hac opinio.* & Boſſius *ſect.4. de Iubil. caſu* 18. *num.98.* qui cum Laymanno *lib.4. tract.8.cap.1.n.11.* aſſerit, olim fuiſſe peccatum mortale; quando vnica refectio ſumebatur, tempore cœnæ; nunc autem, quia cœna mutata eſt in prandium, non eſſe mortale, ſed tantùm veniale.

Sed ex his Authoribus, quos pro hac parte citat Paſqualigus, Richardus citatur à Sanchez pro contraria. Sed nõ ita bene. Nam certè Richardus in hanc noſtram inclinat ſententiam, dum loco pro illa citato, dicat: In obſeruatione ieiunij, non eſſe tantæ neceſſitatis hora comedendi, ſicut eſt, comedere ſemel tantùm. At verò Viualdus oppoſitum expreſsè docet, *loc. cit. num.55.* per hæc verba: Reſpondeo peccare mortaliter, ſi talis anticipatio eſſet notabilis, ſecus ſi modica, ſcilicet, per quartum, vel dimidium horæ. Ita ille. Malè ergo citatur à Paſqualigo, imo, & à Boſſio *loc.cit. num.95.* Addi tamen poteſt pro noſtra ſententia Anton.de Leone. *Quæſt.de chocolate part.2. fundam.5.§.1.n.3* Qui alios citat Authores.

QVÆSTIO IX.

An qui, abſque iuſta cauſa, præuenit notabiliter horam prandendi; teneatur implere ieiunium?

NEgat expreſsè Sancius in ſelectis *diſp.53.n.5.* qui pro hac parte citat Paludanũ, Syluestrum, & Leſſium. Sed non benè. Nam hi Authores, ſolùm loquuntur de eo, qui ſciens, ſiue cum culpa, aut ſine illa, ſumpſit manè ientaculum, aut prandium, intentione non ieiunandi, in quo caſu (ait Leſſius) dicunt hi Authores, eſſe probabile, non teneri eo die ieiunare, cùm ieiunium ſit voluntariè violatum. Legatur Leſſius *lib.4 de iuſt.cap.2.dub.2. numer.18.* Qui ſolùm id eſſe probabile affirmat caſu, quo ille nequiret ſine cibo, totam diem tranſigere. Et certè eandem ſententiam debent conſequenter tenere Authores, quæſtione præcedenti, pro prima ſententia adducti, cum eodem modo doceant eum, qui abſque cauſa præuenit notabiliter horam prandendi, & peccare mortaliter, & ieiunium frangere. Sed nõ omnes id faciunt. Nam Viualdus *loc.cit. numer.58.& 59.* adhuc ſentit, quòd quamuis præueniat horam prandij, teneatur tamen ieiunium cœptum continuare, atque perficere. Sed licèt in hoc bene, non conſequenter. Vnde iuxta noſtram ſententiam,

Reſpondeo: Quòd teneatur ieiunium cœptum continuare, & perficere. Quia illud, nullo modo, anticipando horam prandij, fregit, & conſequenter, nec peccauit mortaliter; ſed venialiter tantùm: ergo tenetur illud implere. Sic omnes Doctores pro noſtra ſententia adducti, ſuperiori quæſtione, debent tenere; vt in hoc bene ſentit Viuald. *loc. cit.* Et expreſsè tenent Paſqualigus *deciſ.153.*& penes ipſum, Lopez, Azor, Reginald. Layman, Fagundez, Villalob. Trullench.& alij.

QVÆSTIO X.

An in ieiuniis extra Quadrageſimam, liceat ſumere prandium, antequàm officium Nonæ dicatur?

NEgat Paludanus *in 4. diſt.15. q.4. art.4. concl.1.* exiſtimans, teneri quem, in his ieiuniis expectare, donec Nona dicatur. Ita enim ait *loc.cit.* in ieiuniis Quadrageſimæ expectare debet ieiunans poſt horam Nonam; & quòd non edatur antequam celebrentur veſperæ: Non in aliis ieiuniis, ſed poſt Sextam.

Sed certiſſimè Reſpondeo: Licere. Quia contrarium, nec textu aliquo, nec conſuetudine, probari poteſt: poterit ergo ieiunans ante dictam Nonam licitè omnino refectionem ſumere. Fagundez *de 4. precept. Eccleſ. lib.1. cap.3. num.9.* Reginald. *lib.4. cap.13. num.159.* ex Caietano, Nauarro, & aliis ſtatim citandis.

QVÆSTIO XI.

An etiam in ieiuniis Quadrageſimæ, liceat cuilibet comedere, antequam veſperæ dicantur?

NEgant (& à fortiori) Paludan. *loc. cit.* & Albericus, apud Viualdum, *vbi infrà.* Qui etiam citat pro hac parte, ſed malè omnino, Richardum, Ledeſmam, & Syluestrum. Fundamentum eorum eſt, Quia in cap. *Solent. de conſecrat. diſt.1.* expreſsè dicitur; Non eſſe credendos ieiunare eos, qui manducant antequam veſpertinum officium celebretur, per hæc verba: *Solent plures, qui ſe ieiunare putant in Quadrageſima, mox vt ſignum audierint ad horam nonam comedere. Qui nullatenus ieiunare credendi ſunt ſi ante manducauerunt, quam veſpertinum celebretur officium. Concurrendum eſt enim ad Miſſas, & audita Miſſarum ſolemnibus, & veſpertinis officijs, & largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt.* Sic ille Canon. Qui, iuxta Gratianum, eſt Concilij Cabilonenſ. iuxta D.Thomam 2.2. *q.147. art.7.* Concilij Chalcedonenſis: & iuxta Burchar. *lib.13. cap.12.* Syluestri, (non Syluerij, vt ſcribit Paſqualigus) Papæ. Tunc ego: Sed ſic eſt, quòd hodie veſperæ recitantur in Quadrageſima ante meridiem, nempe horâ vndecima, quæ eſt hora prandij: ergo nemo poterit licitè comedere, antequam officium veſpertinum recitatum fuerit.

Propter hanc eandem rationem, relatam ſententiam videtur amplecti Decius in cap. *Ab audientiam de reſcriptis, à num.21.* Vbi ſic ait: Et in Quadrag. ieiunium eſt de præcepto d. c. Quadrageſima, in principio. Et in tali ieiunio illud præcipuum eſt, quia non eſt comedendum, niſi poſt veſperas, quæ hac ratione dicuntur in manè, *cap. Solent de conſecr. diſt.1.* & notat Abb. *in rubr. de obſeru. ieiun.* & ibi dicit, quòd in aliis ieiuniis non eſt hora præfixa ab Eccleſia. Ita Decius.

Sed, adhuc vt certiſſimum, Reſpondeo: Etiam licere. Quia recitatio officij diuini, nullam habet connexionem, cum vnica comeſtione, quæ in die ieiunij conceditur: ergo nihil refert, quòd hæc ante dictas veſperas, vel poſt ſumatur. Quod quidem veriſſimum eſt, etiam reſpectu Clericorum, qui addicti ſunt choro. Neque enim illi tenentur dicere veſperas ante prandium. Quamuis aliqui ex Doctoribus mox citandis, dicant quòd huiuſmodi, qui choro ſunt addicti, non debeant id facere, abſque iuſta cauſa. Sic D. Anton. *2.p. tit.6. c.2. §.1.* Caietan. 2.2. *q.147. art.7. & in ſumm. verb. Ieiun. cap.1.* Nauar. *c.21. n.27. verſ. Septimò,* Medina *C. de ieiun. q.2. in fine* Ledeſma *1.part. 4.q.17. art.4.* Reginald. *lib.4. c.13. num.159.* Fagundez *lib.1. de 4. precept. Eccleſ. cap.3. num.9.* Angles *q.5. de ieiun. art.3. diff.1. dub.1.* Viuald. *in Append. ad Candelab. c.15. n.51.* Sylueſt. *verb. Ieiunium, num.12.* Paſqual. *deciſ.44.* Llamas *3.p. Meth.c.5. §.26.* Barboſa *in cap. Solent. cit. de conſecr. diſt.1. n.2.*

Ad fundamentum opinionis contrariæ, Reſpondeo *Primò* ex Couarruuia, illum Canonem, non reperiri

riri apud aliquod Concilium ex præcitatis. *Secundò*. Quod dato quòd ille Canon sit alicuius Concilij, iam consuetudo illum abrogauit. *Tertiò*. Quod concesso etiam, quod vigeat, vt quidam Recentiores volunt, debet intelligi de hora, in qua vesperæ debent recitari; vt scilicet, ante ipsam non comedatur; non autem, quòd non comedatur ante ipsarum recitationem. *Tandem*, quòd in praxi, regulariter loquendo, tempore Quadragesimæ, non manducant ieiunantes, ante dictas vesperas; cùm illas dicant ferè omnes Ecclesiæ ante vndecimam horam, vt in vndecima comedant.

Qvæstio XII.

An Ieiunantes possint per vnam integram horam ante meridiem, prandere abque vllo peccato?

NEgat imprimis apud Pasqualigum, Fagundez, *præcep.4.Eccl.lib.1.c.3.n.4.* in antiqua editione asserens, illum peccare mortaliter, qui per dimidiam horam ante meridiē comestionem sumeret. Sed certè Fagundez non dicit, quòd ille peccet mortaliter, qui per semihoram ante meridiem pranderet, sed qui per semihoram ante horam vndecimam: Sic enim ait: Et ideò, credo semihoram respectu horæ prandij, quæ est vndecima hora diei apud nos, esse tempus notabile. Ita ille *num.4.cit.& num.2.in nova edit.* Sic. Itáque re bene considerata, censeo, eum, qui absque vlla causa, semihora ante vndecimam prandium, seu cœnam caperet; peccare mortaliter: quia notabiliter anteuerrit tempus à consuetudine præscriptum. Et Ita videtur docere Ioannes Sanchez, *disp.53...2.* Huc vsque Fagundez, Malè ergo citatur à Pasqualigo.

Negant secundò alij existimantes, non esse licitum, sed peccatum, manducare per aliquid amplius semihoræ ante meridiem. Sic Filliuc. *tract.27.part.2. cap.4. num.73.* Syluius, *2.2. q.147.art.7.concl.2.* Sanchez, *lib.5.consil.cap.1. dub.28.* Diana, *1.p.tract.9. resol.27.* & alij, quos citat; & sequitur Viuald. *loc. cit. num. 53.*

Negat tandem Azor, *1.p.lib.7.c.1 t. q.4.* vt videri potest, per hæc, quæ dicit, verba: Quæres, quis notabiliter intelligatur anteuertere horam ieiunij; ita vt lethale peccatum admittat Respondeo eum, qui per vnam horam integram anteuertit; sed qui præuenit per quadrantem horæ, lethaliter non peccat, quamuis leuiter delinquat, sine iusta causa, horam debitam præueniens: Qui anteuertit per semihoram, fortassis etiam leuiter tantùm peccat. Ita Azor. Sed certè non consequenter; cùm eodem capite, *quæst.1.* apertè dicat, & doceat, posse laicos hyeme comedere vnâ, ante meridiem, horâ, æstate verò, duabus ferè horis ante meridiem: Religiosos verò, hyeme semihorâ, aut etiam horâ ante meridiem; æstate verò, vnâ horâ integrâ, aut etiam vnâ, & semihorâ, ante meridiem.

Alij denique docent, posse quidem ieiunantes per vnam circiter horam ante meridiem, prandere, absque peccato etiam veniali: secus verò si id faciant per vnam horam integram. Sic, penes Pasq. Angles, *q.9.de ieiun, art.3. diff.1. concl.2.* Medina, *lib.1. summ.cap.14. §.10.* Graffis, *1.part. deci. lib.2.c.37.n.35.* Viguerius, *c.7.institut.§.3. ver.1.* Rodriguez, *in Bull.Cruciat.§.6. & in summ.1.p.c.23.initio.* Toletus, *lib.6.c.3.n.5.* Vega, *1.p.summ.c.14.casu 33.* Ioan. à Cruce, *1.part.summ. præc.3.art.4.num.2.* Molfes. *in summ. tr.10.c.5.num.15.* Ioan. Sanchez, *in select. disp.53. n.1.* Trullench *l.3.in Decalog.c.2.dub.4.num.2.* Villalob. *tr.23. diff.9.num.1.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqualigus, *decis.147. num.4.*

Sed probabiliùs, Respondeo: Posse per vnam integram horam ante meridiem prandere, absque vllo prorsus peccato. Quia certè iam apud omnes consuetudine est introductum, & firmatum, vt auditâ horâ vndecimâ, absque vlla prorsus mora ieiunantes prandere incipiant. Sic sentiunt absolutè omnes Authores, quos pro se citat Pasq. cùm doceat, posse absque vllo prorsus scrupulo ieiunantes horâ vndecimâ prandere. Quibus addi possunt Azor, & Fagundez nuper adducti, & etiam quos suprà, *q. 7. citauimus.* Præcipuè Ludou. de S. Iuan. *art.13. cit. diff.1. concl.2.* Vbi sic ait: [En esse tiempo podemos sin escrupulo comer à la hora vndecima, porque en Roma, y en todo el mundo, nō solamente entre seculares, mas entre Religiosos, se guarda esta costumbre; y en las cosas positiuas la costumbre consentida cà y quita derecho.] Sic ille, ex Angles, *q.9. de Ieiunio, art.3. diff.1. conclus.2. pag.440.*

Qvæstio XIII.

An etiam ieiunantes possint, absque vlla culpa, prandere ante horam præfixam siue à Doctoribus siue à consuetudine?

NEgat Sancius, *in select. disp.53. n.2.* Quia existimat, non posse dari anticipationem leuem respectu horæ, in qua statutum est à Doctoribus, posse sumi refectionem in die ieiunij. Quia dum Doctores dicunt, tali horâ posse sumi cibum, indulgent totum id, quod possunt; & assignant totum id quod anticipari potest; ita vt nihil amplius anticipari possit: ergo quæcumque anticipatio respectu horæ ab ipsis præscriptæ, non erit leuis, sed notabilis, & ita constituet, non solùm leuem, sed culpam grauem mortalem

Sed probabiliùs longè Respondeo: Posse non solùm absque graui peccato (loquendo iuxta nostram sententiam habitam suprà quæst.8) verumetiam absque leui, prandere ante horam præfixam, siue à Doctoribus, siue à consuetudine. Quia longè probabiliùs est posse dari anticipationem leuem, etiam respectu horæ, in qua statutum est in die ieiunij prandere: ergo non constituet culpam. Consequentia est nota; antecedens probatur. Quia hora præscripta pro comestione, siue à consuetudine, siue à Doctoribus est hora, quæ seruanda est morali modo: ergo optimè poterit dari aliqualis anticipatio, secundùm quam anticipari absque culpa possit. Sic sentiunt Diana *p.5. tr.5. Res.10.* Bossius, *sect.4. de Iubil. casu 18.num.20.* & Pasqualig. *decis 147. à num. 2.*

Qvæstio XIV.

An licitè possint ieiunantes, anticipare prædictam horam comestionis, præfixam à consuetudine, vel à Doctoribus per horam circiter?

AFfirmat Pasqualigus *loc.cit.n.7.* Quia existimat, quòd anticipatio quæ est minor hora integra, non est notabilis ergo absque culpa (iuxta suam, & nostram sententiam) potest anticipari prandium, per huius temporis spatium, Vnde in sententiam huius Doctoris poterit quis, absque vlla prorsus culpa, prandere vna circiter hora ante vndecimam, hoc est duabus ferè horis, ante meridiem. Imo, vbi est consuetudo prandendi duabus horis, & plus, ante meridiem, vt in æstate contingit Veronæ (vt fatetur ipse, *decis.143.num.6.*) poterit licitè ieiunans, prandere tribus horis ante meridiem.

Negant verò alij, docentes, nō posse licitè per ho-

tam circiter, anticipari prandium; eo quòd hanc anticipationem censeant eſſe notabilem; & ideò per illam incurri aliquod peccatum: Poſſe tamen anticipari per dimidiam horam. Vnde inferunt, quòd ieiunantes, licitè poterunt hyeme, prandere, horâ, & dimidiâ, ante meridiem (hoc eſt, decimâ, & dimidiâ horâ), quia tempus prandij, eſt hora vndecima, ſeu vna hora ante meridiem: & æſtate, duabus horis cùm dimidia, ante meridiem (ideſt, horâ nonâ cum dimidia) Hiſpanè, *a las nueue y media.* Sic Diana & Boſſius, *locis nuper citatis.*

Sed clariùs, Reſpondeo. *Primò.* Poſſe quidem ieiunantes, abſque graui peccato, horam comeſtionis præfixam, anticipare per quodcunque temporis ſpatium. Hæc reſponſio conſtat ex dictis, *q.* 8. contra nonnullos Doctores. Loquendo ergo in noſtra ſententia.

Reſpondeo *Secundò*, & dico, poſſe ieiunantes anticipare horam præfixam à conſuetudine, aut à Doctoribus per aliquod breue tempus, plus, vel minus; habito reſpectu horæ prandij, iuxta morem, & conſuetudinem loci; & communem ſenſum Doctorum. Nam ſi conſuetudo præfixit horam comeſtionis; duabus horis, & plus, ante meridiem, irrationabile ſanè videtur, quòd poſſit talis hora licitè anticipari per idem ſpatium temporis (nempe, per vnam circiter horam) ac poteſt, hora præfixa, vnâ horâ ante meridiem. Anticipari ergo poterit; ſed debet, anticipatio accommodari habito reſpectu ad horam taxatam à Doctoribus, vel conſuetudinem loci.

Qvæstio XV.

An ex iuſta cauſa, poſſit, abſque vllo prorſus peccato, anticipari notabiliter, hora præfixa ad comedendum?

Reſpondeo: Poſſe, interueniente iuſtâ cauſâ. Quia obligatio non anticipandi notabiliter horam prandendi, non reſpicit ſubſtantiam, ſed circunſtantiam ieiunij, vt ſuprà, *q.* 8. eſt habitum: ergo hæc, non vrget, quando rationabilis cauſa oppoſitum exigit. Sic omnes Doctores, quos, tam pro priori, quàm poſteriori ſententia, *q. citata*, citauimus. Qui dicunt, tunc cenſeri iuſtam adeſſe cauſam ob quam licitè omnino anticipari notabiliter poſſit prandium, quando ſcilicet, ſuperuenit aliquid extraordinarium, aut etiam aliquid continuum, quod ita exigat anticipationem, vt hora conſueta non poſſit, abſque incommodo, expectari.

Ex qua doctrina colligitur, *Primò*, quòd, ob legendum pro menſa; vel ob legendum in ſcholis; ob concionandum poſt meridiem; ob iter faciendum; ob aduentum hoſpitis; ob alias ſimiles cauſas, poſſit quiſquis, abſque vllo prorſus peccato, horam prandij anticipare. Sic ſentiunt Paludan. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 4. Sylueſt. *v. ieiunium, q.* 4. Nauar. *c.* 21. *n.* 27. Angles, *q.* 9. *de ieiun. art.* 3. *diff.* 1. *Append.* 2. Bonac. *diſp. vltima de præc. Eccleſ. q.* 1. *punct.* 4. *n.* 2. Fagundez, *præc.* 4. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Azor, *lib.* 7. *cit. c.* 11. *q.* 4. Sanchez, *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 28. *n.* 5. Diana, 1. *par.* 9. *reſol.* 17. *ver. N tandum eſt.* Filliuc. Vega, Villalob. & Baſſeus. Quos omnes citat, & ſequitur Paſqualigus, *deciſ.* 149. *num.* 4.

Secundò. Colligitur. Similiter poſſe officiales Regularium, ante alios comedere, vt poſſint tempore congruo munere ſuo fungi. Deinde omnes illos, qui ſtatim poſt meridiem tractaturi ſunt negotia attentionem mentis requirentia, vt Procuratores. Aduocati, Relatores, & Iudices. Tandem omnes, qui ſunt à ſecretis Principum, aut Magnatum, qui poſt meridiē ſcribere debent litteras de rebus grauibus. Et ſimiliter eos, qui ſtatim poſt prandium tractare, aut loqui debent cum Papa, Rege, aut alio magno Principe. Sic Paſqualig. *loc. cit. a num.* 6.

Tertiò. Colligitur, Quòd etiam poſſint anticipare horam comedendi omnes, qui de nocte, aut multò manè ſurgunt, vt proprijs officijs incumbant, vel vt ſtudijs vacent; aut vt venatum eant, aut ob aliquid aliud, etiamſi ſolùm ad recreandum animum ordinetur. Sic Paſqualig. *deciſ.* 154.

Qvæstio XVI.

An Religioſi, qui habent priuilegium anticipandi prandium per horam, poſſint adhuc per aliud breue tempus, anticipare ſupradictam horam?

Reſpondeo: Poſſe. Et ideò, abſque vlla prorſus culpa, poterunt dicti Religioſi, ad minùs per horam cum dimidia, regulariter loquendo, prandium ante meridiem præuenire. Ratio eſt. Quia hora præſcripta prandendi reſpectu non priuilegiati, eſt hora ad minùs duodecima: ergo reſpectu priuilegiati per horam, erit hora vndecima: ergo ſicut non priuilegiatus poteſt anticipare, non notabiliter, horam à conſuetudine præfixam, abſque culpa; ita priuilegiatus poterit, & horam præſcriptam per priuilegium. Sic Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 73. Diana, 1. *part. tract.* 9. *Reſol.* 27. *in fine*, & Paſqualigus, *deciſ.* 150.

Qvæstio XVII.

An priuilegium conceſſum Religioſis comedendi vnâ horâ ante tempus præſcriptum, habeat locum, vbi eſt conſuetudo comedendi, vnâ, aut duabus horis, ante meridiem?

Affirmat abſolutè Paſqualig. *deciſ.* 150. *nu.* 3. docens: Habere locum. Et ideò abſque vlla culpa poſſe comedere per vnam integrã horam, ante illud tempus, in quo ex conſuetudine prandent ſæculares in tali, vel tali loco. Quia poſſunt, inquit ſequi conſuetudinem loci, in quo habitant (vt ſuprà eſt habitum) & ſimul vti (vt conſtat) priuilegio: ergò. Sic ille. Addens, hoc eſſe verum, etiam in caſu, quo priuilegium concedat, vnam horam ante meridiem; quia priuilegium ponit meridiem non formaliter, ſed materialiter, nempe pro hora determinata comedendi in ieiunio, quam vocat meridiem.

Sed ego ſub diſtinctione, ſic Reſpondeo dicendum, Quòd dictum priuilegium comedendi vnâ horâ ante tempus, concedi poſſit ſub diuerſis formis verborum, & ideò ſecundùm illas, ſit iudicandum. Si enim priuilegium concedat *vnam horam ante tempus præſcriptum: vel vnam horam, antequam ſæculares manducent; vel vnam horam, ante tempus conſuetum;* tunc optimè poterunt Religioſi, abſque vllo peccato, prandere per vnam integram horam, antequam ſæculares, adhuc attentà conſuetudine, prandent. Vt benè in hoc Paſqualig. Si verò, priuilegium id iis verbis concedat, nempe, quod poſſint comedere *vna hora ante meridiem*, tunc dico, quòd non habeat locum dictum priuilegium vbi eſt conſuetudo comedendi vnâ, aut duabus horis ante meridiem; quia in dicto caſu, verba priuilegij formaliter, & ſtrictè ſunt accipienda; non materialiter, & largè.

QVÆSTIO XVIII.

An in prædicto casu, possint Religiosi, adhuc licitè, præuenire prandium per anticipationem non notabilem?

AFfirmat Pasqualigus, *decis. 150. cit. n. 5.* Quia inquit; hora in qua potest prandium anticipari, tum ex vi consuetudinis, tum ex vi priuilegij, est hora præscripta ad prandendum: respectu autem horæ præscriptæ, semper habet locum anticipatio non notabilis, vt diximus in superioribus. Ita ille. Ex cuius doctrina apertè colligitur, quòd Religiosi habitantes Veronæ, licitè & absque vlla prorsus culpa, possint in diebus ieiuniorum prandere, horâ octauâ, hoc est, quatuor horis, ante meridiem. Nam in illa Ciuitate (vt ipse, *decis. 143. n. 6.* fatetur) solet sumi refectio in diebus ieiuniorum duabus horis, & plus ante meridiem, hoc est, horâ apud nos decimâ. Deinde si Religiosi ex priuilegio, possunt anticipare prandium per vnã integram horam, habito etiam respectu horæ præscriptæ ex consuetudine loci (vt ipse cõcedit) iam possunt licitè comedere horâ nonâ, hoc est, tribus horis ante meridiem. Nunc ego: ergo si cum huiusmodi anticipationibus, ex consuetudine, & priuilegio simul sumptis, coniungatur anticipatio non notabilis, quæ iuxta illum, extenditur, vsque ad vnam circiter horam verè prandere poterunt, horâ octauâ, aut (quod idẽ, est) quatuor horis ante meridiẽ. Quod non solum durissimum; verùm irrationale videtur, imò in Religiosis, scandalosum. Vnde iuxta doctrinam à nobis *sup. q. 14.* traditam.

Respondeo, dicendum, quòd possint Religiosi, adhuc licitè, præuenire prandium per anticipationem non notabilem; hæc autem in hoc casu, debet esse nimis parua; nempe per medium quadrantem horæ: aliàs peccabunt venialiter.

QVÆSTIO XIX.

An Religiosi, qui non surgunt de nocte ad matutinas preces, vti possint priuilegio anticipandi per vnam horam prandium?

REspondeo: Posse. Quia verè sunt membra communitatis, cui concessum est dictum priuilegiũ. Vnde Lectores, Magistri, Concionatores, & alij, qui ratione laboris, non insurgunt ad matutinum officiũ, optimè poterunt dicto priuilegio frui, quamuis id concessum fuerit intuitu laborum regularium. Sic Pasq. *decis. 151.* Addens, eodem priuilegio vti posse, Religiosos, qui ex instituto non surgunt ad matutinas preces, si aliàs communicant dicto priuilegio.

QVÆSTIO XX.

An qui ex priuilegio potest notabiliter in ieiuniis anticipare prandium, adhuc teneatur ieiunare?

NEgaret fortè Sancius, cùm ipse doceat *disp. 53.* horam vndecimam esse de substantia ieiunij. Legatur, *n. 5.* dictæ disputationis.

Sed vt certissimum, Respondeo: Teneri. *Primò.* Quia priuilegium, solùm est de anticipatione prandij in diebus ieiunij; non dè ipso ieiunio. *Secundò.* Quia dispensatio in hora comedendi, non cadit supra substantiam ieiunij; sed solùm, supra circunstantiam, vt ex dictis *suprà q. 8.* constat: ergo; ipsâ sublatâ adhuc potest stare substantia ieiunij; ergo ad ipsum tenebitur. Sic Caiet. *2. 2. q. 147. art. 7.* Azor *1. p. lib. 7. cap. 11.* R. P. Leand. in V. Præcept. Ecclesi. *q. 6.* Bonac. *disp. vltim. de prae. Eccles. q. 1. punct. 4. n. 5.* Fagundez, *prac. 4. Eccles. lib. 1. c. 3. n. 11.* Filliuc. *tract. 27. cit. n. 76.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 4. n. 6.* Pasq. *decis. 152.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XXI.

An hora prandij in ieiuniis, possit regulari, iuxta horologium primò pulsans?

REspondeo: Posse, dummodo horologium primò sonans, moraliter concordet cum tempore. Ratio est. Quia diuersa horologia se habent veluti diuersæ opiniones probabiles, quarum quamlibet amplecti licet, vt diximus in simili, *1. p. tr. 7. disp. 5. q. 7.* Sic omnes communiter, Sancius, *disp. 53. n. 3.* Pasq. *decis. 155.* & alij.

QVÆSTIO XXII.

An qui in die ieiunij dubitat, an sit hora prandendi, possit prandere absque peccato?

NEgant absolutè Sancius, *in selectis disp. 53. n. 4.* & Fagundez, *prac. 4. Eccles. c. 10. n. 7.* Quia (inquiunt) possessio stat pro præcepto: at sic est, quòd in dubio, melior est conditio possidentis: ergo.

Sed clariùs, & veriùs, iuxta doctrinam à nobis suprà traditam, Respondeo. *Primò.* Quòd nequaquam peccaret mortaliter, qui cum tali dubio pranderet; cum nulla anticipatio, quantumcumque notabilis sit, mortale constituat, vt suprà, *q. 8.* est habitum.

Respondeo, rursus: *Secundò.* Quòd adhuc non peccaret venialiter, casu, quo dubitans, clarè, aut saltem probabiliter cognosceret, quòd parum temporis distare posset ab hora debita prandij; secùs verò dicendum, si quis ita dubitaret, vt verè hora debita prandij posset notabiliter distare, quia tunc absque culpa veniali, non posset prandere; quia se exponeret periculo notabiliter anticipandi prandium; & hoc solùm probat ratio contrariorũ, sequendo opinionem, quã nos tradidimus suprà, quòd, videlicet tantùm sit veniale, notabiliter prandium anticipare. Sic Pasq. *decis. 156.*

QVÆSTIO XXIII.

An licitum sit differre, sine causa, prandium in die ieiunij, vsque ad noctem?

REspondeo: Esse licitum. *Primò.* Quia nullo iure prohibetur hæc prandij dilatio. *Secundò.* Quia, quò tardius prandium dilatatur, eò longior est per mediam corporis afflictio, & ideò maior conformitas cum intentione Ecclesiæ præcipientis, ob hanc causam, ieiunium. Sic Præpositus, *c. Denique, dist. 4. n. 21.* Gabriel, *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. dub. 2.* Syluest. *v. Ieiun. n. 14.* Abulens. *in 6. c. Matth. q. 172. ad primum argum.* D. Anton. *2. p. tit. 6. c. 2. §. 3.* Nauar. *c. 21.* (non 26, vt inuenies apud Fagundez) *num. 27.* Caiet. *2. 2. q. 147. art. 7.* Reginald. *lib 4. n. 158.* Fagundez, *de 4. prae. Eccles. lib. 1. c. 3. n. 5.* Azor, *lib. 7. cap. 11. q. 5.* Addentes, & benè, quòd, quò quis tardius prandium distulerit, eò meliùs ieiunare iudicandus sit; dummodo talis dilatio non fiat ex superstitione. Bonac. *disp. vlt. de prae. Eccles. q. 1. punct. 4. n. 1.* Sanchez, *lib. 5. cons. c. 1. dub. 28. n. 6.* dicens, sic tenere omnes Anton. de Leone, *q. de chocolate, p. 2. fundam. 5. §. 1. n. 3.* dicens etiam, in hoc omnes conuenire.

Quæstio XXIV.

An sit præfixum & determinatum tempus, quod quis possit inter prandendum insumere?

Respondeo: Nullum esse determinatum, nec à iure, neque à consuetudine. Nec certè id potuit, aut potest; cùm alij citiùs, alij tardiùs comedant; alij dum prandent confabulantur alij verò soli comestioni vacant; alij indigent maiori cibo; alij minori, & ideo quisque potest insumere totum illud tempus, quod sibi est necessarium ad commodè prandendum Quamuis nullus debeat limites temperantiæ transilire; nec in fraudem præcepti ieiunij, aliquid facere. Sic Maior *in 4. dist. 15. q. 3. §. Quoad horam*, Fagundez, *loc. cit.* & Pasqualig. *decis. 157. n. 1.* Addens *n. 2.* Quòd tunc verè interueniret fraus, quando quis protraheret prandium, per plures horas, vsque ad noctē; quia licèt tunc non esset nisi vnica formaliter comestio, protractio tamen eius, æquiualeret prandio & cœnæ: secus autem (ait) esset dicendum si alicubi adsit consuetudo, vt ad. sit in Germania, vt protrahatur. Legatur Ludouic. de S. Ioan. *art. 12. diff. 1.*

Quæstio XXV.

An ieiunium Ecclesiæ incipiat à media nocte; & terminetur in media nocte sequenti?

Respondeo, Affirmatiuè. Quia ieiunium est indictum ab Ecclesia pro integro die: sed integer dies computatur à media nocte vsque ad mediam noctem ergo. Sic omnes Doctores. Syluest. *verb. Ieiunium, n. 28.* Nauarr. *cap. 21. num. 11.* Tolenis *lib. 7. summ. c. 1. num. 6.* Sà, *verbo Ieiunium, num. 4.* Fagundez, *lib. 1. de 4. præcept. Eccles. cap. 10. num. 1.* Pasqualigus, *decis. 158. num. 1.* & Azor. *lib. 7.* (non 5. vt inueni apud Pasqualigum *cap. 15.* & per errorem Tipographi 26. (non 27. vt citat Fagundes) *quæst. 6.* & Bossius *de Iubilæo sect. 4. casu. 18. num. 3.* Medina, *in instruct. Confessor. cap. 4. §. 10.* Graff. *lib. 2. decis. cap. 37. num. 10.* Angles, *tract. de Ieiun. q. 9. artic. 3. diff. 1.* Auton. de Leon, *loc. cit. num. 3.* & Pineda, *tom. 2. de Agricultura Christiana dialogo 29. §. 22.* Vbi sic ait [El ayuno se entiende por vn dia natural de vente y quatro horas, y comienča de la media noche precedente, hasta la media de la siguiente, y ay ley para ello (*nempe l. More Romano. ff. de feriis*) allende que todos vienen en ello] Hæc ille.

Quæstio XXVI.

An præceptum de obseruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, sit intelligendum, de media nocte moraliter, non mathematicè, computata, quando non indicatur per horologia?

Respondeo: Esse intelligendum de media nocte moraliter computata. Quia non potest imponi ab Ecclesia præceptum, nisi eo pacto, quo obseruari potest: at vbi non sunt horologia, non potest obseruari, nisi computetur media nox moraliter: ergo. Minor probatur. Quia media nox mathematicè non potest cognosci, nisi obseruetur cursus stellarum, quod moraliter est impossibile, cùm pauci id sciant obseruare. Sic expressè Pasqualigus, *decis. 158. num. 3.*

Quæstio XXVII.

An etiam, in locis vbi sunt horologia, computanda sit media nox moraliter, & non mathematicè?

Affirmat etiam Pasqualigus, *decis. 158.* citata, *num. 4. & sequentibus*. Quia horologia (inquit) nunquam ita exactè procedunt, vt indicent præcisè horam, & tempus, quod currit; sed solùm indicant moraliter, plus minúsve: ergo, &c.

Sed probabiliùs longè, imò vt mihi certissimum, Respondeo: Non esse computandam moraliter mediam noctem, hoc est: plus minúsve: Sed mathematicè; hoc est, prout indicatur per horologia, respectu quorum computari debet media nox, iuxta explicationem à nobis traditam, *2. part. tract. 7. disputat. 5. q. 7. Ratio est.* Quia ideò, vbi non sunt horologia debet computari media nox moraliter, quia computari mathematicè, est impossibile, regulariter loquendo vt Pasqualigus docet *loc. cit. n. 3.* ergo vbi horologia sunt, seruari debet media nox, iuxta indicationem ipsorum. Sic tenent communiter Doctores. Sanchez, Sancius, Trullench, Fagundez, Villalob. Diana, & Lugo, quos in simili adduximus, *2. part. loc. cit.* Licèt ab eis in aliquo discessimus.

Nec obstat fundamentum Pasqualigi. Quia licèt horologia, regulariter loquendo, non indicent mathematicè tempus, quod currit; indicant tamen horam, cui intendere fideles debent, ex præscripto, & consuetudine Ecclesiæ.

Quæstio XXVIII.

An in comedendo post mediam noctem, quando subsequitur Ieiunium; aut, ante mediam noctem, in die ieiunij; detur paruitas materiæ excusans à mortali?

Affirmat Pasqualigus, *decis. 159. num. 2.* per hæc verba: Sed mihi valde probabile videtur, dari paruitatem materiæ in postponendo, v. g. cœnam post mediam noctem, ad quam sequitur ieiunium; sicut etiam in anticipanda comestione in die ieiunij, ante mediam noctem; & proinde excusare peccato mortali, & etiam veniali, si interueniat iusta aliqua causa. Sic ibi: *Et num. 6.* sic: Hic autem dubitatur, quantùm temporis possit assignari in hoc casu pro paruitate materiæ: Respondeo non debere esse multum, alioquin esset contra finem ieiunij, quo Ecclesia intendit per diem integrum affligere corpus; nam si esset multum tempus, idem esset, ac si bis in eodem die comederetur. Deinde comestio transiret de comestione antecedentis, aut subsequentis diei, ad comestionem præsentis diei. Debet ergo esse infra horam ad summum; ita tamen, vt comestio attingat tempus præcedentis, aut subsequentis diei, & possit prorogari in diem ieiunij, aut in ipso anticipari per tempus, quod sit infra horam; quia si non attingeret tempus præcedentis, aut subsequentis diei, non esset comestio illorum dierum, sed diei ieiunij. Illa autem anticipatio, aut prorogatio, est modica, & modicum quid subtrahit de duratione ieiunij, quia tempus non pertingens ad horam, est tempus modicum, respectu totius diei. Sic ille.

Sed, vt omninò certum, Respondeo dicendum: quòd nullo modo detur paruitas materiæ in comedendo post mediam noctem, prorogando cœnam, quando subsequitur ieiunium; aut in comedendo ante mediam noctem, anticipando comestionem in die ieiunij, quando non subsequitur dies ieiunij.

Primò.

Primò. Quia ieiunium Ecclesiasticum, est indictum pro integro die; nempe, per spacium viginti quatuor horarum, à media nocte in mediam noctem; vt concedit cum communi ipsemet Pasqualigus, & suprà, *q*.25. est habitum: ergo neque potest prorogari cœna post mediam noctem, si sequitur ieiunium; neque anticipari comestio in die ieiunij, ante mediam noctem. Patet consequentia; quia vt constat, tunc non obseruaretur ieiunium pro integro die, aut per spatium viginti quatuor horarum.

Secundò. Quia, qui in die ieiunij præuenit comestionem per horam ferè integram, ante mediam noctem, etiamsi comestionem proroget, & dilatet, vsque ad mediam noctem, verè frangit ieiunium, non solùm ex eo capite, quòd illud non obseruauerit integrè per spatium viginti quatuor horarum, nisi solùm per viginti trium, & quid amplius, vt constat; sed etiam ex eo, quòd in die ieiunij, bis perfectè, & plenè comederit; nam illa secunda comestio, facta in die ieiunij, per horam quasi integram ante mediam noctem, verè est, & dicitur comestio diei ieiunij, & non diei subsequentis (quidquid dicat Pasqualigus, *n*.5.) cùm verè trahat ad se comestionis partem, habitam post mediam noctem; & non è contrà; cùm id quod est prius, trahat ad se quod est posterius, iuxta dicta à nobis 2. *part. tract*.6. *de Ordine, disp*.6. *quæst*.8. *& disp*.13. *q*.25. nisi aliquod præceptum obstet, vt dicta *quæst*.25. *vers. Octauo*, notauimus.

Tertiò. Quia ex sententia opposita, clarè sequitur *Primò*, quòd possit quis, saltem absque mortali, tam in die ieiunij (si aliud non sequatur) quàm in Sabbato, incipere vesci carnibus, per horam ferè integram ante mediam noctem, hoc est, per vnum, imo & per medium quadrantem horæ, post vndecimam horam noctis. *Secundò.* Quòd, qui incepit in feria quinta vesci carnibus ante mediam noctem, possit protogare, ferè per horam, comestionem; & sic vesci carnibus, vsque ad vnam ferè horam noctis Veneris. Quod licèt concedat Pasqualigus, absurdum mihi videtur. Sic sentiunt communiter omnes Doctores, vt constat ex sententiis eorum, retrò relatis, & præcipuè, me citato, Diana *p*.10. *tract*.16. *Resol*.17.

QVÆSTIO XXIX.

An si quis, dum cœnat, audiat pulsus designantes mediam noctem, teneatur cessare à cœna, si die sequenti ieiunare teneatur?

NEgat (& consequenter) Pasqualigus, *decis*.160. & pene ipsum, multi viri graues, & Recentiores non vulgaris doctrinæ, quibus id (vt ipse ait) communicauit.

Probat *Primò*, ex doctrina à se tradita. Quia si in protractione cœnæ, seu in incipiendo ieiunio sequenti, datur paruitas materiæ, bene poterit quis complere cœnam iam cœptam; quoniam non insumet in hoc tantùm temporis, quod excedat paruitatem materiæ.

Secundò. Quia, quando cœnans audit signum mediæ noctis, est in possessione cœnæ, quæ est actio pertinens ad diem, qui tunc finitur: ergo potest continuare cœnam, quousque illam compleat, etiamsi die sequenti debeat ieiunare; quia præceptum ieiunij, non obligat, vt quis se spoliet possessione, quam habet suprà comestionem diei antecedentis; cùm iustè possidens non possit spoliari, sine iniustitia: ergo.

Tertiò. Quia, quando causa est cœpta, partes acquirunt ius ad terminationem ipsius, non obstante, quòd deberet expirari iurisdictio delegati; vt contingit in morte delegantis, per quam, quando res non est integra non expirat, sed protogatur donec causa terminetur. *capit. licet. cap. Gratum. capit. Relatum. de offic. deleg.* &c. Et ideò, quando durante Iubilæo, confessio Sacramentalis est incœpta, eo elapso, potest confessarius absoluere pœnitentem à casibus reseruatis; vt docent Sanchez, Henriquez, Sanctarellus, & Bossius, alij, quos nos citauimus, & sequuti sumus, 1. *part. tract*.5. *disput*.12. *q*.50. ergo, cùm in casu præsenti, acquisitum sit ius ad cœnam complendam, eo ipso, quòd est incœpta, debito, tempore, potest compleri; quia censetur protogari dies, donec cœna terminetur, & non succedere dies ieiunij.

Quartò Quia id colligitur ex interpretatiua voluntate Ecclesiæ, quæ non vlt affligere corpus per subtractionem cibi pertinentis ad antecedentem diem. Hæc sunt argumenta Pasqualigi pro hac parte; quàm,

Ego *Quintò* confirmo ex dictis à nobis 2. *parte tract*.6. *disp*.13. *quæst*.25. vbi, probabiliter defendimus, & multis argumentis comprobauimus, adimplere præceptum recitandi illum, qui incepit recitare officium hodiernum, paulò ante mediam noctem diei sequentis, si ipsum prosequatur post completam mediam noctem. *Tum* ex eo quòd omnes septem Horæ sint res vna, & indiuidua, & in eo casu, incœpta tempore apto; & sic potest finiri tempore sequenti. *Tum* etiam; quia tempus illud nocturnum, in quo quis cœpit recitare officium, trahit ad se partem aliquam diei sequentis &c. ergo, similimodo, in casu præsenti, cùm cœna sit vnica, & incœpta tempore apto, optimè poterit finiri, & compleri tempore sequenti.

Sed, his non obstantibus, vt certissimum mihi Respondeo: Teneri cessare à cœna statim ac audierit, vltimum pulsum, (iuxta nostram sententiam) vel primum; (iuxta sententiam aliorum) designantem mediam noctem. Ratio est. *Primò.* Quia dato vltimo horologij pulsu designante mediam noctem, incipit, vt omnes vno ore fatentur, dies subsequens: ergo, & incipit obligatio ieiunandi: ergo, & abstinendi à quacunque comestione; cùm essentia ieiunij sita sit, in abstinentia à cibo, &c.

Secundò. Quia ex opposita sententia, clarè sequitur quòd possit quis, saltem absque graui culpa vesci carnibus in die ieiunij, vel paulò post vndecimam horam noctis, vsque ad duodecimam; casu, quo dies sequens; non sit ieiunium vel post mediam noctem, quasi per vnam horam, paulò minus, casu, quo quis cœnare inceperit in die non ieiunij, paulò ante mediam noctem. Quod certè, est contra sensum, & praxim omnium fidelium, &c. Sic docent Sanchez *lib*.2. *de Matrim. disp*.41. *n*.40. Sancius *in selectis disp*.42. *num*.19. *&* 20. Trullench *lib*.3. *in Decalog. c*.2. *dub*.4. *n*.8. Villalob 1. *p. summ. tract*.1. *diffic*.21. *num*.7. Castro Palao 1. *part. oper. moral. tract*.3. *de consc. dubia, disp*.3. *punct*.8. *num*.10. Fagundez *lib*.1. *de* 4. *præcepto, Eccles. cap*.10. *num*.2. *&* 3. Diana 3. *part. tract*.4. *Resol*.36. *vers. Notandum*, & me citato, *p*.10. *tract*.16. *Resol*.17. *in fine*, & alij omnes Doctores, qui de hac tractant quæstione. Vnde,

Ad primum argumentum Pasqualigi, dicendum est, ex dictis quæstione præcedenti, falsum esse quòd detur paruitas materiæ in protractione cœnæ, si hæc fiat in die ieiunij. Nec mirum, quia licèt dicta protractio cœnæ sit parua materia, secundùm se considerata; non tamen est talis in re; cùm fiat tempore prohibito & contra præceptum nouum oppositum; non manducandi, videlicet, aut non vescendi carnibus, præcipuè in quantitate notabili. Vnde licèt Pasqua-

tigo demus, quòd detur paruitas materiæ reſpectu temporis, non tamen id ei concedimus, reſpectu quantitatis notabilis cibi, quæ in illo breui tempore ſumi poteſt, & per quam verè frangitur ieiunium.

Ad Secundum dicendum, quòd cœnans, ſolùm ſit in poſſeſſione cœnæ quouſque audiat primum, vel (iuxta noſtram ſententiam) vltimum pulſum ſignantem mediam noctem; & ideo vſque ad illud tempus, eam continuare poteſt, abſque eo quòd ab aliquo extrinſeco prouenienti ſpoliari à tali poſſeſſione queat, at verò dato prædicto mediæ noctis ſigno, iam non eſt in poſſeſſione cœnæ, eo quòd iam ſit finita moraliter; tum, ex eo quòd (vt Paſqualigus fatetur) eſt actio pertinens ad diem, qui tunc finitur, & ideò neceſſariò cum illo debet finiri; tum etiam, quia illa pars cœnæ, quæ fit poſt mediam noctem, eſt contra præceptum ieiunij, aut abſtinentiæ, quod primò poſſidet in præſentiarum, & ideò non poteſt iuſte ſpoliari poſſeſſione, quam habet, de abſtinendo à quocumque cibo: Vnde non iniuſtè, ſed iuſtiſſime, ob dicta, ſpoliatur cœnans à protractione, aut continuatione, poſt mediam noctem, cœnæ; aut vt meliùs dicam; ſe ipſum negatiuè ſpoliat, eo quòd, dato ſigno mediæ noctis, finiatur cœna illius diei, ideò eius poſſeſſio.

Ad Tertium dicendum, *Primò*, quòd non ſemper quòd res eſt cœpta, acquirit ſibi partes ius ad terminationem ipſius; ſed ſolùm, quando, vel id concedunt iura, aut conſuetudo; aut ad minùs, quando non datur lex, aut præceptum contrarium. In caſu ergo præſenti, non poteſt acquiri ius ad cœnam complendam, eo quòd ſit incœpta debitu tempore; quia datur præceptum, & lex in contrariũ; nempe præceptum ieiunij, quod incipit à media nocte, & prohibet expreſsè quamcumque cibi, per modum cibi, comeſtionem; & ideò cœna, licèt ſit cœpta in tempore, nõ acquirit ius, in hoc caſu, ad terminationem ipſius, poſt tempus aptum; videlicet, poſt mediam noctem.

Secundò Reſpondeo ex dictis, quòd dato, quòd res cœpta acquirat ius ſemper ad terminationem ipſius; non tamen res finita, ſaltem moraliter, quomodo finita eſt cœna, poſt datum vltimum ſignum mediæ noctis. Secus autem eſt dicendum de iuriſdictione delegati; tum, quia id expreſsè concedunt iura, aut conſuetudo: Tum, quia ad minùs, nulla datur lex in oppoſitum: Tum denique, quia res eſt cœpta in tempore, & non finita: Quæ omnia longè abſunt à noſtro caſu. Vt ex dictis liquet.

Ad Quartum. Dicendum eſt, quod ſit falſiſſimum, quòd oppoſitum noſtræ doctrinæ, colligatur ex interpretatiua voluntate Eccleſiæ, quæ non vult affligere corpus per ſubſtractionem cibi pertinentis ad antecedentum diem. Tum, quia in caſu præſenti, Eccleſia non ſubtrahit cibum pertinentem ad diem antecedentem, ſed potiùs pertinentem ad præſentem diem quæ eſt ieiunij, prohibentis hîc, & nunc omnem comeſtionem. Tum etiam, quia ex communi, & vniuerſali Eccleſiæ praxi, potiùs colligitur oppoſitum, nempe, quòd nullo modo vult Eccleſia, id, quod contra eius praxim, docet Paſqualigus.

Ad Quintum, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt: Tum, quia licèt cœna ſit vnica phyſicè, non tamen moraliter, ſicut eſt officium diuinum incœptum ante mediam noctem, & completum poſt illam. Tum etiam, quia ad huius impletionem, & finitionem non datur lex, aut præceptum contrarium; ſicut datur ad finitionem cœnæ, nempe præceptum ieiunij; & ideò illud poteſt, & debet finiri, hæc verò, minimè.

QVÆSTIO XXX.

An in vltima nocte Bacchanalium (*Hiſpanè*, De Carneſtolendas) *licitum ſit differre cœnam poſt mediam noctem?*

AFfirmane aliqui, quos ſuppreſſo nomine, citat Paſqualigus *deciſ. 161. num. 3.* cenſentes, licitum eſſe differre cœnam longè poſt mediam noctem illis qui, vſque ad mediam noctem, ludis, ſaltationibus, & huiuſmodi relaxationibus, quæ de conſuetudine, in illis diebus ſolent exerceri, vacant. Probant. Quia non eſt credendum, quòd Eccleſia velit, vt, abſque vltima cœna Bacchanalium, incipiat quadrageſimale ieiunium.

Confirmat Paſqualigus hanc ſententiam: *Primò*, Quia in illa nocte Bacchanalium, non incipit dies ſequens, nempe Cinerum, à media nocte, ſed multò poſt illam: ergo licitum erit cuilibet, differre cœnam, etiam poſt mediam noctem. Conſequentia patet; antecedens probatur. Quia iam eſt conſuetudine introductum, vt ſaltationes, luſus, & alia huiuſmodi, protrahantur vſque ad mediam noctem, & vltra: ergo cùm ſint actiones diei vltimi Bacchanalium, facit talis protractio, quòd protrahatur etiam dies ſecundùm moralem æſtimationem: ergo ſi conſuetudo protrahit diem, in ordine ad relaxandos animos, multò magis debet protrahere in ordine ad cœnam; cùm hæc, & ſit vltima actio, quæ ſit ſingulis diebus, & lautior fiat in illa nocte, quæ claudit dies Bacchanales.

Confirmat 2. Quia ex benigna voluntate interpretatiua Eccleſiæ nobis perſuadere poſſumus, quòd nolit ieiunium in noſtro caſu incipere à media nocte, ne priuet nos illa animi relaxatione, quæ valdè appetitur, tanquam vltima præcipienda; cùm talis priuatio valde ægrè feratur: ergo.

Confirmat 3. Quia omnes dies Bacchanalium, tanquam tempus inſtitutum pro relaxandis animis, debet ſimul comparari cum toto tempore Quadrageſimæ, tanquam cum tempore pœnitentiæ: at ſic eſt, quòd facta tali comparatione, ſi tempus recreandis animis deputatum protrahatur per duas, aut tres horas, poſt vltimam mediam noctem Bacchanalium non ſubtrahitur tempori pœnitentiæ aliquid notabile, & adhuc ſeruatur ieiunium primi diei quadrageſimalis, licèt duret minori tempore; nam per ſolam cœnã cenſetur claudi dies antecedens, & ſequenti adhibetur vnica tantùm comeſtio: ergo. Sic Paſqualigus. Qui tamen, *num. 6.* addit, quòd, licet hæc ſibi probabilia videantur, nolit nihilominus aliquid decernere, ſed aliis meliùs ponderanda relinquere.

Sed ego, vt omnino certiſſimum, Reſpondeo: Nullo modo eſſe licitum differre, cœnam poſt mediam noctem, in vltima Bacchanalium; & oppoſitum eſſe omnino falſum, improbabile, omni fundamento carens, & à bonis maioribus alienum.

Probatur *Primò*. Quia certiſſimum eſt, quòd à media nocte vltimæ Bacchanalium, incipiat dies Cinerum, qui eſt dies primus ieiunij ſolemniſſimi Quadrageſimæ: ergo & certiſſimum erit, quòd etiam à media nocte incipiat obligatio abſtinentiæ, non ſolùm ab eſu carnium, verùm ab omni alio cibo: ergo qui, poſt illam mediam noctem, cœnaret, verè comederet in die ieiunij, & conſequenter illud, peccando mortaliter, frangeret.

Secundò. Quia oppoſita ſententia, eſt contra omnes Doctores; contra praxim, & communem ſenſum omnium fidelium, & contra bonos mores; cùm laxet habenas ludis, ſaltationibus, potationibus, comeſſationibus, & cæteris huiuſmodi, eodemmet tempore,

quo

qua Ecclesia incipit præcipere strictissimum, & solemnissimum ieiunium; eodem met tempore, quo omnes suos fideles monet, vt parcius vtantur verbis, cibis, potibus, somno, & iocis, &c. ergo prædicta sententia, omnino est à fidelibus reiicienda, & improbanda, vtpotè, & introducta de nouo, contra communem sensum Doctorum, & praxim fidelium, & bonos mores, & nullum habens, nec apparens fundamentum, vt statim apparebit. Vnde,

Ad Fundamentum in contrarium; dicendum, quòd Ecclesia nullo modo vult, quòd fideles incipiant quadragesimale ieiunium, absque vltima cœna Bacchanalium; vult tamen, imò, & præcipit, quòd non cœnent post mediam noctem, sed ante illam: quod nec rigorosum quid, nec inusitatum videri alicui potest; sed potiùs consonum rationi, & animæ, & corporis saluti.

Ad Primam confirmationem Pasqualigi, Negandum est omnino antecedens, nempe, quod dies Cinerum non incipiat à media nocte Bacchanalium; incipit enim ab illa, sicut incipiunt à media nocte omnes alij ieiunij dies. Et ad eius probationem, dicendum, quòd dato, quòd consuetudine sit introductum, vt saltationes, lusus, & cætera huiusmodi, protrahantur vsque ad mediam noctem, & vltra; (quod certè, vniuersaliter loquendo, non est verum) non indè sequitur, quòd dies debeat protrahi vltra mediam noctem, & consequenter cœna. Tum; quia ad hoc, obstat præceptum Ecclesiæ; non ad illud. Tum etiam; quia absque protractione diei, & cœnæ, facilè possunt, & licitè, protrahi lusus, saltationes, & huiusmodi; quæ quidem actiones, & non cœna, sunt vltimæ illius noctis, sicut & aliarum, in quibus similes actiones exercentur.

Ad secundam confirmationem, dicendum, quòd potiùs ex voluntate, tàm interpretatiua, quàm expressa Ecclesiæ, nobis persuadere debemus oppositum; nempe, quod velit hoc primum Quadragesimæ ieiunium incipere, sicut & alia à media nocte, imò, & potiori iure, tum, quia est initium ieiunij quadragesimalis: Tum etiam quia si protogaret diem, protogaret etiam occasiones relaxandi nimis animos, & consequenter animas, &c. Nec per hæc priuat Ecclesia suos fideles relaxatione debitâ, & honestâ; cùm tempore antecedenti per multos dies id permittat.

Ad tertiam confirmationem, concessâ maiori gratis, neganda est minor, videlicet, quòd protractio vltimi diei Bacchanalium per duas, aut tres horas, hoc est, vsque ad tertiam horam post mediam noctem, non sit tempus notabile; est quidem sanè, non solùm factâ comparatione cum primo tantùm Quadragesimæ die; siquidem omnes dies Bacchanales, quæ institutæ sunt pro relaxandis animis, æquiualent ferè toti tempori Quadragesimæ, instituto pro pœnitentia. Adde, quòd dato, & non concesso, quòd non sit tempus notabile, si comparetur cum toto tempore Quadragesimæ; est tamen tale respectu quantitatis notabilis cibi, quæ in illo tempore sumi potest, eo quod iam sit prohibitum per nouum ieiunij præceptum, in eo quid manducare. Valeat ergo Pasqualigus cum sua noua sententia, nec amplius dicat, sibi videri probabile, posse fideles differre cœnam vltimæ noctis Bacchanalium, vsque ad tertiam horam post mediam noctem. Si enim tunc fideles, præcipuè Magnates, incipere cœnam possent, licitum eis esset reliquam partem noctis in ea insumere; quod esse plusquam absurdum, omnes concedent. Vnde meam sententiam libentissimè sequitur Diana *p. 10. tract. 16. Resolut.* 17. improbans mecum sententiam Pasqualigi.

Qvæstio XXXI.

An qui dubitat, an sit media nox, possit comedere, si die sequenti ieiunare debeat?

NEgatiuam partem tenere Azotium *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 3. Angelum, *verbo Votum, num.* 3. Armillam, *num.* 18. Nauarrum, *lib.* 3. *consil.* 4. *de voto, n.* 11. & 18. & alios, ait Pasqualigus *citandus*, eo quòd id doceant, loquendo de voto, lege, & iuramento, vt scilicet, in dubio obligent.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse comedere, etiamsi sequenti die ieiunare debeat. Quia in hoc casu, ius præcepti de ieiunio est dubium, an valeat pro illo tempore; ius verò comedendi certum; ius autem dubium nequit contra certum præualere. Sic Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 41. *num.* 40. Fagundez *præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. Trullench. *l.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 8. Ghilinus *verb. Ieiunium, num.* 18. Pasqualig. *decis.* 163.

Qvæstio XXXII.

An qui in die ieiunij dubitat, an sit media nox, possit cœnare?

AFfirmat Pasqualigus *decis.* 164. *num.* 2. Quia in tali casu, (inquit) non vrget amplius præceptum ieiunij.

Sed, longè multò probabiliùs, Respondeo: Non posse cœnare. Quia multò longè probabilius est, adhuc vrgere præceptum, & consequenter stare possessionem pro illo: at sic est, quòd in dubio, melior est conditio possidentis: ergo. Sic Sanchez, Fagundez, & Trullench. *locis citatis.* Layman *lib.* 1. *Theolog. moral. tract.* 1. *c.* 4. *num.* 36. & alij.

DISPVTATIO VI.

De diebus quibus, tam ex iure, quàm ex consuetudine, est ieiunium seruandum.

Qvæstio I.

An ieiunium Quadragesimæ sit, non solùm de iure Canonico, verum etiam, de iure diuino?

AFFIRMARVNT nonnulli Doctores, & maximæ auctoritatis, quos, suppressis nominibus, referunt Azor 1. *part. lib.* 7. *c.* 12. *quæst.* 1. Fagundez *de* 4. *præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. & Cenedo *in collectan. ad Decret. collect.* 53. *num.* 3. Fundamentum illorum fuit authoritas quorumdam Sanctorum Patrum, qui (apud Couarruuiam citandum) docuerunt, quadragesimale ieiunium de iure diuino esse. Hi autem sunt D. Ambrosius *Sermone* 23. & 34. D. Augustinus *Epistol.* 118. *cap.* 5. *ad Ianuarium, & in Psalm.* 100. Leo Papa *Serm.* 1. & 12. *de Quadragesima.* Beda, Telesphorus, & alij.

Sed multò longè probabiliùs, Respondeo, Tantùm esse de iure canonico, & humano, à tempore Apostolorum ab Ecclesia mandatum; & posteà iure canonico præscriptum.

Proba

Probatur. *Primò*. Quia non constat quòd sit præceptum datum à Christo Domino de hoc Quadragesimæ ieiunio: ergo id non est adstruendum. *Secundò*. Quia si hoc præceptum esset diuinum, non ita facilè dispensarent in illo Romani Pontifices, sicut non ita facilè dispensant in alijs præceptis diuinis. Est igitur ieiunium Quadragesimæ solùm ab Ecclesia indictum, vt constat ex cap. *Non liceat, de consecr. dist*. 3. & cap. *Quadragesima, de consecr. distinct*. 5. Sic communiter Doctores. Durand. *in* 4. *dist*. 15. *qu*. 4. *art*. 3. *conclus*. 3. Maior. *q*. 4. *concl*. 3. Gabriel *dist*. 16. *qu*. 3 *art*. 1. *notab*. 3. Adrianus *q*. 4. *de Confessione*, §. *Et alij probant. vers. Nec videtur*. Angel. *v. ieiunium, num*. 7. Syluester *ibid*. *q*. 1. *vers. Quibus autem diebus*. Nauarr. *in Man. cap*. 21. *num*. 12. Medina *tract. de ieiunio q*. 2. Ledesma *in* 2. 4. *q*. 17. *art*. 2. *dub*. 1. Azor *tom*. 1. *lib*. 7. *cap*. 12. *qu*. 1. & Couarruu. *lib*. 4. *variar. resol. cap*. 20. *numer*. 4. Quos omnes refert, & sequitur Fagundez *loc. cit*. Valentia *tom*. 3. *disp*. 9. *quæst*. 2. *punct*. 4. *vers. Sed vera sententia*. Angles *q*. 3. *de ieiun. diff*. 2. Trullench. *lib*. 3. *in Decalog. cap*. 2. *dub*. 5. *num*. 1. Layman *lib*. 4. *Theol. Mor. tract*. 8. *cap*. 2. *num*. 2. Syluius 2. 2. *q*. 147. *art*. 5. *qu*. 1. Bonac. *disp. vltim. de præcept. Eccles. q*. 1. *punct*. 5. *num*. 1. Pasqualigus *decis*. 165. Reginald. *lib*. 4. *cap*. 12. *num*. 130. Ludou. de S. Ioan. *in summ quæst. de ieiun. art*. 1. *diff*. 1. & 2. August. Barbosa in cap. *statuimus, num*. 2. *dist*. 4. & Viguerius *de institutio. Theolog. cap*. 7. *de temperantia*, §. 3. *vers*. 1. vbi ait: Ieiunium Quadragesimæ esse ab Apostolis indictum propter tria, nempe; in memoriam ieiunij Christi: &, vt decimas temporis Domino reddamus: & tandem, propter bona, quę nobis à ieiunio proueniunt.

QVÆSTIO II.

An hodie ieiunium quadragesimale, à feria quarta Cinerum inchoetur?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia sic fert consuetudo vniuersalis ferè Ecclesiæ; & docent omnes Doctores, vt testatur Azor 1. *p. lib*. 7. *cap*. 12. *qu*. 2. Fagundez *de* 4. *præcep. lib*. 1. *cap*. 5. *numer*. 5. & 6. Pasqualigus *decis*. 166. *num*. 8. Reginald. *loc. cit. num*. 128. & alij.

QVÆSTIO III.

An etiam olim, ante tempus S. Gregorij Magni ab eadem feria quarta Cinerum inceperit ieiunium Quadragesimæ?

AFfirmant aliqui Doctores, quos suppressis nominibus, referunt Azor, & Fagundez, *loc. cit.* asserentes; semper fuisse solitum in Ecclesia, ieiunium Quadragesimæ, à feria 4. Cinerum inchoari.

Sed probabiliùs, Respondeo: Olim ante tempus D. Gregorij Magni, non incœpisse hoc ieiunium à feria 4. Cinerum; sed à prima Dominica Quadragesimæ. Id enim apertè colligitur: *Tum* ex cap. *Quadragesima de consecr. dist*. 3. vbi habetur, quatuor dies ante Dominicam primam Quadragesimæ, esse adiectos, vt omnes plenè ieiunium quadraginta dierum obseruent. Quod caput desumptum est ex D. Gregorio *Homilia* 16. *in Euangelia*. *Tum* etiam, ex eo, quòd officia quadragesimalia, modò etiam, solùm incipiunt in Dominica prima Quadragesimæ, & non antea: ergo: Sic docent D. Ambrosius; *Serm*. 34. *de Quadragesima*, D. Gregorius *loc. cit*. Cassianus *collatio*. 21. *cap*. 24. 27. & 28. Alcuinus, *de diuinis officiis cap. de Quadragesima*. Ordo Romanus, *cap. de Septuagesima*. Auctor Micrologi, *cap*. 49. Quos omnes refert, & sequitur Azor *loc. cit. quæst*. 2. Layman *lib*. 4. *tract*. 8. *cap*. 2. *num*. 8. Syluius 2. 2. *q*. 147. *art*. 5. *q*. 3. Pasqualigus *decis*. 166. *num* 5. Addens, hunc morem, adhuc hodie vigere; apud Ecclesiam Mediolanensem. Sed certè hoc additum, contrarium omnino est doctrinæ, quam suprà (vt vidimus *disput*. 1. *q*. 13.) hic Author tradidit, videlicet, per consuetudinem derogatos fuisse prædictos quatuor primos ieiunij dies in Ecclesia Mediolanensi. Dicendum ergo est, hunc morem adhuc in dicta Ecclesia vigere, eo quòd per consuetudinem contrariam abrogati fuere illi primi quatuor dies Quadragesimæ, quos D. Gregorius addidit. Sic etiam Henriquez *lib*. 7. *cap*. 13. §. 8. *in fine*. Lessius *de inst. lib*. 4. *cap*. 2. *numero* 63. Barbosa *in cap. Quadragesima dist*. 4. & omnes.

QVÆSTIO IV.

An ieiunium quadragesimale, de iure, & more, in Sabbato Sancto terminetur?

REspondeo: Dicendum; quòd, attento recentiori iure, & more in vniuersali Ecclesia introducto, & obseruato, in prædicto Sabbato terminetur, & finiatur. Quia sic habetur, & decernitur in Concilio Toletano VIII. *cap*. 8. Laodicens. *Can*. 5. *Non liceat de consecr. dist*. 3. & capit. *Non oportet ea dist.* vlt. Sic dicitur: *Non oportet in Quadragesima quinta feria vltima hebdomada, ieiunium dissoluere & totam Quadragesimam inhonorare, sed per totos dies Quadragesimæ, ieiunare*. Sic Canon. Sed attento veteri more, qui per prædicta Concilia, & iura, iam est sublatus, dicendum est, quòd finiatur, aut, (vt ei [illegible] dicam) finiebatur olim, feriâ quintâ in cœna Domini. Sic enim expressè docuerunt Alcuinus, & Ordo Romanus *loc. cit*. Amalarius, Author Micrologi, & alij apud Azorium *loc. cit. quæst*. 3. Sic ipse *ibidem*, & Fagundez *loc. cit. n*. 5. & 6. Pasqualigus *decis*. [illegible]. & omnes.

QVÆSTIO V.

An omnia ieiunia quatuor temporum, sint de iure Canonico?

NEgat, imprimis Pasqualigus *decis*. 168. & 169. docens, nulla ieiunia quatuor temporum esse de iure; sed omnia esse ex traditione Apostolica. Probat *Primum*: Quia omnes canones, de his ieiunijs loquentes, solùm decernunt tempus, in quo debent celebrari, supponendo institutionem ipsorum.

Secundum verò, probat ex Patribus, nempe ex S. Leone *Serm*. 1. *de ieiunio decimi mensis*, & *Serm*. 7. *de ieiunio septimi mensis*, & *de ieiunio Pentecostes, serm*. 2. *de Pentecoste*, & ex Clemente Romano *lib*. 4. *constit. Apostolic. cap*. 18.

Negant etiam, ex parte alij, censentes; ieiunium quatuor temporum quod in hebdomade Pentecostes celebratur, nullo modo esse de iure; sed tantùm ex consuetudine, cætera verò quatuor temporum ieiunia, de iure communi esse. Sic D. Thom. 2. 2. *q*. 147. *art*. 4. *ad* 3. & *in* 4. *dist*. 15. *quæst*. 3. *art*. 31. & *q*. 1. & Caietan. 2. 2. *quæst*. & *art. cit*. & *in summa. verb. Ieiunium, c*. 2. & Syluester *eo verb. q*. 1. *num*. 5. Vnde non omnino bene citatur à Fagundez, *vbi infrà*.

Sed absolutè Respondeo: Dicendum, quòd omnia prædicta quatuor temporum ieiunia, non solùm sunt ex traditione Apostolica, vt vult Pasqualigus; verumetiam ex iure communi. Quia ita expressè habetur in

cap.

cap. statuimus dist.76. & cap. ieiunium, ead. dist. vbi sic dicitur. *Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, ita, & nos quaternum solemne agamus ieiunium per quatuor anni tempora.* Sic ibi, ex Calixto I. cuius decretum habetur, Epistola 1. decretali, *tom.1. Concil.* Ex quo constat, non solùm per hos Canones, decerni tempora quibus ieiunia huiusmodi celebrari debeant; sed, & præcipi. Sic docent Angel. *verb. Ieiunium, §.7.* Nauarr. *cap.21. num.11.* Richard. *in 4. dist. 15. art.3. q.8.* Llamas 3. *part. Method.§. 28. pag. mihi* 533. Azor *lib.7. cap.14.* (& per errorem Typographi 25. vt citat Fagundez) *q.1. & 2.* Vega *part.1. summ. cap.14. casu* 8. Filliuc. *tract.27. part. 2. cap.6. num.98.* Fagundez *precept.4. Eccles. lib.1. cap.6. num.1. & 2.* Toletus *lib. 6. c.3. num. 3.* Bonac. *disp. vltim. cit. q. 1. punct.5. num. 3.* quatenus se ad Azorium remittit. Layman *lib.4. tract.8. cap.2. num.5.* Lessius *lib.4. de iust. & iure. cap.2. dub.9. num. 67.* Syluius 2. 2. *q* 147. *art. 5. q.4.* Villalob. *tract.23. diff. 2. num.4.* Reginald. *lib.4. c.12. num.*131. Vinald. *3. part. c.15. à num. 8. pag. mihi 69.* Angles *in florib. q.3. de ieiunio, diff.2.* Ludouic. de S. Ioann. *art.3, cit. diff.6. dub.2. & 3.* Machado *lib.2. p.4. tract.3. docum.1. num.1.* August. Barbosa, in dicto cap. *Ieiunium, dist.76.* Alphons. Chacon. *in tract. de varia ieiuniorum obseruantia, cap.2.*

QVÆSTIO VI.

An præfata quatuor temporum ieiunia, obligent sub mortali?

NEgat Pasqualigus *decis.169. cit. à num.3.* & probat. Quia dicta ieiunia, solùm habent originem ex traditione Apostolica; at hæc traditio, nec ratione sui, nec ratione consuetudinis, obligat ad mortale: ergo. Minorem quoad primam partem, nempe, quòd prædicta traditio Apostolica non obliget ad mortale, probat. *Tum* ex verbis constitutionis Apostolicæ, quam refert Clemens Romanus *l.5. cap.* 18. vbi loquens de ieiunio quatuor temporum Pentecostes, solùm ait; æquum esse, & lætari de Dei dono; & ieiunare post hilaritatem: ergo solùm de æquitate, non de præcepto, hoc ieiunium obseruare tenemur. *Tum etiam*, quia id expresè docet Franciscus Turrianus *in Schol. num.2. circa cap.19. constit. Apost.* apud D. Clementem, asserens, talem traditionem, non continere præceptum. *Secundam verò* partem minoris, videlicet, quòd prædicta ieiunia, nequeant obligare ad mortale ratione consuetudinis, sic probat. Quia, si hæc ieiunia non obligant ad mortale ratione suæ institutionis, vt dictum est, non possunt ad illud obligare ratione consuetudinis; quoniam quando per consuetudinem aliquid recipitur, vt institutum ab alio, tunc consuetudo non obligat, si aliàs institutio non obligat; nam consuetudo recipitur secundùm mensuram institutionis; nec adest animus se obligandi, quia recipitur cum animo seruandi institutionem, & animus conformatur intentioni instituentis.

Sed tanquam mihi certissimum, Respondeo: Obligare ad mortale. *Primò.* Quia certissimum est omnia prædicta quatuor temporum ieiunia, esse ex iure Canonico præcepta; vt habitum est, quæst. antecedenti: ergo ex hoc, ad minus, capite, ad mortale obligant.

Secundò. Quia dato; & non concesso, quòd dicta ieiunia, solùm essent ex traditione Apostolica; nihilominus tamen etiam ex consuetudine sub onere mortali obligarent; quia sub hoc onere recepta sunt ab vniuersali Ecclesia, vt constat. Et ideò sic tenent communiter omnes Doctores, præcipuè, quæst. antecedenti, citati. Quibus addi debent Syluest. & Caiet. (imò, & D. Thomas, vt notat Caietanus, 2.2. *loc. cit.*) docentes omnia hæc ieiunia, saltem ex consuetudine, ad mortale obligare, vt infrà dicemus.

Vnde ad fundamentum Pasqualigi, dicendum est, ex dictis. *Primò*, Falsum esse, dicta ieiunia, solùm esse ex traditione Apostolica; cùm etiam ex iure communi sint. *Secundò*, quòd dato, quòd ex dicta traditione duntaxat essent; adhuc obligarent ad mortale ratione consuetudinis Ecclesiæ, sic explicantis, & recipientis dictam traditionem Apostolicam.

QVÆSTIO VII.

An saltem, ieiunium quatuor temporum, quod in hebdomada Pentecostes celebratur non obliget sub mortali?

AFfirmare videtur D. Thomas 2.2. *q.* 147. *art.5. ad* 3. quatenus expresè ait; Quòd non est ieiunium ab Ecclesia indictum in toto Paschali tempore. Adde, quòd Canones apertè prohibent fieri ieiunium tempore Paschali, eo quòd, id sit tempus lætitiæ, & non mœroris, quale est tempus ieiunij: ergo. Propter hoc, hanc sententiam nouissimè tenet Pasqualigus loco citato.

Sed vt certissimum adhuc, Respondeo: Dictum ieiunium ad mortale obligare. *Primò.* Quia in cap. *Statuimus, dist.76.* apertè habetur & præcipitur, vt huiusmodi ieiunium agatur in hebdomada Pentecostes: ergo, sicut cætera ieiunia, ex iure, ad mortale obligant; ita & hæc. *Secundò.* Quia ad minùs ex generali consuetudine ad mortale, hoc ieiunium obligare, apertè docent Syluester *verb. Ieiun. num.5.* & Caietan. 2.2. *loc. cit.* & iuxta illum, D. Thomas, *loc. cit. & in 4. dist.15. quæst.3. art.3. q.1. ad 5.*

Vnde ad fundamentum contrarium dicendum est. *Primò.* Verum esse quòd, toto Paschali tempore, non sit indictum ieiunium ab Ecclesia; quia tempus Paschale, quod attinet ad vacationem ieiuniorum, computandum est à Paschate, vsque ad Pentecostem, in quod tempus ieiunia iure communi non cadunt; & hoc voluisse D. Thomam, dicunt Azor. *loc. cit. q.2.* & Fagundez *loc. cit. n.2. Secundò*, Respondeo, ex Caietano, *loc. cit.* Quòd D. Thomas, solum loquatur de iure: non verò de consuetudine; propter quam, iam dictum ieiunium obligat ad mortale. Vnde ad additum Respondeo. Quòd licèt Canones prohibeant ieiunia fieri tempore Paschali, possunt tamen legitima consuetudine induci, vt bene probat Azor, *cap.15.* (aliàs 25.) *q.4. col. mihi* 750. & ita de facto per illam inducta sunt. Lege Dianam *p.10. tract.16. Resol.17.*

QVÆSTIO VIII.

An in omnibus peruigiliis festorum Christi Domini, & B. Mariæ Matris eius, sit vniuersaliter ex iure ieiunandum, sub mortali?

REspondeo, Quòd non: Sed solùm in peruigiliis Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Mariæ. Quia de his solùm festiuitatibus est in iure indictum ieiunium: vt constat ex cap. *Ex parte, & ex cap. Consilium de obseruatione ieiuniorum.* Vnde, si quæ sunt alia ieiunia in peruigiliis festorum Christi Domini, aut B. Virginis Mariæ, non sunt de iure; sed tantùm de consuetudine, vel ex deuotione, vel statuto particulari. Sic omnes Doctores Syluest. *verb.*

Ieiunium, *num.*5. Axor, *lib.*7.*cap.*13. (aliàs 24.) *q.*1. *col.mihi* 741. Fagundez, *loc.cit. cap.*5. *num.*8. Paſqual. *decis.* 170. Barboſa, *in dicto cap.*2. *Ex parte*, *num.*2. & alij. Quamuis de Vigilia Natiuitatis Virginis dubitet Archidiaconus. Sed non rectè: quia certum eſt, de iure non eſſe ieiunandum.

QVÆSTIO XI.

An in omnibus Vigiliis Apoſtolorum ſit ex præcepto iuris ieiunandum?

NEgat, imprimis, Auctor ſermonum, *ad Fratres in eremo*; qui nomine D. Auguſtini, circunferuntur, *serm.* 25. docens. Quòd Iacobus Zebedæi Apoſtolus, apud quoſdam vigiliam non habeat; eo quòd occiſus fuerit in diebus Azimorum. Neque D. Bartolomæus; eo quòd vna die fuerit decoriatus, & ſequenti die obierit, & ſic, ſi haberet vigiliam, oporteret quod eſſet in tertia die quod eſt contra normam aliorum ieiuniorum. Neque Apoſtolus S. Thomas, eo quòd tempore Aduentus veniat. Neque D. Barnabas, eo quòd de duodecim non fuerit. Neque D. Matthias, eo quod tempore ieiunij ſit. Neque D. Ioannes Euangeliſta eo quod Gloriam in excelſis Deo cantare debemus. Ita ille. Et propterea Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *q.*4. *artic.*3. *concl.* 2. docet; in Vigiliis SS. Bartholomæi, Iacobi maioris, & Matthiæ, ieiunium vim præcepti non habere, niſi vbi fuerit vſu, & conſuetudine receptum.

Sed tanquam certiſſimum, Reſpondeo: In omnibus peruigiliis Apoſtolorum, eſſe ex iuris præcepto, ieiunandum; præterquam in Vigilia Apoſtolorum Philippi, & Iacobi; quia incidit inter Paſcha, & Pentecoſtem, in quo tempore nullum indicat ieiunium Eccleſia; & in Vigilia Beati Ioannis Euangeliſtæ; quia incidit in ſolemnitate Natalitij Domini. Sic habetur in cap. *Conſilium*, & cap. *Ex parte*, *de obſeruatione ieiun.* & docent omnes DD. Legantur Syluest. Azor, Fagundez, Paſqualig. & Barboſa, *loc.cit.*

QVÆSTIO X.

An ieiunium Vigiliæ Pentecoſtes, obliget ſub mortali ex iure?

AFfirmant Angelus, *verbo Ieiunium*, *n.*7. & nonnulli alij, quos, ſuppreſſis nominibus, referunt Angles, & Paſqualigus *citandi* exiſtimantes, hoc ieiunium haberi, aut clarè colligi, ex cap. *de ieiunii*, *dist.* 76. & ex cap. *Noſſe*, *ead. dist.*

Sed, longè multò probabiliùs, & veriùs, Reſpondeo: Non obligare ſub mortali, ex iure (an verò, ex conſuetudine, ſtatim dicam.) Quia verius multò eſt, nullum in iure reperiri præceptum de hoc ieiunio: cùm potiùs ex illo conſtet nullum inter Paſcha, & Pentecoſtem ab Eccleſia indici, vt habetur in c. *Conſilium citato*. Et ſic docent communiter omnes Doctores. Præcipuè Gratianus in fine, cap. *Scire debet*, *dist.*76. D. Thomas, 2.2.*q.*147. *art.*5. *ad* 3. Azor, *c.*13. *cit.q.*2. Fagundez, *cap.*5. *cit.n.*9. Paſqualigus, *dec.*171. *n.*1. (Qui tamen *n.* 2. malè citat Angelum pro hac parte) & alij ſtatim citandi.

QVÆSTIO XI.

An ſaltem dictum ieiunium, obliget ſub mortali ex conſuetudine?

NEgat (apud Paſqualigum *citandum.*) Gratianus, in cap. *Scire*, §. *Neceſſario. dist.* 76. & in cap. *Noſſe*, §. *obſeruantia eaſus ea.diſtinct.* & D. Thom. 2.2. *q.*147. *art.* 5. *ad* 3. vbi clarè docet, quòd ieiunium exultationis, non debet cadere ſub præcepto, ſed eſſe ex inſtinctu Spiritus Sancti, & propterea, non eſſe inſtitutum ieiunium ab Eccleſia toto tempore Paſchali. Et hanc ſententiam videtur tenere Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.*4. §. *circa* 3. *concl.* 3. & eſſe probabilem, clarè innuunt Angel. *loc.cit.* & Syluester, *infrà citandus*, & latè probat Paſqualigus, *decis.* 171. *à num.* 3. licèt in fine addat, ſe nolle decernere, an ſit in praxi hæc amplectenda ſententia. Tenet tamen illam nouiſſimè, Antonius Graña *in* 2. *lib. decret. de feriis*, *tit.* 9. *num.* 13. Per hæc verba: Sic ſimiliter ieiunium non eſt de neceſſitate poſt Paſcha Reſurrectionis, vſque ad Pentecoſtes, ſed ſi de facto deuotione, & voluntate, pœnitentiæ cauſa in Vigilia Pentecoſtes fiat, admittitur, quamuis ex neceſſitate fieri non debeat, iuxt. text. *in c. Ieiunium.* §. *Non autem* 76. *dist.* c. *Prorogationis de conſecr. dist.* 3. Ita ille.

Sed ego tanquam certum Reſpondeo: Obligare ex conſuetudine ſub mortali. Quia id ex generali Eccleſiæ conſuetudine, quæ legis, & præcepti vim habet, docent communiter omnes Doctores, præcipuè Syluester, *v. Ieiunium*, *num.*5. Gabriel, *in* 4. *dist.*16.*q.*3. *art.*1. *notab.*2. Armilla, *v. Ieiun. num.*2. Caietan. 2.2.*q.*147.*art.*5. §. *Ad hoc dicitur.* Azor, *lib.*7.*cap.*13.*quæst.* Fagundez, *præcept.*4. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.*5. *n.*9. Angles, *in florib. q* 4. *de ieiunio*, *diff.*1. Llamas *tertia p. c.*5. §. 1. Fillinc. *tract.*27. *p.* 2. *c.*5. *num.* 1. Leſſius, *lib.*4. *cap.* 2. *dub.*9. *num.*66. *verſ. Præter hæc.* Sanchez, *lib.*5. *conſil. moral. cap.*1. *dub.* 18. *num.*1. Syluius, 2.2. *q.* 147. *art.* *quæſtio* 7. *verſ. Difficultas tamen manet.* Tamburinus, *tom.*2. *de iure Abbatum*, *diſput.*12. *q.*1. *num.* 1. *in vltima edit.* Toletus, *lib.*6. *cap.*3. *num.*1. Sà, *v. Ieiunium*, *num.* 2. Valentia *tom.*3. *diſput.* 9. *punct.* 4. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*5. *num.*16. & 1 Layman, *lib.*4. *tract.*8. *cap.*2. *num.*6. Aug. Barboſa, *in cap. Scire debet*, *diſtinct.*76. & apud ipſum, Nauarr. *conſ.* *de obſeruat. ieiun. in nouis.* Subdens, quòd Eccleſiæ conſuetudo generalis ita habet in omnibus Regnis, in quibus ipſe moratus fuerit, tam Galliæ, & Luſitaniæ, quàm Caſtellæ, Nauarræ, & Romæ. Sic etiam, me citato, Diana *p.*10. *tract.*16. *Reſol.*17.

Ad authoritatem S. Thomæ, dicendum eſt, locutum fuiſſe de iure communi, non verò de conſuetudine, quæ in legem & præceptum tranſiuit. Sentit ergo Angelicus Doctor, peruigilium Pentecoſtes, non eſſe ieiunio conſecratum de iure communi; bene tamen de conſuetudine Eccleſiæ. Sic explicant D. Th. (imo & Gratianum) Caietanus, Azor, & Fagundez, & alij. Ad authoritatem vero Gratiani, reſpondet Gloſſa, *verb. Obſeruantia*, *in dicto c. Scire.* Malè in hac parte ſenſiſſe Gratianum; cùm conſuetudo Eccleſiæ ei præiudicet.

QVÆSTIO XII.

An ieiunia in peruigiliis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum, obligent ſub mortali?

NEgat certè, licèt cum timore, Paſqualigus, *decis.* 172. *n.*2. Cuius fundamentum eſt. *Primò*, Quia ieiunia, in his vigiliis, non obligant ex iure, nec ex conſuetudine: ergo nullo ex capite. Antecedens, quoad primam partem, eſt certum apud omnes Doctores. Quoad ſecundam, probatur. Quia licèt verum ſit, quòd hæc ieiunia introducta ſint ex conſuetudine; non tamen conſtat, an introducta fuerint cum animo ſe obligandi; an verò, tantùm ex deuotione: ergo incerta eſt obligatio conſuetudinis: ergo non

poteſt

potest præualere contra certam possessionem libertatis. *Secundò*. Quia huiusmodi ieiunia, sunt valde antiqua: ergo, si obligassent ex consuetudine, redacta fuissent in corpus iuris canonici, cùm iam consuetudo obtinuisset vim legis; ergo.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo: prædicta ieiunia non ex iure, cùm in illo, nullum extet de illis præceptum; sed ex consuetudine, in Ecclesia Latina recepta, obligare sub mortali. Quia certum moraliter est, quòd talis consuetudo introducta sit cum animo se obligandi sub mortali: ergo sic obligat. Consequentia est clara; antecedens probatur. Quia certum moraliter est, id, quod ex immemoriali traditione habetur: at sic est, quòd ex traditione immemoriali habetur, quòd talis consuetudo inducta fuerit, cum animo se ad mortale obligandi; cùm sic omnes posteri, vsque ad hæc nostra tempora, eam acceperint: ergo *Confirmatur*. Quia in dubio, melior est conditio possidentis: at sic est, quòd in præsenti casu, potiùs possidet ieiunium, & eius obligatio, quàm libertas: ergo Minor probatur: nam vsque ad hæc nostra tempora, nullus dubitauit de obligatione, & possessione ieiunij: ergo vsque ad illa possedit semper: dubium autem de possessione libertatis, nunc à Pasqualigu cœpit: ergo non hæc, sed ieiunij obligatio possidet.

Ex quo constat ad primum argumentum Pasqualigi, *& ad secundum*, dicendum. Quòd non omnia, quæ obligant sub mortali, ratione consuetudinis, inserta sunt in corpore iuris; quia vel iam cessaret ex hac parte obligatio, vel haberetur ex duplici titulo, aut capite. Vnde, hanc nostram sententiam tenent omnes Doctores, præcipuè citati, suprà *q.11.* Syluest. Gabriel, Armilla, Azor, Lessius, Sanchez, Llamas, Syluius *locis. cit.* Fagundez *loc. cit. num.10.* & penes illum Angelus, *verb. ieiunium, num.7.* Innoc. Hostiens. Ioan. Andreas Abbas, & cæteri Canonistæ, *in Rubrica de obseruatione ieiun.* & ita decretum fuit in Concilio Oxoniensi in Anglia ab Stephano Archiepiscopo coacto, vt refert Azor, *loc. cit.* Sic etiam Villalob. *tract.23. diff.2. n.4.* Bonac. *disp. vltim. cit. q.1. punct.5. §.5. in noua edit.* Machado, *tract.3. cit. docum.1. n.4.* & me citato, Diana *p.10. tr.16. Resol.17.*

QVÆSTIO XIII.

An quando Vigilia S. Ioannis Baptistæ incidit in festo Corporis Christi, sit anticipandum ieiunium?

RΕspondeo: Anticipandum esse, & ieiunandum in feria quarta. Quia ita decreuerunt Leo X. in quodam Breui misso ad Legatum Hispaniæ (vt testatur Nauarrus *in Man. c.21. n.11. vers. Porro Leo X.*) & nouissimè, Vrbanus VIII. *Constitutione edita, die 13. Octobris, anni 1638.* quæ incipit *Cum euenire*. Circa quam constitutionem, bene aduertit Pasqualigus, quòd non indulget Pontifex talem anticipationem ieiunij, sed præcipit, & ita, qui non anticiparet, expressè contra præceptum faceret. Sic Pasqualig. *decis.173.* Ioann. Henriquez, *in summ. sect.17. q.14. in edit. nouiss.* Et omnes.

QVÆSTIO XIV.

An in diebus Rogationum, & Litaniis maioribus, sit ex præcepto ieiunandum?

AFfirmant, esse aliquod ieiunium in his diebus seruandum, ob antiquissimam consuetudinem, & quia ita videatur decerni in cap. *Rogationes de. con-*

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

secr. dist.3. Syluius, *2.2. q.147. art.5. quæsito 6. §. His tamen.*

Sed certissimè, Respondeo. Non esse ex præcepto ieiunandum. Quia nullum extat præceptum de huiusmodi ieiunio in iure. Nam in illo capite citato, vel solùm datur consilium, non præceptum, vt notat ibi Glossa, *verb. Ieiunium*, & Ecclesia non inducit ieiunia à Pascha vsque ad Pëtecostem, vt patet ex cap. *Scire, dist.76.* Vel si datum fuit præceptum, iam consuetudine derogatum est, cùm praxis vniuersalis Ecclesiæ sit in oppositum: ergo. Sic Gabriel, *in 4. dist.16. q.3. art.1. notab.2.* Azor, *lib.7. c.15.* (per errorem Typographi 27.) *q.4. col.750.* Filliuc *tract.27. p.2. cap.5. n.102.* Fagundez, *de 4. præcept. lib.1. c.6. n.8.* Bonacin. *loc. cit.* Villalob. *loc. cit. num.8.* Pasqualig. *decis.174.* & omnes. Legatur Barbosa in exposit. dicti capitis, Rogationes.

QVÆSTIO XV.

An in feria quarta, & sexta, sit ex præcepto ieiunandum?

RΕspondeo. Quòd, licèt olim in primitiua Ecclesia esset præceptum, in his diebus, ieiunandi, vt latè probant Azor, & Fagundez citandi: Modò tamen nimimè adest; vt constat ex communi praxi Ecclesiæ. Vnde præceptum antiquum ieiunandi in feria 4. & sexta; aut consuetudine dicta abrogatum fuit, aut relaxatum, ita vt iam ieiunium quartæ feriæ omnino abolitum sit, & ieiunium feriæ sextæ imperfectum manet, nempe quoad abstinentiam tantùm eius carnium. Sic Azor, *loc. cit. q.3.* Fagundez, *c.6. cit. n.5.* Bonac. Fill. Villalob. *loc. cit.* Pasqualig. *decis.175.* Suar. *de Relig. lib.2. c.4. n.6.* Barbosa *in cap. ieiunia de consecr. dist.3.* Couarr. *lib.4. var. c.20. num.8.* & alij.

QVÆSTIO XVI.

An in Sabbato, sit ex iure communi ieiunandum?

RΕspondeo dicendum. Quòd quamuis iure communi indictum sit ieiunium in die Sabbati cuiuslibet hebdomadæ; vt constat, ex cap. *Illa, dist.12.* & ex cap. *vtinam, dist.76.* ex cap. *Sabbato, de consecrat. dist.3.* & ideò olim Ecclesia Romana, imò, & Hispaniarum & Galliarum Ecclesię; ieiuniũ plenè, & perfectè obseruauerint; nunc tamen, apud nullam Ecclesiam est in vsu ieiunium plenè, & perfectè in Sabbato; sed solùm imperfectum, & semiplenum, hoc est, abstinentia tantùm à carnibus, vt constabit ex statim dicendis. Sic omnes Doctores, Azor, *lib.7. cap.15. q.1. & 2.* Fagund. *loc. cit. num.4.* Pasqualig. *decis.176.* Couar. *lib.4. variar. c.20. n.8.* & Sayrus *in Claui Regia lib.7. c.1.* Barbosa, *in dicto c. Sabbato, cit. n.1.* & alij.

QVÆSTIO XVII.

An in Sabbato, sit ex præcepto ab esu carnium abstinendum?

NΕgauit Glossa in cap. *Quia dies, de consecr. dist.5.* docens, prædictam à carnibus abstinentiam: non esse de præcepto, sed de æquitate, & consilio, quia Pontifex in dicto capite non vtitur verbo præceptiuo, sed potiùs consiliatiuo, nempe verbo, *Admonemus*: ergo.

Sed certissimè, Respondeo: Esse ex præcepto ab esu carnium in Sabbatis abstinendum; nisi alias, alicubi hoc præceptum, consuetudine sit abrogatum, vt

Q infrà

Digitized by Google

infrà dicā. Sic habetur in cap. *Quia dies cit.* Vbi Gregorius VII. expressè ait, quòd quicumque Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadē die, *Sabbato videlicet*, abstineat: ergo cùm non sit particeps Christianæ Religionis, qui dicto die carnes comedit, procul dubio, non seruat ea, cum qua cōseruatur Christiana Religio, atque adeo mortaliter peccat. Sic Syluest. *v. Ieiunium*, *q.* 10. *n.* 28. Azor, & Fagundez, *loc. cit.* Qui vtrumque explicat Glossam, dicendo, ideo contrarium asseruisse, quia in quibusdam locis, præfatum ius est consuetudine abrogatum; nam in Gallia, vt Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. concl. 2.* & Viguerius *de instit. Theol. c. 7. de temperantia*, §. 5. *versu* 1. affirmant, à Natali Domini vsque ad Purificationem B. Virginis, carnes in Sabbatis eduntur; & in quibusdam Hispaniæ Prouinciis, præsertim in Castella in omnibus Sabbatis (exceptis Quadragesimæ, Quatuor temporum, aut his, in quibus incidit aliqua vigilia) ex consuetudine licitè capita animalium, pedes, intestina, iecur, pulmones, & viscera eduntur. Sic Pasqualig. *decis.* 176. Qui aliter respondet ad fundamentum Glossæ; nempe, quòd illud verbum *Admonemus*, quo vtitur Pontifex, non cadat suprà abstinentiam; sed suprà obseruantiam talis præcepti.

QVÆSTIO XVIII.

An quando in Sabbato incidit aliquod festum ex solemnioribus, licitum sit vesci carnibus?

RESpondeo: Licitum esse, attento iure communi; non verò attenta praxi, & consuetudine Ecclesiæ. Sic Pasqualigus, *loc. cit.* .6. Vbi ad quæstionem propositam, per hæc verba, respondet: Respondeo licere ex citato cap. *Quia dies, de consecr. dist.* 5. Nam ibi dicitur, *Sabbato abstinendum à carnibus, nisi eo die maior festiuitas interuenerit.* Sed praxis, hoc ad Natale Domini coarctauit. Sic ille ibi. Et bene. Sed nunc ego, contra ipsum, & contra ea, quæ de consuetudine (vt suprà vidimus, *q.* 7. 11 *&* 12.) docet; ab ipso inquiro. Vnde scis, tu Pasqualige, quòd hæc praxis, & hæc consuetudo obliget ad mortale? Vnde, cùm nescias, an introducta fuerit cum animo se obligandi? Vnde, cùm sit contra expressum ius, semper dicens; posse in Sabbato, interueniente maiori festiuitate, carnibus vesci? Si dicas, quòd hoc scis, ex praxi omnium fidelium, & ex communi Doctorum sententia id docente, & sentiente; id ipsum dic de consuetudine ieiunandi in Quatuor temporibus anni, in Vigiliis Pentecostes, & in Vigilia S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum: non enim est maior ratio vnius, quàm alterius, vt constat. Sic tenet nouissimè me citato Diana *p.* 10. *tr.* 16. *Resol.* 17.

QVÆSTIO XIX.

An in Aduentu, sit ieiunium ex præcepto seruandum?

REspondeo: Negatiuè. Quia licèt olim (vel ex præcepto, vt Fagundez, & alij volunt; vel ex consilio solùm, vt Syluius, & Pasqualigus sentiunt) in Ecclesia Romana ieiunium in Aduentu seruaretur, vt constat ex cap. *Consilium, de obseruat. ieiun.* Vbi dicitur: *Ieiunium apud nos in Aduentu Domini agitur:* Iam tamen, his temporibus, nulla adest obligatio in Aduentu ieiunandi, vt docet praxis, & ex illa, omnes Doctores; quamuis apud Monachos, & nonnullos alios Religiosos, huiusmodi ieiunium mansit, qui partim ex propriis statutis (vt accidit nobis) partim vsu, & consuetudine, ex deuotione introducta, id retinent. Sic Azor, *lib. 7. c. 16.* (aliàs 27.) *q.* 3. Fagundez *de 4. præc. Eccl. lib. 1. c. 6. n. 9.* Syluius, 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. *quæst.* 7 Pasqualigus, *decis.* 177. & penes ipsum, Syluester, Tabiena, Gabriel, Tamburinus, & Filliuc. Barbosa, *in dicto cap. Consilium, n.* 3. Et omnes.

QVÆSTIO XX.

An tempore Paschali, aut Dominicis diebus, aut in Natali Domini, sit licitum ieiunare?

NEgandum videri potest. Quia id expressè iure Canonico prohibetur. Nam toto tempore Paschali non esse ieiunium seruandum clarè cauetur in cap. *Post Pascha*, & cap. *Si ire debet, dist.* 76. & in cap. *Consilium, cit.* Item, neque in Dominicis diebus *vin. c. Ieiunium, de Consecr. dist.* 3. Nec tandem, in Natali Domini, *in cap. fin. de obseruatione ieiun.* ergo non erit licitum his diebus ieiunare.

Respondeo tamen, absolutè loquendo: Esse licitum, nisi aliàs quis dictis diebus in contemptum institutionis Ecclesiasticæ, aut ex aliquo errore, aut superstitione, ieiunaret, quia tunc peccaret quidem. Sic omnes Doctores, & clarè colligitur ex cap. *Post Pascha, cit.* Vbi dicitur: *Si quis Monachorum, vel Laicorum tempore Paschali ieiunare cupit, non est prohibendum, &c.* & cap. *Vtinam dist.* 76. Sic habetur. *Vtinam omni tempore ieiunare possimus, quod in actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico, Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.* Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. *ad* 3. Caiet. *ibidem.* Nauar. *c.* 21. *n.* 27. Azor *loc. cit. q.* 7. *&* 9. Sanchez, *lib. 2. summ. c.* 3. *n.* 1. & alij quamplures quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis.* 178. Legantur Fagundez, *lib. 1. in primum præcept. Decalogi, c.* 34. *à n.* 7. *&* 8. Vbi de hac re latè agit. Barbosa in cap. *Si quis tanquam, dist.* 30. per totam.

QVÆSTIO XXI.

An quando Vigilia venit in Dominica, ieiunandum sit in Sabbato?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia sic expressè habetur, *in cap. Ex parte de obseru. ieiun.* Vbi dicitur: Quòd si Natiuitas Domini, vel Assumptio B. Mariæ, vel festiuitas alicuius Apostolorum, in secunda feria contigerit euenire, die Sabbati præcedentis vigilia debeat ieiunari. Sic in summa textus. Et sic ex illo omnes Doctores: Abbas antiq. Innoc. Ioan. Andreas, Butr. Hostiens. Henric. Ancar. Alagona, & alij Canonistæ, apud Barbosam, *in d. cap. Ex parte, n.* 1. Et constat ex praxi Ecclesiæ.

DISPVTATIO VIII.

De personis, quæ ad ieiunij præceptum tenentur.

QVÆSTIO I.

An pueri, aut adolescentes, obligentur præcepto ieiunij, ante vigesimum primum annum expletum?

AFFIRMANT Innoc. *in Rubr. de obseruat. ieiun. n.* 2. & Supplementum, *verb. Ieiun.* asserentes, quòd teneantur, ad ieiunium, cùm ipsi peccare possint, omnes pueri, statim ac sunt mentis

tis sane, doli capaces, & potentes ieiunare. Affirmant etiam Alea. Alensf.4.*par.q.*102. *art.* 3. docens, teneri ad ieiunium pueros ætate decem, & octo annorum, Angelus, *verb. Ieiunium, num.* 13. & 15. ætate decimi sexti; alij, vigesimi anni.

Sed, vt certissimum, Respondeo: Nullo modo obligari pueros ad præceptum ieiunij, saltem ante annum vigesimum primum compl. tum. *Primò.* Quia ita hoc præceptum interpretatur consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres. *Secundò,* Quia vsque ad finem vigesimi primi anni, ex sententia Philosophi, est tempus augmenti: ergo dum est in tali statu, indiget corpus continuo nutrimento: ergo iustum est, quòd Ecclesia non intendat ligare præcepto ieiunij illos, qui dictam ætatem non excesserunt. Sic tenent communiter omnes. S.Thom.2.2.*q.*147.*a.*4. *ad.*2. Caiet.*ibi.* Durand. *in* 4. *dist.*15. *q.*10. Ricard. *art.*2. *q.*5.4. Syluest. *verb. Ieiun. q.*6. vbi citat Palud. Et benè, nam id apertè docet *in* 4. *dist.*15. *q.*4. *§. Quantum ad* 2. Rosella, *eo. v. num.*14. Tabiena,*v.*16. Nauar.*c.*21.*n.*16. Ledesma, 2.*part. sum. tract.*27.*c.*2. *dub.*1. *post* 5. *conclus.* Angles, *in floribus, quæst.*9. *de ieiunio, diff.*3. Sanchez, *lib.*2. *de Matrim. disp.*24. *num.*23. & *in sum. lib.*1. *cap.*12. *num.*6. & *in concilius lib.*5. *dub.*3. *num.*4. Lessius, *lib.*4. *de iust.cap.*2. *dub.*6.*num.*40. Valentia, *tom.*3. *disp.*9. *punct.*5. Molfesius, *tract.*10. *cap.*4. *à num.*13. & 36. Azor, *lib.*7. *c.*17. (aliàs 27.) *quæst.*2. Filliuc. *tract.*27. *part.*2. *capite* 6. *num.*110. Sancius, *in select. disp.*54. *num.*1. Fagundez, *de præcept.*4. *Eccles. lib.*1. *cap.*8. *num.*2. Llamas, 3. *part. Method. cap.*5. *§.*20. Layman, *lib.*4. *Theolog. Moral. tract.*8. *cap.*3. *num.*1. Bonac. *disp. vltim. de præcept. Eccles. quæst.*5. *punct.*6. *num.*1. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*6.*num.*1. Reginald. *lib.*4. *Praxis, cap.*17. *num.*205. Rodriguez *in summ. cap.*24. Villalob. 1.*part. sum. tract.*23. *diff.*42. Ludouic. de S.Ioan. 2.*p. summ. præcept.*3. *art.*4. *num.*6. Toletus, *lib.*6.*cap.*4. *num.*2. Sà, *verb. Ieiun. num.*9. quos ferè omnes, & alios refert, & sequitur Pasqualig. *decis.*24. Sed inter illos malè pro hac parte Alexandrum Alens. vt videre est apud Angles, & Ludou. de S.Ioan. quos hic Pasqualigus citat. Sic etiam D. Didacus Narbona, *anno* 21. *quæst.*2. *à num.*2. & Ioan. Henriq. *in sum. sect.*16. *q.*23.

QVÆSTIO II.

An saltem obligentur adolescentes ad ieiunium, statim post annum vigesimum primum expletum?

NEgat imprimis Marcellus Fortunatus *de veritate, & errore,* 2. *part. num.*158. (vt refert Didacus Narbona, *de ætate, &c. anno* 21. *q.*2. *num.*3.) docens, solùm obligare præceptum ieiunij eos, qui vigesimum secundum annum excesserunt.

Negant etiam Panormitanus, & alij Canonistæ, quos, suppressis nominibus, refert Angelus, *verb. Ieiunium, num.*15. Et, quod magis est id negare videtur expressè, Salas, *de legibus, disput.*14. *sect.*13. *pag. mihi* 359. vbi in margine hæc dicit: *Qui non expleuerunt vigesimum quintum annum, non tenentur ieiunare.* & in corpore sectionis, ita habet: *Sed quoad ieiunia ait Corduba; licet Panormitanus Rub. de obseru. ieiun. & alij Canonistæ aliter sentiant, tamen Victoria,* 2. 2. *q.*147. *art.*4. *cum Theologis* 4. *dist.*15. *melius sentit, secundùm consuetudinem à Prælatis, & ab omnibus approbatam, qui non expleuerunt vigesimum quintum annum, non tenentur sub mortali ieiunare totam Quadragesimam, & Vigilias, sed partem, prout magis, vel minus tali ætati appropinquauerint, iuxta Syluestrum v. ieiunium. quæst.*6. *Angel. & alios eodem verbo; Nauarr. cap.*21. *num.*15. Huc vsque Salas. Sed huc vsque, vel ea inaduertentia ipsius, vel Typographi, omninò malè, cùm id non doceat Corduba, quem ipse citat, & sequitur, sed omninò oppositum, vt clarè constat ex verbis illius: Ait enim Corduba *in sum. q.*60. (num.40. vt refert Salas) *fol. mihi* 163. *pag.*2. sic: [Quanto al ayunar dize Victoria in 2.2. *q.*147. *art.*4. aunque Panormitano *in tit. de obseruat. ieiunij,* y otros Canonistas digan otra cosa: Empero los Theologos *in* 4. *dist.*15. segun la costumbre aprouada por los Prelados de la Iglesia, y por todos, dizen que los que no llegan a veinte y vn años cōplidos de edad, no son obligados so pena de pecado mortal a ayunar toda la Quaresma: aunque bien son obligados à ayunar algunos dias della, y las Vigilias de ayuno, mas o menos, segun que mas, ó menos llegan a la dicha edad, conforme a la costumbre de la tierra: Syluest. *v. ieiunium q.*6. & sum. Angel. *ee. cit.* & Nauarr. *in sum. cap.*21. *num.*15.] Sic Corduba. Non ergo illum bene retulit, aut ex vulgari sermone, in latinum transtulit Salas. Vnde,

Tanquam certissimum Respondeo: Obligari Adolescentes omnes, tam viros, quàm fœminas, statim ac expleuerint annum vigesimum primum. Quia, vt diximus, hæc est praxis Ecclesiæ, hæc sententia est omnium ferè Doctorum, præcipuè illorum, quos quæstione antecedenti, citauimus. Quibus addendi sunt Corduba *loc. cit.* & iam omnes Recentiores, tam Theologi, quàm Canonistæ. Legatur perdoctus D. Didacus Narbona *anno* 21. *quæst.*2. *à num.*11. vbi hanc nostram sententiam habere verum, tam loquendo de viris, quàm de mulieribus, optimè probat; concludens sic, *num.*13. Communis omnium traditio existit, fœminas, licèt citiùs pubescant, & crescant, eodem tamen tempore ac viros, id est, vigesimo primo anno incipere ieiunio obligari, siue hoc illis cuiusdam fauoris intuitu condonetur, vt Ioanni Alphonso placuit, siue quod verius arbitror, longa, & immemorabili fuerit consuetudine introductum, non aliter ac etiam consuetudine fuisse receptum Ioan. Sancius testatur *d. disput.*44. *num.*8. Sexagenarios ieiunij legibus non teneri. Sic ille. Et antea Sanchez *lib.*7. *de matrim. disput.*32. *num.*17.

QVÆSTIO III.

An adolescentes, qui ante vigesimum primum annum sunt valde robusti, teneantur ad præceptum ieiunij?

AFfirmant Durandus *in* 4. *dist.*15. *q.*10. *num.*4. *in fine.* vbi sic ait: Tempus autem augmenti est vsque ad tertium septennium inclusiuè, vt in pluribus, & ideò ante hoc tempus non astantur ad omnia ieiunia Ecclesiæ obseruanda, nisi illi in quibus virtus naturæ peruenit ad robur corporis, quia res naturales non eodem modo se habent in omnibus. Ita Durandus, & post illum Ioann. de Pineda *in* 2. *par. Agricultura Christiana, dialogo* 29. *§.*20. *vers. Tan poco me parece.*

Sed certissimè respondeo: non teneri. Quia Ecclesia suis legibus, solùm attendit ad id, quod regulariter, & communiter contingit; non quod in vno, aut in altero; adolescentes autem, vsque ad dictam ætatem, regulariter ieiunare non possunt, nisi cum notabili damno. Sic Praxis omnium, & sic communiter Doctores. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*2. *n.*4. Pasqualigus *decis.*249. Valentia *loc. citato, versu Impotentia,* & penes illum, Ioan. de Medina.

QVÆSTIO IV.

An adolescentes ante vigesimum primum annum, teneantur ieiunare, saltem aliquibus diebus in Quadragesimu, & in cæteru Vigiliis per annum?

AFfirmant (penes Pasqualigum) Angel. *verb. Ieiunium.* Syluest. *eo verb. qu.*6. Corduba *in summ. quæst.*6. Rodriguez 1.*part. sum. cap.*23. *num.*1. Maior *in* 4.*dist.*15. *quæst.*3. Durand. *q.*10. *num.*4. Palud. *disp.*4. *art.*2. *conclus.*1. (Sed hic non bene, vt infrà) & Abulens. *quæst.*139. *in cap.*6. Matth. Citant etiam pro hac parte Corduba, & Rodriguez, Nauarrum *in Man. cap.*21. Sed malè. Quia Nauarius solùm docet, quòd expediat eis ieiunio assuescere; non verò quòd ad illud teneantur. Tenent tamen Ludouicus Granatens. En guia de pecadores *lib.*2. *cap.*11. §.2. Ioann. de Pineda *Dialogo* 29. *cit.* Angles *quæst.*9. *de de ieiun. diff.*3. *conclus.*2. *Append.* Et anteà indicauit D. Thom. *in* 4. *distinct.*15. *art.*2. *q.*3. *in corpore*, dum docuit; non arctari pueros vsque ad finem tertij septennij ad omnia ieiunia Ecclesiæ seruanda, sed debere eis commensurari ieiunia, secundum quod magis appropinquant ad prædictum terminum.

Sed, longè multò probabilius, & verius, Respondeo: Adhuc Non teneri. Quia Ecclesia vniuersaliter, & sine exceptione aliqua, eximit à præcepto ieiunij pueros vsque ad vigesimum primum annum expletum. Sic D. Thom. 2.2. *q.*147. *art.*4. Nauarr. *loc. cit. num.*16. Paludanus eodem loco, quo pro contraria sententia citatur à Pasqualigo; Absolutè namque ait sic: Vnde pueri excusantur vsque ad vigesimum primum annum: etiamsi ante peccauerint mortaliter. Non enim tenentur satisfacere cum destructione naturæ. Ita Paludan. Medina *in summ. cap.*14. §.10. Azor *lib.*7. *cap.*17. (aliàs 27.) *q.*2. *col.*758. Sanchez *in consilijs lib.*5. *cap.*1. *dub.*2. *num.*4. Sancius *in select. disp.*54. *num.*7. Fagundez *lib.*1. *cit. cap.*8. *num.*4. Pasqualigus *decis.*250. & D. Didacus Narbona, *anno* 21. *quæst.*2. *num.*4. Machado *lib.*2. *part.*4. *tractat.*3. *documment.*9. *num.*3. & communis apud Doctores citatos, *q.* 1.

QVÆSTIO V.

An saltem, possint adolescentes ex aliqua speciali causa, obligari ad ieiunandum, ante annum vigesimum primum?

REspondeo: Posse obligari ad ieiunandum per aliquos dies, vrgente aliqua necessitate. Et ideò ad ieiunandum tenentur. *Primò.* Quando à Pontifice, vel ab alijs Ecclesiæ Prælatis in maximis calamitatibus ieiunia indicuntur. Vt colligitur ex cap.3. *Ionæ.* & docent D. Thom. Nauar. Azot, Fagundez, Sanchaz, & Pasqualig. *loc. cit.* & communis. *Secundò.* Quando ad ieiunandum aliquibus diebus votum emittunt, &c. Sic Pasqualigus, & Ludouic. de S. Ioann. *art.*7. *cit. diff.*3. vbi sic ait: [El que ha cumplido catorze años, y de su voluntad promete ayunar, aun que no llegue a los veinte y vn años, està obligado à guardar el ayuno: porque el que haze tal voto de su propria voluntad, y gana; cede de su derecho, y lo deue cumplir, no siendo le notable perjuizio, como lo tienen ambas Escuelas.] Ita etiam D. Didacus Narbona *anno* 21. *quæstion.* 2. *num.*10. & alij.

QVÆSTIO VI.

An adolescentes ante annum vigesimum primum teneantur ad ieiunia votiua Communitatis, vel Synodi?

REspondeo: Non teneri. Quia si ab vniuersali Ecclesiæ præcepto, quod debet esse regula omnium, excusantur adolescentes prædicti, à fortiori à præcepto particulari, & inferiori, eximentur. Sic Angles *loc. cit. concl.*1. *Append.*1. Sanchez *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.*2. *n.*7. Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*2. *dub.*6. *n.*1. Lezana *verb. Ieiunium, n.*6. Pasqual. *decis.*248. Ludou. de S. Ioan. *in sum. q. de ieiun. diff.*2. *in Appendice.*

QVÆSTIO VII.

An Religiosi professi teneantur ad ieiunia Ecclesiæ, ante expletum vigesimum primum annum?

AFfirmatiuam sententiam tenere Syluestrum, & alios, quos ipse citat, *in summ. verb. Ieiunium, num.*3. ait Narbona *loc. cit. num.*8. Sed certè, non benè. Nam Syluester *num.*3. non agit de hac re; sed *num.*18. *q.* 6. ibi tamen, non docet teneri dictos Religiosos professos ad ieiunia Ecclesiastica; sed ad ieiunia Regulæ. Ait enim sic: Professi tamen Regulam in qua præceptum est aliquibus diebus ieiunare, ad hoc obligantur ante dictam ætatem. Sic ille. Vnde,

Tanquam certum Respondeo: Non teneri. Quia eadem est in hac re, Religiosorum, ac sæcularium ratio: Sed hos non obligat præceptum ieiunij vsque ad vigesimum primum annum: ergo neque illos. Sic Gabriel *in* 4. *dist.*16. *q.*5. *art.*1. Rosella *verb. Ieiunium num.*14. Quos citat; & sequitur Azor *cap.*17. *cit. q.*2. Tabiena *verb. Ieiunium, n.*16. Sancius *in select. disp.*54. *num.*2. Fagundez *de præcept.*4. *Eccles. lib.*1. *cap.*8. *n.*6. Portel *in dub. Regul. verb. Ieiunium, num.*2. Rodriguez *tom.*2. *q. Regular. q.*100. *art.*6. Diana 1. *part. tract.*9. *Resol.*16. Pasqualigus *decis.*253. *loc. cit.* Narbona, *loc. cit.* & communis.

QVÆSTIO VIII.

An dicti Professi, teneantur ante annum vigesimum primum ad ieiunia Ecclesiæ, saltem casu, quo Regula præcipiat in communi ea seruari, sicut nostra, nec non, & S. Francisci, Regula, præcipit?

AFfirmant absolutè Lezana *verb. Ætas n.*8. Ludou. de S. Iuan. *quæst. de ieiunio. art.*7. *diffic.*3. *dub.*2. & late Leander de Murcia *super cap.*3. *Regulæ Franciscanæ cap.*2. §.1. *num.*2. Corduba, Miranda, & alij, penes ipsum.

Negant verò Speculum. *fol.*13. & alij, penes eumdem Leandrum.

Distinguit verò, Pasqualigus *loc. cit. num.*3. dicens, quòd teneantur ad ieiunia Ecclesiastica, casu, quo regula expressè ponat aliquod præceptum, quod inducat aliquam obligationem grauem, & specialem, quàm ponit Ecclesia; secus verò, si regula simplici cõstitutione præcipiat seruari ieiunia Ecclesiæ.

Sed clariùs Respondeo: Teneri quidem dictos Professos, in illo casu, ad ieiunia Ecclesiæ; sub peccato graui, si graui, & speciali præcepto id eis præscribat Regula; sub leui verò, si simplici constitutione. Ratio est. Quia, vt statim dicemus, omnes Religiosi professi tenentur ad ieiunia suæ Regulæ: at sic est, quòd in

præsenti

præsenti casu, inter ieiunia Regulæ, computari debent ieiunia Ecclesiastica: ergo ad illa Religiosi, modo dicto, & non alio, tenentur.

QVÆSTIO IX.

An Religiosi professi, minores tamen vigesimo primo anno, teneantur seruare ieiunia, quæ ipsorum Regula præcipit?

NEgant absolutè Graffiis 1. *part. decis. aurear. lib.2.cap.37.numer.*42. Medina *lib.*1. *summ.cap.* 14. §.10. *in* 1.*edit.* nam in 2. vt ait Ludouic. de S. Ioann. oppositum tenuit & Tamburinus *tom.*2. *de iure Abbatum, disput.*12. *quæst.*4. *num.*4. *in vltim. edit.* Quos citat, & sequi videtur Pasqualig. *decis.* 254. Quarehus docet; Non teneri dictos Professos ad ieiunia suæ Regulæ, nisi hæc specialiter ostendat, se habere intentionem obligandi etiam adolescentes.

Sed absolutè, probabiliùs longè, imò, vt mihi certum, Respondeo: Omnes Professos cuiuscumque sint ætatis, teneri ad ieiunia suæ Regulæ. Ratio est. Quia Regula obligat ad hæc ieiunia: ergo ad illa tenentur omnes, qui dictam Regulam sunt professi, & ad illius obseruationem per professionem sunt astricti: ergo, & adolescentes professi, etiamsi sint minores vigesimo primo anno. Sic Syluest. *verb. Ieiunium, quæst.*6. Rosella *num.*14. Tabiena *quæst.*16. *num.*17. Sà *num.*3. & Lezana *num.*6. Gabriel *in* 4.*distinct.*16. *q.*3. *art.*1. Ledesma 2.*part.*4. *q.*27. *art.*3. Angles *q.*9. *de ieiunio. diff.*5. *conclus. vnica.* Corduba *in expositio. Regul. Franciscanæ, cap.*3. *quæst.*2. Azor 1. *part. lib.*7. *cap.*17. *q.*5. Sanchez *in summ. lib.*4. *cap.*11. *num.*56. Rodriguez 1. *part. summ.cap.*24. *num.*1. & *tom.*1. *qu. Regul. quæst.*100. *art.*4. Petrus Ledesma (dicens, contrarium improbabile) 2. *tom. summ. tractat.*27. *cap.*2. *post.*5. *conclus. dub.*2. Vega *lib.*1. *summ.cap.*14. *casu* 6. Filliuc. *tom.*2. *tract.*27. *part.*2. *cap.*6. *num.*111. Fagundez *præcept.*4. *Eccles. lib.*1. *cap.*8. *num.*6. Llamas 3.*p. Method. cap.*3. §.20. Cantarel. *lib.*1. *in Decalog. c.*48. *num.*234. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*2. *num.*1. Sancius *in selectis disput.*54. *num.*3. Syluius 2.2. *q.*147. *art.*4. Reginald. *lib.*4. *cap.*17. *num.*207. Villalob. *tract.*23. *dist.*4. *num.*5. Diana 1.*part.tract.*9. *Resol.*16. Homobonus, Lezana, Ortiz, Bordonus, & alij, penes Pasqualigum *loc. cit. num.*2. Bonacina *loc. cit. punct. vlt. n.*6. Nald. Lessius, Layman, & alij, apud ipsum. Ludouic. de S. Ioanne, & Leander, Narbona, *locis cit.* & communis.

QVÆSTIO X.

An Prælati possint dispensare, in ieiuniis Regulæ, adolescentes professos?

REspondeo: Posse; Imò ex æquitate quandóque debere, dispensare, vt sic conseruatis viribus, melius seruiant Religioni. Ratio est. Quia hæc potestas conuenit eis tanquam ordinarius Regularium; ergo possunt dispensare in lege ieiunij, quam præscribit regula, aut constitutiones, (licet sit lex Superioris) concurrente rationabili causa; quia lex cum tali conditione censetur disposita. Et hoc esse verum loquendo de ieiuniis, quæ nostra regula præscribit; nemini potest esse dubium; cum expressè hanc potestatem tribuat Prælatis localibus, illis verbis: *Potest tamen quandoque Minister ieiunium relaxare propter ætatem, vel viam, vel aliam iustam causam, &c.* Sic Ledesma 2.4.*q.*17. *art.*3. *ver. Præterea.* Pasqualigus *decis.*254. *num.*6. & omnes.

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

QVÆSTIO XI.

An, qui complet annum vigesimum primum, post inceptam Quadragesimam; teneatur, sequentibus diebus, ieiunare?

NEgant aliqui, quos suppresso nomine, refert Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*2. *num.*8. Quia existimant, quòd præceptum ieiunij est impositum pro tota Quadragesima: ergo qui pro aliqua illius parte eximitur à ieiunio, eximitur etiam pro tota; quia, qui non potest seruare totum præceptum, non tenetur ad partem.

Sed vt certissimum Respondeo: Teneri. Quia præceptum ieiunij impositum pro tota Quadragesima, non est vnum indiuisibile; sed integrale, constans ex pluribus præceptis affixis singulis diebus: ergo per partes potest obseruari: ergo ad id tenetur, etiam ille, qui non tenetur ad totum. Sic, penes Pasqualigum, Caietan. *verb. Ieiunium, cap.*4. *in fine.* Sed certè Caiet. ibi, non loquitur de illo, qui post inceptam Quadragesimam, ætatem complet; sed absolutè de illo, qui ad ieiunium seruandum tenetur. Filliuc. *tom.*2. *tr.*27. *par.*2. *cap.*6. *num.*111. Ludouicus à Cruce *in Bull. Cruc. disp.*1. *cap.*5. *dub.*19. *num.*3. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*2 *dub.*6. *num.*1. *illatione* 3. Lezana *verb. Ieiunium, num.*6. Pasqualig. *decis.*251. Sanchez *loc. cit.* vbi ait; hanc nostram sententiam esse certissimam, etiam in casu, quo vnus tantum supersit Quadragesimæ dies. Legatur idem *lib.*1. *summ. cap.* 19. *num.*7. 8. & 9.

QVÆSTIO XII.

An qui complet vigesimum primum annum, postquam iam incepit dies ieiunij, teneatur illo die ieiunare, si nondum fregit ieiunium?

AFfirmant (penes Pasqualigum) Sanchez *lib.*2. *de Matrim. disp.*24. *num.*23. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*6. *illatio.*5. Lezana *verbo ætas, num.*8. Portel *in dubiis Regul. verb. Ieiunium, in Addit. num.*1. Ghislinus, *verb. Ieiunium, num* 24. *lit. A.* quamuis *lit. B.* teneat oppositum. Sed ex his oppositum docet Trullench. *vt infra.* Tenet etiam Bonacin. *loco infra citando.* Ratio eorum est. Quia tunc, iam ille, ieiunij præcepto obligatur; & aliàs, illud seruare potest: ergo tenetur.

Sed probabiliùs, Respondeo: Non teneri. Quia præceptum ieiunij respicit totum integrum diem, vt indiuiduum obiectum; non autem partem: ergo; qui, per aliquam diei partem, exemptus fuit à ieiunio, totaliter liberatur pro illa die ab onere ieiunij. Sic Sancius *in select. disp.*54. *num.*4. Trullench. *loc. cit.* pro parte contraria, quos nos citauimus, & secuti sumus 2. *part. tract.*6. *disp.*13. *q.*10. Quibus addendi sunt Pasqualigus *decis.*252. *num.*2. Qui pro hac parte citat Bonacinam *disput. vltima de præcept. Eccles. punct. vltimo, num.*7. Dianam 1. *part. tract.* 9. *de ieiun. Resol.*49. Filliucium *tract.*27. *part.*2. *cap.*6. *num.*111. & Naldum *ver. ætas, num.*3. Sed ex his, quos hic Author, citat, Authoribus, oppositum omninò docet Bonac. *loc. cit.* per hæc verba: Transactâ verò illâ horâ, tenetur ieiunare, modò ieiunare possit, nec antea susceperit plures refectiones, &c. Sic ille. Qui & citat Sanchez pro se, *in loc. supra* pro prima sententia adducto Addi tamen potest pro illo. Didacus Narbona *ann* 21. *q.*2. *num.*14.

QVÆSTIO XIII.

An qui dubitat, compleueritne annum vigesimum primum, teneatur ad ieiunium?

RESpondeo: Non teneri; dum facta sufficienti diligentia, dubius adhuc est, an dictam ætatem compleuerit. Quia in dubio melior est conditio possidentis: an in hoc casu, possessio est pro libertate, non pro præcepto ieiunij, cùm de eo dubitetur, an detur, vel non. ergo. Sic Sanchez *lib.2. de Matrim. disp.41. numer.38.* Sancius *in selectis disp.54. numer.5.* Fagundez *de 4 precep. Eccles. lib.1. cap.8. num.7.* Laymàn *lib.1. tract.1. cap.5. §.4. numer.33.* Castro Palao *1. par. disp.3. punct.8. num.7.* Trullench *lib.3. in D. calog. cap.2. dub.6. numer.1.* Diana *1. part. tract.9. Resol. 21.* & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus *decis.255.* Narbona *loc. cit. numer.15.* Ioan. Henriquez *in sum. sect.16. quæst.25.* & alij.

QVÆSTIO XIV.

An qui omninò est incertus, quem annum ætatis agat, teneatur ieiunare?

REspondeo: non teneri, casu, quo facta diligentia possibili, adhuc remaneat incertus de sua ætate. Quia etiam in hoc casu possidet libertas. Sic Pasqualigus *loc. cit. num.5.* vbi quæstioni præpositæ per hæc verba respondet: Resp. seruandum esse, quod moraliter possibile est. Vnde quadam morali æstimatione determinanda est ætas, habitâ ratione eorum omnium, ex quibus colligi potest & si ipsi hoc præstare non possint debent se committere iudicio prudentis viri, aut confessarij, si sit prudens; & tunc tenebitur ieiunare, quando iuxta moralem æstimationem, statuatur esse completum annum vigesimum primum: antequam autem hoc statuatur, non tenebitur; nam nondum erit subiectum aptum ad suscipiendam obligationem. Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An senilis ætas liberet à lege ieiunij.

REspondeo: Liberare. *Primò.* Quia senectus ipsa infirmitas quædam censetur, vt habetur in cap. *Magnæ de voto*, at infirmitas liberat infirmum à ieiunio: ergo, & senectus, senes. *Secundò.* Quia in senibus calor naturalis est nimis debilis, & ideo, si totus cibus, quem natura eorum requirit pro die naturali, ab eis vna vice sumeretur, nimium obtunderetur, & grauaretur in eis naturalis calor, & non posset cibum conuenienter digerere: oportet ergo, vt pluribus vicibus cibum sumant. Sic omnes Doctores.

QVÆSTIO XVI.

An detur determinata ætas senilis, qua quis à ieiunio Ecclesiastico liberetur?

NEgant aliqui Doctores, eo nixi fundamento; Quia videlicet, non datur certus terminus ætatis, in quo senes sint debiles; cùm sæpiùs videamus dari senes sexagenarios, robustiores, quàm multi quadragenarij: ergo nec determinata debet dari senilis ætas, qua quis à ieiunio liberetur. Habenda ergo solùm est ratio roboris corporis, & complexionis, & iuxta illam, iudicio prudentis viri, huius rei determinatio remittenda. Sic Fagundez *de precept. 4. Eccles. lib.1. c.8. num.9.* citatus pro se D. Antoninum *2. part. tit.6. c.2. §.7. vers. 7. senes* Medinam *C. de ieiunio quæst. De iis, qui ad ieiunia tenentur col.2. vers. Deinde senibus.* Ledesmam *2.4. quæst.17. art.3. col.3. §. Præterea de Pueris.* Palatium *in 4. dist.15. disput.8. col.20. vers. Porrò quia est.* Rodriguez *in expos. Bullæ Cruc. §. 6. dubit.2.* & Vegam *tom.1. sum. c.14. dub.15.* His addit Pasqualigus *citandus*, Paludanum *in 4. dist.15. disp.8. concl.4.* Graphium *1. part. lib.2. cap.17. num.43.* Summam Coronam *1. part. cap.1. num.80.* & Syluium *2.2. q.147. art.4. vers. de senibus.* Sed ex his Doctoribus, Graphius id non docet, vt infrà. Tandem his omnibus addo ego Azorium *lib.7. cap.17. (aliàs 27.) q.4.* vbi sic ait: Dum senes firmo, ac valido corpore sunt, ieiunium seruare debent: Vnde ea ætas (*senilis, videlicet*) iustam excusationem non præbet; nisi adsit etiam aliqua senilis ætatis infirmitas. Ita ille. Nauarrum *in Man. c.21. num.16.* Angelum *v. ieiunium, n.15.* & Sanchez *lib.5. consil. dub.4. n. 2.* & alios infra citandos.

Sed probabiliùs Respondeo: Dari determinatam ætatem senilem, qua senes à ieiunio omninò eximantur. Quia sicut datur ætas iuuenilis, quæ eximit Adolescentes ab Ecclesiæ ieiunio, ita debet dari ætas senilis, quæ etiam liberet senes ab eodem ieiunio; quia eorumdem eadem est ratio; nempe defectio naturæ, necessitas alimenti, &c. Sic omnes Authores, infrà, pro nostra sententia, citandi.

QVÆSTIO XVII.

An ætas sexagenaria liberet omninò senes, etiam fortes, & robustos, à ieiunij lege?

NEgant, imprimis, qui docent, ætatem septuagenariam esse terminum, quos senes, dummodo non sint robusti, liberantur à lege ieiunij. Ita (penes Fagundez, *loc. cit.*) Gabriel *in 4. dist.13. quæst.3. art.1. notab.4.* Rosella *ver. ieiunium. num.15.* Syluester *eo ver. q.6. dicto 2.* Tabiena *quæst.17. num.18.* Toledo *lib.6. sum. c.4. num.12.* & Ludou. Lopez *2. part. instruct. tract. de pænit.* vbi *de ieiunio. cap.111.* paulò post principium.

Sed ex his Doctoribus, in primis Gabriel id non docet profectò (saltem ex propria sententia) Nam, *dist.16.* (non 13.) *quæst.3. art.1. notab.4.* Sic dicit: De senibus non est certa annorum quantitas: Sed communiter tenent Doctores quòd post LXX. ætatis annum non tenentur. *Et paulò inferiùs.* Verum quia, vt dicit Thom. res naturales non currunt semper eodem modo: Sed aliqui citiùs perueniunt ad finem augmenti, alij tardiùs: suo modo senes, alij citiùs incipiunt deficere; alij seriùs; ideò non præcisè sunt illi anni ad punctum attendendi, sed vel citiùs, vel tardiùs obligantur ad iudicium boni viri. Ita ille. Syluest. Item hanc sententiam non docet, ex se saltem, sed potiùs illam, quam retulimus in primo loco, quæstione antecedenti; ait enim sic, *loc. cit. Secundùm.* In senibus nullum tempus ab aliquo determinatum est, in quo ab obligatione ieiunij absoluantur: Vnde excusari possunt, eo modo, quo infirmi, & debiles, de quibus est eadem ratio, secundùm Innocent. & Asten. ratione verò senectutis tantùm, non excusantur, si sunt ad ieiunium fortes. Sic Syluester, Male ergo illum citat Fagundez (nec non, & Pasqualigus) pro hac parte. (Verum est tamen, pro illa citari à Syluestro Ricard. *in 4.*) Rursus, nec Toletus id docet. Vnde malè illum citat Fagundez; & Diana etiam, vbi infrà; ait enim Toletus *num.3.* (non 12.) sic: similiter senes post sexagesimum annum secundùm communem sententiam excusantur: licèt in hoc non sit regula certa: aliqui enim senilem contrahunt debilitatem ante sexagesimum, aliqui robusti sunt, etiam post sexagesimum, vt plurimùm

plurimùm tamen sexagesimus annus excusat. Ita Toletus.

Negant deinde alij docentes, quòd licèt ætas sexagenaria excuset senes, vt plurimùm, à lege ieiunij; hoc tamen, non ita sit absolutè & generaliter verum, quòd omnes excuset; sed solùm senes debiles; non verò, eos qui sunt fortes, & robusti. Ita (penes Pasqualigum) Nauarr. *cap. 21. num. 16. cit.* Viguer. *c. 7. instit. Theol. §. 3. vers. 1.* Medina *in summa, lib. 1. c. 14. §. 10.* Pedraza *præcept. 3. §. 13.* Philiarc. *tom. 1. de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. c. 25. §. causæ ob quas.* Rodriguez *in summ. 1. part. cap. 24. num. 2.* Armilla, *ver. ieiunium, num. 3.* Valentia *2. 2. disp. 9. q. 2. punct. 5. vers. impotentia ad ieiunium.* Tannerus *disp. 3. q. 3. dub. 5. num. 191.* Vgolinus *de potest. Episcopi cap. 9. num. 6.* Campanil. *in Diuers. iuris Can. Rubr. 7. cap. 5. num. 151.* Layman *lib. 4. tr. 8. c. 3. n. 1. & 2.* Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 112.* Reginald. *lib. 4. c. 17. sect. 1. n. 209.* Azor, *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 4.* Tolet. *lib. 6. c. 4. n. 1.* Vbi etiam Victorell. *in addit.* Villalob. *tom. 1. tract. 23. diff. 4. n. 6.* Bonac. *disp. vlt. de præc. Eccles. q. 1. punct. vlt. n. 4.* Ledesma *tom. 2. summ. tract. 27. c. 2. dub. 3. post 5. concl.* Ioann. à Cruce *p. 1. Directorij præc. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2.* Fernandez *p. 2. summ. c. 8. §. 2. n. 20.* Hieron. Rodriguez *in comp. q. Regular. Resol. 75. n. 10.* Bassæus *in floribus Theol. Moral. verb. Ieiunium, 2. n. 6.* & Bizozer *p. 4. summ. prac. 3. cap. vltimo, mem. vlt. num. 2.* His addi possunt Sanchez *in cons. sil. loc. cit. dub. 4. n. 6.* & Fagundez *de 4. præc. Ecclesiæ, lib. 1. cap. 8. n. 9.*

Sed ex his Doctoribus, imprimis Nauarr. non est pro hac sententia; sed pro illa, quam primo loco citauimus *q. antecedenti*: ait enim sic: Hæc eadem, etiam eximunt senes sexagenarios, secundùm communem, licèt Thom. nihil de hoc dicat, & meritò; quia vt ibi ait (Caiet.) alij alijs citiùs fiunt ad id impotentes, & ideò arbitrio prudentis, aut superioris id relinquendum est. Sic ille. Rursus, Armilla non est pro hac parte; sed pro nostra, vt statim dicam. Bonacina autem docet, septuagenarios excusari absolutè à lege ieiunij; sexagenarios verò, minimè, si sunt robusti: Vnde hic Author, cum Gabriele, & alijs Doctoribus, relatis pro primo dicendi modo, omnino sentit.

Sed probabiliùs, Respondeo: Dicendum; quòd ætas sexagenaria omnino, & absolutè, liberet omnes senes, etiam fortes, & robustos, à lege, ieiunij. Quia ætas sexagenaria est ætas ex se senilis: at sic est, quòd ætas senilis excusat, in omnium opinione, à lege ieiunij: ergo ætas sexagenaria omnes senes, (etiam fortes) à ieiunio liberat. Maior probatur. *Tum* quia, (vt aiunt, Caiet. & Valentia citati.) Dies annorum nostrorum septuaginta sunt anni, vt inquit Dauid *Psal. 89.* ergo is, qui iam est sexagenarius, propè interitum est, ac proinde verè senex: sexagenaria ætas ergo, senilis ex se ætas est. *Tum etiam*, quia in dicta ætate, natura hominis, quantumuis robusti, incipit languescere, eo quòd calor naturalis incipiat debilitari, & spiritus minui; vt experientiâ constat; & docet Galen. *lib. 5. de sanitate tuenda* ergo. Sic Sà *verb. Ieiunium, num. 9.* per hæc verba: *Excusat à ieiunio ætas minor anno vigesimo primo vel maior sexagesimo.* Hæc sunt verba Sà; non ea, quæ refert Fagundez. Licèt eadem in sententia. Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 32. num. 17. & lib. 5. consil. loc. citat. n. 7.* & penes illum, nonnulli Docti recentiores. Angles, *in floribus quæst. 9. de ieiunio, diffic. 6. concl. 2. vlt. pag. mihi 40.* Llamas, *3. part. Metho. cap. 5. §. 20.* Vbi ait, Pium V. anno 1570. de hoc interrogatum, ita viua voce respondisse: Et certè satis iustè, addit Llamas: nam cùm infirmitas à ieiunio liberet, & senectus infirmitas magna sit, imo infirmitatum congeries, & incurabilis morbus, vt optimè Caiet. *in summ. verb. Ieiun.* Satis cõmodè annus sexagesimus taxatur, qui medius, hisce præcipuè temporibus debilissimis, quibus vix ad talem ætatem peruenitur, ne dicam robustè ad ieiunandum viuitur, &c. Sic ipse. Et benè. Armilla *loc. cit. num. 3.* Sic dicens: Ex impotentia, excusa pueros vsque ad 21. annum completum, senes, vt sexagenarios, & alios, qui non possunt. Molfesius, *tom. 1. sum. tract. 10. cap. 4. num. 57.* Granados, *1. 2. controu. 7. tract. 3. part. 1. disput. 6. sect. 5. num. 35.* Sancius, *in select. disp. 54. n. 8.* Ludou. de S. Ioan. *1. part. summ. tract. de ieiunio, art. 6.* Trullench *lib. 3. in Decalogum, cap. 2. dub. 7. n. 3. & in exposit. Bullæ, §. 4.* Portel, *in dub. Regul. verb. Ieiunium. num. 5.* Diana, *1. part. tract. 9. resol. 20. & tract. 14. resol. 83. & p. 5. tr. 14. resol. 33.* Quintanadueñas, *de Iubil. cap. 8. n. 6.* Clasfinus, Naldus, Ortiz, Perea, quos etiam citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 256.* Qui *decis. 258.* benè addit, quod, vt quis liberetur à ieiunio sufficiat annus sexagesimus inceptus, quod ante dixere Sanchez, *lib. 5. consil. dub. 4. n. 6.* Sancius, *in select. disp. 54. n. 10.* & Trullench, *lib. 3. cit. dub. 4. n. 3.* Tenent etiam nostram sententiam Leander de Murcia, *in explicat. Regulæ Franciscanæ, c. 2. sup. 3. Regula, §. 2. n. 19.* Machado, *lib. 2. p. 4. tr. 3. docum. 9. n. 4.* D. Didacus Narbona. *anno 60. q. 2. n. 2. & 5.* & alij penes ipsum. Ioann. Henriquez *in summ. sect. 16. q. 23.* Ita dicens: [Pero mas verdadero es, que en llegado a los sesenta años de edad, aunque tenga el hombre fuerças, y tenga gran salud, que de ninguna manera està obligado al ayuno.] Sic ille.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam, ætas minor anno sexagesimo, excuset aliquos viros à lege ieiunij?

AFfirmarunt quidam, quos, tacito nomine, refert Angelus, *verb. Ieiunium, n. 15.* docentes, statim post annum quinquagesimum quintum expletum, legibus ieiuniorum senes solutos esse. Hanc sententiam referunt, nec improbant Azor, *q. 4. cit.* & Victorellus, *in Notis, c. 4. lib. 6. Toleti.*

Sed oppositum omninò, loquendo tantùm de viris, Respõdeo, & dico ergo, quòd, vniuersaliter, & per se loquendo, nulla ætas, anno sexagesimo minor, excuset viros à ieiunij legibus. Quia nulla ætas minor sexagenaria, ex se, & per se, reddit hominem senem: vt docent Authores omnes, quos suprà citauimus. Notanter autem dixi, *Vniuersaliter, & per se loquendo.* Quia non potest negari, posse aliquos liberari à legibus ieiuniorum, ante sexagesimum, imò, & quinquagesimum annum; eo quod in aliquibus aliquot annis ante, pluribus, vel paucioribus, incipiat senectus, vnde tunc incipiunt liberari à lege ieiuniorum; Vt autem cognoscatur quando incipiat senectus, attendendum est, quando vires, & robur naturale incipiat decrescere, quod facilè colligi potest ex eo, quod natura, & complexio, non potest amplius resistere iis, quibus resistebat, nec ea præstare, quæ antea præstabat; tunc enim incipit senectus liberans à ieiunio. Legantur Lessius, *lib. 4. cap. 2. dubit. 6. numero 112.* Pasqualigus, *decis. 159. n. 8.* Narbona, *q. 2. cit. à n. 6.*

QVÆSTIO XIX.

An saltem fœminæ, citiùs eximantur à lege ieiunij, quàm viri?

NEgant Layman, *lib. 4. Theol. Moralis tractat. 8. cap. 1. num. 2.* dicens, oppositum esse improbabile. Sancius, *in selectis disp. 54. num. 11.* Fagundez,

cap.8. cit. n. 11. & Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 32. num. 17.* Quamuis addit quòd sit probabile speculatiuè, non practicè loquendo, quòd fœminæ quinquagenariæ à lege ieiuniorum eximantur Pasqualig. *decis. 257.* & alij.

Sed certè, probabiliter satis, non solùm speculatiuè, sed & practicè loquendo, Respondeo: Quòd citiùs eximantur fœminæ à lege ieiunij quàm viri, & ita, dicendum nobis est, quod per se, & vniuersaliter loquendo, fœminæ quinquagenariæ, omnino liberæ, maneant ab onere ieiuniorum. Ratio prima est. Quia fœminæ, ex natura sua, sunt debilioris complexionis, quàm viri: ergo citius incipit in eis senectus & declinatio virtutis naturalis: ergo si citiùs ponitur in eis causa, quæ eximit viros à lege ieiunij; citiùs quoque debet poni in eis effectus liberationis. Quòd autem fœminæ citiùs senescant clarè docuit, cum communi Quintilianus, *declamat*, 306. paulò ante finem, ibi: *Inter pares quoque annos citius fœmina senescat.*

Quòd verò, fœminæ quinquagenariæ ab hac ætate senescant, & consequenter ab illa eximantur à lege ieiunij, constat, *Primò*. Quia vt bene probat Acacius Anton. Ripol. *variar. resol. Iuris cap. 8. num. 272.* & Narbona, *vbi infrà*, mulier quinquagenaria æquè senea dicitur, ac vir sexagenarius; sed vir sexagenarius, excusatur à ieiunio; ergo, & fœmina quinquagenaria. *Secundò*, Quia fœminæ decennio citiùs quàm viri perfectè senescunt: at viri sexagenarij perfectè reputantur senes: ergo tales debent reputari fœminæ quinquagenariæ. Maior latè, & doctè probat Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 32. num. 17.* *Tertiò*. Quia fœminæ, vt communis fatetur sententia, post quinquagesimum annum nullo modo possunt generare, ob defectum virtutis naturalis, vt latè Narbona, *anno 45. q. vnica*, ergo in hac ætate iam verè reputandæ sunt senes, & consequenter liberæ à ieiunio Ecclesiæ. Sic Sanchez docet absolutè, *lib. 5. concil. cap. 1. dub. 4. num. 6.* Ita dicens: *Et ideò fœminæ quinquagenariæ deobligantur à ieiunio.* Doctus Didacus Narbona, *anno 50. q. 2. num. 16. & anno 60. num. 15.* Vbi hanc opinionem esse securam docet. Eamque esse satis probabilem apertè docet, & probat Pasqualig. vbi suprà, iis verbis, Itaque satis probabile existimo, quòd fœminæ quinquagenariæ liberentur ob onere ieiunij, quia ex natura sua sunt debilioris complexionis, quàm viri, quod satis experientia patet. Ita ille. Et Machado (ex Sanchea) *lib. 2. part. 4. tract. 3. docum. 9. num. 4.* Ex quo constat, quàm improbabile remaneat dictum Laymanij, quo affirmat hanc nostram sententiam esse improbabilem; cùm ex dictis constet, & rationibus satis probabilibus, imò manifestis & Doctoribus classicis, esse munitam. Quibus nouissimè adde Zacinum *in lib. 3. decret. tit. 46. nu. 10.* & Pellizzarium *in tract. de Monialib. c. 6. num. 15.* apud Dianam *p. 9. tr. 7. Resol. 73.* Vbi ait, hanc sententiam tam fœminis fauorabilem, se non audere tanquam improbabilem damnare, memorem Verborum Salomonis: *Non est ira super iram mulieris.*

QVÆSTIO XX.

An Religiosi sexagenary, aut Religiosæ quinquagenariæ, teneantur ad ieiunia suæ Regulæ?

AFfirmant Ludouicus de S. Ioanne, *1. part. summæ tract. de ieiunio, art. 6.* Bordonus, *in consil. Regul. Res. 18. n. 6.* eo quòd obligatio Regulæ sit voluntariè suscepta.

Negant verò è contrà Saneius, *in selectis, disp. 54. num. 8. in fine*, Hieronym. Rodriguez, *in Compen. q. Regular. Res. 75. num. 10.* & Tamburin. *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 5. num. 7. in vltim. edit.* Quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 259. num. 3.* & probat: Quia præceptum Regulæ obligat instar præcepti Ecclesiastici: Sed ita est, quòd Religiosi sexagenarij, vel septuagenarij, aut senes debiles (iuxta diuersas opiniones, suprà relatas) non tenentur ad ieiunia Ecclesiæ; ergo neque ad ieiunia Regulæ. Dictis Authoribus adde nouissimè Marchantium *in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 12. tit. 3. q. 4. §. 1.* Caramuelem, *in Regul. S. Bened. disp. 128. num. 1613.* & Dianam *p. 9. tract. 6. Resol. 16.*

Sed probabiliùs, & distinctiùs, Respondeo: Obligari quidem ex se, ratione promissionis perpetuæ obseruationis Regulæ; licèt per accidens deobligari possint, ratione nimiæ senectutis, & debilitatis in dicta ætate.

Prima, huius responsionis pars, probatur. *Primò*. Quia promissio de obseruandis Regulæ præceptis fuit voluntaria, & perpetua: ergo ad illa perpetuò obseruanda, quandiu vires suppetunt, Religiosi tenentur. *Secundò*. Quia Religiosi professi tenentur ad ieiunia Regulæ, etiamsi minores ætate sint anno vigesimo primo, & licet ante hanc ætatem, non teneantur ad ieiunia Ecclesiæ; vt suprà *q. 9.* cum communi est habitum, ergo, simili modo, etiamsi Religiosi sexagenarij, non teneantur ad ieiunia Ecclesiæ, tenebuntur ad ieiunia suæ Regulæ (si aliàs vires habeant) ratione voluntariæ susceptionis, & promissionis Regulæ.

Secunda verò pars Responsionis, constat. Quia, ratione senectutis, & debilitatis nimiæ, iam est redditum subiectum incapax obligationis à se promissæ; cùm non possit sine graui damno sustinere ieiunij onus in dicto statu: ergo, ad illud portandum, non tenebitur Religiosus sexagenarius nimis debilis: nec similiter Religiosa quinquagenaria, si iam vires non habeat.

Ex quibus iam constat ad fundamenta contraria. Ad fundamentum namque primæ sententiæ, dicendum est; solùm probare primam partem nostræ responsionis. Et ad fundamentum secundæ, dicendum, non esse ex omni parte verum, quòd præcepta Regulæ obligent ad instar omnino præcepti Ecclesiastici; cùm ratione intentionis promittentis voluntariè præcepta Regulæ, cuius obseruantia debet esse communis, strictiori vinculo, hæc ab ipso petant obseruari. Quod amplius statim declarabitur.

QVÆSTIO XXI.

An vouens ieiunare certis diebus, per totam vitam, teneatur adhuc ieiunare post annum sexagesimum?

NEgant (penes Pasqual.) Sanchez, *lib. 4. in Decalog. c. 11. n. 54.* Bonac. *disp. vltim. de præc. Eccles. punct. vltim. n. 4. in fine.* Diana, *1. p. tr. 9. res. 20. in fine.* & Tamburinus *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 5. n. 7. in vltim. edit.* Quos ipse Pasq. sequitur, *decis. 260.* Ac ex his Doctoribus, Bonac. *in prima edit.* nihil de hac quæstione agit. Nec Diana fauet huic sententiæ magis, quàm contrariæ; cùm solùm notet illam Sanchez tenere; hanc verò, Layman, statim citandum.

Affirmat verò Layman, *lib. 4. Theol. Moral. tr. 8. c. 2. n. 3.* eo quòd sit votum emissum pro toto tempore vitæ: ergo pro toto tempore vitæ debet eius obligatio durare: Huic sententiæ fauent satis Caiet. Angel. Syluest. Nauarr. & alij penes Sanchez, *loc. cit.* Leander de Murcia, *loc. cit. §. 2. n. 19. fine.*

Sed clariùs, & distinctiùs, Respondeo: Non teneri ieiunare post annum sexagesimum, nisi aliàs vouens expresè voluerit se obligare, etiam in senectute; quia in hoc euentu ex se, & natura sua, votum obligaret; licèt deobligare adhuc posset, ex alio capite; nimirum si subiectum esset nimis debile, &c. *Prima pars* Responsionis, probatur. Quia vota particularia, & singularia, & præcipuè, solùm bonum particulare vouentis respicientia, obligant, iuxta mensuram præceptorum Ecclesiasticorum, at præceptum ieiunij Ecclesiastici, nō obligat quem, post annum sexagesimum: ergo nec votum ieiunij. Sic Authores primæ sententiæ debēt sentire. *Secunda verò* pars Responsionis, constat ex dictis, quia votum, ex natura sua, obligat, secundùm intentionem, vouentis: ergo si intentio vouentis, se extendit exprèsè ad ieiunandum, etiam post annum sexagesimum; etiam post hunc, se extendet obligatio voti ex natura sua; licèt per accidens, vt diximus, cessare possit obligatio ratione incapacitatis subiecti ad sustinendam talem obligationem.

Qvæstio XXII.

An infirmi, & conualescentes, excusentur à ieiunij lege?

RESpondeo: Excusari. Quia hæc est intentio Ecclesiæ; & iusta certè, & pia; cùm necessitas non sit legi subiecta, *cap. 2. de obseru. ieiun.* Sic omnes Doctores. D. Thom. *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2. q. 4.* Palud. *ibi quæst. 4. art. 2. conclus. 5.* Durandus, *qu. 10. num. 5.* Gabriel, *dist. 16. quæst. 3. Notab. 4.* Maior *dist. 15. quæst. 3.* Richard. *in 4. dist. 15. art. 3. qu. 4.* Angel. *verb. Ieiunium, num. 15.* Rosella, *num. 2.* Syluest. *qu. 9.* Nauarr. *cap. 21. num. 16.* & Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 14. num. 1.* dicens, hanc responsionem esse omnium.

Qvæstio XXIII.

An etiam infirmitas contracta, propriâ culpâ, excuset à ieiunio?

RESpondeo: Adhuc excusare. Quia non est attendenda causa, qua infirmitas est contracta; sed solùm ratio præsentis impotentiæ, ob quam ieiunium seruari non potest, sine graui detrimento. Sic Maior. Palud. Rosella, *loc. cit.* Bonac. *punct. vltim. cit. n. 2.* Fagundez. *de præcept. 4. Eccles. lib. 1. c. 8. n. 13.* Sanchez. *lib. 5. consil. c. 1. dub. 14. n. 1.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num. 4.* Pasqualigus, *decis. 261. num. 3.* Machado, *lib. 2. p. 4. tract. 4. docum. 2.* & communis.

Qvæstio XXIV.

An capitis vertigines, stomachi ventositates affligentes, membrorum tremores, aut nimia debilitas causata à ieiunio, excusent quem à ieiunio?

RESpondeo: Excusare. Quia non censetur velle Ecclesiam, ad ieiunium cum tanto incommodo obligare; cùm solùm intendat per ieiunium, castigare corpus, non reddere inhabile ad proprias functiones Sic Gabriel, *in 4. dist. 16. q. 3. Notabili 4. vers. Infirmitas.* Bonac. & Pasqualigus, *loc. cit.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 17. q. 5.* & Fagundez, *num. 13. cit.* Sic dicens: Hîc tamen animaduertendum est, eum, qui tam teneræ est complexionis, vt per inanitatem stomachi, statim incidat, aut in capitis dolorem, aut in vertiginem, seu nocte calefieri, aut dormire non potest; non teneri se periculo committere propter obseruationem ieiunij. Sic ille. Et Sanchez, *lib. 5. consil. c. 1. dub. 14. n. 10.* & penes illum, Nauarr. Angles, & alij docti iuniores.

Qvæstio XXV.

An qui habent debilem stomachum; ita vt, statutis horis, nequeant debitam cibi quantitatem sumere, excusentur à ieiunio?

RESpondeo: Excusari. Quia in magnum detrimentum verteretur ieiunantium. Quia ieiunans, aut se exponeret euidenti periculo morborum, cibo multo in comestione vnica, grauando stomachum; aut se defraudaret necessario alimento ad commodam nutritionem, Sic Angles, *in floribus quæst. 6. de ieiunio diff. 8. propositione 1. pag. mihi* 403. Syluest. Sanchez, *loco citato, num. 11.* Nauarr. *in Man. cap. 21. num. 16.* Ludou. de S. Ioan. *art. 7. diff. 7.* & Pasqualig. *loc. cit.*

Quòd si hîc inquiras, id quod à me, à quodam quæsitum fuit; An videlicet, etiam excusentur à ieiunio, qui dentibus carent?

Respondeo: Non excusari absolutè; & præcisè ratione defectus dentium: posse tamen per accidens ratione defectus cibi apti ad se commodè reficiendos.

Prima pars huius responsionis patet. Quia ex eo præcisè, quòd quis caret dentibus, non est censendus infirmus; aliàs, nec vllus senex esset sanus, nec magna pars iuuenum, nec illi, qui dentes nondum habent, sani censendi essent; vt probat text *in l. cui dens. ff. de ædilitio edicto.* Et ex Gomez, *in regula de infirm. resig. q. 7* & Azeuedo, *lib. 3. Recopil. noua, tit. 5. in l. 6. n. 10.* ergo ex eo præcisè, quòd quis careat dentibus non eximitur à præcepto ieiunij.

Confirmatur hæc ratio, & pars. Nam ij, qui dentibus carent possunt optimè habere congruentem cibum, & aptum, pro vna refectione, & pro vno prandio sumēdo: ergo si aliàs sint sani, non est vnde excusentur à ieiunio, Antecedens probatur. Quia possunt habere pro prandio panem delicatum, oua, suaues pisces, & huiusmodi: ergo.

Secunda verò pars nostræ responsionis, probatur ex nuper dictis. Quia illi, qui nequeunt horâ prandij debitam cibi quantitatem sumere, verè excusantur à ieiunio: at sic est quòd, qui dentibus carent, multoties non possunt debitam, & congruentem cibi quātitatem sumere hora prandij: ergo tunc verè excusabuntur à ieiunio. Minor, in qua potest esse difficultas, sine difficultate probatur. Quia ex his, qui dentibus carent, plures, & satis non habent pro prandio sumēdo, nisi cibos grossos, puta panem durum, piscatū sale conditum, Hispanè, *abadejo, cecial, congrio,* & huiusmodi: at sic est, quòd in isto casu, nequeunt præfati dentibus carentes, sumere ex iis cibis, illam quantitatem; quæ sit sufficiens ad commodè sustentandum ieiunium: ergo in tali casu verè eximentur ab illo. Quando autem in praxi possit quis dentibus carens hanc nostram sententiam sequi, ipse videat; aut si non; consulat Confessorem.

Qvæstio XXVI.

An infirmi teneantur ad ieiunium, casu quo dieta, seu ieiunium, conducat infirmitati?

RESpōdeo: Non teneri. Quia infirmitas, per se ponit corpus in tali statu, vt indigeat subleuamen-

te,

Digitized by Google

ro, & ideò, per se extinguit obligationem ieiunandi; per accidens autem est, quod dieta, aut ieiunium prosit. Sic Ricard. *in 4. dist. 15. art. 3. quæst. 4.* per hæc verba: Excusantur ægrotantes, &c. *Et paulò infrà*: Et ideo in illis infirmitatibus, in quibus confert abstinentia, etiam ad ieiunium non tenentur: quia etsi conferat abstinentia à multo cibo: tamen non confert totum, quod accipere debent, sumere simul, sed magis pluribus vicibus. Ita ille. Et post illum, Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 14. num. 2.* Qui *num. 3.* addit, idem dicendum de infirmis, qui laborant febri tertiana, vel quartana, casu quo eis medicus præcipiat, ne cœnent, vt dieta morbum vincant; non enim peccarent contra præceptum ieiunij, cœnando; licèt possent peccare contra præceptum temperantiæ; venialiter, aut mortaliter, secundùm quantitatem damni, quod inde sequitur. Pasqualig. *decis. 262.* Diana, *part. 4. tract. 4. resol. 189.* Leander de Murcia, *cap. 2. cit. §. 2. num. 26 fol. 169.*

Qvæstio XXVII.

An excusentur à ieiunio qui nequeunt, nisi cœnando, dormire?

RESpondeo: excusari. Quia substractio somni, notabile infert damnum corpori; cùm impediat coctionem: sed præceptum ieiunij, non obligat cum damno notabili: ergo. Sic Gabr. *in 4. dist. 16. q. 5. art. 1. notab.*.. Caietan, *in sum. verb. ieiunium, c. 3.* Nauar. *in Man. cap. 21. num. 16.* Angles *q. 6. de ieiunio, diff. 8. in Append.* Reginald. *lib. 4. cap. 17. num. 209.* Bonac. *disp. vltim. cit. q. 1. punct. vltim. num. 2. vers. Addo.* Llamas, *3. p. Meth. cap. 5. §. 21.* Sanchez, *lib. 5. consil. c. 1. dub. 24. num. 10.* Sancius, *in select. disp. 54. num. 13.* Fagundez, *cap. 8. cit. num. 13. & 19.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 130.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num. 4. & 15.* Laymao, *lib. 4. cap. 3. nu. 3.* Villalobos, *tract. 23. diff. 4. num. 2.* Syluius, & Lopez, quos omnes refert, & sequitur Pasqualigus, *dec. 263.* Quibus addi possunt Diana, *1. part. tract. 9. Resol. 51.* & Leander de Murcia, *cap. 2. §. 2. num. 30. super 3. cap. Regulæ Franciscanæ.* Ausonius *in sum. Diana, verb. Ieiunium, num. 21.* Machado *lib. 1. part. 4. tract. 4. docum. 2. num. 4.* Ioano. Henriquez, *in sum. sect. 16. quæstione 24.*

Qvæstio XXVIII.

An vt præfati, à ieiunij lege excusentur, necessum sit, vt per totam noctem nequeant dormire?

AFfirmant Nauar. Reginald. *loc. cit.* & Llamas, per hæc verba: *Excusantur, & debiles, qui nisi cœnarent noctu, neque dormire, neque calefieri tota nocte possent.* Ita ille. Citatque omnes tres Doctores, pro hac parte, Caietanum, *2. 2. q. 147. art. 4.* Sed certè ego illum attentè legi, & inuenire nequiui, vbi id doceat ibi. Tenet etiam expressè hanc doctrinam Sanchez *in consil. loc. cit.* ita dicẽs: Tertiò infertur excusari à ieiunio eos, qui tam infirmæ complexionis sunt; vt vacuo stomacho notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiantur, vel tota nocte calefieri, vel dormire nequeant. Sic ille. Fauentque huic sententiæ Angles *loc. cit.* quatenus docet, illum à ieiunio excusari, qui noctes fere insomnes ducit. Gabriel *in 4. dist. 16. q. 3. Notabili 4. vers. Infirmitas*, & Fagundez, quatenus dicunt, excusari illum, qui nocte dormire non potest.

Sed clariùs Respond. dicendum: Quòd non sit necessum, quòd quis per totam noctem nequeat dormire, sed sufficiat, quòd non possit dormire per notabile spatium noctis; vt eximatur à lege ieiunij. Sic Pasqualigus. *loc. cit. num. 3.* per hæc verba: Sed dubium est, quantùm debeat somnus impediri, vt cesset obligatio ieiunandi. Respondeo. Non sufficere, quòd parum impediatur; nec etiam requiri, quòd totaliter impediatur; sed solùm, quod notabiliter impediatur, per maiorem partem temporis, quo quilibet consueuit dormire: nam tunc corpus, valde patitur, nec percipit debitam instaurationem, pro qua somnus est institutus: vnde notabiliter læditur. Sic ille, & ante à Ludou. de S. Ioan. *q. de Ieiun. art. 7. diff. 7. in Append.*

Qvæstio XXIX.

An excusentur à ieiunio, qui noctu calefieri non possunt, nisi cœnent?

RESpondeo: excusari. Quia per impedimentum nocturnæ calefactionis, consurgit corpori notabile damnum; cum quo præceptum ieiunij non obligat: ergo. Antecedens constat. Quia quando impeditur nocturna calefactio, impeditur transpiratio (quæ est necessaria ad sanitatem conseruandam) non percipit corpus debitam instaurationem; & inde male disponitur, ob prauos humores, qui per calorem non soluuntur; ergo. Sic Gab. *loc. cit. notab. 4.* Reginald. Llamas, Sanchez, Fagundez, & Villalob. *loc. cit.* Pasqualig. *decis. 264.* Addens, id esse verum, etiam casu, quo nocturna calefactio impediatur ex defectu tegumentorum, quorum quis indiget. Requiritur autem in omni euentu, quòd, vt ex hac parte, cesset obligatio ieiunandi, notabiliter, non leuiter, impediatur nocturna calefactio.

Qvæstio XXX.

An qui, nisi cœnando, dormire, aut calefieri, non possunt; teneantur manè collationem sumere, & cœnam ad noctem differre?

RESpondeo: non teneri: licèt aliàs si vellent, possent collationem manè sumere, & sic ieiunando implere præceptum Ieiunij. Prima pars huius responsionis constat. *Primò.* Quia sequi tenerentur collationem manè sumere, & cœnam ad noctem in dicto casu differre, tenerentur tali pacto ieiunare: at hoc est contra nuper dicta: ergo. *Secundò.* Quia quilibet habet ius ad sumendam principalem refectionem in meridie, in diebus ieiuniorum: ergo nullus tenetur, vt ieiunet, hoc iure se priuare. Sic Pasqualigus, *decis. 265.* citans pro hac parte Ludouicum de S. Ioann. *1. part. sum. tract. de ieiun. ar. 6.* Dianam *p. 1. tract. 9. resol. 51.* Saocium, *in select. disp. 54. num. 13.* Ghislinum *in sum. verbo ieiunium, nu. 21. litt. A* Fagundez, *de 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 8. num. 19.* in fine, & Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 7. num. 15.* Citat etiam Diana pro hac sententia, Caietanum *in sum. verb. Ieiunium, cap. 2.* Lopezium, *in instruct. part. 2. cap. 111.* & Filliucium, *tom. 2. tractat. 27. cap. 6. num. 130.* Sed ex his Doctoribus; nec Caietanus id docet, nec Ludou. de S. Ioan. Imò nec Fagundez, in prima editione; benè tamen, *in 2. num. 19. cit. in fine.* Sicut in vltima *edit.* tenet Ioan. Henriquez, *sect. 16. q. 24.*

Secunda verò pars nostræ responsionis, etiam ex dictis suprà, *disputat. 5. quæst. 39.* constat. Quia licitum est ex iusta causa manè sumere collationem, & dilatare in noctem prandium: ergo, qui in hoc

nostro

nostro casu ita faceret, verè adimpleret præceptum ieiunij.

Qvæstio XXXI.

An qui duo, aut plura, habent cauteria, eximantur à lege ieiunij?

AFfirmat Sancius *in select. disp.54. n.17. vers. Et lege ieiunij, in editione Lugdunensi*, per hæc verba: Et lege ieiunij non esse constrictos habentes duos fontes reor, Quia hi maximè debiles redduntur; & cœnare illis est opus, vt experti, quos consului, sunt mihi testati. Ita ille.

Sed oppositum omnino, Respondeo dicendum. Quòd, videlicet, non eximantur à lege ieiunij; nisi alias concurrat debilitas personæ, aut labor, aut alia circumstantia. Sic Pasqualigus, *decis.*266. Qui & probat; Nam per cauteria, sola eiectione naturæ, absque violentia, purgantur excrementi humores ad sublevandam naturam, & ad conseruandam sanitatem. Et si aliquando causant aliquam debilitatem, est per accidens & raro; & debilitas parua. Sic ille. Qui addit, sic sentire plures viros doctos, qui talibus cauteriis affecti sunt. Ex quo iam patet ad fundamentum Sancij. Negandum enim est, per se, & regulariter loquendo, opus esse cœnare his, qui duos fontes habent, vt alij experti testati sunt.

Qvæstio XXXII.

An qui, ob præsentem infirmitatem, comedit carnes, eximatur à ieiunio?

NEgant Graffius, 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.*37. *num* 58. Pedraza, *in summa precept.* 3. §. 14. Medina, *C. de ieiun. q.* 9. § *de infirmis.* Valentia, 2. 2. *disp.* 9. *quæst.* 2. *punct.*6. *vers. Qui autem.* Ledesma, 2. 4. *q.*17. *art.*3. *propos.*2. Fernandez *part.* 2. *summ. cap.*8. §. 2. *num.*24. Niden *præcept.* 6. *cap.*8. *num.* 4. Ludou. de S. Ioan. 1. *p. summ. tract. de ieiun. art.*11. & Nauarr. *in Man. cap.*21. *num.* 22. Quos omnes pro hac parte citat Pasqualig. *decis.*267. Sed ex his Authoribus, Nauarr. *loc. cit.* nullo modo loquitur de illo, qui est dispensatus in esu carnium; sed de illo, qui dispensatus est, vt pluries in die ieiunij, quàm semel, comedat: quod longè diuersum est. Deinde, nec Fernandez est pro hac sententia, sed pro alia referenda, quæst. sequenti.

Sed longè multò probabiliùs, Respondeo: Eximi à ieiunio. *Primò.* Quia ratione præsentis infirmitatis iustam habet causam pluries vescendi carnibus, cœnandi, &c. ergo omnino est liber à ieiunio. *Secundò.* Quia; vt supra cum communi est habitum, abstinentia à carnibus est essentialis ieiunio: ergo, qui òpus habet carnibus vesci, ad ieiunij onus non deuincitur. Sic Angles *in floribus q.* 9. *de ieiunio, art.* 1. *diff.* 9. *pag. mihi* 430. Sancius *loc. cit.* Layman, Viualdus, & alij statim referendi.

Qvæstio XXXIII.

An qui non ratione præsentis infirmitatis, sed ob præseruationem; aut, quia piscis continuus plurimùm nocet; carnibus vescitur, etiam eximatur à ieiunio?

NEgant imprimis (& à fortiori) Doctores, nuper pro prima sententia adducti; deinde negant, loquendo de præsenti casu, apud Pasqualigum, Angles, Layman, *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 8. *cap.* 3. *num.*8. Viuald. 3. *p. cap.*15. *num.*50. Corduba, *in summ. q.*143. Cenedo, *in q. Canon. q.* 40. *num.* 6. Lessius *lib.* 4. *cap.*2. *dub.*6. *num.*45. Bonac. *disp. vltim. de præcept. Eccles. q.*1. *punct.* 2. *num.* 5. Reginald. *lib.*4. *cap.*14. *num.*163. Ortiz, *cap.*19. *summæ, num.*20. Lopez, 2. *p. Instruct. c.*11. §. *His tamen non obstantibus,* Gomez, *in Bullam Cruc. clausula* 9. *q.* 5. Rodriguez, *ibi.* §. 6. *num.*4. & *in summ. c.*24. *concl.*7. Comitolus, *in respons. moral. lib.*4. *q.*46. Conradus, *casu* 230. Ludouic. à Cruce, *in Bull. Cruciata, disp.* 1. *cap.* 5. *dub.*11. *n.*1. Vega 1. *part. summ. cap.*14. *casu* 3. Victorell. *in addit. ad Toletum lib.*6. *c.*3. Gordonus, *lib.*6. *Theol. Moral. q.*18. *c.*6. *verb. Sed in hac quæstione.* Villalob. *tract.*23. *diff.*8. *num.*8. Syluius, 2. 2. *q.*147. *art.*4. *ver. Sed quæritur.* Basseus, *verb. Ieiunium,* 1. *num.*4. Lezana, *tom.*3. *summ. verb. Ieiun. n.*11. Lanorius 1. *part. de Iubil. cap.*20. *num.*25. & Naldus, *verb. Ieiunium, n.*3. Sed ex iis Doctoribus, male pro hac parte citantur Corduba ad minus, *loc. cit.* cùm in sum. non sint capita nisi 136. Gomez etiam citatur male, vt inf. à, &c. Possunt tamen addi Fernandez. 3. *p. sum. c.*9. §. 5. *n.*3. & Victoria, 2. 2. *q.*157. *art.*4. Horum fundamentum est: Quia comedere carnes in diebus prohibitis, est priuilegium: ergo, cùm sit contra ius commune, strictè est interpretandum.

Sed probabiliter æquè, Respondeo: Etiam in hoc casu eximi à ieiunio, Ratio est. Quia de substantia ieiunij Ecclesiastici, est abstinentia à carnibus, vt constat ex c. *statuimus dist.*4. *c. Non oportet de cons. dist.* 3. & ex Canone 56. *Trullensi:* ergo, quacumque de causa, dispensatus ad edendas carnes, dispensatus est simpliciter quoad ieiunium. Sic Caiet. 2. 2. *q.*147. *art.*8. §. *Ad hoc dicitur.* Gabriel, *in* 4. *dist.*16. *q.*3. *art.* 3. *dub.*1. Palatios *dist.*15. *disp.*8. *concl.*6. Nauarr. *in Man. c.*21. *n.*2. & *in Man.* Hispano *n.*25. Vnde malè illum citat Bonac. pro sua sententia, Suarez *tom.* 2. *de Relig. l.*4. *c.*28. *n.*25. Azor 1. *part. lib.*7. *c.*10. *q.*3. Toletus *lib.*6. *c.*3. *n.*4. Llamas, *p.*3. *Method. c.*5. *c.*26. *pag.*529. dicens, quòd post declarationem, quam de hac re, viua voce, fecit Pius V. sit luce clarius quòd dispensatus ad esus carnium, sit quoad ieiunium. Citat tamen Nauarr. pro contraria sententia; sed non bene. Medina *lib.*1. *sum. c.*14. §. 10. Beja 1. *p. sum. c.* 45. Henriq. *lib.*7. *c.*13. *num.*13. Adducens pro hac parte Dezam & Gallum. Petr. Ledesm. 2. *p. summ. tr.*27. *c.* 2. *dub.*4. *post.* 1. *concl.* Filliucius, *tr.*27. *c.*3. *n.*25. Ioan. de Cruce, *in summ.* 1. *p. prac.* 3. *art.*4. *n.*3. Sanchez *lib.*1. *in Decal. c.*19. *n.*6. & *lib.*4. *c.*11. *n.*53. & *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.*29. *n.*3. Trullench, *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.*2. *n.*7. Sancius, *in select. disp.*51. *n.*4. Fagundez, *de prac.* 4. *Eccles. lib.*1. *c.*2. *n.*5. Diana 1. *p. tract.*9. *res.*25. Megala, Bartholà S. Fausto, Ouandus Perez, quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis.*267. Vbi hanc sententiã late, & optime probat.

Qvæstio XXXIV.

An qui intuitu infirmitatis, aut debilitatis, carnibus vescitur; teneatur ieiunare, his diebus, quibus, libito suo, non vult comedere carnes?

REspondeo, tanquam certum: Non teneri. Quia infirmitas, aut debilitas, quæ in infirmo existit, sufficientissima causa est excusans à ieiunio, adhuc his diebus, in quibus pro suo libito vult abstinere à carnibus. Sic Sanchez *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.*30. *num.*3. Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.*2. *n.*7. Diana *part.*4. *tr.*4. *Ref.*189. Author *casuum conscient. Bononiens. anni* 1638. *casu* 2. *mense Ianuarii. ver. Ad* 1. *quæsitum,* & Pasqualig. *decis.*268. necnon Diana *p.*10. *tr.*13. *R f.* 43. in fine & Bauclus apud ipsum.

Qv*æ*

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXV.

An saltem, qui non intuitu infirmitatis præsentis; sed ob præseruationem futuræ, carnes ex dispensatione comedit; tenentur, ieiunare, (si aliàs habent vires) illis diebus, quibus non vult carnibus vesci?

AFfirmant in hoc casu teneri Sanchez *loc. cit. n. 2.* Trullench, & Diana *loc. citatis* & Megala *tom. 1. Resol. moral. resol. 153. num. 5.* Quia in tantùm excusatur à ieiunio, prædictus in esu carnium dispensatus, in quantùm ieiunium non potest stare cum esu carnium, vt nuper est habitum: ergo semel posita abstinentia à carnibus, necessariò illi aderit obligatio ieiunandi.

Sed probabiliter Respondeo: Adhuc non teneri, dummodò ille fuerit dispensatus in esu carnium absolutè. *Primò.* Quia per dispensationem absolutam ad esum carnium, tollitur obligatio abstinendi à carnibus, & simul abstinendi à pluribus refectionibus: ergo, & tollitur obligatio ieiunandi: ergo si dispensatus non vult aliquo die comedere carnes, non tenebitur ieiunare; cùm non sit à quo ponatur talis obligatio; siquidem sublata fuit per dispensationem, quæ cùm sit absoluta, & non conditionata, *si vtatur carnibus*; non reuiuiscit, ex eo, quòd non vtatur.

Secundò. Quia dispensatus, non habet obligationem ieiunandi; cùm ei liberum sit ieiunare, & non ieiunare: ergo liberum erit ei eligere vnum ex iis, quibus ieiunium constat; nempe, abstinentiam à carnibus; & non eligere alterum; nempe, vnicam refectionem: patet consequentia; quia ea, quæ voluntaria sunt optimè possunt diuidi, & separari, & vnum sine alio fieri. Sic omninò Pasqualig. *loc. cit. n. 3.* Quod latè probat, & benè. & Auctor *casuum, cons. loc. cit. vers. Respondeo secundò.* Addit etiam Pasqualigus *decis. 269.* contra Sanchez *loc. cit. n. 4.* Idem omninò dicendum esse de illo, qui, adstrictus voto ad ieiunium, validè dispensatur ad carnes [illegible]; quod, scilicet, non teneatur ieiunare, si aliquo die ex deputatis ad ieiunium pro libito abstineat à carnibus. Quod verum censeo, si absoluta fuit facta dispensatio.

QVÆSTIO XXXVI.

An qui in Quadragesima non potest ieiunare, nisi oua, & lacticinia comedendo, eo quòd ex aliis cibis, non habeat sufficientem refectionem, teneatur comedere oua, &c. & ieiunare?

AFfirmat Sanchez *libro 5. consil. cap. 1. dub. 3.* Quia præceptum (inquit) ieiunij est principale; ergo quando aliter non potest seruari, debet seruari cum vsu ouorum, & lacticiniorum. Eandem sententiam debet amplecti Fagundez, cùm existimet, quòd præceptum de non edendis ouis, & lacticiniis solùm obliget ad veniale: & ideò debet hoc cessare quando cum præcepto ieiunij ad mortale obligante, concurrit.

Alij verò Respondent: Non teneri comedere oua, & lacticinia, vt possit ieiunare. Quia in hoc casu concurrunt duo præcepta, ambo ad mortalia obligantia, videlicet præceptum de ieiunio, & præceptum de abstinentia ab ouis, & lacticiniis: Sed sic est, quòd hoc vltimum est vniuersalius, cùm obliget etiam adolescentes: ergo illi debet cedere præceptum de ieiunio. Sic Pasqualigus *decis. 272.* Quod, & Sanchez, dicit probabile.

Sed probabilius Respondeo: Teneri in tali casu comedere oua, & lacticinia; cùm possit sic, ieiunium Ecclesiæ obseruare. Sic Sanchez, & Fagundez *loc. cit.* & à fortiori Abulens. & Henriquez, infrà *q. 38.* citandi. Et sic me citato, tenet Diana *part. 10. tr. 12. Resol. 45. vers. At difficultas.*

QVÆSTIO XXXVII.

An dispensatus in Quadragesima ad oua, & lacticinia, sit dispensatus à ieiunio?

REspondeo tanquam certum. Quòd non. Ratio est. Quia esus ouorum, & lacticiniorum, non soluit formam substantialem ieiunij Ecclesiastici, vt constat in ieiuniis extra Quadragesimam, in quibus oua, & lacticinia non sunt prohibita: ergo dispensatus ad hæc, non dispensatur ad ieiunium. Sic Abulens. *in cap. 6. Matth. quæst. 173.* Angles *quæst. 9. de ieiunio, art. 1. diff. 7. dub. 4.* Llamas *3. part. Meth. cap. 5. §. 26.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 11. num. 49.* Azor *1. part. lib. 7. cap. 10. q. 3.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 6.* Filliuc. *tract. 27. cap. 3. numero 59.* Ledesma *in summ. tract. 27. cap. 2. dub. 3. post 3. conclus.* Ioann. a Cruce, *1. part. summ. precept. 3. art. 4. num. 5.* & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 273.* & communis.

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui in die ieiunij, non habet nisi carnes ad vescendum, teneatur ieiunare?

AFfirmant Abulens. *loc. cit.* & Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 17.* Quia in hoc casu, inquiunt, non adhibentur carnes tanquam carnes, sed tanquam instrumentum sustentationis. Et ita debent etiam sentire Doctores sentientes posse cum esu carnium stare obligationem ieiunandi, quos retulimus suprà, *q. 32. & 33.*

Sed probabilius Respondeo: Non teneri. Quia ille, non potest sic obseruare substantiam ieiunij Ecclesiastici, quæ in abstinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus consistit: ergo non tenetur ad illud. Sic Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 29. num. 7.* Trullench. *dub. 2. cit. num. 7.* Auctor *casuum cons.* Bononiens. *ann. 1638. casu 2. Mensis Ianuarij. vers. Resp. 2.* Pasqualig. *decis. 274.* Azor *lib. 7. cap. 27. quæst. 7.* Fagund. *de 4. precept. Eccles. lib. 1. cap. 8. num. 12.* & penes ipsum, D. Thom. Ricard. Durand. Angel. Syluester, Rosella, Caietan & Nauarrus. Sed hi DD. non loquuntur nisi de casibus statim referendis. Sic etiam me citato, tenet Diana *part. 10. tract. 12. Resolut. 45. in fine.* Fagundez, & Baucius apud ipsum.

QVÆSTIO XXXIX.

An pauperes non habentes sufficientem cibum pro vnica refectione, teneantur ieiunare?

REspondeo: Non teneri. Quia pia Mater Ecclesia, non vult ad id, quod nimis onerosum est, suis præceptis obligare. Sic D. Thomas *2. 2. quæstion. 147. artic. 4. ad 4. & in 4. distinction. 15. quæst. 3. artic. 2. quæst. 4. ad 2.* Richard. *artic. 3. quæstion. 4.* Et ex D. Thoma, Durand. *quæst. 10.* & omnes Doctores, ex quibus, quàm plures refert Pasqualig. *decision. 275.* Qui omnes, secus dicunt dicendum, de pauperibus, qui habent sufficientem

cibum

cibum ad vnicam comestionem; nam huiusmodi ieiunare tenentur, cùm præceptum ieiunij neminem excipiat.

QVÆSTIO XL.

An pauperes, qui ostiatim victum quærunt, sint à ieiunij legibus soluti?

AFfirmant absolutè Azor, & Fagundez *loc. cit.* cùm illi nec quando, nec quantùm volunt, nec hora competenti, edere queant.

Sed clariùs, Respondeo. Prædictos pauperes esse à legibus ieiunij solutos; si re vera (vt regulariter contingere solet) non colligant sufficientem cibum pro vnica refectione; aut quantitatem pecuniæ, qua sibi prouidere possint, hora competenti, de congrua sustentatione; secus aliàs. Sic D. Thom. *loc. cit.* Angles *loc. cit. Append.* 1. Iodocus *verb. Ieiunium, num.* 7. §. *Pauperes.* Viguerius, *cap.* 7. *de virtute temperantiæ* §. 3. *versu* 1. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. §. *Quantum ad* 2. *concl.* 3. *&* 4. vbi addit: Non teneri quem mendicare, vt ieiunet, si sit contra natales suos, sic indignè agi. Gerson 4. *parte Serm. in Dominica* 1. *in Quadragesima col.* 406. *&* 428 Graffis, 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 40. *&* 2. *par. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 16. Ludou. de S. Ioan. *q. de ieiun. art.* 7. *diff.* 7. *dub.* 3. *Append.* 1. Reginald. *lib.* 4. *num.* 211. Lessius, *cap.* 2. *num.* 40. Molfes. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 36. Pasqualigus *loc. cit. num.* 2. & Richard. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 5. *q.* 4. vbi sic ait: Excusantur victum necessarium ostiatim mendicantes, quando similiter tantùm habere non possunt de eleemosyna, hora comestionis, quod ad victum totius diei commodè sufficiat: vel etiam quando ex præcedenti inedia debilitati ieiunium sufferre commodè non possunt. Sic ille.

QVÆSTIO XLI.

An qui non habet vinum, aut quod adhibetur loco vini, teneatur ieiunare?

NEgat Pasqualig. *decis.* 275. *num.* 5. per hæc verba: Similiter, qui non haberet vinum, aut quod solet loco vini adhiberi, in regionibus, vbi adest penuria vini, neque teneretur ieiunare; quia, eo substracto substrahitur magna refocillatio, & quæ plurimùm roboris afferat. Vnde substracto etiam cibo, nimis cōplexio maceraretur, & ieiunium fieret nimis onerosum. Ita ille. Sed nimius certè in hoc casu, sicut in aliis multis. Vnde,

Respondeo, tanquam certum: Teneri. Quia sine vino, aut sine eo, quod loco vini bibitur, potest quis habere sufficientem, & congruentem refectionem pro vno prandio: ergo sine vino, aut simili potu, hic tenebitur ieiunare. Adde. Quòd si hæc doctrina Pasqualigi esset vera, re vera exempti essent à ieiunio omnes ferè habitantes in montanis, & terris, vbi nec vinum habent, nec vites adhuc cognoscunt, nec habent facultatem ad emendum illud, si fortè è locis extraneis allatum, ibi venditur. Ex defectu ergo precisè vini, non potest quis à ieiunij legibus eximi. Sic me citato, tenet Diana *p.* 10. *tr.* 12. *Ref.* 45. *& tr.* 16. *Resol.* 77. & apud eum, Carolus Baucius, *in casibus singul. casu* 280. *q.* 2. Bussius, *in Man. tom.* 3. *tit.* 21. §. 2. *num.* 56.

QVÆSTIO XLII.

An qui non habet nisi panem, fructus, & olera, teneatur ieiunare?

NEgant Angles *q.* 6. *de ieiunio, diff.* 9. *Append.* 3. *pag. mihi* 484. & Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 3. Quos citant, & sequuntur Leander de Murcia *c.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 38. *pag.* 170. & Pasqualig. *loc. cit. num.* 3. Quia existimant, prædictos cibos insufficientes esse ad congruam sustentationem. Sed hæc Doctrina, loquendo generaliter, etiam videtur nimia. Vnde,

Clariùs Respondeo Dicendum. Teneri, regulariter & vt plurimùm loquendo. Quia in quàmpluribus regionibus, tota refectio fit ex pane, fructibus & oleribus, nec est alius cibus, quo vti incolæ possint: ergo cum refectione, ex pane, fructibus, & oleribus confecta in quantitate vni prandio sufficienti, compati potest obligatio ieiunij. Dixi autem: *regulariter loquendo*, quia si hoc contingeret aliquibus Magnatibus, aut aliis, qui nimis delicatè, & splendidè, diuersorumque ciborum genere vesci assueuerunt, non dubito, quòd eximerentur à ieiunio; cùm illis, tali modo, & pacto, esset nimis onerosum. Et de hoc casu, & rarò contingenti, loquitur Angles *loc. cit.* vt fatetur ipsemet Pasqualigus *decis.* 278. & constat ex eius verbis; Hinc etiam (ait) excusantur itinerantes, qui in paruulis oppidis sufficientem cibum sibi, non possunt comparare, & licèt panem, & fructus habeant, videtur cum huiusmodi victu non teneri ad ieiunium, quia, vt plurimùm, iis sufficienter nutriri non possunt. Sic (& bene.) Angles. Vbi imprimis, solùm loquitur de itinerantibus. Secundò, de illis tantùm, qui ad victum duntaxat habent panem, & fructus; non etiam, olera, vt addunt Leander, & Pasqualigus: non ergo illorum, sed nostram sententiam tenuit. Et eandemmet sequitur Ludouicus de S. Ioann. *art.* 7. *cit. diff.* 7. *dub.* 3. *Append.* 3. De hac quæst. agit Diana *p.* 10. *tr.* 12. *Resol.* 45.

QVÆSTIO XLIII.

An qui solitus est vti solùm pane, cum alliis, cepis, fructibus, & huiusmodi cibis teneatur ieiunare, si non habeat etiam alios cibos?

NEgat Pasqualig. *decis.* 279. Quia (inquit) iste talis, non habet congruum alimentum pro vnica refectione; quia quamuis solitus sit vti solùm tali alimento; non tenetur tamen, ob præceptum ieiunij, sibi etiam subtrahere de tali cibo, cùm non sit congruum.

Sed omninò Respondeo: Quòd teneatur ieiunare, si aliàs ex prædictis cibis, commodam quantitatem prouidere sibi possit pro prandio. Quia omnis, qui habet congruam, & sufficientem refectionē pro prandio, tenetur ad ieiunium: at sic est, quòd prædictus, qui sufficientem quantitatem ex pane, alliis, fructibus, & huiusmodi, habet pro prandio, habet congruam refectionem: ergo tenetur ad ieiunium. Minor probatur. Quia, vt aliqua dicatur, & æstimetur, congrua refectio, & sustentatio, non est necessariū, quòd in se sit opulenta, ex variis cibariis referta; sed quòd sit talis, quòd respectiuè, hoc est, respectu talis status personarum, sit sufficiens, & congrua. Vnde, refectio, quæ respectu Magnatum, aut nobilium virorum, seu diuitum, non est sufficiens pro eis congruè alendis, potest esse sufficiens, & satis, respectu pauperum, & vulgarium personarum, eo quòd diuersis cibariis, regulariter nutriantur. Quòd clarè constat, & colligitur

etiam clarè, ex Glossa. verb. Cibarij in l.seruis Vrbanis ff. de legatis.3. vbi docet, quod appellatione cibi Rusticorum, veniunt allia, cepæ, fabæ, panis grossus, & similia; per contrarium verò, per cibi Nobilium appellationem, veniant pulli, & huiusmodi delicati cibi. Tunc ergo: Sed sic est, quòd respectu illorum, qui ex consuetudine solùm pane, cum aliis, cepis &c. vescuntur, sufficientissima æstimatur (sicuti æstimant ipsi) sustentatio, & refectio, si ex dictis cibis, in debita quantitate fiat: ergo tunc ad ieiunium tenentur.

Confirmatur Primò. Quia plùs multò macerantur, & affliguntur diuites, & Magnates, qui quotidie splendidè epulātur, per obseruationem ieiunij; quàm pauperes isti, qui prænumeratis rudibus cibis vtuntur, vt experientia constat; & ideò, illis amplior refectiuncula conceditur à Doctoribus, vt suprà *disp.4. quæst.27.* est habitum: ergo si, hoc non obstante, diuites ad ieiunia tenentur, meliori iure, tenebuntur dicti pauperes, etiam casu, quo solùm dicta cibaria pro victu habeant.

Secundò Confirmatur. Quia ex opposita sententia, clarè sequitur, quòd maior pars hominum, sine comparatione, ad ieiunia Ecclesiæ, nullo modo teneantur; cùm perpauci (præcipuè his temporibus) sint, quòd aliis melioribus cibis, quàm predictis, vtantur: at hoc non est dicendum: ergo.

Qvæstio LVI.

An qui non habet aliquam personam, quæ sibi præparet cibos ad congruam sustentationem teneatur ad ieiunium?

NEgant Tabiena *verb. ieiunium. quæst.9.* Syluest. *num.24. ver. Quartum excusantur*, & penes illum, Archidiacon. Sanchez *lib.5.consil.cap.1. dub.15. num.2.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. n.6.* & Pasqualig. *decis.276. num.1.* Quia huiusmodi comparantur pauperibus; cùm deficiat eis congrua refectio defectu eorum, qui eam parent.

Sed clariùs Respondeo: Non teneri quidem ad ieiunium, casu, quo non habeat aliquem, qui sibi præparet cibos; & contingat id in locis, vbi non venduntur parati; aut si venduntur; nec ipse possit, nec habeat, quos ad emendum mittat; aut nesciat sibi parare cibos, aut non possit ad id vacare: (Secus aliàs.) Quia in hoc casu militat ratio pro prima opinione facta, & id tandem vult Pasqualigus, vt colligitur *ex num.2. & 3.*

Qvæstio XLV.

An Religiosus, qui nequit sumere, congruo tempore, refectiunculam, teneatur ieiunare?

NEgat Pasqualig. *loc. cit. num.4.* per hæc verba: Quid dicendum de Regulari, qui sine refectiuncula nō potest ieiunare, & mane ita tardè prandet, vt horâ refectiunculæ non coxerit cibum, & si aliquid comedat, noceat stomacho, nec possit differre refectiunculam, vltra tempus assignatum; tum, quia clauditur refectorium; tum, quia non haberet postea tempus sufficiens ad dormiendum; cùm noctu ad matutinum surgendum sit. Resp. enim. Non teneri ad ieiunium; siquidem non potest habere congruam sustentationem, congruo modo, & congruo tempore; & proinde, cùm non possit ieiunare, nisi cum notabili damno, non tenetur. Huc vsque ille.

Sed certè hic casus mihi difficilis in praxi videtur. Si enim dictus Religiosus, ita tardè prandet, vt horâ refectiunculæ non coxerit cibum, & si aliquod comedit, nocebit stomachu; ad quid tunc, inquiro; est illi necessaria refectiuncula? Noonè tunc corpori proficier? Minimè sanè. Sed potiùs certè nocebit. Est notum. Sine illa ergo poterit, noctem transigere, & celeriùs ad Matutinum surgere. Rursus, si oportet, ratione officij, semper ita tardè prandere; sumat aliquid per modum medicinæ manè, (iuxta suprà dicta *disp.5.q.23.*) & sic ieiunet. Valeat ergo Pasqualigus cum suo, potiùs speculatiuo, & metaphysico; quàm practicabili, & morali casu. Dato tamen; quòd dictus Religiosus, non posset sine dicta refectiuncula ieiunare; & simul, & non posset illam sumere congruo tempore, sine notabili damno salutis, tunc non teneretur ad ieiunium.

Qvæstio XLVI.

An famuli, quibus à Dominis tenuis portio statuta est, teneantur ieiunare?

NEgant Angles *qu.6. de ieiun. diff.9. Append.3.* Sanchez *lib.5. consil. capit.1. dub.15. n.2.* Trulleoch, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.6.* & Pasqualig. *decis.277.*

Sed clariùs Respondeo: Non teneri quidem, si ita tenuis sit portio, vt cum illa ferre ieiunium famuli nequeant; nec habeant aliunde vnde congruè prandere possint. (Secùs si aliàs.) Quia in isto casu comparantur pauperibus, qui non habent congruam refectionem. innuit Ludou. de S. Ioann, *art.7. diff.7. dub.3. append.2.*

Qvæstio XLVII.

An in prædicto casu, teneantur Domini, si possunt, augere portionem famulis, vt ieiunare queant?

AFfirmant Angles *loc. cit.* per hæc verba: Hinc famuli, quibus, tam tenuis portio statuta est, vt ieiunium ferre non possint; etiam sunt exempti: tenentur tamen Domini, si possunt, prandium augere. Sic ille. Et ex illo, Ludon. de S. Ioann. *loc. cit.*

Sed probabiliùs Respōdeo: Non teneri. Quia non tenentur ex iustitia; cùm ex hac, non teneantur nisi ad id, in quo conuenerunt; nec ex charitate; cùm non sint constituti in aliqua necessitate; nec ex alio capite: ergo. Sic Pasqualig. *decis.277. num.3.* & Vega *1. part. summ. cap.14. casu 26.* per hæc verba: [Nota, que lo que queda dicho arriba, què està obligado à proueerles de manteunnientos necessarios, para que ayunen, se entiende à aquellos, que està obligado a proueer de comida: Porque si les da su ration quotidiana, ya tassada, y cōcertada, como se haze en muchos Palacios, por razon del ayuno, no està obligado à aumentarla, porque no està obligado à proueer de comida simpliciter, sino segun el pacto, y conuencion hecha.] Sic ille. Et bene.

Qvæstio XLVIII.

An coniuges teneantur ieiunare quando ieiunium impedit, ne inuicem sibi reddant debitum?

AFfirmatiuam partem innuit clarè Paludan. *in 4. distinct. 15. q.4.§. Quantum ad 2.* dum hæc ait: Non autem coniugati excusantur pro eo quòd indigent alimēto pro generatione; sicut iuuenes pro augmento: quia diebus ieiuniorum non debent vti illis

actibus

actibus. Et quia sufficit semel in anno impregnare; & cum ieiuniis adhuc plus abundent semine, quàm sit necesse. Ita ille.

Sed, vt quid certum, Respondeo: Non teneri. Quia præceptum reddendi debitum, est præceptum iustitiæ, & naturale diuinum: ergo anteponendum est præcepto ieiunij, quod est, præceptum humanum, pertinens ad temperantiam. Sic Caiet. *in summ. v. ieiun. cap.3. §. excusantur infirmi.* Armilla *ver. ieiunium, num.4.* Nauarr. *cap.21. num.16. Hisp.17.* Sanchez *lib.9. de Matrim. disp.3. n.10.* Sà *ver. ieiunium num.9.* Graffis *lib.2. decis. aur. cap.37. n.52.* Medina, *C. de ieiun. q. de ijs, qui ad ieiun. tenentur, in 1. causa excusante.* Ledesma *2. 4. q.17. art.3. §. Præterea.* Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.1. 2. par. lib.3. cap.25.* Quos omnes citat, & sequitur Fagundez *de 4. præcepto, Eccles. lib.1. cap.8. num.18.* Lessius *lib.4. cap.2. num.44.* Angles *q.6. de ieiun. diff.12. appen.2.* Bonac. *disp. vlt. de præc. Eccles. q.1. punct. vltim. n.14.* & quamplures, quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis.286.* Qui *num.3.* rectè cum Sanchez *loc. cit.* contra Lopezium, *2. parti instruct. cap. 111.* addit; Non teneri coniugem, remouere alterum coniugem, precibus, aut alio modo, à petendo debito, vt ieiunare possit.

Qvæstio XLIX.

An vxor, quæ ieiunij causâ, ita redditur macilenta, & debilis, vt minus placeat marito, teneatur ieiunare?

Respondeo: Non teneri. Quia tunc vxor pateretur notabile damnum, & incommodum; cùm clarè exponeretur periculo excidendi ab amore maritali, in quo quies matrimonialis consistit. Sic Caiet. Armilla *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. num.11. & lib.5. consil. cap.1. dub.15. num.5.* Angles *loc. cit. Append.4.* Fagundez, & Bonacina, Nauar. & Sà *loc. cit.* Pasqualig. *decis.281.* & alij communiter, & Molfes. *tract.10. n.46.* Sic loquens: Si vxor propter ieiunium efficeretur pallida, & deformis, & ob illam causam despiceretur à viro, aut esset occasio incontinentiæ viri; excusaretur à præcepto ieiunij ex lege charitatis: & etiam quia mutuus coniugum amor, est valdè necessarius ad vitam coniugalem quietè traducendam. Sic ille. Ex Sanch. *lib.9. de Matr. disp.3. n.11. & 13.*

Qvæstio L.

An vxor excusetur à ieiunio ob viri præceptum; si aliàs orirentur discordia, & rixæ inter ipsos?

Respondeo: Excusari. Quia præcepta positiua Ecclesiæ non obligant cum tanto dispendio, quale est violatio charitatis, inter vxorem, & virum. Sic Nauar. *c.21. n.19.* Sanchez *lib.9. de Matrim. disp.3. n.3.* Angles *loc. cit.* Azor *1. p. q.18. (aliàs 29.) q.7.* Medina *C. de ieiunio. q.9. ver. Ad eum casum.* Sancius *in select. disp.54. num.26.* Fagundez *lib.1. cit. c.9. num.9.* Bonac. *disp. vltim. de præc. Eccles. q.1. punct. vltimo. n.14.* Moure, seu Fernandez *2. p. examin. c.8.* (non 9. vt citatum inueni apud Pasqualiguio) *§.1. num.14.* Villalob. *1. par. sum. tract.23. diff.4. n.13.* Layman *lib.4. tract.8. c.3. n.4.* Viguerius *de Theolog. institut. cap.7. de virtute temperantiæ §.3.* & alij, quamplures, quos refert, & sequitur Pasqualigus *decis.182.* Qui benè cùm communi notat, id esse intelligendum, modo id vir non præcipiat in contemptum fidei, aut ieiunij; quia tunc mors est potiùs oppetenda, quàm ieiunium frangendum.

R. P. Leand. in V. Precept. Eccles.

Qvæstio LI.

An vxor, in casu prædicto, non solùm possit, sed etiam teneatur ad non ieiunandum, ob vitandum scandalum?

Negant teneri; Palud. *in 4. dist.15. q.2. art.2.* Sancius *in selectis disp.54. num.26.* Quia in dicto casu, scandalum mariti, est scandalum Pharisæorum, quod ipsi, non vxori est imputandum, quæ ieiunando facit, quod præcipit Ecclesia.

Sed probabiliùs, sub distinctione, respondeo: Dicendum: Quòd mulier, in prædicto casu, licèt possit licitè, non tamen teneatur omittere ieiunium, ob scandalum mariti; quando hic, absque rationabili causa, vult vxorem non ieiunare. Quia tunc scandalum mariti est ortum ex malitia ipsius. Si verò, ex rationabili causa (qualis est omnis illa, quæ excusare potest à ieiunio) nolit maritus vxorem ieiunare; tunc tenebitur vxor non ieiunare ob vitandum scandalum mariti, quia tunc maritus rationabiliter vult, & mulier consequenter, resistendo, irrationabiliter resisteret. Sic Pasqualigus *decis.283. à n.3.*

Qvæstio LII.

An fœmina viro hæretico nupta, eximatur à ieiunio, si vir prohibeat illi ieiunare?

Respondeo: eximi à ieiunio, ob vitandas discordias, & rixas, & domus perturbationem. Hoc tamen intelligendum est, casu quo vir hæreticus non prohibeat ieiunia in contemptum fidei, Religionis; aut in odium præcepti ieiunij Ecclesiastici; sed ob alios fines; nempe, quia incommodum, & detrimentum sibi, & familiæ suæ putat ieiunia talia, ob diuersos cibos comparandos, & parandos. Sic Nauar. Azor, Fagundez, Villalob. *locis supra q.50. cit.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. n.12.* Lublinus *p.1. sum. ver. ieiunium, num.15.* Pasqualig. *decis.284.* & alij penes ipsum.

Qvæstio LIII.

An excusetur à ieiunio fœmina nubere volens, si ex ieiunio deperdat formam, & colorem?

Affirmant absolutè Sanchez *lib.9. de matrim. disp.3. num.12.* Lopez *2. part. instruct. cap.111.* Quos citat, & sequitur Fagundez *lib.1. cit. cap.8. n.18.* Sancius *in selectis disp.54. num.25.* Trullench *loc. cit. n.15.* & Molfes. *1. p. sum. tract.10. c.4. n.46.* Quia deperditio formæ in ordine ad nubendum, censetur notabile damnum, quo imminente, non obligat præceptum ieiunij.

Sed clariùs Respondeo: Excusari quidem ab aliquibus ieiuniis Ecclesiæ, sed non ab omnibus (nisi fortè complexio fœminæ sit tam delicata, vt à quocumque ieiunio notabiliter offendatur formæ speciositas.) Ratio est. Quia regulariter loquendo, vnum, aut alterum ieiunium, non potest causare notabile detrimentum formæ: ergo ad vnum, aut alterum tenebitur. Et ideò, vt plurimùm loquendo, tenebitur ieiunare in vigiliis, & vnum, & alterum ieiunium in quatuor temporibus, & bis, aut ter in singulis hebdomadis Quadragesimæ. Sic Pasqualig. *decis.285. per totam.*

QVÆSTIO LIV.

An prægnantes, & lactantes teneantur ad ieiunium?

RESpondeo: Non teneri. Quia nequeunt vnica refectióne, quam ieiunij ratio petit, sibi, & infantulo sufficienter, de alimento prouidere. Sic communiter DD. Caiet. *in summ. verb. Ieiun. cap. 3. & 2. 2. quæst. 147. art. 4.* Gabriel *in 4. dist. 16. quæst. 3. artic. 1. notabili* 4. Quos citat, & sequitur Fagundez, *de 4. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 14.* Angel. *verb. Ieiunium, num. 15.* Syluester *quæst. 9.* Rosella *numero 21.* (aliàs 24.) Tabiena *num. 21.* & Nauar. *cap. 21. num. 16.* Quos citat, & sequitur Azor *1. part. lib. 7. cap. 17.* (aliàs 27.) *qu. 6.* Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 39.* Vega *in summ. tom. 1. cap. 14. casu 12.* Valentia *tom. 3. disput. 9. qu. 2. punct. 5.* Graffius *1. part. lib. 2. cap. 37. num. 44.* Toletus *lib. 6. cap. 4. num. 3.* Tannerus *2. 2. disput. 3. quæst. 3. dub. 5. num. 100.* Syluius *quæst. 147. art. 4.* Fillliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 6. numero 124.* Villalob. *tom. 1. tract. 23. diff. 4. num. 2.* & Ioann. de Cruce, *1. part. summ. præcept. 3. art. 4. dub. 9.* Quos citat, & sequitur Diana, *1. part. tract. 9. Resol. 14.* Llamas, *3. part. Method. cap. 5. §. 21.* Angles, *quæst. 6. de ieiun. diff. 7.* Reginald. *lib. 4. cap. 17. num. 210.* Bonacin. *disput. vltim. de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. vltim. numero 3.* Sà *verb. Ieiun. num. 9.* Layman, *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 3.* Trullench. *lib. 3. in Decalog. capite 2. dub. 7. num. 5.* Sanchez *libro 5. consil. cap. 1. dub. 14. num. 12.* Ioann. Henriquez *in summ. editione 16. quæst. 21.* & alij quamplures, quos refert, & sequitur Pasqualigus *decis. 286.*

QVÆSTIO LV.

An ad minùs teneantur ad ieiunium dictæ prægnantes, & lactantes, casu quo sint robustæ, ita vt vnica refectione possint seipsas, & infantulos sustentare?

AFfirmant Caietan. Graffis, Syluester, & Fagundez *loc. cit.* Philiarcus *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 25.* Abulens. *in 6. Matth. q. 146.* & nonnulli alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Adhuc non teneri. *Primò.* Quia robur maius corporis, maius alimentum petit. *Secundò.* Quia lex, ad ea, quæ accidere frequenter solent, adaptatur, *Lex his, & l. sequenti, Nam ad ea, ff. de legib.* ergo cùm prægnantes, & lactantes, vt plurimùm, non possint ieiunare, absque præiudicio infantuli, vt vsus Ecclesiæ approbat; omnes debent, aut possunt, eodem vti fauore. Sic expressè Molfes. *tom. 1. summ. tract. 10. cap. 4. num. 40.* & penes illum, Gabriel, Paludan. Syluest. Nauarr. & Reginald. (Sed ex his non bene citatur Syluester.) Angles, Diana, Trullench. & Pasqualigus, *locis citatis*, Et ante eos Richard. de Media villa *in 4. distinct. 15. art. 9. quæst. 4.* his absolutis verbis, Excusantur mulieres prægnantes, propter duas rationes. Vna est: quia debent accipere cibum, non tantùm pro se; sed pro nutrimento fœtus. Alia est: quia prægnantes consueuerunt habere varia, & inordinata desideria ciborum; & quandóque ita intensa, quòd nisi aliquo modo possent appetitui satisfacere, posset esse periculum periclitationis fœtus. Sic ille.

QVÆSTIO LVI.

An prægnantes, & lactantes, peccent ieiunando, ad minùs casu quo ita robustæ sint, vt vnica refectione sibi, & infantulis prouidere possint?

NEgant peccare in isto casu Caietanus, Syluest. Angel. Angles, Nauarr. Fagundez, & alij communiter, *loc. cit.*

Sed probabiliùs Respondeo: Peccare adhuc casu, quo robustæ sint; Quia nunquam possunt esse securæ, quòd sint tanti roboris, vt vnica comestione possint sibi, & infantulis satisfacere: ergo se exponerent periculo valde probabili, graue damnum inferendi infantulis. Sic Pasqualig. *loc. cit.* Qui tamen limitat hoc, dicendo, id esse intelligendum, casu, quo dictæ fœminæ ieiunarent suprà duos dies continuos, secùs verò, si vno, aut altero. Sed hæc limitatio mihi non placet, ob rationem à nobis datam. Legantur Azor, *loc. cit.* & Gabriel, *in 4. dist. 16. q. 3. Notabili* 4. vbi nostram sententiam clarè tenet: dicit námque sic: Infirmitas cōditionis est minor valetudo personæ propter conditionem sexus, vel alterius accidentis: quales sunt mulieres prægnantes, & nutrientes; quæ ieiunare non debent, quia cibum tenentur accipere, non tantùm pro se, sed etiam pro nutrimento fœtus, ad quod non sufficit vna comestio. Sic ille, & clariùs adhuc Viguerius, *c. 7. de institut. Theolog. §. 3. fol. mihi 69.* per hæc verba. Mulieres prægnantes, & lactantes, quia habent pro duobus cibum sumere: ideò non debent ieiunare: Quia eorum ieiunium tanquam paruulis damnosum, esset sacrificium de rapina, ideò vix excusari possunt à peccato. Sic ille. Rectè video, quòd illa particula, vix, non omninò accuset, iuxta dicta à nobis suprà, *tract. 2. disp. 1. q. 80.*

QVÆSTIO LVII.

An prægnantes, & lactantes, possint in diebus ieiunij, comedere carnes?

NEgant absolutè Tolet. *lib. 6. cap. 4. num. 1.* Bonacina, *punct. vltim. citato, num. 3.* Angles, *diff. 7. cit. in fine.* Bassæus, *verb. Ieiunium, 2. n. 6.* & Ghetius, *num. 6. verb. Infirmi etiam*, & Ludou. de S. Ioan. *art. 7. diff. 6. Append. 3.* & alij.

Affirmant verò, è contrà, Funes *in speculo morali, §. 3. c. 2. n. 6.* & alij, quos, suppresso nomine, refert Bonac. *loc. cit.*

Sed clariùs, Respondeo dicendum. *Primò.* Quòd dictæ mulieres licitè, possint, imò, & debent, comedere carnes, etiam in diebus ieiunij, quando eas vehementer appetunt; quia aliàs esset periculum periclitationis infantis, vt notant Azor, Bonac. Trullench. & alij *loc. cit.*

Respondeo; *Secundò.* Quòd casu, quo prægnantes, & lactantes sint valde robustæ, non possint in diebus ieiunij carnes comedere; vt bene Authores primæ sententiæ affirmant, præcipuè Pasqualigus, *decis. 287. num. 3.* Secùs tamen in casu, quo, vel robustæ non sint, sed nimis delicatæ complexionis. Quia tunc re vera, ex abstinentia à carnibus, posset infantulus damnum subire notabile; vel, etiamsi sint robustæ, lactent duos infantulos simul: quia tunc propter maximam ibi indigentiam ad sufficienter cibandos illos, probabilis mihi videtur sententia Funes relata. Imò adhuc in casu, quo vnicum lactarent infantulum, si hic esset autinfirmus, quod est certum, aut valde, præter consuetudinem, debilis. Cum omnibus tamen facillimè dispensari potest, vt carnes diebus

ieiu-

ieiunij comedant; quia earum abstinentia, aliquo pacto nocet, saltem negatiuè, infantulos cùm subtrahat illam bonam nutritionem.

QVÆSTIO LVIII.

An prægnantes, ad vincendas tentationes carnis, teneantur, etiam cum periculo prolis, ieiunare: casu, quo, solùm hoc modo, possint illas superare?

AFfirmant Moure, *in summ. part. 4. cap. 12. §. 6. num. 1.* & Naldus, *verb. Ieiunium num. 9. verb. Quid autem, & verb. Mulier, num. 2.*

Sed, vt certissimum, Respondeo: Non teneri; imo nec posse ieiunare. Quia certum est, quòd, sine ieiunio, possunt vinci tentationes carnis, cùm illud, non sit remedium vnicum, & necessarium ad eas vincendas: ergo non possunt dictæ fœminæ exponere prolem periculo mortis, ieiunando; cùm sibi, absque ieiuniis, prouidere possint. Consequentia est euidens. Antecedens probatur. Quia, præter ieiunia, suppetunt alia remedia, non solùm spiritualia, vt frequentationes Sacramentorum, orationes, & alia huiusmodi, verùm etiam corporalia, vt flagellationes, genuflexiones, & huiusmodi. Sic Homnbonus, *part. 2. examin. Eccles. tractat. 8. cap. 7. quæst. 17.* Diana *1. part. tract. 9. resol. 30.* Trullench. *libro 3. in Decalog. c. 2. dub. 7. num. 5.* Ghislinus, *v. Ieiunium, num. 21. lit. T.* & Pasqualig. *decis. 289.*

QVÆSTIO LIX.

An fœmina, quæ experta est, aut abortum pati; aut fœtum edere breui moriturum, ob defectum congrui nutrimenti prolis, eximatur à ieiuniis, etiam antequam prolem concipiat?

REspondeo: Eximi à præcepto ieiunij; imò & à præcepto abstinentiæ carnibus, ob vitandum tam graue malum prolis futuræ. Adhuc addo, quòd non solùm ab his præceptis seruandis eximatur; verùm, quòd ad illa non seruanda astringatur, & ideò nec ieiunare, nec abstinere à carnibus possit, absque graui peccato. Sic Pasqualigus, *decis. 288.* per totam.

QVÆSTIO LX.

An omnes exercentes artes laboriosas; vt sunt Agricolæ, Fabri Ferrarij, Lignarij, & huiusmodi eximantur à lege ieiunij?

REspondeo, vt quid certum: Eximi. Quia præceptum ieiunij non obligat cum tanto incommodo. Sic omnes Doctores. D. Thom. *2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 2.* Abulen. *in cap. 6. Matth. quæst. 143.* Caiet. *in summ. cap. 3. & 2. 2. loc. cit.* Maior *in 4. dist. 15. q. 3.* Richard. *art. 3. q. 4.* Palud. *art. 2. quæst. 4.* Rosella, *v. Ieiun. num. 19.* Tabiena, *numer. 19.* Nauarr. *cap. 21. num. 16.* Lessius, *lib. 4. cap. 2. num. 42.* Filliuc. *tract. 27. cap. 6. num. 118.* Reginald. *libro 4. cap. 16. num. 213.* Bonacin. *loc. cit. punct. vltim. numero 8.* Fagundez, *de præcept. 4. lib. 1. cap. 8. num. 15.* Sanchez, *lib. 5. consil. c. 1. dub. 7.* Sancius, *in select. disp. 54. num. 14.* Trullench, *libro 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num. 9.* & alij plures, quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis. 290.* Addunt etiam Rosella, Tabiena, Syluester, & Nauarrus, ita declarasse Eugenium IV. anno 1440. cuius declaratio refertur in Compend. priuileg. Fratr. Min. *verb. Ieiunium, num. 2.* per hæc verba: Idem Eugenius declarauit, quòd artifices laboriosas artes exercentes, & rustici, siue diuites sint, siue pauperes, non tenentur ieiunare sub præcepto peccati mortalis. Et quòd absolui possunt, & induci ad eleemosynas, & alia bona facienda. Sic Compendium.

QVÆSTIO LXI.

An qui ita robustus est, vt simul exercere artes laboriosas, & ieiunare potest; ad id teneatur?

AFfirmant Abulens. *in cap. 6. Matth. quæst. 143.* quem citat, & sequi videtur Reginald. *lib. 4. cap. 16. num. 216. pag. mihi 219. §. Cæterum.* Addens, ad idem intentum, quandam regulam generalem à Medina, *C. de ieiun. q. 9. vers. De infirmis*, traditam; nempe. Quòd habentes causam ad non ieiunandum, non debent recedere à præcepto de abstinentia in die ieiunij, vltra quam recedere eis permittitur; quia in illo excessu, quo vltra exigentiam causæ recedunt, perinde est, ac si recedendi causam non habeant. Sic Reginald. ex Medina.

Sed probabiliter Respondeo: Non teneri *Primò.* Quia absolutè lex ieiunij, non obligat exercentes artes laboriosas, vt declarauit Eugenius IV. ergò neminem, ex illo personarum genere, obligat. Quòd enim aliquis inueniatur ita robustus, vt simul exercere illas artes, & ieiunare possit, est per accidens, & rarò contingens, ad quòd non respicit lex, vt suprà est habitum. *Secundò.* Quia robustiores personæ, maius alimentum requirunt: ergo, licèt pro aliquo tempore, possent sustinere laborem, & ieiunium, tandem defatigarentur, & fortassè ampliùs quàm cæteri. Sic Pasqualig. *decis. 290. num. 4.*

QVÆSTIO LXII.

An Diuites, qui non ex indigentia, exercent artes laboriosas, excusentur à ieiunio?

NEgant excusari D. Thom. *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 4. ad 3. & 2. 2. qu. 147. art. 4. ad 3.* D. Anton. *2. part. tit. 6. cap. 2. §. 6.* Gabriel, *in 4. distinct. 16. quæst. 3. articul. 1. notab. 4.* Angel. *verb. Ieiunium, num. 15.* & Armilla, *numero 4.* Durandus, *in 4. distinct. 15. quæst. 10. numero 6.* omnino ex D. Thoma.

Sed cum communi sententia probabiliùs, Respondeo: Quòd excusentur. Quia ita habetur expressè in declaratione, seu dispensatione Eugenij IV. vbi, vt vidimus, dicitur, quòd lex ieiunij, non comprehendit eos, qui laboriosas artes exercent, siue diuites sint, siue pauperes. Sic Maior, *in 4. distinct. 15. q. 3.* Siluester, *verb. Ieiunium, qu. 9. num. 24.* Rosella, & Tabiena, *num. 19.* Nauarr. *cap. 21. num. 16.* Angles, *qu. 6. de ieiunio, diff. 10. Append. 1.* Medina, *C. de ieiun. q. 6.* Tolet. *lib. 6. cap. 4. num. 3.* Azor. *1. part. lib. 7. cap. 17. q. 8.* Molfes. *tract. 10. cap. 4. num 41.* Lessius, *lib. 4. cap. 2. num. 42.* Reginald. *lib. 4. cap. 16. numero 213.* Sanchez, *lib. 5. consil. dub. 7. num. 4* Sancius, *in select. disputat. 54. num. 14.* Fagundez, *de 4. præcept. Eccles. cap. 8. num. 15.* Filliuc. *tract. 27. cap. 9. nu. 120.* Bonac. *disput. vltima de præcept. Eccles. q. 1. punct. vlt. num. 9.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. n. 2. dub. 7. num. 8.* Pasqualigus, *decis. 291. num. 2.* Quintanadueñas, *de Iubil. cap. 8. in fine*, & Ioann. Henriquez, *in summ. sect. 16. q. 26.* & communis.

QVÆSTIO LXIII.

An qui exercent artes laboriosas, aut, ob bonum aliquod acquirendum; aut, ob damnum notabile vitandum, teneantur ad ieiunium?

AFfirmant D. Thom. *in 4. dist. 15. quæst. 3. quæst. 3. ad. 3.* Ex quo (inquiens) patet, quòd intentio maioris lucri non necessarij eos à peccato non excusat, si ieiunium frangant. Sic S. Doctor. Et post illum Gabriel, *in 4. dist. 16. q. 3. notab. 4. vers. Tertia causa.* Durandus, *loc. cit.* & alij.

Sed Respondeo cum communi: Non teneri. Quia lex ieiunij est suauis, & non obligat cum notabili detrimento: esset autem notabile detrimentum, iacturam pati in communi; vt paterentur, si à consuetis operibus vacarent homines. Sic Nauarr. *num. 16. cit.* Lessius *loc. cit. num. 45.* Reginald. *loc. cit. num. 218.* Filliuc. & Tolet. *loc. cit.* & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 292.* Inde inferens. Quòd qui solitus est venari, & piscari, id possit facere in die ieiunij, non ieiunando, si inde speret notabile emolumentum, & (à fortiori) quòd soluatur à ieiunio ille qui laborat, vt restituat.

QVÆSTIO LXIV.

An qui excusantur à ieiunio ratione laboris, teneantur ieiunare, illis diebus, in quibus non laborant?

NEgant, teneri ieiunare, casu, quo laborantes sint fatigati, aut debiles, ex labore præterito; aut futuri sint debiles ad laborandum sequenti die; secus aliàs, Angles, *q. 6. de ieiun. diff. 10. dub. 1.* Medin. *lib. 1. summ. cap. 14. §. 10.* Bonacina, *loc. cit. ver. modo cum Medina.* Reginald *cap. 16. cit. num. 114.* Filliuc. *tr. 27. cap. 6. nu. 121.* Syluius, *in 2. 2. D. Thom. q. 187. art. 4.* Villalob. *tract. 23. diff. 4. num. 9.* Ledesma, *in summ. tract. 27. cap. 2. dub 3. post 5. concl.* Rodriguez, *1. part. summ. cap. 24. num. 1. & 2.* Vega, *1. part. summ. cap. 14. casu 38.* Sanctius, *in select. disp. 54. num. 15. in edit. Lugdunensi*, qui pro hac parte, citat Fagundum. Sed malè, vt infrà; sicut etiam malè citat Pasqualig. pro hac parte Azorium. Prædictis Authoribus adhæret Molfes. *tr. 10. c. 4. n. 42.* Addens, quòd vix accidere possit hic casus inhabilitatis per ieiunium aliquorum dierum, in quibus non laborant.

Sed absolutè Respondeo: Non teneri ieiunare illis diebus in quibus non laborant. Sic Fagundez, *c. 8. cit. num. 16.* ex Azorio, *lib. 7. cap. 17.* (aliàs 27.) *q. 8.* per hæc verba: Sed opinio Azorij est satis probabilis, durum est enim, huiusmodi rusticos, & agrestes viros, qui nunquam soliti sunt ieiunare, vno, vel altero die, quo operam, & laborem intermittant, ad ieiunium obligare. Sic ille; & bene. Vterque ergo est pro hac sententia: & ideò pro illa, vtrumque citat, & sequitur Diana, *1. part. tr. 9. resol. 9.* Ausonius, *in sum. Diana, verb. Ieiunium. num. 25.* Ioan. à Cruce, *1. part. summ. precept. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2.* Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 7. num. 10.* Bassæus, *verb. Ieiunium. 2. num. 7.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. nu. 8.* & Pasqualigus, *decis. 293. à num. 2.* Sic etiam Ioan. Henriquez, *in summ. sect. 16. q. 28.* Vbi absolutè docet: [Que los trabajadores nó estan obligado a ayunar los dias que dexan de trabajar, y que de ninguna manera se ha de escrupulear esto, que seria imponerles vna muy pesada carga sobre su trabajo; pues moralmente se juzga, que aunque no trabejen, tienen impotentia moral de ayunar, &c.] Ita ille. Addit tamen quòd hæc doctrina, [no corre con los oficiales de los oficios poco trabajosos, porque es cierto, que el dia que no exercitan sus oficios, estan obligados a ayunar.

Addunt etiam Pasqualig. & Sanchez nostram sententiam solùm habere verum, quando operarij, vno, aut altero die, cessant à labore propter festum occurrens, aut ob aliam causam; non verò si cessatio esset longior, quia tunc diebus intermedijs, excepto primo, & vltimo ieiunare tenentur, cùm ad recuperandas vires, & vt continuare possint laborem, sufficiat eis præfatis diebus, non ieiunare.

QVÆSTIO LXV.

An Baiuli (Hispanè Ganapanes) eximantur à ieiunio, casu, quo tota die, continuò, aut interpolatè, laborent?

REspondeo: Eximi. Quia horum corporalis labor, est maximus, & valdè vires lassat & consumit spiritus: & ideò necessarium est plurimum nutrimentum, vt reparari possit quod deperditur. Vnde, si ieiunarent, relaxaretur robur consuetum, & non haberent vires congruentes ad portanda onera: Sic Pasq. *decis. 295. num. 1. & 2.* Qui *num. 3.* idem dicendum ait, etiam casu, quo huiusmodi Baiuli, otiosi expectent occasiones laborandi, etiamsi pro illo die non occurrat laborare. Quia præceptum ieiunij non obligat, quando potest impedire consuetum exercitium; vt impediret ieiunium, exercitium Baiulorum, si ieiunarent, illis diebus, quibus non laborant. Legatur Pasqual. *loc. cit.*

QVÆSTIO LXVI.

An sutores teneantur ieiunij legibus?

AFfirmat Angles, *quæst. 6. de ieiunio, diff. 10. Append. 1.* per hæc verba: Non eximuntur qui artes sedentarias, vel parum laboriosas exercent, sicut scriptores, sutores, sartores, &c. Ita ille. Citant etiam Diana, & Pasqualigus, pro hac parte, Toletum, *in summ. lib. 6. cap. 4. num. 5.* sed non benè. Quia Toletus solùm loquitur de sartoribus, saltem expressè. Ait enim sic: Excusantur à ieiunio; sed non sartores, & qui vestes conficiunt, & alij huiusmodi artifices, qui non multùm corpus exercent, à ieiunio excusantur. Ita Toletus. Citat etiam pro hac parte Fagundez, Caietanum, *6. Ieiunium.* Nec etiam benè: nam solùm dicit, quòd excusentur à ieiunio, non solùm laborantes in agricultura, sed in quacumque arte; qui aut vix sic, aut nec sic acquirere possunt omnia necessaria sibi, familiæque suæ, &c. si cum huiusmodi exercitio non possunt simul ieiunare. Sic ille. Citari tamen potest Llamas, *3. part. capite, 5. §. 21. pag. mihi 518.* Vbi expressè docet; nec sutores calceorum, nec sartores, aut barbitonsores, excusari à ieiunio. Ita etiam Luysius Turrian. *in summ. part. 1. c. 256. dub. 16. concl. 1.* licèt, *concl. 7.* dicat id esse in particulari considerandum. Ludou. de S. Ioan. *de ieiun. art. 7. diff. 8. Append. 3. pag. 678.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri ieiunij legibus. *Primò.* Quia ita declarauit Eugenius IV. eximendo in communi à ieiunio omnes artifices, vt infrà, *q. 69.* videbimus. *Secundò.* Quia quamuis sutores, sedentes laborent, magnum tamen conatum adhibent, manibus, brachijs, cruribus, & pedibus ad consuendum calceos; vnde magnus est censendus labor. Sic Azor, *lib. 7. cap. 17. q. 8.* Lessius, *lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 43.*

*num.*43. Reginald. *lib.4.cap.17. sect.2.num.*16. Bonac. *de legib.disp.vltim.q.1. punct. vltim. n.*10. & Layman, *lib.4.tract.8.cap.2.n.3.* Quos citat,& sequitur Diana, *1.p.tract.9.Res.7.* Fagundez, *de 4.precept.Eccles.lib.1. cap.8.n.15.* Sanchez, *lib.5.consil. cap.1.dub.7.num.5.* Ghislinus, *verb. Ieiunium, num.21. lit.N.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.8.* Quos refert, & sequitur Pasqualigus, *decis.296.num.2.* Ausonius, *in sum. Diana,verb. Ieiunium,n.22.* & Quintanaduenas, *de Iubil.c.8. n.17.*

QVÆSTIO LXVII.

An saltem, ad ieiunium teneantur Sutores, qui calceos, ex materia molli, conficiunt?

AFfirmant in hoc casu teneri, Pasqualigus, *loc. cit.num.3.* per hæc verba: Existimo tamen, hanc doctrinam limitandam esse, & non habere locum, quando calcei conficiuntur, ex molli materia, & subtili; nam tunc facilè consuuntur, absque conatu, & vi; nec plus laboris interuenit, quàm interueniat in suendis vestibus: Vnde sicuti sartores non excusantur, secundùm opinionem probabilissimam, ita nec isti sutores. Ita ille.

Sed probabiliter Respondeo: Adhuc non teneri. Quia probabile est, vt ipsemet Pasqualigus innuit, quòd sartores, non teneantur ad ieiunium, *vt infrà* dicemus; ergo, nec prædicti sutores, qui calceos ex molli materia conficiunt, cum vtrorumque eadem sit ratio, & priuilegium. Sic nouissimè tenent Diana *p.10. tract.16. Resol.77. vers. Nota,* & Bossius *in Mor. tom.3.tit.21.§.2.n.63.*

QVÆSTIO LXVIII.

An ad minùs, incidentes calceos, teneantur ieiunare?

AFfirmant Sanchez, *lib.5.consil.cap.1. dub.7. n.5.* Quia incisio corij, magis artificiosa est, quàm laboriosa; nec requirit multum conamen; sed mediocrem. Hanc sententiam sequitur Pasqualig. *loc.cit. num.4.* limitat tamen eam, dicendo, quòd casu, quo tota dies in hoc exercitio insumeretur cum magna applicatione, & celeritate, tunc probabile sit, quòd cesset obligatio ieiunandi; quia tunc labor, ratione durationis, & continuationis, atque maximæ incumbentiæ, fit magnus, atque generans notabilem lassitudinem.

Sed clariùs cum distinctione, Respondeo: Teneri quidem prædictos officiales ad ieiunium si in dicto exercitio partem tantùm diei (vt regulariter solent) consumant; quod probat ratio facta pro Sancio: excusari verò à ieiunio, si integrum diem in incisione insumant calceorum; vt benè probat Pasqualigus, Et facit pro eis declaratio Eugenij IV.

QVÆSTIO LXIX.

An sartores ad ieiunij legem teneantur?

AFfirmant (penes Pasqualigum) Abulens. *in c.6. Matth. q.143.* Angles, *q.6. de ieiunio, diff.10. Append.1.* Azor, *1.p. lib.7. cap.17.quæst 8. ver. Quæres etiam,* Reginald. *lib.4.cap.16.num.216.* Filliuc. *tract.27. par.2. cap.6. num.17.* Molfes. *tom.1.sum.tract.10. cap.4. num.43.* Ragutius, *in Vase Eccles. discipl. præc.7. q.30. n.9.* Lessius, *lib.4. cap.2. dub.6. num.43.* Layman, *lib.4 tract. 8.cap.3.num.3.* Tannerus *in 2.2.disp.3.q.5.dub.5. num.102.* Toletus, *lib.6.cap.4.num.5.* Bonac. *disp.vltim de legib. q. vltim. punct. vltim. num.12.* Sanchez, *lib.5. consilior.cap.1. dub.7.num.7.* Trullench, *lib.3. in Decalog.cap.2. dub.7. num.9.* Villalob. *tom.1.tract.23.diff.4. num.7.* Ioann. a Cruce, *1.p.summ.præc.3.art.4.dubit.9. concl.2.* Bassæus, *v. ieiunium 2. n.8.* Ghislinus, *eo. v. num.22.* Quos omnes citat, & sequitur Pasqualig. *decis.305.* & probat. Quia hoc exercitium, non exhaurit vires; cùm fiat cum labore valde moderato. His Authoribus addi possunt Llamas, *3.p. Metho. c.5. §.21.* Maior *in 4. dist.15.quæst.3. col.5.* Ludouic. de S. Ioann. *art.7.diff.8. append.1.* Quintaduennas, *de Iubil. cap.8.n.17.* Vega, *1.p.sum. cap.14.casu 36.* P. Ledesma, *2.p.sum.tract.27.fol.638.* Grafsi. *1.p.decis.lib.2.cap.37.* Ioan. Sancius, *disp.54. n.16.*

Sed probabiliter certè, Respondeo: Non teneri, casu, quo tota die, vt solent, suo incumbant labori, & officio; secus alias. Probatur. *Primò.* Quia Eugenius IV. expressè declarauit omnes artifices, vel opifices, suas artes exercentes, ad ieiunia, sub peccato mortali, non teneri: at sic est, quod sub nomine artificum etiam comprehenduntur sartores: ergo.

Nec valet responsio Pasqualigi dicentis, Pontificem solùm loqui de artificibus, qui exercent artes laboriosas. Quia contra est, *Primò.* Quia hoc non testatur Nauar. qui dictam declarationem refert, *c.21. num.16.* cùm absolutè dicat, Pontificem declarasse, solutos esse à ieiunio, *opifices suas artes exercentes, &c. Secundò.* Quia de iis, qui exercent artes laboriosas, vt Argentarij, Ferrarij Agricolæ, Fossores, & similes, non potuit esse dubium, an illi tenerentur ad ieiunium, cùm de se constaret, ad id non teneri; de aliis ergo artificibus debuit dari declaratio. *Tertiò denique,* quia, vt statim dicemus, ars sartoria, inter laboriosas artes comprehendi debet: ergo.

Secundò probatur. Respondeo, ex concessis à Pasqualigo. Quia sartores insumunt integrum diem, & amplius, vt ego à multis accepi, in suendis vestibus, cum magna applicatione, & celeritate: ergo eorum labor, ratione durationis, & continuationis, atque maximæ incumbentiæ, reputandus est magnus: ergo liberabit eos à ieiunio: hæc consequentia est nota, antecedens, expressè est concessum à Pasqualigo, loquendo de his, qui incidunt calceos; vt vidimus, *quæst. 68.*

Tertiò. Quia, qui huiusmodi artem eligunt, communiter sunt pauperes; nec habent commodum cibum ad se, suamque familiam honestè alendam; ergo, si cum hac indigentia cibi, adiungatur labor continuus sartorum, magnus re vera fiet, magnúsque erit reputandus, cui corpus nequeat cum ieiunio resistere. Nam (vt ipse Pasqualig. *decis.307. num.3.* ait) corpus leuiter nutritum, magis fatigatur mediocri labore, quàm robustum, & probè nutritum fatigatur graui. Sic tenet Fagundez, *de 4.præc. Eccles. lib.1. c.8. num.15. & 16.* Præcipuè, *in edit.2.* Vbi hæc addidit verba: Et quamuis Ioan. Sanchez, P. Ledesma, Graffis, Vega, Toletus, Lessius, Villalob. & Filluic. *(loc. à nobis cit.)* sartores, & barbitonsores non excusent, ob exiguum laborem, quem habent; tamen non video rationem, ob quam non excusentur, cùm artifices, & opifices, excuset Eugenius IV. vt vidimus hic, *& num.15.* & cùm Papa eos excuset, contra rationem videtur, velle eos ad ieiunium obligare. Sic ille. Qui etiam citat pro se Ledesmam, *2.p.4. q.17 art.3. dub.9. ver. Secunda propositio,* id expressè docentem; & Emanuëlem Sà, *verb. Ieiunium, num.9.* Quatenus generaliter, omnes artifices à ieiunio excusat. Sicque Machadus, *tom.2. [illegible] part.8. tr.7. docum.5. à num.5. & tract.8. docum.8. n.2.* Citat etiam Pasqualigus pro hac sententia, Dianam, *1.part.tr.9. resol.8.* eo quod in vltimo loco eam constituat. Sed Diana, *part.8. tract.8. Resol.55.* clarè oppositum docet,

cet, quamuis dicat noſtram ſententiam non eſſe improbabilem. Et meritò, non eam eſſe probabilem, ex dictis liquet, & clarè inquiunt Azor, Sanchez, *loc. cit.* Paſqualigus, *decif. 299. num. 3.* & Trullench. *loc. cit.* Vbi addit, poſſe aliquando tales circunſtantias occurrere, vt eos à ieiunio excuſare poſſint; vt ſi de more habent nimis vigilare, & nimij laboris moleſtiâ pregrauantur capite, vel ſtomacho. Ita ille, ex Sanchez. In quo valdè fauent noſtræ ſententiæ, ne dicam illam tenere. Tenet Tandem noſtram ſententiam Ioann. Henriquez, *in summ. ſect. 16. quæſt. 27.* per hæc verba: [Pero mas prouable es, que de ninguna manera tienen obligacion de ayunar los Saſtres, Barberos, ni Pintores, ni los demas oficiales ſemejantes. Eſta opinion es de Diana, Ledeſma, y Fagundez, el qual prueua eſto con vna declaracion de Eugenio IV. en la qual generalmente eſcuſa a todos los Artifices, de la obligacion del ayuno, &c.] Ita ille, & nouiſſimè meam ſententiam, vt probabilem admittit Diana *p. 10. tr. 15. Reſol. 37. verſu Nota hic.*

QVÆSTIO LXX.

An Barbitonſores, ad præceptum ieiunij teneantur?

AFfirmant omnes Doctores pro prima ſententia nuper adducti.

Sed probabiliter Reſpondeo: Non teneri; dummodo per totum integrum diem, ſuam exerceant artem; ſecus autem, ſi per aliquam tantùm diei partem. Quod ex nuper dictis pro noſtra ſententia, ſatis liquet, & hanc docent, abſque vlla limitatione Ledeſma, Fagundez, & alij pro ea citati.

QVÆSTIO LXXI.

An pictores ad legem ieiunij teneantur?

AFfirmant (penes Paſqualigum, *decif. 306.*) Azor, Angles, Molfeſ. Toletus, Layman, Bonacina, Tannerus, Sanchez, Filliucius, Ioan. à Cruce, Trullench, Baſſæus, Ghiſlinus, Reginald. & Villalob. *locis quæſt. 69. citatis*, Sancius, *in ſelectis, diſp. 54. num. 16.* Syluius, *in 2. 2. quæſt. 147. art. 4. ver. Neceſſitas.* Ledeſma, *in ſumm. tract. 27. cap. 2. dub. 3. poſt 5. concluſ.* & Graffius, *1. p. decif. lib. 2. cap. 37.* Quibus addi poſſunt Leſſius, *lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 43.*

Negant verò (apud eundem Paſqualigum) Ledeſma, *2. p. 4. quæſt. 17. art. 3. dub. 9.* & alij, qui intuitu priuilegij, aut declarationis Eugenij IV. eximunt à ieiunio omnes artifices. Sunt autem, penes Machado *lib. 2. p. 4. tr. 4. docum. 1. n. 2.* Sà, Ledeſma, Syluester, Tabiena, Maior, Fagundez. Sed hic malè ad minùs Azor, Fagundez. Sed in his malè ad minùs Azor, pro hac parte citatur. Citari tamen poteſt Henriquez *loc. cit. q. 69.*

Sed, iuxta nuper dicta, cum diſtinctione ſic æquè probabiliter Reſpondeo dicendo Pictores, qui ſolùm per aliquam diei partem ſuis officiis, & exercitiis vacant, verè ad legem ieiuniorum tenentur: Minimè verò Pictores illi, qui per totum diem laborant, & ſua officia exercent.

Prima pars huius reſponſionis conſtat. Quia labor Pictorum per aliquam dumtaxat diei partem laborantium, eſt labor valde exiguus. Rurſus declaratio Eugenij IV. intelligenda omnino eſt, de opificibus per totum diem laborantibus, aliàs poſſet verificari etiam de illis, qui ſolùm per vnã horam ſuis incumberent officiis, quod eſt abſurdum: ergo.

Secunda vero pars, etiam conſtat. *Primò*, Quia labor Pictorum per totum diem laborantium, verè eſt notabilis, & nimis grauis; reſultat namque talis; tum ex diuturnitate temporis, tum etiam ex fixa attentione mentis, quam requirit huiuſmodi ars, qua quidem valde conſumit ſpiritus, & relinquit cõſequenter corpus ipſorum ſubſidio deſtitutum, & ideo valde debile. ergo Pictores in dicto caſu, verè nõ tenẽtur ad ieiunium.

Secundò. Quia in hoc euentu à fortiori venit intelligenda declaratio Eugenij IV. Sic tenet omnino Paſqualigus *loc. cit. num. 3. & 4.* Et credo, quòd ſic intelligendi ſint Authores pro ſecunda ſententia ab ipſo citati. Non enim aliud quàm nos docemus docent. ſic me citato, tenet Diana *p. 10. tr. 15. Reſol. 37. in fine.*

QVÆSTIO LXXII.

An etiam Sculptores à ieiunio eximantur, caſu, quo per totum diem, ſuis exercitiis vacent?

NEgatiuam ſententiam docere etiam, omnes Doctores, quos ex Paſqualigo pro prima ſententia retulimus, ait ipſe, *decif. 306. citata num. 3.* Sed certè, omninò malè. Nam imprimis Azor *q. 8. cit.* expreſsè docet, Pictores ad legem ieiunij teneri; ſecus verò Sculptores. Angles, Tolet. Ledeſma, nec de Pictoribus, nec de Sculptoribus mentionem faciunt. Reginaldus verò, & Bonac. ſolum docent non excuſari à ieiunio Pictores, & ſcribas. Vnde (quidquid ſit de aliis Doctoribus) expreſsè id negat Luyſius *in ſum. 1. part. c. 256. dub. 16. concl. 1.* per hæc verba: Sculptores ſutores figuli, argentarij, aurifices &c. non excuſantur à ieiunio.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Eximi etiam, ſicut eximuntur Pictores; Imò, & à fortiori, cùm Sculptorum labor, maior ſit, quàm Pictorum. Pro Sculptoribus ergo, & à fortiori, militabunt rationes factæ pro Pictoribus, quæſtione antecedenti. Sic docent expreſsè Azorius *loc. cit. §. Quæres etiam*, & ex illo, Fagundez *loc. cit. n. 16.* Martinus de Ledeſma, & Paſqualigus *loc. cit.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 9.* Et communis.

QVÆSTIO LXXIII.

An argentarij, qui ſupellectilem argenteam, aut auream fabricant, eximantur à ieiunio?

NEgare videtur Luyſius *loc. cit.* Sed Reſpondeo, tanquam certum; Eximi. Quia horum ars, & exercitium, ex vſu mallei, & limæ, & ex diuturnitate, & attentione mentis neceſſaria, reſultat labor notabilis, & magnus, & proinde incompatibilis cum ieiunio. Sic expreſsè Azor, Reginald. Trullench, Molfeſius, & Fagundez *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. n. 9.* Paſq. *decif. 302.* & alij penes ipſum.

QVÆSTIO LXXIV.

An textores panni lanei, vel linei teneantur ieiunare?

REſpondeo: Non teneri, Quia horum exercitium eſt valdè laborioſum; cùm requirat magnam, & continuam agitationem brachiorum, & motum corporis. Sic expreſsè Azor *lib. 7. cap. 17. quæſt. 7. verb. Quæres etiam.* Reginald. *num. 216. cit.* Bonac. *punct. vltim. cit. num. 10.* & Paſqualig. *decif. 299.* Qui pro

hac

hac parte citat Stephanum Fagundez *n.* 15. *cit.* Ioan. à Cruce *art.* 4. *cit.* *n.* 7. Bassæum, *v. ieiun.* 2. *n.* 7. Ghislinum *c.* 21. *lit.* *N.* & Trullench, *dub.* 7. *cit.* *n.* 8. Sed ex his, ad minùs Fagundez id non docet expressè; licèt id sentire, clarè ex eius doctrina colligatur. Trull. id docet, sed *n.* 9. *non* 8. Docent etiam nostram sententiam Molfes. *tr.* 10. *cap.* 4. *n.* 43. Quintanaduenas *de Iubil. c.* 8. *n.* 27. *&* *penes ipsum*, Diana, 1. *part. tract.* 9. *Resol.* 8.

QVÆSTIO LXXV.

An ad minus Textores vittæ sericeæ aut alterius generis, teneantur ad ieiunium?

AFfirmat Pasq. *loc. cit. nu.* 2. Quia textura huiusmodi vittæ sericeæ, ratione suæ strictudinis, non fit cùm magno, sed cum exiguo motu corporis, & exigua extensione brachiorum, & ideò cum exiguo labore: ergo.

Sed probabiliter Respondeo: Nec huiusmodi textores teneri ad ieiunium, si per totum diem, & partem noctis, vt solent, laborent. *Primò*. Quia Azor, Reginald. Trullench, Molfesius, & Bonac. absolutè, & sine distinctione, omnes Textores eximunt à ieiunio. *Secundò*. Quia huiusmodi textores etiam sunt artifices, & consequenter comprehensi in declaratione Eugenij IV. *Tertiò*. Quia omnes rationes, quæ militant pro liberandis sartoribus à lege Ieiunij militant omnino pro huiusmodi textoribus. Videantur dicta *q.* 69. Ex illis namque constat ad fundamentum Pasqual. & ita meam sententiam tenent Diana *p.* 10. *tract.* 16. *Resol.* 77. *vers. Nota.* & Bossius, *tom.* 3. *tit.* 21. §. 2. *num.* 83.

QVÆSTIO LXXVI.

An Pistores, seu Fornarij, qui in conficiendo, & coquendo pane, laborant teneantur ieiunare?

AFfirmat Luysius *in summ. dub.* 16. *cit. conc.* 2. vbi sic ait: Etiam non excusantur, lanarij, pistores, fullones, & qui panes coquunt, & Scholastici, Concionatores, Notarij, Scribæ. Ita ille.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non teneri. Quia horum exercitium est valdè laboriosum, & ideò requirit vires robustas. Vnde etiamsi non laborent tota die, sed per magnam partem, non tenentur ad ieiunium. Sic expressè Azor. Reginald. Bonac. & Trull. *loc. citat.* Pasqualig. *decis.* 298. & penes illum, alij *q.* 74. citati. Sed non omnes id expressè (licet benè implicitè) docent. Docet tamen Fagundez *cap.* 8. *cit.* *n.* 16. iis verbis: Nam omnibus etiam iis prodest prædicta declaratio Eugenij IV. Vnde sutores, sartores, argentarij, aurifices, tentores, pelliones, fulliones, lanarios, sculptores, pistores, & qui furnariam artem exercent, & qui panes coquunt probabilis opinio excusat; omnes enim hi generali nomine artificum comprehenduntur, &c. Sic ille.

QVÆSTIO LXXVII.

An coqui, qui pro pluribus personis habent parare fercula, teneantur ad ieiunium?

REspondeo: Non teneri, casu, quo ipsi, totum diem aut maiorem partem eius, in tali præparatione insumant, tractentque cacabos, & ollas magnas. Quia talis labor existimandus est magnus præcipuè, si accedat labor ignis, cui frequenter assistere est necessarium. Secus dicendum de coquis, pro paucis personis, præparantibus fercula, & insumentibus in tali præparatione aliquam partem diei, quia hi tenentur ad ieiunium. Sic Pasq. *decis.* 297.

QVÆSTIO LXXVIII.

An coqui Religiosorum teneantur ad ieiunia Ecclesiæ; saltem si parent fercula, licèt pauca pro multis?

NEgat adhuc Pasqualigus, hos teneri ad Ecclesiæ ieiunia. Quia licèt parent pauca fercula; cùm sint pro numerosa familia, quantitas cuiuscumque ferculi æquiualet pluribus; & ideò magis laborant in leuandis, & deponendis cacabis, & ollis, vtpotè magnis; & magis torreontur ab igne, vtpote ex necessitate maiori, quàm alij coqui, qui pro paucis personis, etiam plura fercula parant. Sic Pasqualigus *loc. cit. num.* 4.

Sed ego, maiori cum distinctione, Respondeo dicendo; quòd non teneantur dicti coqui ad ieiunia, casu, quo plura fercula pro multis Religiosis præparent, ob rationem dictam, quæst. præcedenti, quæ æquè, pro hac militat: Secus verò, si pauca fercula præparent, hoc est, duo, vel tria, etiamsi sint pro multis; hoc est, pro viginti, aut triginta Religiosis. Quia tunc labor, si vires aliàs suppetunt, non videtur magnus, cùm in illo, nec multas horas insumant; nec torreantur magno igne, vtpotè non necessariò, sicut non sunt ad id necessariæ magnæ ollæ. Contrarium autem esset verum, casu, quo numerus Religiosorum esset maximus, supra quinquaginta, videlicet, aut sexaginta.

QVÆSTIO LXXIX.

An molitores, qui saltem per maiorem partem diei, portant, & imponunt triticum molendino, colligunt farinam, &c. teneantur ieiunare?

REspondeo: Non teneri. Quia ad huiusmodi exercitium requiruntur vires robustæ, ob continuum, & magnum laborem, quem in se continet. Secus verò dicendum de Molitore, qui per minorem partem diei imponeret triticum molendino, & colligeret farinam; quia tunc, cùm esset in parua quantitate, paruus esset labor, & ideò non excusans a ieiunio. Sic Pasqualig. *decis.* 300. à fortiori.

QVÆSTIO LXXX.

An qui pedestres circumeunt ciuitatem, vendentes merces, teneantur ad ieiunium?

REspondeo: Non teneri, si per totá diem, circumeant ciuitatem. Quia hi debent comparari pedestres iter agentibus, qui in communi sententia non tenentur ad ieiunia. Et hoc à fortiori est verum, si ipsi de ferant merces quas vendunt, quia hoc valde grauat laborem, quem ex se portat circuitio ciuitatis, sufficientem aliàs, ad tollendam obligationem ieiunij. Sic Pasq. *in praxi ieiunij decis.* 303. *n.* 1. Qui *n.* 2. addit, idem dicendum esse, etiam casu, quo non circumeant per totum diem, sed tantùm per maiorem partem diei. Resoluitque *n.* 3. quòd solùm non eximentur à ieiunio, ratione talis exercitij, si per vnam aut alteram horam ipsum exerceant; quia tunc labor non habetur pro considerabili; ratione breuis durationis. Sic ille.

Sed

Sed hæc addita. Sic absolutè prolata, mihi nullo modo placent. Et ideò cum distinctione dico; quòd, si illi, qui per maiorem omnino partem diei, circumeunt ciuitatem vendendo merces, eas sub humeris portent; verè reputandus est magnus. Minimè verò, si non deferant sub humeris merces. Et multò minùs, si huic exercitio incumbant per minorem partem diei: Quia tunc labor ex se, paruus reputandus debet.

Qvæstio LXXXI.

An mulieres, quæ post lexiuium, lauant lineam suppellectilem, seu pannos, (Hispanè, hazen la colada) teneantur ad ieiunium?

NEgat Pasqualigus teneri, etiam casu, quo in exercitio non insumant totam diem, sed tantùm bonam partem ipsius. Quia (inquit) ipse, duntaxat, actus lauandi requirit magnum conatum, & magnas vires: ergo si huic exercitio accedat præparatio illarum rerum, quæ necessariæ sunt pro lauatione; & post lauationem, expansio, & collectio pannorum, absque dubio æstimantur maximus labor tollens obligationem ieiunandi. Sic Pasqualig. *decis.* 304. *num.* 1. & 4.

Sed ego rectiùs cum distinctione, Respondeo dicendum. Quòd vel dictæ mulieres exhibent officium lauandi pannos, in hyeme; aut in alio quouis anni tempore: Si hyeme; dico quòd verè eximantur à præcepto ieiunij, etiamsi solùm per dimidium diei, dicto exercitio incumbant; eo quòd labori lauandi, labor temporis accedat. Vnde fit, quòd, quamuis per breue tempus, maximus resultet labor, incompossibilis cum ieiunio. Si verò prædictum exercitium, non in hyeme, sed alio tempore; exerceant, dico, quòd ad hoc, vt à ieiunio liberentur, debeant per maiorem omnino partem diei, ipsum exercere. Sic post me tenet Diana *p.* 10. *tr.* 15. *Resol.* 57.

Qvæstio LXXXII.

An saltem, mulieres complicantes dictam suppellectilem lineam seu pannos, ad ieiunium teneantur?

NEgat adhuc Pasqualig. *loc. cit. num.* 2. per hæc verba. Quando autem linea suppellex iam mundata complicatur, adhuc labor notabilis est, quia in ea tendenda, & extendenda, atque premenda, prout opus est, requiritur magnus conatus: Vnde hoc quoque exercitium tollit obligationem ieiunandi. Ita ille. Sed laxè certè. Vnde,

Tanquam, certissimum mihi, Respondeo teneri ad ieiunium. Quia labor huius exercitij, de se est leuis; vt constat. Deinde insumitur in illo breuissima pars diei; siquidem in mane insumi potest vna hora; & altera, ad vesperam: ergo non est sufficiens ad tollendam obligationem ieiunij. Addo, quòd si prædictum exercitium sufficeret ad deobligandas mulieres à ieiunio, à fortiori esset sufficiens quodcumque aliud exercitium domesticum, quale est, nere, consuere, & huiusmodi exercitia in quibus, multoties totam diem insumunt: at hæc non excusant à ieiunio: vt fatetur ipsemet Pasqualig. *decis.* 307. *nu.* 2. & ante illum, Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 7. ergo minùs excusabit illud. Sic me citato, tenet Diana *loc. cit.*

Qvæstio LXXXIII.

An famuli, & ancillæ exercentes officia valdè laboriosa, teneantur ieiunare?

REspondeo: Non teneri. Quia exercitium quodcumque, valdè laboriosum, à ieiunij præcepto eximit quemcumque illud exercentem. Sic Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 42. Llamas 3. *part. Meth. capite* 5. §. 21. *pag. mihi* 519. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *c.* 3. *num.* 3. *vers. Quarta causa* Villalob. *tractat.* 23. *diff.* 4. *num.* 8. Angles *quæst.* 6. *de ieiunio diff.* 10. *Appen.* 2. *pag. mihi* 405. Pasqualigus *decis.* 307. *numero* 1. & omnes.

Qvæstio LXXXIV.

An exercitia inseruiendi stabulis, hauriendi aquam è puteo; & huc, illuc discurrendi ob domestica seruitia, excusent Famulum, vel Ancillam à ieiunio?

AFfirmant Pasqualig. *loc. cit. num.* 2. per hæc verba: Regulariter autem, inseruire stabulis, haurire aquam è puteo, si longum tempus insumatur; huc, illuc discurrere per maiorem diei partem, ob domestica seruitia, sufficient, vt ratione laboris, excusent à ieiunio. Ita ille.

Sed ego clariùs, & distinctiùs Respondeo dicendum: Quòd vel famulus, aut ancilla, exhibet omnia hæc ministeria per se ipsum, nunc inseruiendo stabulis; nunc hauriendo è puteo aquam; nunc hospitibus in mensis fercula ministrando, &c. vel solùm exhibet aliquod ipsorum: Si omnia exhibet, aut administrat, & hoc per maiorem partem diei, & magna cum continuatione, ob multitudinem hospitum occurrentium, tunc absque dubio immunis erit à ieiunio. Si verò solùm exhibet aliquod ex præfatis ministeriis, etiam per totum diem, nullo modo erit à ieiunio immunis, quia in hoc exiguus reperitur labor.

Qvæstio LXXXV.

An famuli comitantes rhedas, seu aurigas Dominorum, eximantur à ieiunio?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Trullench *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 15. Sed certè Trullench, non loquitur expressè de præsenti casu, citato loco: Nam solùm ait hæc verba, loquendo de iis, qui ob laborem excusantur à ieiunio: *Item cursores, & famuli, qui pedites insequuntur dominum.* Intellige, iter agentem equestrem. Sed quidquid hic Author velit ad propositam quæstionem.

Clariùs sub distinctione, Respondeo: Non eximi quidem, regulariter loquendo; quia labor eorum, & leuis est, & intermissus; cùm solùm duret per aliquas horas diei. Eximi tamen, casu, quo per totum diem, discurrerent, aut comitarentur per ciuitatem; quia tunc labor eorum esset grauis, & notabilis, ac proinde sufficiens satis ad excusandos dictos Famulos à ieiunio. Sic Pasqualig. *decis.* 308. *n.* 5. & 2. Qui adhuc illos à ieiunio excusat, quamuis solùm per maiorem partem diei comitentur Dominorum rhedas. Sed ego hoc additum minimè admitto.

Quæ

QVÆSTIO LXXXVI.

An etiam eximantur à ieiunio famuli; quando, vt inseruiant Dominis, coguntur valde differre prandium?

RESpondeo: etiam eximi. Quia in hoc casu, ieiunium euaderet nimis onerosum, & affligeret supra mensuram afflictionis, quam intendit Ecclesia. Sic Llamas 3. *part. Method. cap.* 5. §. 21. *pag.* 519. *ver. Excusantur etiam illi*, & Pasqualig. *loc. cit. n.* 4. Qui benè monet, quòd nihilominùs hortandi sunt prædicti famuli, vt ieiunent meliori modo, quo possunt, sumendo aliquid cibi, ipso manè, vt interim possint sustinere afflictionem ieiunij: hoc enim licitè, in eo casu posse fieri, sine fractione ieiunij, constat ex dictis sup. *disp.* 5. *q.* 24.

QVÆSTIO LXXXVII.

An Typographi tractantes torcular, & prælum, sint immunes à ieiunio?

RESpondeo: Esse immunes. Quia labor istorum corporalis, verè est maximus; cùm debeant ducere, & reducere, & premere prælum, ad quod robustæ vires requiruntur: ergo. Sic Diana, Trullench, Pasqualigus, Machado *loc.* statim citandis.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An etiam Compositores Characterum, in ordine ad impressionem; sint exempti à lege ieiunij?

NEgant Diana *part.* 4. *tr.* 4. *Resol.* 134. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. Gordonus *lib.* 6. *Theol. Moral. q.* 18. *c.* 6. §. *Secundo excusans*, & Pasqual. *decis.* 309. *num.* 1. Quia, in hoc exercitio, nullus ferè (inquiunt) interuenit labor ingenij; & labor corporalis, nimis moderatus est, cùm fiat absque vlla omninò agitatione corporis: ergo, nullo ex capite possunt excusari à ieiunio.

Sed, certè probabiliter, Respondeo: Adhuc esse exemptos à ieiunio, si per totum diem componant. *Primo*. Quia dicti compositores Characterum, verè veniunt nomine *Artificum*, vel *opificum*; at isti ex declaratione Eugenij IV. eximuntur à legibus ieiunij: ergo, & compositores. *Secundò*. Quia probabilissimum est, quòd scriptores, qui per totum diem scribunt, immunes sint à ieiunio, vt ipsemet Pasqualigus fatetur, & tenet *decis.* 335. (de quo infrà:) ergo etiam est probabilissimum, quòd etiam sint à ieiunio immunes compositores Characterum, si per totum diem, componant. *Tertiò*. Quia falsum est profectò, quòd in exercitio compositionis, nullus ferè interueniat, labor ingenij, aut corporalis; Quia licèt labor ingenij sit modicus, non est tamen minor labore scribentium; & labor corporalis ex se, & præcipuè ex continuatione per totum diem, & per partem noctis, satis est notabilis; & magnus, sufficiens ad excusandum quemquam à ieiunio. Prætereà quam, quòd dicto labori accedit alter non modicus, quem in leuandis, & portandis formis, & eis in torculari ponendis, dicti compositores habent: ergo exempti erunt à ieiunio. Etiam post hæc scripta, inueni hanc nostram sententiam, vt probabilem amplecti Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 8. *docum.* 4. *num.* 2. Quem citat, & iam sequitur Diana *part.* 8. *tractat.* 7. *Resolut.* 56.

QVÆSTIO LXXXIX.

An nautæ remigantes eximantur à ieiunio?

RESpondeo: Eximi. Quia labor eorum est ingens. Sic omnes Doctores, & expressè Pasqualigus, *decis.* 310. Addens, id esse verum, adhuc in casu, quo non remigent per totum diem, & etiam in casu, quo per aliquem diem cessent à remigando, imò, & per plures; Quia si his diebus, in quibus non laborant; ieiunarent, nimis debilitarentur pro tempore pro quo est laborandum.

QVÆSTIO XC.

An nautæ regentes, & tractantes vela, etiam à ieiunio eximantur?

RESpondeo: Etiam eximi. Quia horum exercitium, est etiam valde laboriosum; cùm debeant suspendere, tendere, & complicare vela, anchoras parare, iacere, & retrahere, & alia huiusmodi exercere, prout occasio tulerit. Sic Pasqualigus *loc. cit. num.* 3. Addens, id esse verum, adhuc in casu, quo non occupentur continuò in dictis exercitiis, eo quòd debeant semper esse ad id parati, & habere vires promptas.

QVÆSTIO XCI.

An milites exempti sint à ieiunio?

RESpondeo: Dicendum, esse exemptos; si degant in castris contra hostes; aut iter agant; aut exerceantur in arte militari; aut excubias agant; aut etiam si degentes intra munitiones, credant probabiliter futuram esse occasionem pugnandi. Quia valde laboriosum id est. Sic Pasqualig. *decis.* 311. Legatur.

QVÆSTIO XCII.

An ornantes templa teneantur ad ieiunium?

RESpondeo: non teneri, si saltem per maiorem partem diei, in hoc exercitio detineantur. Quia labor Ornantium templa, est notabilis, cùm huc, illucque discurrant, portent ornamenta; ascendant, descendant schalas, &c. ergo sufficiens ad excusandum à ieiunio. Sic Molfes. 1. *part. summ. tract.* 19. *c.* 4. *num.* 42. Addens, & benè; cùm communis eadem sit ratio, id habere locum etiam in Religiosis templa ornantibus. Bonac. *disp. vltim. cit. quæst.* 1. *punct. vlt. num.* 13. Bassæus, *ver. Ieiunium.* 2. *num.* 9. Trullench *c.* 2. *cit. dub.* 7. *num.* 15. Pasqualig. *decis.* 312. Lessius *lib.* 4. *de iust. cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 44. & alij.

QVÆSTIO XCIII.

An iter pedestre facientes excusentur à ieiunio?

RESpondeo: Excusari. Quia iter pedestre valde debilitat, & lassat: ergo opus est, iter agentibus maiori, & frequentiori cibo, quàm exigit ieiunium, ad restaurandum corpus. Sic S. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 3. Gabriel *dist.* 15. *q.* 5. *art.* 2. *concl.* 4. Palud. *quæstione* 4. *num.* 20. Palat. *dis.* 8. Durand. *quæstione* 10. Richard. *art.* 3. *quæst.* 4. Angel. *ver. Ieiunium*, *num.* 15. Syluest. *num.* 14. Rosella *num.* 21. Bassæus *numero* 7. Ghislinus *num.* 21. Nauar. *cap.* 21. *n.* 16. *in fine*. Angles *quæst.* 6. *de ieiun. diff.* 10. *dub.* 1. *in fine*. Azor 1. *pars. lib.* 7. *capite* 17. *quæst.* 9. Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 43

Reginaldus

Reginaldus *lib.4. num.* 217. Filliuc. *tract. 27. part.* 1. *num.* 119. & 125. Bonac. *disp. vltima de precept. Eccles. quæst.* 1. *punct. vltim. n.* 11. Sanchez *lib. 5. consil. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 1. Fagundez *lib.* 1. *cit. cap.* 8. *n.* 17. Sancius *in select. disp.* 51. *num* 21. Trullench *lib. 3. in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. Pasqualigus *decis.* 313. & alij, penes ipsum.

Quæstio XCIV.

An iter pedestre vnius diei sufficiat ad excusandum à ieiunio illius diei?

NEgatiuam sententiam tenere nonnullos Authores, ait Pasqualigus *decis.* 313. *num.* 3. per hæc verba: Sed difficultas est; an debeat esse iter longum, an verò breue? Quidam ex Doctoribus citatis, volunt, quod sit iter plurium dierum, vt excuset à ieiunio. Alij absolutè loquuntur, nec definiunt dies, Ita ille. Sed ego attentè legi, ferè omnes Authores, suprà citatos, & nullum inueni requirentem iter plurium dierum, vt excuset aliquem iter agentem à ieiunio vnius diei, in quo iter pedibus agit. Solùm enim dicunt excusari à ieiunio, qui longum iter perdestre suscipit, quod quid diuersum est, vt infrà. Vnde,

Vt certissimum Respondeo: Dicendum: Quòd ad excusandum à ieiunio vnius diei, sufficiat iter vnius diei, si in illo contingat ieiunium. Quia in illo die, datur sufficiens fatigatio ad soluendam obligationem ieiunij, pro illo die: ergo. Sic Pasqualigus *loc. cit.* Et credo, quòd omnes communiter. Nam difficultas solùm potest esse de longitudine itineris, quanta, videlicet, debeat esse, vt excuset à ieiunio, de qua difficultate, iam dicam.

Quæstio XCV.

An iter pedestre septem milliarium sufficiat ad tollendam obligationem ieiunandi?

AFfirmat Pasqualigus, in praxi ieiunij *decis.* 313. *num.* 4. his verbis: Respondeo, quòd præscindendo à quibuscumque circunstantiis, septem, aut octo milliaria sufficiunt vt cesset obligatio ieiunandi. Hanc sententiam videtur tenuisse anteà Sanchez *lib. 5. consil. dub.* 10. *num.* 3. quatenus docet, non excusari à ieiunio illum, qui iter faceret pedestris per vnam, & dimidiam leucam. Per quod clarè innuit excusari, si iter non ita breue pedestris conficeret, nempe, si per sex, aut septem milliaria, seu per duas leucas.

Negat verò è contrà Azor. *loc. cit.* requirens ad tollendam dictam obligationem, vt iter sit quindecim, aut duodeuiginti milliarium (quæ, quinque, vel septem leucas Hispanicas continet.) Bonacina requirens etiam, quindecim, aut viginti milliaria, & Fagundez, requirens, quindecim milliaria (hoc est, quinque leucas) plus, minúsve.

Sed ego, mediâ viâ incedendo, Respondeo: Nec sufficere iter pedestre septem milliarium ad eximendum quem à ieiunio, vt vult Pasqualigus; nec esse ad id necessarium, iter quindecim, aut viginti milliarium, vt Azorio, Bonacinæ & Fagundio placet: Sed sufficere, & esse omnino necessarium; præcisis aliis circunstantiis, iter nouem milliarium, seu trium leucarum, ad tollendam obligationem ieiunij. Quia huiusmodi iter, absolutè loquendo, sufficit, & requiritur, ad generandam eam lassitudinem, corporis, & defectionem spirituum animalium, quæ, vt restaurari possint, necessariò requirat, ac petat multiplicem refectionem, quam vetat ieiunium.

Quæstio XCVI.

An adhuc breuius iter pedestre possit in aliquo casu, tollere obligationem ieiunandi?

REspondeo: Posse, & in multis casibus. *Primò*, casu, quo quis non sit assuetus iter pedibus agere. *Secundò*, casu, quo quis ita sit delicatæ complexionis, vt ex breui itinere contraheret tantam lassitudinem, sicut alius ex magno. *Tertiò*, casu, quo via sit valde ardua, & montuosa, aut luto valde obsita. *Quartò*, casu, quo iter fiat tempore æstatis. In his ergo, aut aliis similibus casibus, sufficient pauciora milliaria, nempe, quinque, aut sex, plus minúsve, ad tollendam obligationem ieiunij. Sic ex Pasqualigo, *loc. cit. n.* 5. Addens *num.* 7. Idem omnino esse dicendum de ieiuniis ex voto debitis; ab his enim, iuxta Doctrinam traditam, iter pedestre etiam liberabit.

Quæstio XCVII.

An Muliones, & Agasones, qui pedestres ducunt, aut comitantur bestias, aut currus, sint etiam liberi à ieiunio?

REspondeo: Esse liberos, casu, quo conficiant iter suprà assignatum; imo, & breuius; cùm præter laborem itineris, fatigentur etiam in ducendis bestiis, aut curribus. Sic omnes Doctores; quamuis inter se discordent in assignanda itineris distantia, vt vidimus.

Quæstio XCVIII.

An si iter pedestre sit merè voluntarium, tollat tunc obligationem ieiunij?

NEgant Gabriel, Durand. Paludan. Palat. Ricard. Syluester, Nauarr. Angles, Azor, Lessius, Reginaldus, Filliuc. Sanchez, Fagundez, & Trullench, locis *quæst.* 93. citat. Quibus addi possunt, (penes Pasqualigum) Toletus *lib. 6. cap. 4. num.* 2. Villalobos *tract.* 23. *diffic.* 4. *num.* 10. Layman *lib. 4. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 4. Moure a *part. summ. cap.* 8. §. 2. *num.* 12. & alij, existimantes, quòd ad hoc, quòd iter tollat obligationem ieiunij, requiratur, quòd, aut necessitate suscipiatur; aut saltem non possit commodè differri.

Sed, æquè probabiliter, Respondeo: Adhuc tollere obligationem ieiunandi, etiam casu, quo iter sit omnino voluntarium; & aliàs, posset omnino differri. Ratio est. Quia præceptum ieiunij, non prohibet iter pedestre: ergo voluntariè omnino potest suscipi à quocumque, & ab eo non obseruari ieiunium, casu, quo labor itineris sit magnus, & incompatibilis, cum illo. Sic expressè docent Medina, *lib.* 1. *summ. cap.* 14. §. 10. Ariostis, *in summ. lib.* 2. §. *De ieiunio.* Sancius, *in select. disp.* 51. *num.* 21. Ghislinus, *verb. Ieiunium, num.* 21. Pasqualigus, *decis.* 314. *à n.* 3. & Ioann. Henriquez, *in summ. sect.* 16. *q.* 29. His addi possunt alij Doctores, qui absolutè, & sine limitatione docent, quòd iter pedestre tollit obligationem ieiunij: veluti Ledesma, 2. 4. *q.* 17. *a.* 3. *proposit.* 2. Viguer. *c.* 7. *inst. Theol.* §. 3. *v.* 2. Sà, *v. Ieiun. n.* 9. Bonac. *pun. vlt. cit. n.* 11. Rodrig. 1. *p. sum. c.* 23. *n.* 1. Ortiz, *in sum. c.* 19. *n.* 12. Lublin. *v. Ieiun. n.* 5. Bassæus, *v. Ieiun.* 2. *v.* 7. & alij. Imo, & Sanchez, iam sibi contrarius, idem docet, *lib. 5. consil. c.* 1. *dub.* 7. *n.* 16. & 17.

Quæ

QVÆSTIO XCIX.

An cursorers, qui per totum diem currunt (*Hispanè*, los que todo el dia corren la posta) *teneantur ieiunare?*

RESpondeo Non teneri. Quia labor cursorum grauissimus est, cùm fiat magna agitatione corporis: ergo potentissimus, ad liberandos eos à ieiunio. Sic omnes communiter Doctores, præcipuè Summa Corona, *c.*1.*n.*26. Tolet. *lib.*6.*c.*4.*n.*2. Medina *lib.*1. *sum.c.*14.§.10. Viguerius, *c.*7. *instit. Theolog.* §.3.*vers.*2. *in fine.* Ortiz, *in sum.c.*19.*n.*12. Lublinus, 1.*p.sum.verb. Ieiunium, n.*5. Layman, *lib.*4. *Theolog. moral. tract.*8.*cap.*3. *num.* 3. Thom. Sanchez, *lib.* 5.*consil. cap.*1. *dub.*2. *num.*6. Ioan. Sanchez, *disp.* 54. *n.*21. & Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*7. *num.*12. Quos omnes citat, ac sequitur Pasqualigus, *decis.*315. *n.*1.& 2. Addens, & bene, *n.*3. Idem esse dicendum de illo, qui per vnicum solum diem curreret. His Authoribus addi possunt Palud. *in* 4.*dist.*15.*q.*4.§. *Quantum. ad* 2. Vbi excusat à ieiunio cursores equitum quando trotant; quia labor (inquit) multum consumit de humido, quia nimis grauarentur vna vice ad sufficientiam sumere: Iidem videntur excusari, non solum si sine tali officio non possunt viuere, quia tunc paupertas excusat, sed etiam si aliter possent viuere, sed non æquè benè, &c. Hæc ille, & alij communiter.

Quòd si inquiras. An idem dicendum sit de illis, qui ad certum diem ad currendum se locant, si habeant aliàs, vnde aliundè viuant;

Negatiuè respondet Palud. *loc. cit.* hæc adiiciens verba: Quia aliud est de illis, qui ad certum diem se locant, qui non debent se locare, nisi possint tunc ieiunare, si habent aliàs, vnde tunc viuant, & non solùm pro tunc, sed pro aliàs. Aliud, de alio, qui locat se ad totum annum, & ad tale seruitium, qui si exciperet quod nunquam trotaret in die ieiunij, non inueniret, qui eum reciperet. Ita Paludanus. Quem sequuntur Syluest. *v. Ieiunium, q.*9. *num.* 24. Gabr. *in* 4. *dist.*16. *quæst.*3. *art.*1. *notab.*4. Angles, *q.*6. *de ieiunio, diff.*11. *dub.*3. *posit.*2.

Sed probabilius longè Respondeo: Adhuc eximi à ieiunio, in dicto casu. Quia ex vna parte ille cursor magnum pateretur laborem incompatibilem cum ieiunio; ex alia etiam, potest suscipere opera voluntaria cum ieiunio incompatibilia, vt quæst. antecedenti manet probatum: ergo. Sic expressè Sanchez, Trullench, & Pasqualig. *loc. cit.*

QVÆSTIO C.

An saltem cursores qui vnicum tantùm cursum in die conficiunt. (*Hispanè*, los Postillones que corren vna posta) *teneantur ieiunare?*

AFfirmant Pasqualig. *loc. cit. n.*6. per hæc verba: De eo autem, qui currit tantùm vnicum cursum, vulgo, *vna posta*, & vulgo dicuntur, *Postiglioni*, dicendum est, non esse immunes à ieiunio, nisi ex aliqua alia ratione excusentur. Cum enim sint assueti tali officio, & labor sit breuis, horam vnicam vix excedens, parum, aut nihil fatigantur. Præsertim, quia quando currendum est; vna, aut altera vncia panis, aut alterius cibi, cum duobus, aut tribus poculis vini, quo plurimum homines isti recreantur possunt se reficere. Ita ille.

Sed probabiliter certè, Respondeo: Adhuc non teneri. *Primò*. Quia labor Postilionis, ingens est, & maximus, & notabilem ex se lassitudinem generans; Nam quamuis sit labor breuis, horam vnicam non excedens; est tamen intensissimus, vtpotè causatus ex velocissimo equi motu, & cursu; & ideo æquiualet labori longo: ergo sufficiens ad liberandum Postilionem à ieiunio.

Secundò. Quia Postiliones, post confectum cursum, statim reuertuntur ad hospitium, vnde exiere, & semper sunt parati ad currendum de nouo; ad quod totum requirunt præhabere magnas, & robustas vires; vt possint suum consuetum exercitium implere ergo non tenentur eas per ieiunium relaxare: ergo non tenentur ad illud.

Tertiò, Contra Pasqualigum, sic ad hominem arguo. Nam si (vt ipse docet, *decis.*295.*num.*3. & 310.) nec Remigantes, nec Regentes, & tractantes vela nauigij, nec Baiuli, tenentur ieiunare, adhuc quando otiosè expectant occasiones laborandi, ne per ieiunium relaxent vires, & fiant inhabiles, adueniente occasione, ad laborandum; potiori iure non tenebuntur ad ieiunium Postiliones, ob eandem rationem, & ob aliam, quã habent ex labore præsenti consurgentem. Legantur dicta à nobis, *q.*65.85. & 90.

QVÆSTIO CI.

An iter facientes equis, teneantur ad ieiunium?

AFfirmant Bonac. *disp. vlt. de legib. q.*1. *punct. vlt. num.*11. Vbi sic habet *in* 1. *edit.* Secus dicendum videtur, regulariter loquendo, de iis, qui equestre iter aggrediuntur; nam hoc genus itineris faciliùs peragitur, cum ieiunio; quàm, expleto ventre. Sic ille. Verum est, quod *in* 2. *edit.* hanc suam sententiam limitat his verbis: Hoc tamen limita, modo iter breue nõ sit, & probabile non sit superuenturam debilitatem, nam si dubium sit superuenturæ debilitatis, non est obligatio ieiunandi, quia ad ieiunium non tenetur, qui officio suo fungi non potest cum ieiunio. Ita ille. Filliuc. *tract.*27. *p.* 2. *n.*122. Tolet. *l.*6. *cap.*4. *num.*5. Sanchez, *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*10. *n.* 4. Fagundex, *lib.*1. *cit. cap.*8. *n.*17. Azor, *l.*7. *cit. cap.*17. *q.*9. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*7. *num.*12. Basseus, *loc. cit.* & alij, qui dum docent, quod iter excusat à ieiunio, limitant ad pedestre.

Negat verò è contrà Ortiz, *in sum. cap.*19. *num.*7. & 10. *fol.*173. & 174. asserens absoluiè, non teneri Equitantes in itinere, ad ieiunium.

Distinguit tandem Pasqualigus, *decis.*316. docens, teneri quidem equitantes ieiunare, si iter sit breue, & equus placidus, & obtemperans, gressu facilis, & sine agitatione incedens: Excusari vero à ieiunio, si iter sit plurium dierum; & præsertim in æstate; aut iter faciant equis conductis, qui nimium lassant equitantes, illos valde concutientes.

Sed probabiliter absolutè, Respondeo: Quod equitantes, non teneantur ad ieiunium, casu, quo iter sit, aut plurium dierum; aut nimis longum etiam si non, sit plurium, sed solùm vnius diei. Ratio est. Quia in hoc casu, quamuis equus sit placidus, & gressu facilis, &c. nihilominus tamen, equitans, valde defatigatur & lassatur ex agitatione equi, & longitudine itineris, quæ maximam molestiam affert itinerantibus, vt experti satis sumus: licet non ob id, Deo dentur gratiæ, à ieiuniis excusari voluimus. Sic docet Ortiz, *loc. cit.* Cuius sententiam ref. nec improbat, Diana, 1. *p. tract.*9. *Resol.*46. Imò, illam expressè approbat, *p.*8. *tr.*7. *Resol.*40. Et illum, pro hac parte citatum, sequitur Machado *in summ. tom.*2. *lib.*6. *p.*6. *tr.*6. *docum.*3. *n.*1. Vbi sic ait. [Muchos absolutamente niegan que esten escusados del ayuno, los que caminan caualleros; otros lo conceden con tantos requisitos, y limitationes, que no sirue mas que dexar

abierta la puerta a mil eſcrupulos, y temores, de ſi el viaje ſe pudo dexar para tiempo que no fueſſe de ayuno; ſi ſe hizo con neceſſidad, o ſin ella; ô ſi el canſancio que reſulta es incompatibile, ô no con el ayuno, ô viage muy largo; condiciones todas que mas ſiruen de affligir, que de aliuiar a vn pobre caminante. Con que no dudo, ſino que aſſi los Confeſſores, como los penitentes deuen en eſta razon a vn Autor graue, que con mucha prouabilidad, y piedad eſcuſa abſolutamente del precepto del ayuno a todos los que caminan caualleros, como quiera que ſea, aunque el viaie no ſea neceſſario, porque juzga, que ſiempre el caminar, aunque no ſea a pie, trae conſigo trabajo incompatible con el ayuno.] Ita Machado. Et ex illo, *in 8. p. loc. cit.* Diana.

In caſu autem, quo iter ſit plurium dierum, id planius conſtat, & expreſsè docent Bonacina, vt vidimus (caſu ad minùs, quo timeatur debilitas) Sanchez, *loc. cit. num.* 5. Filliuc. & Trullench, *loc. cit.* & Paſqualig. *loc. cit.* Addens, tunc equitantes, immunes eſſe à ieiunio, etiam ab initio itineris, eo quòd non ſit ſolùm attendendus præſens ſtatus, ſed etiam futurus. Sic etiam Layman, *lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 3.* Ita dicens: Id obiter hoc loco annotare placet, quamuis Doctores communiter, cùm de iter facientibus, quæſtionem mouent, ſolos pedeſtres à ieiunij lege exemptos eſſe dicant; non rarò tamen accidere, vt etiam, qui equo, aut curru vehuntur, non paucorum, ſed octo; aut decem dierum itinere, corporis concuſſionem patiantur, ob quam ieiunium difficulter perferant. Verumtamen in hac re, certa regula tradi non poteſt; niſi quam ſæpius dedi, Eccleſiaſticam legem legem non obligare cum magna difficultate. Huc vſque ille, & nouiſſimè id iterum docet Diana *part. 10. tract. 12. Reſol. 39.* & Martin. de S. Ioſeph *tom. 1. ſum. lib. 2. tract. 12. de Ieiun. n. 6.*

QVÆSTIO CII.

An equitantes, qui vnico die, decem, aut octo leucas conficiunt ſint immunes à ieiunio illius diei?

NEgare videntur Authores pro prima ſententia nuper adducti: cùm ſolùm affirment, illos duntaxat eſſe immunes à ieiunio, qui iter plurium dierum aggrediuntur equeſtres.

Sed (iuxta dicta) probabiliùs, Reſpondeo: Eſſe immunes à ieiunio illius diei, in quo Equitantes decem, aut octo, leucas (quæ triginta, aut viginti quatuor, milliaria continent) conficiunt. Ratio eſt. Quia, qui, vnico die, decem, aut octo leucas equitant, ſufficienter laborant, & fatigantur, & debilitantur eorum vires: ergo ſufficientem cauſam habent, ad hoc, vt eodemmet die, à ieiunio excuſentur. *Confirmatur* primò, hæc ſententia ex doctrina, *quæſt. 94.* tradita. Nam iter vnius diei; dummodo ſit ad minus nouem milliarium, ſufficit ad excuſandum à ieiunio illius diei iter pedibus agentem: ergo ſimiliter, iter equeſtre vnius diei, dummodo ſit triginta, aut viginti quatuor milliarium (quæ continent decem, aut octo leucas Hiſpanicas) excuſare debet à ieiunio pro illo die, iter equo agentem. *Confirmatur* 2. ex nuper dictis. Quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum magna difficultate: at ſic eſt, quòd qui vnico die equitat itinere decem, aut octo leucarum, difficulter perfert ieiunium, vt experto conſtat: ergo in tali caſu non obligat lex ieiunij. Sic Ortiz, *loc. cit.* dum abſolutè docet non teneri, equitantes legibus ieiunij. Imo & id innuit Viguerius, *c. 7. de virtute temperantia, §. 3. verſu 1. fol. mihi 69.* dum etiam abſolutè hæc verba profert, §. *Itinerantes.* Equitantes verò, vbi eſſet magnus labor, & difficultas nõn modica ieiunandi, propter alterationem; etiam cenſentur excuſati. Sic ille. Ec ſic debent ſentire Diana, & Machado, vt conſtat ex nuper dictis.

QVÆSTIO CIII.

An iter equeſtre breuius aſſignato, poſſit aliquando liberare Equitem à lege ieiunij.

REſpondeo: Poſſe. *Primò* Quando, quis ratione complexionis, faciliùs contrahit grauem laſſitudinem ex concuſſione equi. *Secundò.* Quando, quis in æſtate equitat. *Et tandem*, in omnibus aliis caſibus, quos ſupra *q. 96.* pro pedeſtre itinerante aſſignauimus: & in aliis aſſignans à Paſqualigo in ſua ſententia. In his ergo, vt quis à ieiunio, ratione itineris, excuſetur ſufficiet equitare pauciora milliaria; nempe, quindecim, aut decem & octo (id eſt quinque, aut ſex leucas) quia ex equitatione earum ſufficientem laborem recipiet, quo excuſari à ieiunio poſſit.

QVÆSTIO CIV.

An qui Lectica, aut Curru, vel Quadriga, iter faciunt, à Ieiunij lege eximantur?

NEgat abſolutè Paſqualigus, *deciſ. 317. n. 1. & 2.* afferens pro ſe, Filliucium, Bonacinam, & omnes ferè alios, quos ſupra, *q. 101.* pro prima ſententia, citauimus. Sed certè ex his Doctoribus, Bonac. *in noua edit. loc. cit. n.* 11. apertè docet, excuſari à ieiunio illum, qui lectica, aut curru, iter, per plures dies facit, ſicut excuſatur equitans. Alij vero Doctores id expreſsè non negat, vt ipſemet Paſqualigus fatetur; quamuis ex eorum doctrina id colligatur. Sed quidquid ſit de hoc.

Reſpondeo dicendum, quòd, qui lectica, aut curru, iter vnius, vel duorum dierum, facit, nullo modo eximatur à lege ieiunij (niſi id contingat, vt poteſt, ex circunſtantia perſonæ; eo quòd ſit capitis valde debilis, & inflexio lecticæ, aut currus, augeat debilitatem perſonæ ieiunantis.) Quia in tali itinere, ob eius breuitatem, modicus interuenit labor; & ideò inſufficiens ad ſoluendam obligationem ieiunij. Secus verò dicendum eſt, de illo, qui lectica, curru, aut quadriga, per plures dies iter aſſumeret, & faceret; nam tunc iſte ſi timeret, ad minùs, debilitatem ſuperuenturam, verè eximeretur à ieiunio, etiam ab initio itineris, eo quòd ab illo incipit fatigatio membrorum, laſſitudo, & debilitas magna, quam ex longo itinere, concuſſione currus, aut quadrigæ, paſſurus eſt. Sic Bonac. *diſp. vltim. punct. vltim. num. 11. in noua edit.* per hæc verba: Idem dic, dum iter curru, aut lectica peragitur, nam ſi currus valdè concutiat, aut iter adeo longum ſit, vt probabiliter dubitari poſſit de ſuperuentura debilitate, ob magnam itineris defatigationem, ceſſat obligatio ieiunandi. Ita Filliucius, *num.* 122. & alij. Huc vſque Bonacina. Et Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 12. dub. 7. num.* 12. Qui addit, contrarium dicendum, caſu, quo nulla, vel valde modica defatigatio contingant. Quod verum puto, ſi id ex magno itinere ita eueniret; quod dubito, & valdè. Lege Dianam *part. 8. tract. 7. Reſ. 40. & part. 10. tract. 14. Reſol. 39.* & Martinum de S. Ioſeph *loc. cit.*

QVÆ

QVÆSTIO CV.

An possit quis conducere operarios, quos probabiliter scit, non esse ieiunaturos?

AFfirmat Angles, *qu.6.de ieiunio, diffic.10.dub.3.* Quia præsumere (inquit) tenetur illos necessitate cogi ad laborandum: dubia enim sunt in meliorem partem interpretanda.

Sed absolutè Respondeo dicendum. Posse eos conducere, etiamsi euidenter sciat, absque necessitate laborare; & non esse ieiunaturos. Quia (vt suprà est habitum) etiamsi operarij sint diuites, non tenentur desistere à labore, vt ieiunent. Sic tenent communiter omnes Doctores, præcipuè statim citandi.

QVÆSTIO CVI.

An liceat conducere operarios, cum pacto, quòd non ieiunent?

NEgant D. Thom. *in 4.dist.15.quæst.3.art.2.qu.4. ad 3.in fine* Et ex illo Durand. *in 4.dist.15.q.10.num.6.* Palud. *quæst.4. num.* 18. Richard. *art.3.qu.4.* Caiet. 2. 2. *quæst.147. art.4. §. In eodem articulo*, Syluest. *verb. Ieiunium, quæst.9. num.24.* Angles, *loc. cit. dub.2.* Trullench, *lib.3.in Decalog.cap.3.dub.7.num.8.* Summa Corona, Vega, Ghetius, & Gabriel. apud Pasqualigum *citandum.* Fundamentum illorum est. Quia eis impediunt obseruationem præcepti ieiunij ad quam parati sunt.

Sed probabilius Respondeo: Licere. *Primò.* Quia conducens operarios cum pacto, quòd non ieiunent, non inducit eos ad violandum præceptum Ecclesiæ; cum tales operarij non obligentur præcepto ieiunij, vt supponimus ex dictis, à quæst.60. ergo non peccat illos conducens; patet, quia solùm posset peccare, in quantùm ad peccandum eos conduceret. *Secundò.* Quia licitum est conductori minuere mercedem operarij ieiunantis, eo quòd ieiunium seruans, minùs solito laboret, vt docet Caiet. 2. 2. *quæst. 147. art. 4. vers. In eodem articulo.* Quia non debet maiorem mercedem promittere, quàm mereatur operarius: ergo etiam erit ei licitum in pactum ducere, ne ieiunet, vt patet. Sic Fagundez, *præc.4. Eccles.lib.1. cap. 8. numer.16.* Pasqualig. *decis. 323.* & Sanchez, *lib. 5. consil.* (non 1. vt leges apud Pasqualigum) *dub.8.numer.2.* Addens, & benè, secus dicendum esse, casu, quo quis conduceret operarios ad laborem non excusantem à ieiunio, quia tunc peccaret mortaliter conducens cum conditione, vt non ieiunent, nisi necessitas operis exigat festinationem, & non posset inuenire plures operarios, qui tempore necessariò perficerent: & in hoc casu tenet verum prima opinio. Sic Cardin. Toletus, & alij iuniores. Huc vsque Sanchez.

QVÆSTIO CVII.

An paterfamilias, possit in die ieiunij, imponere famulis opera incompossibilia cum ieiuniis?

NEgant posse, absque incursione mortalis; casu, quo dicta opera, quæ imponit, in alium diem differri possint, Palud. *in 4.dist.15.qu.5.* & Gabr. *ibi, q.3.* quos citat hîc, & sequitur Angles, *qu.7.de ieiunio, diff.2. Append.vnico.* Nauarr. *cap.21.n.27.vers. Octauò peccat.* Azor. *lib.7.cap.21.qu.12.* Sà, *verb. Ieiunium, num.16.* Tolet. *lib.6.cap.5.n.1.* Fagundez, *de 4.præcep. Eccles.lib.1.cap.10.n.11.* Syluius, *2.2.q.147.q.1.in fine* R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles. Lublinus, *v. Ieiunium, n.22.* Regin. *lib.4.n.201. 213. & 218.* Rodriguez, *1.p. summ.c.23.n.5.* & alij, penes Pasqualigum. Fundamentum eorum est. Quia Paterfamilias tenetur suam familiam à præcepto ieiunij implendo, non impedire: ergo peccat, & mortaliter, si impediat.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse: Quia famuli, licitè possunt in diebus ieiunij, exercere opera incompatibilia cum ieiunio; quia ab his abstinere non obligat præceptum ieiunij, vt suprà est habitum: ergo possunt Domini ea illis licitè imponere. Sic Bonac. *disp.vlt. de præc. Eccl. aut de legibus, q.1.punct.vlt.n.9. vers. Addo non solùm.* Ortiz, *in summ.c.19.n.14.* Moure, *p.2.exam.Theol. c.8.§.2.n.15.* Vbi ait, id constare ex consuetudine recepta ab omnibus timoratis, & religiosis viris, qui, non propter ieiunium, subtrahunt seruis de labore, neque operarios dimittunt. Sanchez, *lib.5.consil.c.1. dub.9.n.2.* & penes illum, docti iuniores. Trullench, *lib.3. in Decal.c.2. dub.7.n.8.* Author casuum conscien. Bononiẽ. *Anni 1636.casu 3. Mens. Septembr.* & Pasqualig. *decis.324.* dicens, sic debere tenere omnes, qui putant, laborem omnino voluntarium excusare à ieiunio.

QVÆSTIO CVIII.

An labor ingenij, eximat ab obligatione ieiunij?

NEgant (apud Pasqualigum (Molfes. *1.p.summ.tr.10. c.4.n.43.* Sanchez, *lib.5. Moral. consil.c.1.dub.7. num.7.* Lublin. *v. Ieiun.n.5.* Quibus addi possunt Abulens. *in cap.6. Matth.q.145.* & Reginal. *lib.4.n.215.*

Sed probabiliùs longè, imo vt mihi certissimum, Respondeo: Eximere, casu, quo sit magnus valde. Ratio est. Quia labor magnus ingenij, nimis solet corpus affligere; vt constat iis, qui continuò studiis incumbunt: ergo tunc sufficientissimus est, ad eximendum quem ab obligatione ieiunij. Sic Bonacina, *loc.cit.num.10.* & penes illum. Lessios, *lib.4. c.2. dub.6. num.43.* Layman, *lib.4. tract.8.cap.3. n.3.* Trullench, *loc.cit.n.13.* Bassæus, *verb. Ieiunium, 2.n.8.* & Ghislinus, *n.21. lit.N.* & Pasqualig. *decis.325.* Qui etiam citat Iosephum Angles, *q.6. de ieiunio, diff.10. Append.1.* Sed Angles non loquitur ibi de labore ingenij, sed corporis; vt legenti patebit.

QVÆSTIO CIX.

An concionatores, qui ex officio, obedientia, aut voto, concionantur, eximantur à ieiunio?

REspondeo: Eximi, casu, quo ieiunium sit incompatibile cum labore concionandi. Quia charitas, eiúsque officia præferenda sunt ieiunio. Cap. *Non mediocriter, de consecr.dist.5.* Sic omnes Doctores. Præcipuè, penes Pasq. *decis.326.* Caiet. 2. 2. *q.147.art.3.§. Ad hoc dicitur, & in summ.v. Ieiunium, c.3. verb. Ex pietate.* Palat. *ibi eo. v. Med. C.de ieiun.q.de his qui ieiunare tenentur.* Nauar. *c.21.n.16.* Angles, *q.6.de ieiun. diff.13. Append.2.* Moure, *p.2.summ.c.8.§.2.n.12.* Tolet. *lib.6.c.4.n.4.* & alij.

QVÆSTIO CX.

An etiam concionatores, qui ex mercede concionantur, eximantur à lege ieiunij?

NEgant (apud Pasqualigum, *citandum*) omnes Authores, quæstione præcedenti citati. Quibus addi possunt Fagundez, *de 4.præc. Eccl.c.8.num.19.*

& penes illum, Syluest. *v. Ieiunium*, *num.*26. Ledeſma, 2.4. *quæſt.*17. *artic.*3. *dub.*9. & Azor, *lib.*7. *cap.*28. (aliàs 18.) *quæſt.*1. Binsfeld. *in Enchirid. poſt. part.* 3. *cap.* 33. *concl.*9. & Philiarchus, *de offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.*25. & alij. Sed ex Doctoribus, quos pro hac parte citat Paſqualigus, Nauarr. *loc. cit. numer.* 17. quem citat, & ſequitur Reginald. *loc. cit. num.*219. cum limitatione loquitur, ait enim, hanc ſententiam eſſe veram quando Concionatores concionarentur principaliter ob mercedem; vt ſolent mercenarij; non verò, ſi concionarentur principaliter ob neceſſitatem ſuſtentandi ſe, vel ob pietatem, &c. Et minùs principaliter, ob mercedem.

Sed abſolutè, longè probabiliùs, Reſpondeo: etiam eximi; quamuis ex mercede, vel quacunque alia cauſa concionentur; ſi commodè ieiunare non poſſunt. Quia mercenarij non tenentur ad ieiunium, quando eorum labor cum illo eſt incompoſſibilis, vt ſæpe eſt habitum: ergo nec tenentur Concionatores, etiamſi, ob mercedem concionentur, caſu, quo eorum labor ſit cum ieiunio incompoſſibilis. Sic, penes Paſqualigum, *decis.*326. *numer.*2. Azor, Fagundex, Reginald. & Ledeſma, locis à nobis pro prima ſententia adductis. Sed omnes hos Auctores malè citat Paſqualigus: expreſsè enim ſunt pro prima ſententia, & pro illa citatur Fagundex, à Diana, Gabriel, *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 5. *artic.* 1. *notabili* 4. Palat. *diſt.* 15. *diſp.*8. Sà, *v. Ieiunium*, *num.*9. Lublinas, *num.*5. Tabiena, *num.*16. Gliſſinus, *numer.*21. *lit.* Q. Bonac. *punct. vltim. cit. numer.*13. Llamas, 3. *part. Method. cap.* 5. §. 21. Sanchex, *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 13. Diana, 1. *part. tract.* 9 *Reſol.*11. Trullench, *dub.*7. *cit. num.*15. & alij plures, quos citat & ſequitur Paſqualigus, *loc. cit.* Et eſt communis. Quamuis, non ſit in explicando, quando, aut quibus diebus Concionatores, ratione laboris, eximantur à ieiunio, eo quòd commodè non poſſint, exercendo dictum munus, ieiunare. Pro quo ſit.

QVÆSTIO CXI.

An Concionatores, qui quotidie in Quadrageſima concionantur, omnino à quadrageſimali ieiunio eximantur?

RESpondeo: Omnino eximi à ieiunio, etiam caſu, quo dicti, habeant conciones elaboratas, & memoriæ mandatas. Quia ſolamet actio quotidiana concionandi, eſt nimis laborioſa; non ſolùm, ob vehementem agitationem corporalem; verumetiam, ob fixam mentis attentionem, quam neceſſariò habent: ergo illa ſola eſt ſufficiens ad eximendum Concionatorem à ieiunio omnino Quadrageſimæ. Adde, quòd conſuetudo id declarat, & tenet. Sic Diana, 1. *p. tract.*9. *Reſol.*10. Paſqualig. *loc. cit. num.*3. 4. & 5. & alij ſtatim citandi

QVÆSTIO CXII.

An Concionatores, qui ſolùm quater, aut ter, in ſingulis hebdomadis Quadrageſimæ concionantur, eximantur etiam omnino à ieiunio quadrageſimali?

RESpondeo: etiam eximi. *Tum*, ratione laboris actualis concionandi: *Tum*, quia debent conſeruare vires, & robur ad commodè, & viriliter prædicandum, quod ieiunando, malè poſſent præſtare. Sic Sanchex, *lib.*5. *conſil. cap.*1. *dub.*13. *numer.*6. per hæc verba: Hinc concionatores, qui in Quadrageſima concionantur ter, vel quater, in hebdomada, communiter, & regulariter excuſantur, ita vt in nullo die Quadrageſimæ teneantur ieiunare; & hoc maximè ſi cum feruore concionentur. Sic ille. Et poſt illum, Ioan. Henriquex, *in ſum. ſect.* 16. *quæſt.*30. Vbi ſic ait: [Por razon de piedad, no eſtan obligados a ayunar los Predicadores que predican en la Quareſma los tres ſermones de cada ſemana, ſin que en eſto pueda auer dificultad alguna.] Ita ille Paſqualig. *deciſ.*326. *numer.*6. & Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*7. *numer.*15. necnon Diana *part.*10. *tract.*11. *Reſol.* 32. *in fine*; & Martinus de S. Ioſeph *tom.* 1. *lib.*2. *de Ieiun. tract.*12. *num.*14.

QVÆSTIO CXIII.

An concionatores, qui ſolùm, ſemel, aut bis, in hebdomada concionantur, etiam à toto quadrageſimali ieiunio, vel ſaltem ab aliquo die ieiunij eximantur?

NEgatiuam ſententiam abſolutè docere Villalob. 1. *part. ſum. tract.* 23. *diff.*3. *num.* 15 ait Ioan. Henriq. *in ſum. ſect.* 16. *quæſt.* 30. per hæc verba: [Aunque Villalobos abſolutamente affirma, que de ninguna manera eſcuſa del ayuno el predicar vna vez cada ſemana, &c.] Ita ille. Sed certè Villalobos id nó docet, quia nec de hac, in ſpecie, quæſtione agit. Solùm namque loquendo in communi de Prædicatoribus *diff.*4. (non 3.) *num.*15. hæc habet: [Por la tercera cauſa, que es piedad, o mayor bien, al qual reduze la miſericordia, y caridad, ſe eſcuſan del ayuno los Predicadores, y otros Miniſtros de la Ygleſia, los Maeſtros, y Doctores que enſeñan a otros, quando no pueden hazer los tales oficios ayunando, como ſe colige de S. Thomas, y lo tienen Gabriel, Roſella, Tabiena, y otros. Mas de ordinario creo, que pueden eſtos ayunar, y en caſo de duda aprouecharanſe de la autoridad del Superior,] &c. Ita ille, & non amplius. Sed quidquid velit hic Author.

Ego ſub diſtinctione, Reſpondeo dicendum quòd licèt non eximantur à toto quadrageſimali ieiunio niſi aliàs ſint debiles, & paruæ complexionis, ita vt coniuncta cum ieiunio impediat munus concionandi; vt Diana. Ioan. Henriquez, & Paſqualig. *loc. cit.* notant; benè tamen ab obligatione ieiunandi eo die, quo concionantur, cùm adſit ſufficiens labor, tam corporalis, quàm mentalis ad talem obligationem ſoluendam, & die etiam qui immediatè ante concionem præcedit; eo quòd aliàs, amitterent neceſſarium vigorem pro concione. Sic Sanchez *dicto dub.*13. *n.*6. *cit.* Sic verba ſuprà relata proſequens: Et qui inter annum frequenter concionantur, videtur etiam quòd non tenentur ieiunare in vigilia concionis, & in ipſo die. Ratio, quia hoc videtur requiſitum ad robur neceſſarium ad benè, & fructuosè concionandum; quia (vt viri docti dicunt) qui debet officium exercere non tantum attendere debet, an poſſit in hac Quadrageſima, vel in hoc die ſimul ieiunare, & prædicare; ſed etiam, vt conſeruentur vires, & poſſit plures dies, & Quadrageſimas prædicare. Sic docti iuniores. Huc vſque doctiſſ. Sanchez, & Paſqualig. *loc. cit. num.*7. Qui idem dicit dicendum de concionatoribus, qui veſpere concionantur: & ſimiliter de illis, qui per annum diebus feſtis; quòd, ſcilicet, nulli horum teneantur ieiunare, nec pridie ante concionem, nec in die concionis. Legatur etiam Trullench, *loc. cit.* Qui etiam concionatorem, in vigilia concionis, à ieiunio excuſat, & cum illo Diana *loc. citato.*

QVÆ

QVÆSTIO CXIV.

An Confessarij omnes, tam qui ex officio, quàm qui voluntariè audiunt confessiones, excusentur à ieiunio, quando commodè ieiunare nequeunt?

NEgant excusari Confessarios, qui voluntariè,& non ex officio,audiunt confessiones, Caiet.Tolet.Angles, & Moure, & alij q.109.& 110, pro prima sententia relati.

Sed probabilius longè,iuxta ibidem dicta,Respondeo: Omnes excusari,casu,quo cum auditione confessionum incompatibile sit ieiunium. Ratio est Quia ex vna parte, melius & vtilius est, audire confessiones, quàm ieiunare; & ex alia, non prohibetur per præceptum ieiunij derelinquere opera voluntariè suscepta, etiam quando incompossibilia sunt cum ieiunio, vt supra est habitum: ergo omnes debent eximi, quando commodè ieiunare non possunt. Sic Authoras, q.110. pro nostra sententia adducti, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. decis.331.n.2. Sed quando Confessarij possint aut non, commodè ieiunare; h c labor, hic difficultas est; Pro quo sit,

QVÆSTIO CXV.

An Confessarij, qui per totum ferè diem, audiunt confessiones, excusentur ab obligatione ieiunandi?

AFfirmat excusari, casu, quo audiant confessiones laboriosas: non verò, si audiant confessiones faciles, & continentes duntaxat venialia; eo quòd, in illis audiendis, reperiatur magnus labor, in interrogandis pœnitentibus,in exponendis peccatis, & circunstantiis,in decernenda obligatione pœnitentis,&c.in his verò, minimè;Pasqualig.decis.331. num.3. & 4.

Sed absolutè, sine distinctione, Respondeo; Omnes præfatos Confessarios excusari; siue audiant arduas Confessiones, siue non; dummodo per totum, aut ferè totum diem, huic labori incumbant. Quia verè est magnus, tàm spiritui; quàm corpori, labor. Et quamuis in auditione Confessionum continentium tantùm venialia, non reperiatur tantus labor, ac in audiendis aliis quæ mortalia continent; reperitur tamen sufficiens, ad eximendum Conf.ssorem, assiduè illas audientem, à ieiunio; cùm adhùc in illis audiendis,ita defatigetur mens,& debilitetur caput, quòd, rarus spiritus sit, qui tantum onus, plures per horas, sustinere possit, vt constat. Adde, quòd in praxi, difficile est quòd Confessores assiduè audiant Confessiones, & omnes sint venialium. Vtinam id contingeret. Sed proh dolor!

QVÆSTIO CXVI.

An Lectores Theologiæ, Iuris Ciuilis, & Canonici, Medicinæ, & Philosophiæ, excusentur à ieiunio?

NEgant Sanchez lib.5. consil. cap.1. dub. 13. n.8. & Villalob. part.1. summ.tract.23.diff.4.num.5. Quia existimant,quòd labor qui in legenda quotidiè vnica lectione inuenitur, leuis,& modicus sit.

Affirmant verò è contrà alij,absolutè docentes excusari prædictos Lectores à ieiunio. Ita Molfes. in summ. part. 1. tractat.10. cap. 14. num.48. Llamas 3. p. Method. cap.5. §. 21. pag. mihi 519. Gordonus l.6. Theol. moral. q.18.c.6. in fine. & Ledesma 2.4. q. 17. art.3. post 2. proposit. quamuis hic Author, loquatur de Lectoribus conductis.

Alij tandem, sub distinctione docent; excusari dictos Lectores à ieiunio,quando eorum labor est notabilis,seu improbus; aliàs non.Ita Gabr.in 4.dist.16. qu.3. art.1. Notab.4. Caiet. 2.2. qu. 147. art.3. §. Ad hoc dicitur. Sylvius ibi. art.4. ver. Manus bonum. Sylvest. verb.Ieiunium,num.26. Lublinus, num.5. Bassæus v.ieiunium, 2. num.9. Tolet. lib. 6. cap.4. num. 4. Fagundez de 4. præcept. lib.1. cap.8. num. 19. & penes illum,Rosella verb. Ieiunium, num. 21. Medina C. de ieiunio, quæst. de iis, qui ad ieiun. tenentur. Nauarr. cap.21. num.16. & Maior in 4. distinct.16. & dist.15. q.3. col.5. Azor. 1. part. lib.7. cap.18. q.1. Sanctius in select. disp.54. num.17. Diana 1. part. tract.9. Resol.10. & alij. Et licet benè; sed non clarè docent, quando dicti Lectores, & Cathedrati subeant ex lectione magnum laborem, quo stante, non possint commodè ieiunare, & ideò exempti sint à ieiunio. Declarando ergo eorum mentes.

Respondeo Dicendum: Quòd dicti Lectores, & Cathedratici, tunc censendi sunt esse à ieiunij legibus immunes; quando cum lectione, quam suis discipulis dictant, adiungunt studium necessarium pro illa cum plausu magno legenda; quia tunc est magnus, & notabilis labor, sufficiens ad soluendam obligationem ieiunij. Secus verò, quando legunt lectiones iam ordinatas, & pluries in Cathedra repetitas; quia tunc, leuis est labor, qui in eas dictando reperitur; & ideò insufficiens ad excusandum à ieiunio;nisi aliàs ex accidenti cum lectione adiungeretur aliarum rerum studium; quia tunc iam ex vtroque labore resultaret labor magnus, & ideò sufficiens ad eximendos dictos Lectores à ieiunij præcepto. Sic ferè Pasqualig. decis.327. num.4. & 5.

QVÆSTIO CXVII.

An Lectores Præsidentes in publicis, aut etiam priuatis disputationibus, in quibus alij Lectores arguunt, sint immunes à ieiunio?

AFfirmant absolutè Pasqualig. decis.327. cit. nu.6. Quia (inquit) tunc interuenit magna mentis agitatio, & continuus quidam in speculando conatus, cum ingenti, consumptione spirituum. Vnde prouenit notabilis lassitudo & maior, quàm in operatiis, qui immunes sunt à ieiunio. Ita ille. Qui idem docet, num. 7. loquendo de Lectoribus, & cæteris Doctoribus, casu, quo multo tempore insistant in arguendo,& simul vtantur conatu mentis in speculando, dum arguunt; quia tunc labor est magnus. Secus verò inquit, dicendum de Scholaribus, quia proferunt argumenta præparata, nec multùm fatigantur ex speculatiuis conatibus. Ita Pasqualigus.

Sed ego, non absolutè, sed limitatè, cum distinctione Respondeo, dicendum: quòd Lectores, & Præsidentes in dictis disputationibus, & possunt vti magno conatu,& vi, in speculando argumenta,& in eis respondendo, eo quòd, & illa sint maximi ingenij virorum,& respondens, aut sustentans, debilis:& possunt è contrà, quia hic est ingenij viuacis, & acuti,& sufficiens per se ad satisfaciendum argumentis, non vti conatu magno in speculando,& respondendo, vt sæpe sæpiùs contingit: Si ergo vtantur magno conatu in respondendo, & speculando, & id faciant per totum disputationis cursum; tunc verè erunt immunes à ieiunio: minimè verò si nullo, aut paruo conatu, aut per breue temporis spatium, in speculando vim rationum,& in eis respondendo vtantur, quia in isto

 S 3 secun

ſecundo caſu, non ſuſtinent magnum laborem; ſicut ſuſtinent in primo.

Loquendo autem de Doctoribus, & Lectoribus, qui in dictis diſputationibus arguunt, dicendum exiſtimo, rarò poſſe contingere, ne dicam, nunquam, propter hoc, eos à ieiunio abſolui; quia rarò contingere poteſt, eos per multum tempus argumentis inſtare, vt experientia docet.

QVÆSTIO CXVIII.

An Cathedratici legentes magno cum applauſu, eximantur à lege ieiunij?

NEgabunt Authores *quæſt.98.* pro prima ſententia adducti, eo quòd exiſtiment, in hoc caſu, præceptum præualere ieiunij.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Eximi. Quia in primis (vt ex dictis ſuprà, conſtat) non tenentur relinquere munus legendi, etiam voluntariè ſuſceptum, vt ieiunent: & rurſus labor, quem in dicti muneris exercitio patiuntur, cùm verè ſit magnus, vt ex dictis *quæſt.116.* eſt notum) non compatitur cum ieiunio: ergo non tenentur ad illud. Sic Angles *q.6. de ieiun. diff.14. in limitatione primi Appendicis.* vbi pro hac parte citat D.Thom. *in 4. diſt.15. quæſt.3. art.2.* Toler. *lib.6. cap.4. num.5.* Sancius *in ſelect. diſput.54. num.17.* Moure *2. part. ſum. capite.8. numero 12. §. Dubitari poſſet.* & Paſqualigus, *decis.328.*

Addo idem affirmandum eſſe de legentibus vnam, aut alteram lectionem oſtentationis, aut oppoſitionis causâ; erunt enim etiam immunes à ieiuniis pro die, in quo legunt, & pro die antecedenti, in quo lectionem faciunt: quia in illis, magnum ſubeunt laborem. Sic etiam Paſqualig. *loc. cit. num.4.* & clarè colligitur ex dictis *quæſt.113.* loquendo de Prædicatoribus ſemel in hebdomada prædicantibus.

QVÆSTIO CXIX.

An legentes per diem quatuor lectiones Grammaticæ; eximantur etiam à ieiuniis, præcipuè Quadrageſimæ?

AFfirmant Sanchez *lib.5. conſil. cap.1. dub.13. num.7.* eximi abſolutè à dimidio Quadrageſimalis ieiunij; & ſi fuerint debiliores, à toto.

Sed ego, adhuc magis abſolutè, Reſpondeo: Eximi ab omnibus ieiunijs, dum actualiter ſuum munus legendi exercent, Quia, cùm prædicti Lectores, quatuor lectiones ſingulis diebus legant, magnum profectò ſubeunt laborem, propter illum, ergo, eximi ab omni ieiunio debent. Sic Paſqualig. *decis.329.* Qui idem dicit: cùm Laymanio *lib.4. tract.8. cap.4. num.4.* loquendo de Ludimagiſtris, qui plures adoleſcentes habent inſtituere; ita vt, ad minus, per majorem partem diei in hoc occupentur: interpretando Auctores latinos, declarando regulas Grammaticæ, &c.

QVÆSTIO CXX.

An Scholaris habiturus lectionem oppoſitionis; aut examinis; aut ſolemnem diſputationem, teneatur ieiunare?

NEgat teneri ieiunare, caſu, quo commodè ieiunare non poſſit, Angles *quæſt.6. de ieiun. diff.16. Appen.3.* his verbis: Si quis ſit habiturus lectionem publicam examinis; vel quando occurrit ſolemnis diſputatio, procul dubio poterit à ieiunio excuſari, ſi hora prandij non poteſt tantum prandium, quantum ſolet, ſumere. Ita ille, & Sancius *in ſelect. diſp.54. num.17.*

Sed abſolutè Reſpondeo: Dicendum, quòd non teneatur ieiunare; non ſolum illa die, in qua habet lectionem, examen, aut diſputationem; ſed etiam die antecedenti. Quia illa, eſt initium maximi laboris, vtpotè, actionis requirentis totum hominem, & tanti momenti, vt faciat adhibere omnes conatus. Sic Paſqualig. *decis.330.* Et ſic debent ſentire, qui ſentiunt concionatores, non teneri ad ieiunium in vigilia ſermonis, nec in ipſo die, de quo ſupra, *quæſt. 113.*

QVÆSTIO CXXI.

An Scholares aſſiduè per totum diem ſtudentes, immunes ſint à ieiuniis?

NEgant Bonac. *diſp. vltim. de præcept. Eccleſ. q.1. punct. vltim. num.12.* Azor *1. part. lib.7. cap.28.* (aliàs 27.) *quæſt.8. ver. Quæres etiam.* Molfeſ. *in ſumm. tract.10. cap.4. num.49.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.9.* Reginald. *libro 4. num.216.* & Angles *quæſt.6. de ieiunio, diff.14. Appen. 2.* vbi ſic ait: Hinc ſtudentes, qui propria ſponte adeò laborant in priuatis ſtudiis, vt ſimul ieiunare non poſſint, tenentur laborem remittere, & ieiunia ſeruare. Ratio eſt. Quia publica obſeruantia, non eſt facilè omittenda. Ita ille: Quem ſequitur Baſſæus, *etiam in floribus Theol. verb. Ieiunium 2. num.8.* & Sanchez *etiam lib.5. conſil. cap.1. dub.13. num.8.* Quamuis hic Author excuſet à ieiunio Scholares, caſu, quo ita debiles eſſent, vt ob ieiunium, totum ſtudium Quadrageſimæ perderent.

Sed, æquè probabiliter, abſolutè Reſpondeo: Immunes omninò à ieiuniis eſſe, Quia, ex vna parte, Scholares non tenentur minuere ſtudium conſuetum, vt poſſint ieiunare; cùm nemo ob ieiunium, abſtinere debeat à proprio officio: & ex alia, ſtudium continuum, per totum diem, eſt cauſa ſufficiens, vt ſoluatur obligatio ieiunandi; cùm magis laſſet, & debilitet corpus, quàm quodlibet exercitium artis mechanicæ: ergo. Sic Sancius *in ſelect. diſp.54. num.17. ver. Imò lege ieiunij,* per hæc verba: Imò lege ieiunij comprehenſos non iri reor Scholaſticos nimium ſtudentes. His námque officium ſtudendi eſt proprium, à quo abſtinere non coguntur, ſicut nec alij officiales, qui ex officio defatigati redduntur. Diana *Reſ.12.* Huc vſque ille, *in noua Lugduni editione,* & Paſqualig. *decis.333. à num.3. vſque ad 6.* vbi ſic ait: Hinc, ob eandem rationem, ij omnes, qui ſolent continuò, & aſſiduè per totum diem ſtudiis vacare; vel componendo aliquid typis mandandum; vel ſe præparando pro concionibus; aut pro lectura; vel quacumque alia de cauſa, etiamſi ſolum ſtudeant delectationis causâ; dummodò exercitium ſit conſuetum, excuſantur, ne ieiunent; quia poſſunt vti iure ſuo, quod habent ad continuum, & aſſiduum ſtudium, & præceptum ieiunij reperit ipſos impotentes. Sic ille.

QVÆSTIO CXXII.

An Aduocati, Procuratores, & Iudices, qui per totum diem ſuo muneri incumbunt, teneantur ad ieiunia?

AFfirmant abſolutè Azor, Molfeſ. Reginald. & Trullench, *loc. citat.* Ledeſma *in ſumm. tract.27. c.2. concl.5. dub.3. ver. La ſegunda cauſa.* Syluius 2.2. *quæſt.147*

quaest.147. art.4. v. Necessitas. Gordonus *lib.5. Theol. Moral. q.18. c.6. verb. Secunda causa.* & Ioan. de Cruce *in summ.1. p. prae c.3. art.4. dub.9. concl.2.* Quia eorum labor (inquiunt) est exiguus.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri; casu tamen, quo tota die, in suo munere laborent: Secus verò aliàs. Ratio est. Quia munera, & officia Aduocatorum, Procuratorum, & Iudicum, sunt valde laboriosa; cùm debeant studere, scripturas legere, pōderare, informare iudices, scribere pro clientibus; aut studere pro sententia ferenda: ergo si continua sint per totum diem, incompossibilia erunt cum ieiunio, & cōsequenter ab hoc immunes erunt praedicti. Sic Philiarc. *de off. Sacerd. tom.1. p.2. lib.3. cap.35.* & Ortiz *in summ. c.19. mand.2, n.15.* quos sequitur Diana *1. p. tract.9. Resol.12.* Sanchez *lib.5. consil. c.1. dub.13. n.10.* Sancius *in select. num.17. citato. vers. Fit quoque.* Ghislinus *verb. Ieiunium, n.21.* Lit. P. Summa Corona *1. p. c.1. n.27.* & Pasqualig. *decis.334.*

Qvaestio CXXIII.

An etiam Scribae, & Notarij eximantur à ieiuniis, casu saltem, quo per totam diem scribant?

NEgant Azor *citata q.8.* Reginald. *num.216. cit.* Ioann. à Cruce, *art.4. cit. num.7.* Petr. Ledesma *tract.27. fol.638.* Tolet. *lib.6. c.4. num.5.* Vega, Graffius, & Filliuc. penes Machado, infrà. Molfes. *tr.10. cit. c.4. n.33.* Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.7. num.7.* Trullench *loc. cit. num.9.* Gordonus *loc. cit.* & alij. Quia existimant, horum laborem, esse exiguum; vt possit quis per illum, à ieiunio eximi.

Sed probabiliùs Respondeo: Eximi etiam ab obligatione ieiunij, casu, quo per totam diem, scribant, vel transcribant scripturas, siue ex necessitate id faciant, siue non. Ratio est. Quia in huiusmodi exercitio, ingens labor reperitur; iuxta illud vulgare: *Nam scribere, qui nesciunt, nullum putant esse laborem: Tres digiti scribunt, caetera membra dolent:* ergo, qui talem patitur laborem, verè eximitur à ieiunio. Sic tenent, casu; quo necessitate scribant, Angles *q.6. cit. diff.10. Append.1.* & suus Amicus Ludou. à S. Ioann. *part.1. summ. tract. de ieiun. art.7. diff.8. Append.1.* Diana *4. part. tract.4. Resol.130.* Summ. Corona *1. part. cap.1. num.27.* Sed, vt diximus saepè; quod fiat ex necessitate, vel non, nihil ad propositum facit, & ita absolutè docet nostram sententiam Pasqualig. *decis.335.* & credo, quòd etiam Machado, cùm eam in vltimo referat loco, *tom.2. lib.6. p.8. tr.8. docum.5. n.1.*

Qvaestio CXXIV.

An item Regum, vel Principum Secretarij: qui litteris scribendis vacant, eximantur à ieiunio?

NEgat Trullench, loco nuper citato, & negarent etiam alij, pro prima sententia, cum eo nuper adducti.

Sed probabiliùs Respondeo: Etiam eximi, si per totum diem, in dicto officio occupentur. Quia, non solùm laborant in scribendo, pro dicto tempore (quòd sufficiebat, vt ex nuper dictis constat,) sed etiam in componendis litteris: ergo potiori iure, absoluentur à ieiunij obligatione. Sic Angles *loc. cit.* & Pasqualig. *lo. cit. num.5.* Ludou. de S. Ioann. *loc. cit. vers. Hase de aduertir.*

Qvaestio CXXV.

An Medici, & Chirurgi semper ad ieiunia teneantur?

AFfirmat Pasqualig. *decis.336.* Quia, inquit, nec ratione laboris, cùm sit valde moderatus; nec ratione foetoris nociuui; cùm in hoc nullum sit periculum, excusari possunt à ieiunio.

Sed probabiliùs Respondeo: Dicendum: quòd licèt absolutè, & regulariter loquendo, ad ieiunia teneantur; pro semper tamen, nullo modo. Nam in duplici casu, planè eximuntur ab illis. *Primus* est, in casu, quo multitudine infirmorum premantur; ita vt necessarium sit huc, illúcque discurrere ad medendum; cùm tunc magnus valde labor sit, & in hoc casu, nobis consentit Pasqualigus. *Secundus* est, in casu, quo Medici, & Chirurgi timeant foetorem infirmorum nociuum: tunc enim, vt constat, non tenentur ad praeceptum ieiunij; cùm hoc, non obliget cum dispendio salutis, & in hoc casu solùm, (non absolutè, vt Pasqualigus putat) concedit Llamas, non teneri Medicos, & Chirurgos ad ieiunia. Sic enim ait *3. p. Method. cap.5. §.21.* Medicus autem, & Chirurgus, dum timent foetorem infirmorum, & vlcerum nociuorum, sicuti infirmorum seruitores, in Hospitalibus, Xenodochiis, & Monasteriis, excusatos dicimus constanter, & praecipuè in infirmitatibus contagiosis, vtpotè, qui scimus, quae damna certa ieiunis afferat infirmorum halitus, & foetor saluti. Sic Llamas. Ex eius verbis constat, falsum esse, quòd firmat Pasqualigus, nempe, quòd ratione foetoris, nullum possit reperiri periculum.

Qvaestio CXXVI.

An Cantores, qui ad canendum conducuntur: vel inseruiunt camerae Regis, aut Principis, immunes sint à ieiunio, si hoc, illos reddat inhabiles ad canendum?

REspondeo tanquam certum, in tali casu, immunes esse à ieiunio. Quia aliàs subirent maximum damnum, amittendo vocem, ratione cuius, vel magnifiunt, & honorantur à Principibus; vel habent, vnde honestè vitam transigant: ergo, cum periculo amissionis vocis, non tenentur ieiunare. Sic Sancius, *in select. disp.54. num.18. & 19.* quem citat, & sequitur Diana *1. p. tract.9. Resol.11.* Filliuc. *tract.27. part.2. num.124.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.15.* Ghislinus *in summ. verb. Ieiunium, num.2. litt. R.* & Pasqualig. *decis.338.* Qui tamen addit, sibi videri, rarò contingere posse, quod sit necessarium relinquere ieiunium, ob conseruandam vocem, cùm haec meliùs conseruetur mediocri cibo.

Qvaestio CXXVII.

An Cantores, qui in cantando diuino officio laborant, sint immunes etiam à ieiunio?

AFfirmant absolutè Viguerius *cap.7. Theol. instit. §.3. verb. 2. in fine,* quatenus ita ait: Excusantur cantores, qui habent in diuino officio cantando laborare.

Sed clariùs sub distinctione Respondeo: Esse immunes quidem à ieiunio, si cantent ferè per totum diem, (quòd rarò contingere potest) quia tunc labor censendus est notabilis: Secus verò, si solùm per paucas diei horas canant. Sic Pasqualig. *loc. cit. n.5. & 6.* Qui in hunc sensum explicat mentem Viguerij.

QVÆSTIO CXXVIII.

An exercentes opera laborioſa pietatis, ſint immunes à ieiunio?

RESpondeo: Eſſe immunes, quando ieiunium non compatitur cum illis. Ratio eſt. Quia præcepta Eccleſiæ non impediunt maius bonum: Sed opera pietatis ſunt maius bonum, quàm ieiunium; cùm ſint excellentioris virtutis: ergo. Sic D. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 3. art. 1. q. 2.* & ibi omnes Scholaſtici. Caiet. *2. 2. quæſtion. 147. art. 3. & in ſumm. verb. Ieiunium, cap. 3.* Syluest. *verb. Ieiunium, q. 9.* Tabiena *quæſt. 18.* Armilla *num. 5.* Sà *num. 9.* Nauarr. *cap. 21. num. 16.* Sanchez *in conſil. lib. 5. cap. 13. num. 4.* & alij innumeri, quos refert Paſqualig. *deciſ. 339. num. 1.* Qui bene *num. 4.* notat, quòd licèt hæc doctrina locum habeat, quando opera pietatis ita laborioſa ſunt, vt cauſent debilitatem notabilem, atque adeò reddant ieiunium nimis onerosum: non tamen requiratur, quòd reddant abſolutè incompoſſibile, quaſi ſi ieiunaret quis impoſſibile eſſet vacare talibus operibus: Sed ſufficiat notabilis difficultas in exercendis his operibus ſimul cum ieiunio. Sic ille, & bene.

QVÆSTIO CXXIX.

An qui inſeruiunt pluribus infirmis, teneantur ad ieiunia?

REſpondeo: Non teneri. Quia tale pietatis officium, exigit continuam occupationem, quæ ſecum magnum laborem trahit. Vnde ex hoc capite ſeruitores infirmorũ in Hoſpitalibus, Xenodochiis, & Monaſteriis degentium, omnino ſunt liberi à ieiunij legibus. Sic Llamas *3. part. Method. cap. 5. §. 21.* Bonac. *diſp. vltim. de præcept. Eccleſ. q. 1. punct. vltim. num. 13.* Paſqualig. *deciſ. 339. num. 5.* Addens *num. 6.* cum Rodriguez, *1. part. ſumm. cap. 24.* (non 22. vt ipſe citat) *num. 1. ver. La tercera.* Et Ledeſma, *part. 2. tr. 27. cap. 2. dub. 3. poſt 3. concl.* Idem eſſet dicendum de illis, qui per totã integram noctem, aut maiórem partem, aſſiſterent infirmo, & de Confeſſariis, & cæteris, qui confortandi gratiâ aſſiſtunt agonizantibus: quòd ſcilicet, non teneantur die ſequenti ieiunare, eo quòd talis aſſiſtentia, vtpotè priuans debito ſomno, cauſet magnam debilitatem, propter quam ſuperueniens ieiunium nimis onerosum eſſet.

QVÆSTIO CXXX.

An qui oſtiatim per totam diem, panem, aut triticum &c. pro Regularibus, aut aliis mendicis, quærunt; immunes ſint à ieiunio?

REſpondeo: Eſſe immunes, ſiuè id faciant, ob ſolam pietatem; ſiue etiam, ob lucrum tanquam conſuetum exercitium. Quia ſemper exercent opera charitatis, quæ præferenda ſunt ieiunio: ergo, ſi iis operibus coniungatur magnus labor, vt fit in prædicta actione, verè excuſabit à ieiunio illam exercentes. Sic Bizozer *p. 4. ſumm. de 3. præc. c. vltim. membr. vltim. n. 7.* Paſqual. *loc. cit. n. 7.*

QVÆSTIO CXXXI.

An qui ſe flagellant in proceſſionibus publicis, ſint immunes à ieiunio?

NEgant nonnulli Doctores, exiſtimantes, prædictos ſe flagellantes non excuſari à peccato, & ſic monendos eſſe, vel temperent flagella, vel omittant diſciplinam, vt ſic poſſint ieiunare. Ita ſentiunt apud Sanchez, vbi infrà, Palatios *in 4. diſt. 15. diſp. 8. fol. 119.* & alius doctus Recentior. Et (apud Paſqualigum) Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. n. 15.* Quamuis hic (addit Paſqualigus) loquendo de confratribus alicuius ſodalitatis id concedat. Antonius Fernandez *p. 2. ſumm. c. 8. §. 2. n. 12. ver. Quarta cauſa.* Sed certè non omnino benè citat hos Authores, vt infrà.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Eſſe immunes à ieiunio nec vllo modo, non ieiunantes peccare, caſu, quo labor flagellationis ſit talis, vt ſecum difficilè compatiatur ieiunium. Quia flagellatio publica, eſt opus pietatis, maximè conducens ad ædificationem populi, & deuotionem, & compunctionem fidelium: ergo debet ieiunium præcellere. Sic Sanchez *lib. 5. conſil. cap. 1. dub. 12. num. 2. & 3.* Sancius, *in ſelect. diſput. 54. num. 2.* Ghiſlinus, *in ſumm. verb. Ieiunium. n. 22. litt. L.* Palao, *tom. 1. tr. 3. diſp. 1. punct. 22. ſub n. 4.* Diana, *1. p. tract. 9. Reſol. 46.* D. Ioan. Eſcobar, *tom. 1. tract. de vtroque foro, art. 4. num. 188. pag. 157.* Filliuc. *tract. 28. part. 2. num. 123.* Paſqualig. *deciſ. 340.* In hanc etiam ſententiam inclinat Moure *loc. cit.* Nam quamuis in principio oppoſitum ſentiat; addit tamen, hæc verba in fine: Quamuis ex alio capite etiam videatur excuſare, nimirum ex publico pœnitentiæ exemplo, in commune Reipublicæ Chriſtianæ emolumentum multùm cedente: Sic ille. Et tenet etiam abſolutè Trullench *loc. cit.* per hæc verba: Quantùm verò ad flagellantes admitto eos excuſari, ſiue ſint confratres ſiue non; habitâ tamen conſideratione qualitatis, & complexionis perſonæ, & modò id non faciant in fraudem ieiunij. Sic ille. Qui, & citat pro ſe, & bene Sanchez, & Filliucium. Malè ergo illum citauit Paſqualigus.

QVÆSTIO CXXXII.

An qui ſe flagellant, ob euitandum ieiunium, peccent mortaliter?

NEgat Paſqualigus, *deciſ. 340. n. 5.* Quia (inquit) aſſumit medium licitum ad ſe eximendum ab obligatione ieiunij: poteſt enim quis licitè ſe ſubtrahere obligationi, quando alioquin vtitur medio licito, quia hoc non eſt vti fraude, ſed vti iure proprio ad ea, quæ poſſunt eximere ab obligatione; quod præſertim valet in caſu noſtro, nam eligitur opus excellentius, quod propter ſuam bonitatem eſt volitum, & tanquam ſoluens obligationem ieiunij. Vnde nihil fit contra præceptum. Huc vſque ille.

Sed longè probabiliùs Reſpondeo: Peccare mortaliter ſe flagellantes, ob vitandum ieiunium; ſeu, ob hanc ſolùm cauſam, vt à præcepto ieiunij ſint immunes. Quia probabiliùs longè eſt, peccare mortaliter contra præceptum ieiunij; qui aſſumit media licita, incompatibilia cum ieiunio, ex intentione non ieiunandi, vt infrà, *q. 158.* probabimus. Sic Sanchez *lib. 5. conſil. c. 1. dub. 12.* Trullench, *loc. cit.* & alij, quos infrà *q. 158.* citabimus.

Nec obſtat quid fundamentum Paſqualig. negandum enim eſt, quòd poſſit quis ſe ſubtrahere ab obligatione ieiunij, exercendo aliquid incompatibile cum ieiunio, ex intentione tantùm vitandi illud, dum eius præceptum viget; quia hoc expreſsè eſt velle frangere ieiunium, vt infrà dicemus. Nec in prædicto caſu eligitur formaliter opus excellentius, vt ait Paſqualigus, cùm omninò vitietur ex fine vitioſo, nempe, non ieiunandi, dum adeſt præceptum.

QVÆ

QVÆSTIO CXXXIII.

An qualibet flagellatio publica, etiam breuis, eximat ob onere ieiunij?

RESpondeo: Quòd non. Quia ad hoc obtinendum, debet esse longa, & plures horas, fortis, & vigorosa; quia in hoc casu (etiamsi fiat absque effusione sanguinis) verè ipsa castigatio corporis, est notabilis, inferénsque notabilem lassitudinem, & ideo sufficiens ad excusandum à ieiunio. Secus est dicendum, si flagellatio sit breuis, leuis, & perfunctoria; eo quòd tunc leue pondus operetur. Sic Pasqualig. *loc.cit.num.6.*

QVÆSTIO CXXXIV.

An peregrinatio laboriosa, determinata ad certum tempus pœnitentia iniuncta, excuset à ieiunio?

RESpondeo: Excusare. Quia obligatio adimplendi votum, & satisfaciendi pœnitentiæ iniunctæ, maior omnino est obligatione ieiunandi, ergo illa potiùs debet adimpleri, quando vtraque non potest. Sic omnes Doctores Nauarr. *cap. 21. num. 17.* Llamas *cap.5. cit.§.21. pag.521.* Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 11. num. 5.* Moure, *loc. cit. num. 12. ver. circa peregrinationes*; & Pasqualig. *decis.341. num.1.* & alij citandi. Qui eodem modo dicunt excusare, si peregrinatio valde conferat ad honorem Dei, & ad augendam deuotionem fidelium; vt si fiat à persona nobili, & magnæ authoritatis. Legatur Ludou. de S. Ioanne *quæst. de ieiunio, articul. 7. diff. 12. concl. 1. & 3.*

QVÆSTIO CXXXV.

An peregrinatio laboriosa, omnino voluntaria, ad loca sancta, excuset etiam à ieiunio?

NEgant Palud *in 4. dist. 15. q. 4. num. 19.* Syluester *verb. Ieiunium, q. 9.* Angel. *n. 18.* Armilla *num. 5.* Abulens. *in cap. 6. Matth. q. 140.* Angles, *q. 6. de ieiunio, diff. 11. concl. vltim.* Nauarr. Llamas, *loc. cit.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num. 15.* Bizozer, *part. 4. summ. de 3. precept. cap. vltim. memb. vltim. n. 8.* & Sanchez, *lib. 4. summ. cap. 5. num. 32. & cap. 6. n. 2.* vbi docet, votum peregrinationis, non obligare, concurrente præcepto de ieiunio; nisi peregrinatio sit tanti momenti, vt ieiunio anteponi debeat. Fundamentum omnium istorum Authorum est; quia præceptum debet præferri rei voluntariæ: ergo nunquam est licitum omittere ieiunium, nisi quando peregrinatio est necessaria.

Affirmant verò alij Doctores; non absolutè sed solùm in casu, quo peregrinatio commodè non possit in aliud tempus differri. Ita Gabriel *in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. notab. 4.* Caiet. *in summa, verb. Ieiunium, cap. 2. 3.* Tolet. *lib. 6. cap. 4. num. 4.* Moure, *loc. cit.* Syluius, *2. 2. quæst. 147. art. 4.* Villalob. *tract. 23. diff. 4. num. 16.* Molfesius, Gordonus, Vega, Pedraza, & alij, penes Pasqual. *decis. 341. n. 9.* Medina vterque, Palatius, & Ledesma, apud Sanchez, *lib. 5. consil. c. 1. dub. 11. nu. 1.* Quos ipse *n. 4.* sequitur.

Sed ego absolutè probabiliùs Respondeo dicendum. Quòd omnis peregrinatio laboriosa omnino voluntaria, ad loca sancta, si cum ea non compatiatur ieiunium omnino excuset ab illo. Vnde optimè poterit vnusquisque suscipere peregrinationem voluntariam, tempore ieiunij, quamuis ob laborem nequeat seruare ieiunium. Ratio est. Quia minùs bonum debet cedere maiori: sed peregrinatio ad loca sancta est maius bonum, quam est ieiunium: ergo præceptum ieiunij debet cedere peregrinationi, etiam voluntariæ, si cum illa non compatiatur. Minor probatur. Quia actus peregrinationis est actus religionis, quæ, apud omnes, est excellentior virtute abstinentiæ: ergo. Nec obstat fundamentum primæ sententiæ; quia quando opera cedunt in bonum commune, suntque meliora, præferri debent voluntaria, præceptis, vt constat ex habitis, *q. 131.* Sic Sancius, *in select. disp. 54. num. 21.* Ariostis, *lib. 2. summ. §. de ieiunio*, Castro Palao *part. 1. oper. mor. tract. 3. disp. 1. num. 1. & 4.* Ghislinus, *verb. Ieiunium, num. 21. lit. L.* & Pasqualig. *loc. cit. à num. 10.* Quibus videtur consentire Diana, *1. part. tract. 9. resol. 46.* quatenus hanc sententiam in vltimo loco ponit; & tenet expressè, à fortiori, Ortiz, *in summ. cap. 19. num. 12.* dum hæc ait. [Los que van camino, aunque vayan a cauallo, y el camino no sea forçoso, no son obligados al ayuno.] Sic ille. D. Ioan. Escobar, *art. 4. cit. num. 187.* & penes illum Bonacina, *2. de peccatis, q. 8. punct. 1. nu. 16. vers. Item à fortiori*, & alij. Imò Sanchez id ipsum concedit aliquibus casibus, vt si peregrinatio esset multum vtilis; aut longa nimis, aut personæ magnæ authoritatis, &c.

Neque ex hac doctrina inferas, quòd possit quis ieiunium in aliud quodcumque opus pium si sit excellentioris virtutis, commutare, v.g. in orationem, aut auditionem Missæ, &c. Quia hæc sequela nec est vera neque ex dictis sequitur. Nam quid diuersum est facere aliquid incompatibile cum ieiunio; aliud est commutare ieiunium cum aliquo, quod non est incompatibile cum illo, aut cum intentione non ieiunandi si cum ieiunio non est compatibile. Primum namque omnino licet; secundum verò, minimè. Sic Grass. *lib. 2. decis. cap. mihi 36. num. 35.*

QVÆSTIO CXXXVI.

An Episcopus teneatur ieiunare pridie illius diei in quo habiturus est ordines, aut alias functiones laboriosas?

REspondeo Non teneri, si cum difficultate queat sustinere post ieiunium, laborem ordinationis, aut aliarum functionum. Quia maiorem obligationem habet Episcopus ad exequenda ea, quæ spectant ad proprium munus cùm spectent ad bonum publicum, quàm ad ieiunium, quod spectat ad bonum particulare: ergo illa anteponi debent ieiunio. Sic Angles expressè, *q. 6. de ieiunio, diff. 16. Append. 1.* Pasq. *decis. 337.* & alij plures.

QVÆSTIO CXXXVII.

An Episcopi, dum visitant, sint etiam exempti à ieiunio?

AFfirmatiuam sententiam tenere Angles, *loc. cit.* ait Pasqualig. *loc. cit. num. 3.* per hæc verba: Hanc doctrinam extendit Angles ad Episcopos, etiam quando visitant. Sed hoc non ita vniuersaliter accipiendum est, nam regulariter in visitatione non interuenit tantus labor, qui cum ieiunio stare non possit: nam, nec multùm corpus, nec multùm animus fatigatur. Vnde nisi visitatio ex specialibus circunstantiis contingat laboriosa, vt si esset coniuncta cum laborioso itinere, non puto eximi Episcopos obligatione ieiunandi. Sic Pasqualigus. Et bene. Quamuis non in eo, quod dicit, contrarium docere Angles; non

enim

eoim docet profectò; cum solum asserat, non teneri Episcopum, in dicto casu, ad ieiunandum, si non posset simul ferre laborem visitationis, & ieiunare. Sic enim ait, *loc. cit.* Hinc, si Episcopus non potest simul ferre labores visitationis, aut futuræ ordinationis cum ieiunio, licitum illi erit ieiunium omittere. Sic ille. Non ergo deuiat Angles à doctrina quam Pasqualigus, & nos cum illo, docemus.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An qui ieiunando grauiores stimulos carnis sentiunt, sint à ieiuniis deobligati?

RESpondeo Quòd non. Quia ieiunium non est causa, saltem per se, quòd sentiantur dicti stimuli, cùm potius ab illis cohibeat: sed prudentia carnis, aut Dæmonum astutia, qui, ea occasione, abstinentiæ donum eripere satagunt. Cùm ergo alio medio obligari possit talibus stimulis, censendum est, non deobligari à ieiunio illos, qui tales motus patiuntur. Nisi alias ita vehementes sint vt ob illos obuiandos impedirentur patientes à consuetis exercitiis, vt infrà dicemus. Sic Ledesma, 2.4.q.17.art.3.v. *Præterea dubitatur.* Medina, *C.de ieiun.q.9. in fine.* Filluc.tr.27. 2.*part. num.*225. Bonac. *in vltim. edit.* q.1. *cit. punct. vltim. num.*15. Ortiz, *in summ. cap.*19.*n.*13. Sanchez, *lib.*5.*consil. cap.*1. *dub.*11. *num.*6. Angles. q.5. *de ieiunio, diff.*4.*dub.*2.*propositione* 1. & Pasqualig. *decis.*342. *n.*1. Qui bene contra Angles docet, posse facilè dispensari in ieiunio cum illis, qui tales stimulos sentiunt. Quod etiam prius docuerat Gerson, *tom.*4.*ferm. in* 1. *Dominica Quadrag. col.*406. & Thomas Sanchez, *loc.cit.* Legatur etiam *lib.*4.*summ. cap.*5. *num.*32. & *cap.*6.*num.*2.

QVÆSTIO CXXXIX.

An saltem; qui ieiunando, non solùm sentiunt maiores stimulos carnis, verumetiam, ob debilitatem personarum, frequenter in peccata carnis incidunt, eximantur à ieiuniis?

RESpondeo probabiliter (& satis) Eximi. *Primò.* Quia credendum est certò, non velle Ecclesiam obligare quem, cum periculo ruinæ spiritualis: ergo si ieiunium est causa, licèt per accidens, ruinæ spiritualis eorum, qui acres stimulos carnis patiuntur, cessabit eius obligatio.

Secundò, Quia probabile est, vt diximus, 2. *part. de Sacram. tr.*9. *disp.*23. §.5.q.2. quòd votum simplex castitatis cesset, etiam ante dispensationem, casu quo vouens, non possit se continere: ergo similiter, erit probabile in nostro casu, non obligare præceptum ieiunij, respectu illorum, quibus est liciti per accidens, causa ruinæ spiritualis. Sic tenet Pasqualigus, *loc.cit.à num.*3. Addens, *n.*4. Non solùm in dicto casu deobligari à ieiunio: verumetiam, in casu, quo carnis stimuli essent tam vehementes, vt generarent magnam inquietudinem, ita vt ob ipsos vincendos impediretur ieiunans à consuetis exercitiis, eo quòd inquietudo non sineret eis vacare, tunc enim iam non obligaret præceptum ieiunij.

QVÆSTIO CXL.

An qui sentiunt magnam difficultatem in ieiunando, eximantur à præcepto ieiunij?

NEgant Ledesma, 2.4.q.17.*art.*3.*ver. Præterea dubitatur.* Angles, q.5. *de ieiun. diff.*4. *dub.*2. *proposit.* 2. Medina, *C.de ieiun.q.*9. *ver. Ad hoc breuiter.* Ortiz, *in summ. cap.*19.*num.*13. & Filliuc.*tr.*27.*p.*2.*n.*225. Quos omnes pro hac parte refert Pasqualigus, *vbi infra.* Sed ex his, Ortiz id docet, non *n.*13. sed 8. Medina, quamuis id etiam neget, addit tamen, posse cum prædictis in ieiunio dispensari, eo quòd detur sufficiens causa.

Affirmat verò, Bonac. *disp. vltim.de præc. Eccles. in edit. noua, q.*1.*punct. vltim. num.*15.

Sed probabiliùs, cùm distinctione, Respondeo dicendum. Quòd si difficultas in ieiunando proueniat ex vitiosa aliqua consuetudine gulositatis, tunc nullo modo excusabuntur à ieiunio, qui in ieiunando magnam paterentur difficultatem: quoniam hæc, assiduitate mollescit, & perseuerantiâ vincitur. Si verò difficultas in ieiunando proueniat ex naturali conditione, videlicet, ex nimio calore naturali causante quandam naturalem voracitatem; cui valde difficile est resistere; tunc verè excusabuntur à ieiunio, quia hoc non obligat cum tanto incommodo. Sic Pasq. *decis.*343. *à num.*3.

QVÆSTIO CXLI.

An qui dubitant, an habeant iustam causam non ieiunandi, teneantur ieiunare?

NEgat Pasq. *decis.*344. *n.*3. & 4. Quia existimat, quod possessio stat pro illis, qui dubitant, an possint ieiunare: ergo non tenentur ieiunare in dubio, cùm in hoc, melior sit conditio possidentis.

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri ieiunare; nisi dispensationem non ieiunandi obtineant; vel dubiû aliqua ratione deponant. Quia probabilius est, quòd in hoc casu, possessio stet pro præcepto ieiunij: ergo in dubio, obseruari debet. Sic Bonac. *loc.cit.n.*15. Qui pro hac parte citat Lessium, *lib.*4.*de iust. cap.*2. *dub.*5. *num.*34. Toletum, *l.*6. *cap.*4. *num.*9. Azorium, *lib.*7. *cit.cap.*18.*q.*2. Nauarrum, *cap.*21. *num.*21. Angelum, *v.Ieiunium, num.*20. & Abulensem, q.150. Sed ex his Authoribus Toletus, solùm docet, quòd qui dubitat an possit ieiunare, petere debeat declarationem à Medico, Confessario, vel Superiore. Idem docet Azorius *loc. cit. non q.*2. *sed* 1. Tenent etiam nostram sententiam Trullench, *lib.*3. *in Decal.c.*2.*d.*6.7.*n.*20. Bassæus, *v.Ieiunium* 2. *n.*11. Moure, *part.*2. *summ.c.*8. §.4.*n.*13. & colligitur ex Sanchez, *lib.*2. *de matrim. disp.*41.*n.*38.

QVÆSTIO CXLII.

An qui putant, se habere iustam causam non ieiunandi, sed re vera illam non habent, peccent mortaliter, si non ieiunent?

REspondeo Non peccare mortaliter. Quia huiusmodi verè operantur secundùm rectam rationem, cùm hæc dictet, licitum esse ieiunium soluere, quando existimatur adesse iusta, & sufficiens causa illud soluendi. Sic Palud. *in* 4.*dist.*15.q.4.*art.*1. Caiet. 2.2.q.147.*art.*7.§. *Ad huius euidentiam, & in summ. v.Ieiunium. cap.*3. Nauarr. *cap.*21. *num.*21. Syluest. *v. Ieiun.quæst.*8. Sanchez, *lib.*1. *summ. cap.*17.*n.*21. Suarez, *lib.*3. *de legib. cap.*24 Vasquez, 1.2 *disp.*158. *c.*4. Bonac. *loc.cit. num.*20. & penes illum, Reginald. Valentia, Layman, & alij. Tolet. *loc.cit.n.*12. Moure, *p.*2. *summ. c.*8.§.21.*n.*14. Filliuc. *tr.*27.*p.*2.*n.*130. Sà, *verb. Ieiunium, num.*14. Lessius, *lib.*4.*c.*2.*dub.*5.*n.*34. & alij quamplures, quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis.* 353.*n.*1.

Notet hic scrupulosus ille Theologus doctrinam sui

sui Caietani, ne tam proclivis sit ad condemnandos eos qui re vera non habent causam non ieiunandi; existimant tamen. Ait namque sic, hic Eminentissimus, & Sapientissimus Cardinalis, *in summ. loc. cit.* Et ex hoc capite, innumerabiles personæ timoratæ excusantur sæpissimè à trãsgressione præcepti de ieiunio: dum vel ex multis reputatis, secundùm ipsos, rationabilibus causis, soluerunt ieiunium, aut collationem excessiuam putarunt sibi licere absque solutione ieiunij, propter debilitatem, aut propter somnum habendum, &c. Omnium enim huiusmodi, vna est, quam diximus, ratio excusans. Et caue, ne sis imprudens, & nimis sapiens in oculis tuis, dicendo, quòd omninò isti soluunt ieiunium, &c. & sis causa, quòd isti non ieiunent, iuxta suum posse: Nam ipsi sic, vt dictum est, agendo, non agunt contra præceptum Ecclesiæ, & fortè quandoque nec venialiter peccant: & ex tua sapientia agent fortè postmodum contra præceptum: sicut ieiunantes ter in hebdomada in Quadragesima, audientes à doctis stultis, quòd qui vnum diem non seruat, reus est totius Quadragesimæ, omittunt etiam illorum trium dierum ieiunium, in damnationem vtriusque, si enim cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt: satisfacit enim Ecclesiæ præcepto, qui impotentem se putans ad ieiunium totius Quadragesimæ alternis diebus ieiunat, aut bis, aut semel in hebdomada, iuxta vires suas. Huc vsque Caietanus. Cuius doctrinam valdè commendant Confessoribus Layman, *tract.8.cit.cap.3.num.6.* & Sanchez, *lib.5. consil. cap.1, dub.6. num.3.* & Nauarrus *cap.21. num.20.* Et meritò quidem.

QVÆSTIO CXLIII.

An saltem, sic bona fide ieiunantes, peccent venialiter?

AFfirmant Syluest. Tolet. Nauarr. & Moure, *locis citatis.*

Sed probabiliùs, Respondeo: Nec venialiter peccare. Quia operatio, quæ est secundùm rectam rationem, non est peccaminosa: at talis est illa, quam prædicti non ieiunantes sequuntur: ergo sic expresè Pasqualig. *loc.cit.n.3.* & alij Doctores citati, quatenus absolutè docent; non peccare.

QVÆSTIO CXLIV.

An qui putans se habere iustam causam non ieiunandi, sumit manè ientaculum in magna quantitate; si cesset postea illa causa, teneatur adhuc ieiunare?

AFfirmant Medina *C. de ieiunio, q.5. ver. In confirmationem.* Lopez, *p.2. instruct. cap.*112. Rodriguez, *tom.2.q. Regul.q.*100.*art.*2. Layman, *lib.4.tract.*8. *cap.*1.*num.*13. Gordonus, *lib.6. Theol. Moral.q.*18.*c.*5. *n.*9. Bassæus, *v. Ieiunium*, 1.*n.*11 & Trullench, *cap.2.cit. dub.3. n.5.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri ieiunare ampliùs. Quia iam violauit ieiunium, quoad substantiam: at sic est, quòd ieiunium semel violatum, nequit ampliùs reparari: ergo. Sic Palud. *in 4.dist.15. q.4. art.5.* Lessius, *c.2. cit. dub.3. n.* 18. Quamuis hic addat, non debere præfatum prandere, si commodè fieri potest. Viuald. *in Append. ad Candelab. cap.5. n.60.* vbi sic ait: Qui putabat se iter facturum, vel laboraturum, & ideò inculpatè sumpsit ientaculum, animo non ieiunandi, & tamen postea, causa aliqua impeditus est, non tenetur ieiunare, quia iam non potest esse vnica comestio. Sic ille, & penes ipsum, Durand Angel. Ledesma, Syluest. Armilla, & Caietan. Sic etiam Bonac. *disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst.1. punct.3. n.8.* citans pro hac parte Valentiam, *tom. 2. disp.3. qu.11. punct.3.* Azor *p.1. lib.7.c.9.q.2.* Sà, *verb. Ieiun. num.13.* Nauarrum, *cap.21. num.14.* & alios. Sancius, *in select. disput 53. num.7.* Ghislinus, *verb. ieiunium, numero 21. litt. H.* Villalob. 1. *part. tractat.23. diff.6. num.7.* Pasqualig. *decis.344. à num.3.* & alij.

QVÆSTIO CXLV.

An saltem, qui manè sumpsit malitiosè ientaculum, in magna quantitate, teneatur adhuc illa die ieiunare?

AFfirmant adhuc teneri ad ieiunium, Layman, Gordonus, Bassæus, & Trullench, *loc. cit.* Syluius, 2.2.*quæst.*147. *art.6. q.2.* & Filliuc. *tract.27.p.2. num.24.* & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Adhuc non teneri illa die ieiunare. Quia nemo tenetur ad ieiunandum, quando non potest seruare substantiam ieiunij: sed ille; qui malitiosè sumpsit ientaculum, in magna quantitate, non potest seruare iam ieiunium: ergo. Sic Palud. Viuald. Bonac. Sancius, & Villalob. *loc. cit.* Nauarr. *cap.21. num.27.* Angles, *q.9. de ieiun. art.2. diff.5. dub.3. proposit.2. pag.438.* Vega, *part.2. summ. cap.14. casu 53.* Molfes. *in summ. tract.10.c.3. num.41.* Ioan. à Cruce, *1.p. summ. de 3. præcept. art.4. dub.9. n.1.* Pasqualig. *decis.345.* & alij.

QVÆSTIO CXLVI.

An adminùs, qui manè ientaculum, in magna quantitate; inaduertenter sumpsit; teneatur ampliùs, nempe, quando aduertit, ieiunare?

AFfirmant (apud Pasqualigum) Lessius *lib.4. c.2 dub.5. num.19.* Filliuc. *tract.27. part.2. num.24.* Layman, *lib.4. tract.8. cap.1. num.13.* Syluius, *in 2.2. quæst.147. art.6. q.2.* Sancius, *in selectis, disp.52.n.2.* Ioann. à Cruce, *in summ.1.p. præc.3. art.4.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.3. num.15.* Gordonus, Bassæus, & Pedraza, docentes, teneri ad ieiunium, hoc modo, videlicet, quòd abstineat à prandio, & postea sumat collationem vespertinam, aut ad summum, cœnet.

His accedunt (apud eumdem Pasqualigum) alij, etiã affirmantes, ad ieiunium teneri, se tamen debere gerere, ac si nihil sumpsisset; & ideò posse horis consuetis prandere; & vesperè collationem sumere. Ita Palud. *in.4. dist.15. quæst.4. art.5.* Syluest. *verb. ieiunium, num.21.* Nauarr. *cap.21. n.27.* Viuald *cap.15. cit n.60.* Angles, *q.9. de ieiunio, art.2. diffic.5. dub.3. propos.1.* Sà, Vega, Villalob. *loc. cit.* Ortiz, *in summ. cap.19. num.9.* Molfes. *part.1. tract.10. cap.3. num.4.* Fagundez, *de 4. præc. Eccles. lib.1. cap.4. num.6.* in fine. Omnium horum fundamentum est; quia per dictam comestionem, cùm non sit voluntaria respectu fractionis ieiunij, non frangitur ieiunium: ergo potest, & consequenter debet seruari. His Authoribus adhæret Diana *part.10. tractat.14. Resolut.41. in fine.* addens quòd illum cui hic casus accideret, sic se debeat gerere, nempe, quòd si comestio sit æquiualens prandio, eo die non sumat nisi refectiunculam; si verò comestio æquipolleat refectiunculæ, sumat eo die tantùm prandium si neutri, ob paruitatem, æquiualeat, tunc sumat prandium, & refectiunculam,

culam, seruans formam ieiunij. Ita ille ex Rocafull. *in praxi Theol.8. moral. tom. 2. lib. 3. de prac. Eccles. cap.4. num.59.*

Sed probabiliùs Respondeo: Nec dum teneri, eo die amplius ieiunare. Quia non potest amplius, eo die seruare substantiam,& formam ieiunij, quæ consistit in vnica refectione: ergo non tenetur ad illud. Quòd autem illa prima comestio sit inuoluntaria, parum interest ad propositum; cùm per illam verè,& realiter violetur præceptum ieiunij; cùm destruatur eius forma,& solùm, qui illam sumpsit, excusetur à peccato, ex eo, quòd non aduertit. Sic Bonac. *disp. vltim. de prac. Eccles. q.1. punct.3. n.15.* qui latè probat. Diana 1. *p. tr.9. res.44. verb. Neque vt aduertit.* Pasq. *decis.346. à n.4.*

Qvæstio CXLVII.

An dispensatus, vt bis possit comedere in die ieiunij, sit omnino exemptus à ieiunio?

NEgant Couarru. *lib.4. variar. cap.20. n.13.* Medina, *C. de ieiunio, quæst.5. verb. Ego tamen.* Maior, *in 4. dist.15. quæst.6.* Montesinos, *1.2. tom.2. q.73. art.2. q.4. n.47.* Syluius, *2.2. q.147. art.3. q.3.* & alij, qui putant, per præceptum ieiunij, non solùm prohiberi secundam comestionem; verumetiam, & aliam vlteriorem.

Sed probabiliùs, Respondeo: Esse omnino exemptum à ieiunio. Quia, qui dispensatur, vt bis comedat, dispensatur in forma substantiali ieiunij quæ consistit in vnica integra comestione,& vna collatione, admissa per consuetudinem: ergo dispensatur præcepto ieiunij, per quod, non tertia,&c. sed solùm secunda comestio prohibetur; ergo exemptus est ab illo. Sic Caiet. *2.2. q.147. art.7. §. Ad hoc breuiter.* Nauarr. *cap.21. num.14.* Abulens. *in cap.6. Matth. q.165.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.9. q.3.* Sà, *v. Ieiunium, num.12.* Reginald. *lib.4. num.180.* Bonac. *punct.1. cit. num.5.* Fagundez, *cap.4. cit. num.11.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.3. num.3.* Beia, & Ghislinus, quos citat,& sequitur Pasqualig. *decis.347.*

Qvæstio CXLVIII.

An qui dispensatur, vt diuidat cibum, ita vt, etiam vespere comedat, sit etiam exemptus à ieiunio?

NEgatiuam partem tenere Reginaldum *loc. cit. n.128.* ait Pasqualig. *loc. cit. n.5.* per hæc verba: Ex quibus constat, non posse subsistere sententiam Reginald *n.182.* quam sequitur Molfesius, *p.1. summ. tr. 10. cap.5. n.24.* quæ docet, quòd ille, qui dispensatur; vt diuidat cibum, ita vt comedat etiam vesperè, non esse solutum à ieiunio. Ita ille. Et benè hanc sententiam tribuit Reginaldo; cùm illam profectò, *loc. cit.* licèt nō clarè teneat, insinuet. Nam ibi quæ quærit, an is, cui ex dispensatione, licet bis in die ieiunij comedere; liceat pariter, horam comedendi anteuertere, etiamsi nullam habeat iustam anteuertendi causam? & Respondet. Quòd non, his verbis: Vnde dispensatus, vt plures in die ieiunij comedat, non est eo ipso dispensatus, vt horam comedendi anteuertat, sicut neque vt cibis vetitis vtatur; &c. Sic ille. Vnde his scitis, ad quæstionem.

Respondeo dicendum. Quòd etiam sit exemptus, & dispensatus à ieiunio. Quia verè illi est concessa bina integra comestio; cum qua nequit ieiunium subsistere. Sic Pasq. *loc. cit.*

Qvæstio CXLIX.

An licitum sit, ieiunium voluntarium, propter hospitem aduenientem, soluere?

REspondeo: Licitum esse (imò,& maioris meriti) soluere. Quia illa comestio cum Hospitibus, est actus charitatis; cùm sit ab hac imperata: ergo, cùm sit perfectior abstinentiæ actu & exercitio, anteponi debet. Sic docet expressè D. Prosper, Episcop. Aquitanus, *lib.2. de vita contempl. c. vltim.* Gerson, *tom.4. serm.1. Domin. 1. Quadrag.* Sozomenus,& Nicephor. Quos citant, & sequuntur Azor, *1. p. lib.7. cap.18.* (aliàs 29.) *q.2.* Fagund. *de 4. prac. Eccles. lib.1. cap.10. num.12.* Pasqualig. *decis.350. n.1.* dicens, in hoc nullam esse difficultatem.

Qvæstio CL.

An etiam ieiunium obligans sub mortali, possit solui ob hospitem?

AFfirmant (apud Pasqualigum), Azor, *1. par. lib.7. cap.18. quæst.1.* Tamburin. *tom.2. de iure Abbat. disp.12. q.6. num.3.* & Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.17.* posse scilicet, solui ieiunium ab hospitante, casu quo hospes sumpsisset manè collationem,& ideò deberet vesperè cœnare. Quia in hoc casu (inquiunt) cœnare cum hospite, est quoddam exercitium charitatis, quod anteponi debet ad ieiunium. Hanc sententiam latè probat Pasqualig. eamque videtur amplecti; licèt in fine addat, se in hac re, meliori iudicio remittere. Tenet tamen Gerson, *4. part. serm. in 1. Dominic. Quadrag. col. 406. & tom. 1. col. 25.*

Sed mihi vt certum Respondeo: Non posse solui. Quia in hoc casu, nulla vrget necessitas ad soluendum præceptum ieiunij: Nec charitas, cùm possit hæc, cum obseruatione ieiunij, & cum maiori ædificatione proximi, obseruari: ergo seruari debet ieiunium. Sic tenent Fagund. *loc. cit.* Syluius, *2.2. qu.147. art.4.* Homobonus, *2. p. exam. Eccles. tr.11. c.7. qu.23.* apud Pasqualigum.

Qvæstio CLI.

An saltem ieiunium obligans sub mortali, licitum sit, propter hospitem Magnatem, soluere?

AFfirmat Pasqualig. *loc. cit.* Quia (inquit) siquis excipiat hospitio virum magnatem, non videtur posse, sine graui incommodo, seruare ieiunium: nam si non parat cœnam, hospes censebit, se non excipi cum illa magnificentia, quæ sibi debetur; & proinde concipiet malum animum, erga hospitantem. Si verò, paret cœnam,& ipse accumbat,& non comedat aut saltem parum, etiam si præseferat ieiunium obligans, hoc imputabitur ad quamdā importunam correptionem aliorum; aut, quòd ægre ferat expensas cœnæ: vnde vice meriti, quod mediante hospitio deberet acquirere apud talem Magnatem, aut Principem, potiùs ipsum offendet. Et proinde incommodū ipsius erit notabile, cum quo non obligat præceptum ieiunij. Vnde existimo, hanc esse causam saltem sufficientem, vt in tali casu possit superior dispensare. Huc vsque ille.

Sed omninò oppositum Respondeo dicendum: Non licere in prædicto casu, saltem sine dispensatione, ieiunium soluere. Quia in eo, nulla interuenit necessitas frangēdi ieiunij præceptum: ergo, ob hospi-

tem

tem, etiam Magnatem, receptum, non potest solui. Consequentia patet; antecedens verò etiam ex fundamento Pasqualigi, est notum; cùm notum sit, esse falsum, non posse, sine graui incommodo, hospitantem seruare ieiunium. Optimè namque hic potest, parare hospiti Magnati magnificentissimam cœnam; & cum eo mensæ accumbere, & eius gratiâ, aliquid cibi præsumere, sine violatione ieiunij: ergo sine vlla offensione hospitis; & sine incommodo aliquo hospitantis potest hic obseruare ieiunium; ac proinde tenebitur. Secus verò dicendum, casu quo aliqua necessitas frāgendi ieiunium interueniret; quia tunc non solùm, posset, sed deberet frangi, vt multoties à viris sanctis est factum, vt constat exemplis, quæ Azor, & Pasqualigus adducunt. Sic expressè docent Regnald. *lib. 4. numer. 221.* & Trullench, *loc. cit.* dicentes, nullo modo licere amici, vel socij gratiâ, frangere ieiunium, nisi quando necessitas proximi id exegerit.

Qvæstio CLII.

An qui exemptus est à ieiunio; possit edere cibos prohibitos in die ieiunij?

Respondeo tanquam certum: Negatiuè Quia præceptum de abstinentiâ à carne, & in Quadragesima, ab ouis etiam, & lacticiniis, est distinctum à præcepto ieiunij: ergo ex hoc, quòd cesset istud, non cessat aliud. Sic omnes Doctores. Legantur Nauarr. *cap. 21. num. 13.* Azor, *lib. 7. inst. cap. 7. q. 4.* Trullench, Filliuc. & Pasqualig. *decis. 355.* Corduba, *in summ. quæst. 143.* & alij apud ipsos.

Qvæstio CLIII.

An qui pluries expertus est, quòd ieiunium Quadragesimæ, aut abstinentia à carnibus noceat; debeat id quot annis experiri, antequam edat carnes, aut ieiunium soluat?

Respondeo: Non debere amplius experiri (nisi probabile sit, causam non ieiunandi, &c. cessasse.) Quia sufficit certitudo, quam per experientiam habet, de causa soluente. Sic Lopez, *2. p. instruct. c. 112.* Ioann. à Cruce, *1. p. summ. prac. 3. art. 4. dub. 9. numer. 8.* Sancius, *in select. disp. 5. num. 23.* Pasqualig. *decis. 352.* & alij. Qui benè dicunt, secus dicendum esse, de illis, qui dubitant, quòd ieiunium, & abstinentia, à carnibus sibi noceant; nam huiusmodi debent priùs id experiri. Legatur Nauarr. *c. 21. n. 20.*

Qvæstio CLIV.

An labor voluntariè susceptus, si sit magnus; extinguat obligationem ieiunandi?

Negant Durand. Palud. & alij plures citati, *q. 98.* docentes, non licere in die ieiunij iter facere, si hoc impediturum sit ieiunium, casu, quo commodè differri possit.

Sed probabiliùs Respondeo: Extinguere obligationem ieiunij; si causet tantam lassitudinem, & laborem, quæ de se valeat excusare à ieiunio. Quia vnusquisque habet ius ad quemcumque laborem suscipiendum, quo nullo modo priuatur, ob obseruandum ieiunium: ergo. Sic omnes Doctores, quos *sup. q. 98.* pro nostra sententiâ citauimus & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 317. n. 4.* & demum alij mox citandi.

Qvæstio CLV.

An labor voluntarius, possit assumi in diebus ieiunij, semper quantùm & quoties libuerit?

Negant Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 7. num. 18.* & Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. n. 10. & 14.* existimantes, solùm posse assumi semel, & iterum, non semper quod libuerit.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse assumi semper, & toties, quoties libuerit. Quia id, quòd semel, atque iterum est licitum fieri, semper erit licitum fieri concurrentibus iisdem circunstantiis: at in præsenti concurrunt: ergo. Sic Pasqualig. *decis. 318.* & nos in simili etiam *2. p. tract. 6. de Ordine, disp. 2. q. 21. & 22.* loquendo de eo, qui in mortali solemniter cantat Euangelium, & Epistolam.

Qvæstio CLVI.

An defatigatus ex labore assumpto, ob quærendam concubinam (aut, ob alium malum finem) sit exemptus à ieiunio, casu, quo anteà præuiderit impotentiam futuram ad ieiunandum?

Negant esse exemptum à ieiunio; sed ideòque præfatum peccasse contra præceptum ieiunij, in causa, eo quòd, præuidendo quòd talis labor foret causa non ieiunandi, dedit causam peccato. Ortiz *in summ. cap. 19. num. 17.* Homobonus *de Exam. Eccles. part. 1. tract. 8. cap. 7. quæst. 23. & tract. 9. cap. 4. q. 74.* Ioan. à Cruce *1. part. summ. de 3. precept. art. 4. dub. 9. concl. 3.* Rodriguez *tom. 1. summ. cap. 23. num. 6.* quos omnes, pro hac parte, refert Diana *citandus.* Sanchez *loc. cit. num. 15.* Trullench *loc. cit. nu. 10.* Vega *1. part. summ. cap. 14. casu 7.*

Sed probabiliùs Respondeo: Esse exemptum à ieiunio: nec peccasse, adhuc in causa, contra præceptum ieiunij, illum, qui talem laborem assumpsit, ob finem inhonestum; sed solùm contra illam virtutem, cui hic malus, & inhonestus finis contrariatur. Ratio est. Quia præceptum ieiunij, non obligat, vt quis se abstineat à laboribus voluntariis, adhuc inhonestis; cùm solùm sistat in præcipienda abstinentia iis, qui possunt illam seruare: at prædictus defatigatus ex labore assumpto, ex quocumque fine malo, non potest illam, (vt supponimus) seruare: ergo non tenebitur. Solùm ergo, ille talis peccabit contrà præceptum, cui finis inhonestus opponitur. Sic Medina *in summ. lib. 1. cap. 14. §. 10.* Petr. de Ledesma *in summ. tract. 27. cap. 2. in fine.* Diana *1. part. tra. 9. Resol. 40.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. num. 123.* Llamas *3. p. Meth. c. 5. §. 21.* vbi sequendo Medinam, sic ait: Dicimus ergo, quòd postquam quis debilitatus est, & factus impotens ad ieiunandum, etsi impotentia nascatur ex culpa propria, vt qui lassatus maximè est in diruenda domo ad furandum, vel in occidendo proximum, vel in multiplicando actus turpes venereos, vel in via longa visurus concubinam, & sentit tunc impotentiam ad ieiunandum, ad ieiunium non tenetur: sed sine peccato, potest cœnare nouò. Sic ille. Ioan. Sancius *in select. disp. 54. num. 20.* Bonac. *tom. 2. disp. 2. de peccat. q. 8. punct. 1. n. 16. vers. Nonnulli.* Villalob. *in sum. tr. 23. diff. 4. n. 11.* (Quamuis hi duo limitent hanc sententiam ad casum, in quo non fiat in fraudem ieiunij, hoc est, intentione violandi præceptum ieiunij, de quo statim.) Pasqualigus *decis. 319.* Ioannes Henriq. *in summ. section. 16. quæst. 29. vers. y aun dize mas Diana.*

QVÆSTIO CLVII.

An qui assumit media illicita, & ita laboriosa, vt sint incompatibilia cum ieiunio, ex intentione non seruandi ieiunium; peccet contra praeceptum ieiunij?

NEgat Zacharias Pasqualigus *decis.* 320. *num.*6. docens, quòd licèt certum sit, quòd in dicto casu, peccet prædictus in assumptione mediorum illicitorum, contra præceptum, quo prohibentur; non tamen peccet contra præceptum ieiunij; eo quòd ipse, solùm velit se subtrahere ab obligatione ieiunandi, mediante impotentia, quæ cùm iustè subtrahat, non tendit illa intentio contra præceptum ieiunij. Ita etiam tenet Rocafull. *in praxi Theolog. Moral. tom.*2.*lib.*3.*de praeceptis Eccles.cap.*9. *num.*153.& 154. vbi citat pro hac parte Diana, & bene.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Peccare, etiam contra præceptum ieiunij. Quia licèt non peccet quando non ieiunat, eo quod impotens factus ratione defatigationis, non ligatur præcepto ieiunandi; peccat tamen, quando assumit media laboriosa illicita ex intentione non ieiunandi. Quia longè probabiliùs est, quòd adhuc, qui assumit media licita, & honesta ex intentione non ieiunandi peccet contra præceptum ieiunij, vt statim dicemus: ergo à fortiori, qui ex tali intentione assumit media illicita. Sic tenent Authores statim citandi, præcipuè, Sanchez *tom.*1.*consil. lib.*5.*c.*1. *dub.*7.*n.*13.& 15. Ioan. Henriquez *in summ. sect.* 16.*qu.* 29. & nouissimè iam me citato tenet hanc partem Diana *p.*10. *tractat.* 14. *Resol.* 11. & alij quamplures apud ipsum.

QVÆSTIO CLVIII.

An etiam peccet mortaliter, contra praeceptum ieiunij, qui assumit media licita, sed valde laboriosa, & incompatibilia cum ieiunio; ex intentione non ieiunandi?

NEgat (& à fortiori) Pasqualig. *loc. citat. nu.*3.& *sequent.* dicens prædictum, nullo modo peccare. Fundamentum eius est. Quia imprimis, non peccat quando non ieiunat, quia tunc, cùm sit impotens ratione lassitudinis, non obligatur præcepto ieiunandi; vt communiter omnes concedunt; nec peccat, quando assumit media licita laboriosa, ex intentione non ieiunandi: quia prædictus in hoc, non facit contra legem ieiunij; sed solùm, se subtrahit ab obligatione legis; adhibendo media licita subtrahentia, hoc est, adhibendo media licita laboriosa, quæ excusant à lege ieiunij: ergo. Citat etiam Pasqualigus pro hac sua sententia, Ioannem Sancium *in selectis disp.* 54. *num.*14. & 20. Dianam 1.*p. tract.*9. *Resol.*52. & Ghislinum *in summ. verb. Ieiunium, n.*21. *lit. M.* Additque eamdem debere docere omnes, qui putant, esse licitum discedere è loco vbi obligat ieiunium, in hunc finem, vt discedens non teneatur ieiunare; quod certè nos docuimus sup. *tract.*1. *disp.*3.*qu.*7.& 8. Sed ex his Doctoribus, quos expressè pro se citat Pasqualigus, Diana oppositum sequitur. Quia, licèt hic Author dicat, sibi non displicere opinionem Sancij, tamen in fine expressè ait, non esse recedendum ab opinione Azorij; qui quidem oppositum sentit. Malè ergo illum pro se adducit Pasqualigus. Vnde,

Longè multò probabiliùs longéque veriùs. Respondeo: peccare mortaliter contra præceptum ieiunij; non quidem, quando post defatigationem, & exercitium laboriosum non ieiunat (quidquid oppositum doctus quidam apud Sanchez senserit) vt in hoc benè Authores pro prima sententia adducti existimant; sed dum assumit media laboriosa (quamuis licita) intentione non ieiunandi, seu, in hunc solum finem, vt non ieiunet.

Probatur. Quia ille verè frangit præceptum ieiunij, qui instante huiusmodi præcepto, non vult illud adimplere: Sed sic est, quòd qui, ex intentione non seruandi præceptum ieiunij, assumit media incompatibilia cum ieiunio (siue sint licita, siue non) verè non vult ieiunare, extante, & instante præcepto: ergo ille, verè frangit præceptum ieiunij. Minor, in qua est difficultas, patet, quia ex nolitione ieiunandi assumpsit ille media laboriosa ad eximendum se à ieiunio, cuius præceptum, cùm semper adsit semper ligat illum, qui potest ipsum adimplere ergo per illam nolitionem; aut intentionem, & desiderium non ieiunandi antecedens ad media, verè fregit ieiunium.

Nec est eadem ratio, de illo, qui discedit è loco, vbi obligat ieiunium, ad locum, vbi non obligat, ex intentione non ieiunandi; ac de illo, qui assumit laborem incompatibilem cum ieiunio; vt non ieiunet: nam primus, assumit medium ad non ieiunandum, vbi, & quando non adest, nec extat præceptum ieiunij; & ideò, nec intentione, aut desiderio, præceptum ieiunandi frangit: Secundus verò, non sic, cum assumat medium ad non ieiunandum, vbi, & quando adest, & extat præceptum ieiunij; vnde non mirum, si primum à peccato mortali excusemus; non verò hunc secundum. Ex quo constat ad fundamentum oppositæ sententiæ; negandum namque est, quòd prædictus non peccet, quando assumit media licita laboriosa ad non ieiunandum; quia verè in hoc facit contra legem ieiunij, vt optimè vidit D. Ioannes Escobar, *tom.*1. *tract. de vtroque foro a* 1.4. *num.* 192. & 193. vbi postquam retulit oppositam sententiam, & eius sectatores, in hæc verba prorupit: At ô Deus! Quid est quod inter viros doctissimos, Sanctos, & Pios admissum video: non est hoc directè affectare impedimentum, desiderio non implendi præceptum? Quod non excusare, docet text. expressus *in l.*2. *in fine. Si quis caution. l. Item in.*4. *cum, l. sequen. l. Republica,* 36. ex quibus caus. maior. cum similibus apud Tiraquel. *de retract. lign.* §.3.*gloss.*4. *numer.*6. & §.35. *gloss.*4. *numer.* 29. & apud Monetam, *de optione Canonica cap.*6. *qu.*5.*r.*40. & apud Valenzuel, *consil.*100. *num.*87. Quid est fraudem facere ad non seruandum eius præceptum, quod nullibi licet, vt vtrumque patet ex *l. contra legem* 29. vbi gloss. 1. &c. Nec fugam voluntariè arripere, vt non seruentur Dei præcepta, non est contrarium eorum obseruantiæ, & nolle directè ea adimplere? Nonne, hoc non est docere varias euasiones, vt Dei præcepta facilè spernantur, cum maxima animarum iactura? At hoc non esse peccatum, quo pacto, qua ratione asserere possumus? Quid autem aliud est, quàm nolle directè Dei præcepta seruare? Quis quidem firmare poterit nolutatem seruandi præcepta Dei vacare à peccato? Huc vsque, & amplius ille. Et antea Azor 1.*p. instit. cap.*17.*q.*9. in fine, & penes illum Rosella, & Palud. Salas 12.*disp.*2. *sect.*9.*num.*118. Ledesma 2.*part.*4.*q.*17.*art.*3. Nauarr. *in Man. cap.*21. *numero* 17. Angles *quæst.* 6. *de ieiunio diff.*10. *dub.*1.*in Append.* Medina *lib.*1.*summ. capite* 14. §. 10. Bonacin. *tom.* 2. *disput.* 2. *de peccatis quæst.* 8. *punct.* 1. *numer.*16. Layman *lib.* 4. *tractat.* 8. *capite* 3. *numero* 5. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. capite* 2. *dub.* 7. *numero* 10. & 11. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 7. *numero* 12. Bossius *in disceptatio. moral. discept.* 4. Lublinus *verb. Ieiunium numero* 29. Villalob. 1. *part. summ. tract.* 23. *diff.* 4. *num.* 11.

*num.*11. Rodriguez 1.*part.summ.c.*23.*conclus.*6. Diana, *loc.citat.* Castro Palao, *tom.*1. *tract.*3. *disp.*1. *punct.*21. *num.*3. & Ioan. Henriquez *in sum.sect.*16. *q.*29. *vers. Pero no obstante esto.* ibi: [Como no lo haga con intencion de defraudar el ayuno.]

DISPVTATIO IX.

De Peccatis contra praeceptum ieiunij.

QVÆSTIO I.

An comedens cibos noxios, praeuidens, quòd infirmabitur, & quòd non poterit ieiunare, peccet contra praeceptum ieiunij?

RESPONDEO Tanquam certum; Peccare quidem, & grauiter, contra temperantiã; cùm sanitati suæ inferat notabile nocumentum: non verò contra præceptum ieiunij; cùm ex comestione ciborum noxiorum, non sequatur per se violatio ieiunij, sed ex impotentia, qua stante; non est peccatum non seruare ieiunium, vt *disp.*8. *q.*156. est habitum. Sic Sanchez *in consil. lib.*4. *c.*1. *dub.*7. *n.*14. Sancius *in select. disp.*54. *n.*20. & Pasqual. *decis.*356. Addens contra Sanchez, idem esse dicendum etiam in casu, quo quis comedat cibos noxios; intentione se impotentem ad ieiunandum reddendi; quia tunc solùm intendit fugere obligationem præcepti, & sic non peccat contra illud, sed contra temperantiam. Sed hoc additum mihi non placet, est namque, contra à nobis dicta, *disp.*8. *q.*157.

QVÆSTIO II.

An qui ieiunium frangit secundò comedens; toties deinde mortaliter peccet, quoties eo die, postea comedit?

AFfirmant, toties peccare, Maior *in* 4. *distinct.*15. *quaest.*6. Medina *C. de ieiun. qu.*5. *vers. Ego tamen.* Couarruu. *lib.*4. *var. Resol. capite* 20. *numero* 13. Molanus *in Theol. Practic. tract.*13. *c.*11. *concl.*4. Syluius, *in* 2. 2. *quaest.*147. *art.*6. *q.*3. Montesinos 1. 2. *qu.*73. *art.*2. *quaest.*4. *num.*47. Quia existimant hi Doctores, præceptum ieiunij esse negatiuum; & ideò toties de nouo peccare, quoties de nouo cibus, in eo die sumitur.

Sed probabiliùs Respondeo: Non peccare nisi solùm in secunda comestione; etiamsi pluries postea in eo die comedat. *Primò.* Quia probabilius est, quòd præceptum ieiunij sit affirmatiuum primò; & per se, vt habitum est suprà, *disputat.* 1. *qu.*6. ergo semel ieiunio violato, in secunda comestione, iam ampliùs non peccatur. *Secundò.* Quia per secundam comestionem omnino violatur, & tollitur præceptum ieiunij; cùm destruatur forma præscripta ab Ecclesia: ergo non potest ampliùs violari, aut frangi; ac proinde, nec cõtra illud peccare in vlterioribus comestionibus. Sic Durand. *in* 4. *dist.*15. *quaest.*11. *numer.*9. Palud. *quaest.*4. *art.*5. Gabriel *distinct.*16. *quaest.*3. *artic.*3. *dub.*5. Caiet. 2. 2. *quaest.*147. (non 146. vt inueni apud Fagundez) *art.*8. Angel. *verb. Ieiunium, num.*22. Syluester *quaest.* 8. Rosella *numero* 4. Tabiena *quaest.* 9. Armilla *num.*14. Ledesma 2. 4. *qu.*17. *art.* 5. D. Anton. 2. *part. tit.*6. *cap.*2. §. 9. Nauarr. *cap.*21. *numer.*15. & 23. Azor, 1. *part. lib.*7. *cap.* 9. (non 5. vt habet

Fagundez) *quaest.*2. *ver. Ego probabilior.* Quos omnes refert, & sequitur Fagundez *de* 4. *praecept. Eccles. lib.*1. *cap.*4. *num.*5. Moure *in summ. part.*2. *cap.*8. §. 2. *nu.*10. Henriquez *lib.*7. *cap.*13. *in Glossa litt.* S. Suarez *tom.*2. *de Religio. lib.*4. *cap.*7. *num.*12. Salas *de legibus disp.*14. *sect.*5. *n.*67. Valentia *tom.*3. *disp.*9. *q.*2. *punct.*3. Lessius *lib.*4. *cap.*2. *dub.*3. *num.*15. Filliuc. Reginald. Layman, Tannerus, Toletus, Vega, Ioann. à Cruce, & Villalob. quos affert, & sequitur Diana *part.*1. *tr.*9. *Resol.*44. Sà *verb. Ieiunium*, *n.*13. Ghislinus *n.*5. Lublinus *n.*2. Bonac. *disp. vlt. de praecept. Eccles. q.*1. *punct.*3. *num.*7. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.*3. & 5. Molfesius, *in summ. tract.*10. *cap.*5. *n.*22. dicens hanc sententiam esse communem omnium Scribentium. Sanch. *tom.*1. *summ. lib.*5. *c.* 11. *n.*42. Sancius *in select. disp.*54. *num.*42. Rodriguez, Petr. de Ledesma, Vuald. Lopez, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.*357. *num.*4. Baldellus *in Theolog. Morali lib.*2. *disp.*26. *num.*12. & communis.

QVÆSTIO III.

An qui in die ieiunij, tertia, aut quarta vice comedit; saltem venialiter peccet; contra praeceptum ieiunij, per tales comestiones?

AFfirmant Lessius *num.*15. *cit.* Filliuc. *tract.*27. *part.*2. *n.* 23. Basseus *in summ. verb. ieiunium.* 1. *num.*10. & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Nec venialiter peccare contra præceptum ieiunij, per dictas comestiones, (licèt possit, contra præceptum temperantiæ, & mortaliter.) Ratio est assignata. Quia, videlicet per secundam comestionem, destructa fuit tota substantia præcepti; ergo nihil contra illud vlterius, eo die, fieri potest. Sic Villalob. *in summ. tract.* 23. *diffic.*6. *num.*5. Sancius *in select. disp.*54. *numer.*42. quos citat, & sequitur Diana 1. *part. tract.*9. *Resol.*53. Trullench *n.*4. & Pasqualig. *decis.*338. *n.*1. & 3.

QVÆSTIO IV.

An qui violat ieiunium duplicis praecepti, v. g. ieiunium Quadragesimae in qua occurrit vigilia S. Matthiae, dupliciter peccet?

AFfirmant Nauarr. *in Man. cap.*21. *num.*4. Reginald. Ægidius Coninch, Lopez, Rodriguez & alij, quos citauimus 1. *p. tract.*5. *disp.*8. §. 8. *quaest.*5.

Sed probabiliùs Respondeo: Non peccare dupliciter. Quia non potest esse multiplex peccatum; cùm ratio vtriusque præcepti sit eiusdem virtutis, nempe temperantiæ. Sic Vasquez, Sanchez, Suarez, Sancius, & alij quamplures, quos citauimus 1. *part. loc. cit.* & nouissimè Pasqualigus, *decis.*359. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dubit.*5. *numero* 5. & communis.

QVÆSTIO V.

An qui violat; ieiunium ad quod tenetur ex praecepto Ecclesiae, & voto; aut ex iuramento, & voto multiplex peccatum committat?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia tunc violatur ieiunium (ad quod ille tenebatur) multiplici obligatione diuersæ rationis; nempe abstinentiæ, & Religionis; aut religionis, & fidelitatis. Sic omnes Doctores, præcipuè relati à nobis 1. *part. loc. cit quaest.*8. & nouissimè, Pasqualigus, *loc. cit. num.*4. & 6.

QVÆSTIO VI.

An Regularis, qui violat ieiunium, ad quod ex præcepto Ecclesiæ, & Regula tenetur; dupliciter peccet?

AFfirmant Sanchez, Vasquez, Merolla, Nauar. & alij, quos 1.*part.loc.cit.q.*9. adduximus. Quibus addi possunt Bonac. *disp.*2. *de peccatis quæst.*4. *punct.*3. *num.*6. Diana 1.*part. tract.*9. *Resol.*16. Trullench, *loc.cit.* & Pasqualig. *loc.cit.num.*7.

Sed æquè probabiliter, Respondeo: Non peccare dupliciter. Quia illa duo præcepta, quæ violat, etiam ad vnicam virtutem temperantiæ spectant, vt diximus, 1.*part.loc.cit.* Sic Caiet. & Cornejo *ibi citati*, & nouissimè Gordonus, *in consil. Regul. Resol.*18. *numero* 13.

QVÆSTIO VII.

An paterfamilias teneatur, sub peccato graui, monere suos seruos, & domesticos ad ieiunandum?

REspondeo: Teneri illos admonere, corrigere, & increpare, si id non faciant. Colligitur ex Apostolo 1. *Timoth.*5. dicente: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Tenetur ergo suos domesticos monere ad ieiunandum, & fraterna charitate corripere, si id non faciant. Quod intellige, quando Dominus, aut Paterfamilias, probabiliter censet, quòd sine causa violent ieiunium. Sic Angles *q.*7. *de ieiun. diff.*2. *concl.*1, Pasqualig. *decis.*361. & Diana 1. *part. tract.*9. *Resol.*28. & omnes.

QVÆSTIO VIII.

An paterfamilias non solùm teneatur monere, sed etiam compellere seruos ad ieiunandum; è domo, videlicet, expellendo, aut alimenta subtrahendo, ne ieiunium frangant?

AFfirmant Medina *C. de ieiun.q.*11. *ver. Si autem cibi.* Maior in 4. *dist.*15. *q.*4. §. *Dubitatur.* Gabriel *dist.*16.*q.*3. *art.*3. *dub.*6. Nauar. *cap.*21. *num.*26. Toletus *lib.*6. *cap.*5. *num.*1. Syluius 2.2. *q.*147. *art.*3. *concl.*2. Comitolus *lib.*4. *respon. moral. quæst.*56. Ledesma *in summ. tract.*27. *cap.*2. *dub.*3. *post* 6. *conclus.* & innuit Molfes. *in sum. tract.*10. *cap.*5. *num.*29.

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri compellere famulos ad ieiunandum, quando ipsi nolunt; quando possunt, ieiunare. Quia Domini non habent vim coarctiuam, aut iurisdictionem spiritualem supra seruos; quia hoc est proprium Prælatorum: ergo non tenentur eos ad ieiunandum cogere, aut compellere. Sic Ledesma 2.4. *q.*17. *art.*6. *dub.*4. Sotus *de Secreto mem.*2, *quæst.*3. *concl.*4. Angles *loc. cit. concl.*2. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*17. *num.*5. Aragon. 2.2. *quæst.*32. *art.*3. Azor *lib.*7. *cap.*29. (*aliàs*) 37. *q.*12. Reginald. *lib.* 4. *num.*199. Fagundez *lib.*1. *cit.c.*10. *n.*11. *in fine*, Filliuc. *tract.*27. *p.*2. *num.*91. Sà, *verb. Ieiunium, num.*15. Villalobi *tract.*23, *diff.*38 *n.*3. Vega, *in summ. tom.*1. *c.*14. *casu* 27. Trullench, *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.*6. *num.*8. Pasqualig. *decis.*561. Diana 1.*part. tract.*9. *Resol.*28. Qui tamen malè pro hac parte citat Nauarrum, & Toletum; cùm oppositum expressè locis citatis, doceant, quòd non aduertit Pasqualigus, & est communis.

QVÆSTIO IX.

An saltem, teneantur Patresfamilias aut Domini, non ministrare cœnam famulis, nolentibus ieiunare?

AFfirmant, quòd teneantur non administrare, omnes Authores pro prima sententia nuper adducti, & expressè Nauarr. & Tolet. Et ex Authoribus secundæ, Fillиuc. Vega, Reginald. & Trullench, *loc. cit.* Rodriguez, *tom.*1. *summ. cap.*23. *concl.*4. *num.*8. & Ortiz *in summ. cap.*19. *mand.*2. *num.*14. quos citat, & sequitur Diana *Resol.*28. *citata.* Ita etiam Medina *C. de ieiun.* & Cardin. Toletus, apud Sanchez.

Sed probabiliùs Respondeo: Dicendum, quòd non teneantur, non ministrare cœnam. Quia, si tenerentur, ad non subministrandam cœnam famulis nolentibus ieiunare; maximè quia inde sequeretur cooperari peccato ipsorum: at hoc non sequitur: ergo. Minor probatur. Quia Domini tenentur ex vna parte famulis subministrare victum, & ex alia, non possunt exercere contra eos aliquam vim coërcitiuam seu punitiuam: ergo tenentur eis subministrare cœnam, & consequenter, non possunt in hoc censeri cooperatores peccato ipsorum. Sic Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*17. *num.*5. & penes ipsum, Ledesma, 2.4.*q.*17. *art.*3. *fol.*205. Angles, *de ieiunio. fol.*415. Sotus, *de secreto, membr.*2. *q.*3. *concl.*4. & Aragon. 2.2. *quæst.*32. *art.*3. Sic etiam Pasqualigus, *loc. cit. num.*7. Qui benè addit, oppositum esse dicendum casu, quo famuli nollent seruare ieiunia in contemptum Ecclesiæ, aut id facerent cum scandalo; quia tunc, non solùm tenerentur ad non subministrandam cœnam; verùm etiam è domo expellere, debitæ correptiones non proficerent.

QVÆSTIO X.

An ad minùs teneantur Domini negare semel aut bis, cœnam famulis nolentibus ieiunare, si scirent id famulis profuturum?

NEgant adhuc in casu, teneri ad negandam cœnam famulis Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*17. *n.*6. & Pasqualig. *loc. cit. n.*9. cum alijs recentioribus. Quia hoc (inquiunt) esset aliquo modo cogere, & exercere vim coërcitiuam in famulos: at hanc non habent suprà illos, vt suprà est habitum: ergo.

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri, in dicto casu negare cœnam. Quia licitè possunt ex præsumpta voluntate Prælatorum, exercere illam leuem correptionem, & coactionem, semel aut bis, in suos famulos; vt concedit Pasqualigus: imò, & Sanchez, cùm doceat id debere facere Patremfamilias, seu Dominum: ergo tenentur ad illam exercendam; cùm sciant illam profuturam esse famulis; non ergo solùm debent, secundùm conuenientiam, cœnam negare famulis nolentibus ieiunare, in dicto casu; verùm etiam, tenentur; cùm ad id solùm obstabat impotentia moralis dominorum ad exercendam vim coërcitiuam in famulos, quæ in hoc casu deficit, vt Sanchez fatetur.

QVÆSTIO XI.

An parentes teneantur cogere filios ad ieiunandum, quando nolunt ieiunare, cùm possint?

AFfirmant (& à fortiori) Medina, Maior, & alij citati pro prima sententia *quæst.*8. & etiam ex nostra,

nostra, Sanchez, *lib.5. consil. moral. cap.1. dub.1. n.8.* & penes ipsum, Cordoba, *addit. ad* Sotum *de secreto. memb.2. q.3. concl.4.* & alij docti Iuniores.

Sed probabiliùs Respondeo: Quòd licèt in dicto casu, teneantur Parentes monere, & corrigere filios, quando nolunt ieiunare; non tamen tenentur cogere illos, aut compellere ad ieiunandum. Quia, adhuc supra filios: non habent iurisdictionem spiritualem; & ideò in ordine ad spiritualia, inter quæ, obseruatio præceptorum Ecclesiæ locum obtinet, non possunt supra ipsos, vim coërcitiuā exercere, nec punire quando delinquunt. Sic Ledesma, Sotus, Angles, & alij citati pro nostra sententia *q.8.* & alij, quos citat & sequitur Pasqualigus. *decis.262. num.2.* Qui *n.6.* notat, quòd nihilominus possint Parentes ex ratihabitione Prælatorum, leui pœna filios punire, si nolint ieiunare, casu, quo eam profuturam illis cognoscant; aliàs non, vt de seruis diximus *quæst.10.* Sic ille, & bene, si adderet, non solùm posse; sed ad id etiam teneri; vt constat ex quæst. antecedenti dictis.

Qvæstio XII.

An possint parentes ministrare cœnam filiis, nolentibus ieiunare, quando ad id tenentur?

NEgant consequenter, Filliuc. Vega, Reginald. & alij citati pro prima sententia *q.9.*

Sed etiam consequenter, probabiliùs Respondeo: posse, imo, & teneri. Quia ad Parentum munus pertinet prouidere filiis de victu: non verò regere conscientias ipsorum (maximè quando sunt in ætate prouecta) ita vt debeant peccata ipsorum punire, & hoc modo impedire. Vnde subministrando cœnam faciunt quod suorum munerum est; nec per hoc cooperantur peccato filiorum, cùm cœna de se sit indifferens, vtpote ordinata ad sustentationem naturæ; & potest benè, vel malè adhiberi. Vnde quòd malè à filiis adhibeatur, imputandum est malitiæ ipsorum, non parentibus exhibentibus cœnam. Sic Authores citati pro nostra sententia *quæst. 11.* & Pasqualig. *loc. cit. num.7.* Imò id ipsum concedit Sanchez *loc. cit. num.9.* casu, quo filij essent tales, quòd si eis denegaretur cœna, oriretur magnum scandalum, & rixæ domi, vel irent cœnaturi cum aliis amicis.

Qvæstio XIII.

An Caupones, uel Tabernarij vendentes, vel ministrantes cibos, teneantur interrogare hospites, an habeant causam non ieiunandi?

AFfirmant, apud Pasqualigum, Lessius *lib.4. c.2. dub.4. num.24.* Filliuc. *tract.27. part.2. num.93.* Maior *in 4. dist.15. quæst.4.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.5. num.9.* Victorellus, *in addit. ad Toletum lib.6. cap.5. ver. Caupones.* Bassæus *verb. Ieiunium 1. num.14.* Sed ex his Authoribus, malè citatur Victorellus; quia ibi nihil de hac quæstione, nec ver. *Caupones.* habet, saltem apud me. Imò Lessius id non docet absolutè; sed solùm casu, quo decorè, aut decenter possint interrogari an excusentur à ieiunio; aliàs non, & idem docet Filliuc. Trullench, & Bassæus. Citat etiam Molfesius pro hac sententia Reginald. in dicto *lib.4. num.197.* Nauarrum *in Manuali, cap.21. num.26.*

Sed probabiliùs Respondeo: non teneri. *Primò.* Quia id nimis esset onerosum. *Secundò.* Quia non spectat ad Caupones, aut ad alios, qui paratas habent mensas ad prandendum, moderari conscientias aduenientium; cùm non habeant curam spiritualem

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

ipsorum; ergo non tenentur inquirere, an hospites habeant causam non ieiunandi. Sic Sanchez *lib. 1. summ. cap.7. numer.34.* Molfesius, *tom.1. sum. tract.10. cap.5. numer.30.* & Homobonus *part.2. Exam. Eccles.* (& apud ipsum, Medina, & Valentia) *tract.8. cap.7. q.21.* Quos citat, & sequitur Diana *1. part. tractat.9. Resol.39.* Moure *2. part. sum. cap.8. §.2. numer.12.* Pasqualig. *decis.364.* & alij.

Qvæstio XIV.

An Caupones licitè possint ministrare cœnam his quos certò sciunt ad ieiunium teneri?

NEgant (apud Sanchez *loc. cit.*) Gabriel, *in 4. dist.16. quæst.3. art.3. dub.6.* Nauar. *cap.21. n.26.* & Medina *C. de ieiunio, quæst. de his per quæ Ecclesiasticum ieiun. soluitur.* & (apud Pasqualigum) Toletus *lib.6. cap.5. numer.51. ver. Tertius casus.* & ibi Victorellus, *in Addit. v. Caupones.* Castro Palao. *1. part. tract.6. disp.8. punct.8. num.7.* Bassæus *verb. Ieiunium 1. num.14.* Moure *num.12. cit.* & Syluius *2. 2. q.147. art.5. quæst.1. in fine*, & alij existimantes peccare mortaliter. Quia saltem cooperantur prauæ executioni non ieiunandi.

Alij autem, distinctione vtendo, respondent; Posse quidem licitè ministrare cœnam, casu, quo absque incommodo notabili negare nequeant; aut casu, quo scirent Caupones, quòd hospites alibi essent ituri, & cœnaturi; quia in his casibus, licitè possunt ministrare illis cœnam: Secus verò, casu, quo sine damno, alicuius momenti, possent Caupones cœnam hospitibus denegare, quia in hoc casu, non possent licitè eam ministrare. Sic Sanchez, & Lessius, *loc. cit.* Valentia *2. 2. disp.9. quæst.2. punct.3.* Filliucius *tractat.27. 2. part. numero 93.* & Trullench *dub.5. cit. numero 9.* Molfesius *loc. cit. num.31.* & penes ipsum, Caietan. Ledesma, Salon, & Rodriguez.

Sed probabiliùs, absolutè Respondeo: Posse licitè ministrare cœnam iis, qui certò sciunt ad ieiunium teneri. *Primò.* Quia Caupones non inducunt hospites ad peccatum, præbendo illis cœnam, quam petiere intentione iam non ieiunandi; cùm solùm vendant res suas, vt deseruire possint comestioni, quatenus est actus naturæ, & non quatenus ieiunium soluit, in quo Caupones, solùm exequuntur proprium munus quod licitè exercent: ergo.

Secundò. Quia si dicti Caupones cœnam hospitibus non ministrarent, ij adhuc alibi essent ituri, & cœnaturi: ergo, cùm peccatum non possint, negando cœnam, impedire, licitè iam possunt illis subministrare. Sic Ledesma *2. part.4. quæst.17. artic.6. dub.3. & dub. penult.* Caiet. *2. 2. quæst.147. art.4. in fine.* Salon, *2. 2. quæst.77. art.4. contrset.6. post 3. concl.* Rodriguez, *1. tom. sum. cap.23. num.8.* P. Ledesma, *tract.27. cap.2. dub.4.* Quos omnes pro hac parte refert Sanchez. His addi possunt (penes Pasqualigum) Angles, *q.7. de ieiun. diff.4. Append.1.* Molfes. *tract.10. cit. cap.5. num.30. & 31.* Vega, *1. part. summ. cap.14. casu 19.* Bonacin. *disp. vltim. de præc. Eccles. quæst.1. punct.3. num.9. & de peccatis disputat.2. q.4. punct.2. §. vnico, num.36. & 37.* Diana, *1. part. tractat.9. de ieiun. resol. 49.* Ghislin. *verb. Ieiunium, numero 15.* Faustus, *lib.1. Thesauri Relig. q.172.* Homobonus, *part. 2. exam. Eccles. tractation. 8. capite 7. quæst.21.* Author casuum Conf. Bononien. *casu 3. Mense Augusti, in fine*, & Sà, *v. Venditio, num.24.* & Pasqualigus *decisione 365. numero 2. & 4.* Sed ex his Authoribus. Bonacina, solùm docet, posse Caupones parare licitè cœnam nolenti ieiu-

T 3 nare,

nare, casu tantùm, quo nolens ieiunare inueniret cibos, in quo casu, etiam nostram sententiam docent Sanchez, *c.7.cit.n.16.& 34. in fine*, Lessius, *loc.cit.* Nauarr. *c.20.n.16.& c.21.n.25.* & Azor, *c.18. q.5.* vt aduertit idem Bonacina.

QVÆSTIO XV.

An peccent Caupones, nolentes hospitari eos, qui die ieiunij volunt cœnare?

NEgat Pasqualig. *decis.367.* Cuius fundamentum est. Quia Caupones nolentes hospitari eos, qui nolunt cœnare, non intendunt, quod hospites cœnent, & violent ieiunium; sed intendunt, lucrum ex cœna exhibita, quod optimè faciunt hospites; vnde si acceptant cœnam, & violent ieiunium hoc ipsis non Cauponibus, imputandum est.

Sed, vt mihi certum, Respondeo: Peccare, & mortaliter. Quia in hoc casu verè Caupones pertrahunt, & cogunt hospites ad violandum ieiunium: ergo ad peccandum: ergo verè peccant. *Confirmatur.* Nam tunc verè quis cooperatur peccato alterius; quando concurrit ad ipsam actionem peccati, aut ad aliquam aliam, in qua incipiat peccatum: at sic est; quòd in nostro casu, Caupones verè concurrunt ad actionem, in qua incipit peccatum: ergo verè cooperantur peccato. Consequentia est optima. Maior est desumpta ex ipsomet Pasqualig. *decis.365.n.5.* Minor probatur, quia Caupones in dicto casu, inducunt; imò, & aliqualiter cogunt hospites, vt habeant intentionem cœnandi, & consequenter frangendi ieiunium: at in hac intentione cœnandi incipit peccatum: ergo. Sic Molfesius, *in summ. tr.10. cap.5.n.30. vers. Tertius modus.*

Nec obstat, Quòd Caupones non intendant, quòd hospites violent ieiunium, sed lucrum ex cœna; quia cùm hoc nequeant intendere, sine eo quòd hospites cœnent, & consequenter frangant, violentque ieiunium; consequenter intendunt violationem ieiunij. Adde (ex doctrina, quam tradit ipse Pasqualig. *decis. 369. num.8.*) Quia inductio ad cœnandum, est de re inductiua ad peccatum; at sic est, quod inductio ad peccatum nunquam honestari potest, etiam ob speciale commodum acquirendum: ergo. Sic expressè Author. *casuum Conscientiæ Bononiens. anni 1636. casu 3. Mensis Augusti*, & à fortiori, omnes Authores quos, quæstione antecedenti, pro prima, & secunda sententia adduximus, si enim, in sententia probabilissima illorum, non possunt Caupones, absque mortali peccato, subministrare cœnam iis, qui certò sciunt ad ieiunium teneri; qua ratione poterunt sine mortali, non solum ministrare cœnam, verùm ad illam sumendam cogere, & inuitare? & Credo sic docere omnes, etiam tertiæ sententiæ, Doctores; præter vnum Pasqualigum.

QVÆSTIO XVI.

An peccent Caupones, apponendo carnes, in locis Catholicorum, in diebus prohibitis?

REspondeo Peccare mort. Quia apponendo carnes recumbentibus, determinant, & trahunt eos ad comedendas illas contra præceptum Ecclesiæ: ergo cooperantur peccato eorum. Sic Gabriel *in 4.dist. 16.q.3. art.3. dub.6.* Nauarr. *cap.21. num. 26.* Lessius *lib.4.cap.2.dub.4.num.24.* Bonac. *disp. vltima de prac. Eccles.q.1.punct.3.num.9.ver. Item docui.* Tolet.*lib.6. cap.6.n.3.* (non 4. vt inuenies apud Bonacinam) *ver. Tertius casus est.* Layman, Filliucius. Molfes. & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.368. num.12.* Qui bene limitant hanc doctrinam, excipiendo casum necessitatis, aut priuilegium, aut aliam iustam causam, quia tunc licitè poterunt Caupones ministrare carnes petentibus.

QVÆSTIO XVII.

An saltem, casu, quo hospes decreuisset carnes comedere in diebus prohibitis, possent Caupones ipsi illas ministrare?

REspondeo: Posse. Quia tunc iam Caupones non concurrerent ad violandum præceptum; cùm iam hospes intentione saltem, violauerit. Nec potest dici, quòd concurrant ad executionem violationis: quia executio fit in virtute prioris intentionis, & determinationis, non in virtute ministrationis carnium. Sic P. Ledesma, *tract.27.cap.2. diff. 4. post 6. concl.pag. mihi 747.collatio.2.* dicens esse communem Doctorum sententiam, & Pasqualigus, *loco citato, num.3.*

QVÆSTIO XVIII.

An Caupones possint in locis hæreticorum, apponere carnes omnibus illas petentibus?

AFfirmant posse; dummodo nequeant eas sine graui incommodo recusare, vt si alioquin vexarentur à Prætore, Lessius, *lib.4.cap.2.n.23.* Bonac. *loc. cit.num.9. verb. Prima est.* Layman, *lib.3.tr.5.c.1.3.n.5.* Molfes. *tr.10.cit.cap.5. num.24.* Filliuc. *tract.27.p.2. num.92.* & alij.

Sed probabilius, absolutè Respondeo: Posse apponere carnes omnibus illas petentibus: etiamsi nullo incommodo eas recusare possent. Quia cùm petentes iam determinauerint carnes comedere, & peccatum intentione patrauerint, non censentur cooperari, Caupones apponentes carnes, peccato comedentium; cum exhibeant alioquin rem, quæ indifferens est, & qua bene, maléque vti potest. Sic debent tenere Authores citati suprà, *quæst.14.* pro nostra sententia, & Ledesma citatus, *q.17.* & Pasqualig. *loc. cit. & decis.368. n.7.* Qui bene cum Bonacina, *loc.cit. n.9.* addit posse Caupones in locis hæreticorum absolutè apponere simul carnes, & pisces, relinquendo vnumquemque propriæ conscientiæ.

QVÆSTIO XIX.

An peccent mortaliter, qui in diebus ieiunij, carnes, & alios cibos prohibitos vendunt?

AFfirmant peccare, casu quo adsit dubium, aut præscientia mali vsus. Gabriel, *in 4.dist.16.q.3. art.3.dub.6.* Reginald. *lib.4.num.202.* Villalob. *tr.23. diff.3.concl.4.* Trullench, *lib.3.in Decalog. cap. dub.5.num.12.* Palaus, *tom.1.tract.6. dub. 4. punct. num.2. & 3.* Diana, *p. tract.9. resol.48. ver. Ex infertur.* Vbi docet, non peccare, si venditor certò non nouerit, emptorem in emendo peccare; & idem docet Fagundez, *de 4. prac. Eccles. lib.1.cap.10.n.10.* & alij.

Sed, iuxta dicta, probabilius Respondeo: Non peccare saltem mort. vendendo cibos prohibitos diebus, quibus prohibentur, etiam casu quo venditores scirent emptores peccare in emendo. *Primò.* Quia passim videmus in Quadragesima vendi carnes publicè, ægrotorum causâ; etiamsi inde multi sani possint occasionem peccandi, eas vescendo, assumere.

Secundò

Secundò. Quia venditor nullo modo cooperatur peccato ementis carnis, tum; quia ipse vendit rem indifferentem, quæ potest etiam pro illo tempore habere bonum vsum, vt re vera habet cùm vendatur pro infirmis: tum etiam, quia venditor non tenetur impedire peccatum ementis carnis, cùm ad illum non spectet regimen conscientiæ istius: ergo. Pro hac sententia citat Pasqualigus, Iosephum Angles, *q.7. de ieiunio, diff.3. in concl.* Rodericum, 1. *part. summ. c.23. concl.5.* Ledesma, 2. *part. summ. tract.27. cap.2. dub.4. post 6. concl.* Stephanum Fagund. *precept.4. Eccles. cap.10. n.10.* Sed ex his, imprimis Angles non loquitur expressè de venditione ciborum prohibitorum, vt constat; ait enim sic: publici Institores possunt vendere omnibus alimenta, etiamsi aliquos ieiunia violaturos præuideant. Probatur: publici ministri, qui omnibus offerunt alimenta per se, deseruiunt necessitati, quod per se bonum est, igitur non peccant huiusmodi. Sic ille. Rodriguez, verò, *loc. cit.* nihil de hac quæstione tractat; & Ledesma solùm loquitur de casu de quo egimus, *quæst.7.* non de illo, de quo præsens inquirit quæstio. Fagundez tandem docet id ipsum, & eisdem verbis, quod Diana docet. Docet ergo in specie solus ipse Pasqualigus, *decis.369. à num.5.* & in genere loquendo de rebus omnibus indifferentibus, Bañes, Caietan. Salon, Bonac. Sanchez, & alij, quos ipse *num.4. cit.* Addit etiam Pasqualigus, *num.7.* contra Sanchez, *lib.1. summ. capite 7. num.16.* Quòd, neque etiam peccet venialiter vendens cibos prohibitos. Quia hos vendendo exercet munus suum licitum, & honestum, in quo exercitio nullum est peccatum.

QVÆSTIO XX.

An famuli præparantes, & ministrantes cibos Dominis ieiunium violantibus, peccent mortaliter?

RESpondeo: Negatiuè. Quia famuli in hoc casu, non participant in crimine Dominorum: cùm officium præstent, quod aliis etiam diebus præstare, consueuerant, & Dominis præstare tenentur. Confirmatur. Quia condire cibos, coquere, parare mensam, & ministrare non sunt actiones de se malæ; sed potiùs bonæ & honestæ, & ad summum indifferentes: ergo licitè possunt hæc omnia famuli præstare. Sic Cajet. 2. 2. *quæst.147. artic.4.* Angles, *quæst.7. de ieiun. diffic.5. in concl.* Azor, 1. *p. lib.7. cap.20. quæst.11.* Fagundez, *loc. cit. cap.10. num.9.* Diana, 1. *p. tract.9. resol.38*, & Pasqualig. *decis.370.* Reginald. Molfes. Valent. & alij penes illum. Qui *numero 3.* addit, contra Sanchez, *lib.1. summ. cap.7. num.14. & 35.* Id etiam esse verum, loquendo de ministrantibus, qui non sunt famuli ordinarij; eo quòd in hoc munus subeant famulatus. Sed certè, quamuis hæc extensio sit verior, aut vera, non tamen contra Sanchez. Nam hic, *locis citatis*, nempe, *num.24.* (per errorem Typographi 14.) & 25. non loquitur de famulis ministrantibus cibos Dominis ieiunia violantibus; sed de cibos ministrantibus concubinæ heri.

QVÆSTIO XXI.

An licitum sit in die ieiunij ministrare ieutacalum, vel cœnam, amico petenti illam ab amico, vel vicina?

RESpondeo: Esse licitum. Quia per se opus amicitiæ, & vrbanitatis exequitur; ex malitia autem alterius, sequitur transgressio præcepti. Sic Angles, *quæst.7. cit. diffic.3. in Append.* Sanchez, *lib.5. conf. c.1. dub.16. num.1.* Pasqualig. *decis.371. num.6.* & alij citati pro nostra sententia, *q.14.*

QVÆSTIO XXII.

An qui in die ieiunij potest cœnare, possit inuitare amicum ad secum cœnandam; si certò sciat alibi cœnaturum?

NEgauit Vasquez, *de scandalo art.1. & art.3. vers. Opposita.* Lessius, *lib.4. cap.2. dub.3. num.20.* Bonac. *disp. vlt. de precept. Eccles. quæst.1. punct.3. num.9.* Fagundez, *de 4. precept. Eccles. lib.1. cap.10. num.12.* Trullencks, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.5. n.20.* Syluius, 2. 2. *qu.147. art.3. quæst. vnica, post concl.2.* & alij. Quia nemo potest incitare ad id, quod sine peccato præstare non potest.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse. Quia, quando amicus ab alio amico inuitatur ad cœnam, nô petit ab ipso, quòd cœnet absolutè, sed quòd supposito, quòd cum alio cœnaturus sit, cœnet apud ipsum. Sic Angles, *quæst.7. de ieiun. diff.4. Append.2.* vbi absolutè id, per hæc verba, docet: Hinc quando aliquis paratus erat violare ieiunium, non erit peccatum inuitare ad cœnam, magis quàm à parato vsurario petere vsuram: non enim inducit ad peccandum, sed inuitat ad amicabile opus. Sic ille (ex quo soluitur fundamentum contrarium) & ante ipsum, Nauarr. ab eodem citatus, *in Man. cap.21. num.26.* Caietan. 2. 2. *quæst.147. art.4. §. Et ad hoc dicitur, ver. Si autem omnino.* Azor, *lib.7. c.p.20. p.12.* (licèt à Bonacina in oppositum adducatur) Ledesma, 2. *part.4. qu.17. art.3. vers. Præterea dubitatur.* P. Ledesma, *tract.27. cap.2. diff.4. post 6. concl.* Rodriguez, *cap.23. concl.5.* Valentia, *tom.3. disp.9. q.2. punct.3.* Reginald. *lib.4. n.195.* Villalob. *tract.23. diff.3. numer.2.* Sà, *verb. Ieiunium, num.15.* Diana, 1. *part. tract.9. resol.38.* Layman, Tannerus, Salas, Hurtado, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.372. num.3.*

QVÆSTIO XXIII.

An possit quis, vrbanitatis causâ, inuitare amicum ad secum cœnandum; & id in casu, quo ad id non sit paratus?

NEgant (apud Pasqualigum) Azor, 1. *part. lib.7. c.20. q.12. vers. Sed proxima.* Reginald. *lib.4. num.195.* Bonac. *disp. vlt. de prec. Eccles. q.1. punct.3. num.9. vers. Hinc sequitur*, Lublinus, *verb. Ieiunium, num.11.* & alij citati pro prima sententia, *quæst. præcedenti*: eo quòd existiment, id esse inducere amicum ad peccandum.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse inuitare illum, ratione amicitiæ, & vrbanitatis, modo consueto, & inuitatione communi; etiamsi probabiliter credat, quòd acceptaturus sit inuitationem. *Prima pars*, probatur. Quia inuitatio consueta, & communis, & quæ fit ad exercendam vrbanitatem, non est de se efficax ad inducendum inuitatum, vt cum effectu cœnet; cùm tales inuitationes, etiam extra ieiunij tempus, non acceptentur: ergo inuitans, hoc modo, non censetur inducere ad peccatum; cùm non faciat aliquid, quod censeatur efficaciter inducere ad cœnandum: sed solùm, secundùm communem æstimationem, censetur velle ostendere vrbanitatem illam, & amorem, erga amicum.

Secunda pars, etiam probatur. Quia inuitare ad cœnam, præfato modo, etiam casu, quo probabiliter credat inuitans, quòd inuitatus acceptaturus est inuitatio

Digitized by Google

nitationem, non est inuitare ad comedendam tantam quantitatem cibi, vt illa ieiunium frangat; sed ad communionem mensæ, in qua optimè potest inuitatus sumere solam illam quantitatem cibi, quæ non excedat quantitatem permissam in refectiuncula: ergo iam inuitans ad cœnam, non inducit ad peccatum: quia sic debet accipi inuitatio ab inuitato. Quòd si iste aliquando inde occasionem violandi ieiunium accipiat, id propriæ eius malitiæ est imputandum, non inuitanti. Sic tenet, imo magis absolutè Angles, *qu.7. de ieiun. diff.4. concl.* 2: vt demonstrant eius verba: At verò (inquit) si ratione amicitiæ, & vrbanitatis inuitant, non peccant. Probatur, quia vnusquisque præsumendus est habere curam propriæ conscientiæ, & ideo, qui bonâ fide amicabiliter offert prandium, etiamsi alius interim peccet, excusatur. Et confirmatur: : nam etiamsi aliquis suspicetur, quod alias inuitatus extra dies ieiunij peccat contra abstinentiam naturalem, si famulus, tenetur obsequi, si amicus potuerit inuitari: ergo etiam in diebus ieiunij vtrumque erit licitum. Hucusque Angles. Sic etiam Ortiz, *in summ. cap.19. præcep.3. num.10.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.5. num.10.* & Author casuum consc. Bonon. anni 1636. *casu 3. Mensis Augusti.* Quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 373. à numer.4. vsque ad num.10.* docet. Quid facere debeat inuitans, casu, quo inuitatus accepteret inuitationem ad cœnam, non obstante, quòd teneatur ieiunare? Et respondet, quòd in tali casu, non potest ei suam vrgere, quod comedat, imò debet, si commodè potest, aperire mentem suam, & quid intendat inuitando, vt pacto hoc, retrahatur à violatione ieiunij. Tenet etiam nostram sententiam Filliuc. *tract.27. part.2. num.94.* Vnde potiùs pro illa, quàm pro contraria debuerat citari à Pasqualigo.

Qvæstio XXIV.

An qui initio Quadragesimæ proponit actu vnico per totam illam carnibus vesci, aut non ieiunare; multiplex peccatum committat?

Affirmant Diana, *3. p. tract.4. resol.164.* & Molfes. *tract.8. c.7. num.19.* Quos pro hac parte adduximus, *1. p. tract.5. disp.8. §.3. q.27.* Quibus addi possunt, Trullench, *lib.3. in Decalog. c.2. dub.5. num.7.* & Azor, *1. p. lib.7. cap.20. q.8.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non committere nisi vnicum peccatum, quamuis postea, si talesu actum aut propositum, executioni mandaret, toties peccaret, quoties comederet. Sic Lugo, Vasquez, & alij adducti, *loc. cit.* Insuper & Pasqualig. *decis.374. à n.8.* & penes illum, Sanchez, *lib.5. consil. c.1. dub.35. n.2.* & Bonac. *disp.2. de peccatis, qu.4. punct.2. n.1. & disp. vlt. de præc. Eccles. q.1. punct.3. n.11.* Legantur dicta à nobis, *loc. cit.*

Qvæstio XXV.

An qui consulunt violationem ieiunij, grauiùs peccent, quàm ieiunij violatores?

Negat, ex Glossa, *ad cap.1. de offic. delegat. v. Pari pœna* Reginald. *lib.4. c.16. n.193.* & etiam negat Molfes. *1. p. summ. tr.10. c.5. n.35.*

Sed probabiliùs respondeo: Grauiùs peccare consulentes. Quia peccant peccato scandali contra charitatem, quod est grauiùs peccato, quo violatur præceptum Ecclesiæ de abstinentia. Sic Pasqualig. *decis. 377.* Qui bene addit cum prædictis Authoribus; idem esse dicendum de Authorizantibus, aut defendentibus, violantes ieiunium, nam illi magis peccant, quàm frangentes, seu violantes ieiunium, ob prædictam rationem, quia videlicet etiam peccant peccato scandali, quatenus in malo violantes ieiunia confirmant.

Qvæstio XXVI.

An Medici concedentes licentiam edendi carnes, absque causa, in diebus ieiunij, duplex committant peccatum?

Affirmant Sanchez, *lib.4. summ. cap.11. num.42. & 54.* Sancius, *in select. disputat.51. numer.16.* Granad. Ochagauia, Bonacin. & Ludou. de S. Ioann. quos citauimus, *1. part. tract.5. disput.8. §.8. quæst.12.* Quibus addi possunt Pasqualig. *decis.378. num 2.* & Ghillinus, *v. Ieiunium, num.8.* Quia duplex violant in specie præceptum.

Negant verò Montesinos, *1.2. q.73. art.2. disput.5. quæst.4.* & Filliuc. *tract.7. num.90.* & nouissimè Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.2. num.14.* Quia existimant, solùm peccare contra temperantiam.

Respondeo dicendum, quod ex his sententiis prima est probabilior, quia nititur probabiliori fundamento; secunda verò satis probabilis, & vt talis defendi potest, vt diximus, *1. par. loc. cit.* Vbi de aliis quæstionibus ad hanc materiam concernentibus, egimus.

DISPVTATIO X.

De Dispensatione in Ecclesiastico Ieiunio.

Qvæstio I.

An Pontifex possit absolutè dispensare in lege ieiunij, aut eam tollere, etiamsi ab Apostolis, vel Concilio generali sit sancita?

Respondeo certissimè: Posse. Quia Pontifex supra omnem legem humanam habet potestatem à Deo collatam: at sic est, quod lex ieiunij, est humana, vt suprà, *disput.7. à quæst.1.* est habitum: ergo. Sic omnes Canonistæ, *in cap.1. & cap. Consilium, de obseruat. ieiunij.* Syluest. *v. Ieiunium, q.7.* Caiet. *2.2. quæst.147. art.4. dub.1.* Nauarr. *in Man. cap.21. num.21.* Angles, *q.5. de ieiun. diffic.2. concl.1.* Azor, *1. p. lib.5. c.15. q.4. col.479.* Sanchez, *lib.5 consil. c.1. dub.5. num.5.* Pasqualig. *decis.379.* & alij apud ipsos.

Qvæstio II.

An dispensatio legis ieiunij, facta, sine iusta causa, à Pontifice, sit valida?

Negant, Loquendo de Dispensatione in communi, Fortunius, *in l. Gallus, §. Et qui si tantum, ff. de liberis & posthu. num.296 & 297.* & Mendoza, *1. de pactis, q.2. num.35.* Et quidem non valere apud Deum, seu in foro conscientiæ, licèt valeat in foro iudiciali, tenuere Bernar. Hippolytus. Iason, & alij, quos referunt Couarruu. *2. p. de matrim. cap.6. §.9. num.8.* Azor, *tom.1. lib.5. cap.15. quæstio.13.* & Salas, *de legib. disputat.20. sect.4. numero 36.* addens,

hanc

hanc eamdem sententiam tenuisse Vazquez in manuscriptis, & in impressis, *disp.178.cap.3.* eam explicuisse, & confirmasse, quamuis in fine hæc scripserit: *Ceterùm in eo quòd ait hæc sententia; dispensationem legis sine causa inualidam esse, ne communi Theologorum opinioni videar aduersari, praeiudicare nolo, sed iudicium de eius probabilitate aliis integrum relinquo.* Hæc Vazquez. Cuius opinionem esse probabilem innuit Azor, *loc.cit.*

Sed, certissimè, Respondeo: Esse validam. Quia, ad valorem dispensationis, sufficit voluntas Legislatoris à quo, tanquam à causa efficienti, lex pendet. In humanis namque legibus exigitur rationalis, & iusta causa, vt dispensatio in illis sit honesta, non vt simpliciter sit valida. Sic loquendo de dispensatione docent Angles, *q.5. de ieiun. diff.2. conclus.* 2. Reginald. *lib.4. num.*126. Pasqualig. *decis.*380. Azor, 1.*p. lib.7. cap.*28. (aliàs 29.) *q.*2. Caietan. *in summ. verb. Ieiunium.* Medina, *C. de ieiun. quæst. de dispensatio. in Quadrag.* Fagundez, *de 4. præcept. Eccles. lib.1. cap.9. n.*1. Et loquendo de dispensatione in communi, Angel. *verb. Dispensatio, num.*3. Syluester, *q.*3. Armilla, *n.*14. Caietan, *iterum,* 1.2.*q.*96. *art.*4. Medina, *q.*97. *artic.*4. Suarez, *de legib. lib.6. cap.* 19. *num.* 6. Salas, *de legib. disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 37. Nauarr. *in Manual. cap.*23. *num.*4. Sanchez, *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 17. *num.*24. *& lib.5. consil. cap.1. dub.5. num.*4. Basilius, *lib.8. de Matrim. cap.*14. *num.*7. Sancius *in select. disp.* 54. *num.* 38. Bonacin. *disp.1. de legib. q.*1. *punct.*3. *num.*1. & alij communiter.

Qvæstio III.

An peccaret Pontifex, si absque iusta causa, abrogaret legem ieiunij?

Respondeo tanquam certum: Peccare. Quia quando lex est vtilis pro bono communi, non potest abrogari, aut tolli, nisi cum præiudicio boni communis: sed sic est, quòd lex ieiunij, est vtilis pro bono communi: ergo dum vtilis est, & permanet, nunquam poterit abrogari, absque peccato. Si autem abrogatur quando non est vtilis, adest causa abrogandi: ergo. Sic loquendo de abrogatione legis, in communi, sentiunt communiter Doctores. D.Th. 1.2. *quæst.97. art.1. & 2.* Vasquez, *ibi, disp.*178. *cap.*1. Suarez, *de legib. lib.6. cap.26. n.*4. Salas, *disp.*18. *sect.*1. *n.*3. (aliàs 2. (& penes illum Valentia, & Couarr. Bonac. *disp.1. de legib. q.1. punct. vltim.* §.1. *num.1. &* 2. Castro Palao, *tom.1. oper. moral. tract.3. disp.5. punct.2.* §.1. *n.*3.) & alij, penes ipsum. Et loquendo in speciali de abrogatione legis ieiunij. Sanchez, *dub.5. cit. n.* 5. dicens, esse id certum apud omnes. Pasqualig. *decis.*381. *num.*1. *& sequent.*

Ex qua doctrina infert, *num.*4. Quòd nullo modo possit Pontifex absque peccato, abrogare omnem legem ieiunij, quia cùm ieiunium sit valde vtile ad salutem, non posset inuenire iustam causam ad illud tollendum; posset tamen absque culpa, abrogare aliqua ieiunia, etiam Quadragesimæ, quia ad hoc posset inuenire iustam, & rationabilem causam. Vt de facto Paulus III. id fecit, vt refert P. Ioannes de S.Thoma *in explicat. doctrina Christiana, part.2. vbi de præcepto ieiunij*, per hæc verba: [A los Indios se refiere, que dispensó el Papa Paulo III. que solo estuuiessen obligados a ayunar los Viernes de Quaresma, el Sabado Santo, la vispera de Pentecostes, y la vispera de Natiuidad.] Sic ille. Rursus addit Layman, quòd Pius IV. anno 1563. priuilegium Societati Iesu concessit, ad dispensandum cum iis, qui in Septentrionalibus his partibus ad ieiunandum tota Quadragesima adduci non possunt: vt videlicet aliquoties in hebdomade iis ieiunare sufficiat. Ita Layman, *tr.8. cit. cap.3. num.6. in fine.*

Qvæstio IV.

An peccaret Pontifex, si absque rationabili causa dispensaret cum aliquo in lege ieiunij?

Negat Pasqualigus, *decis.*382. *à num.*4. & probat. Quia dispensatio in ieiunio, nulli est præiudicialis: ergo, etiam absque causa data, erit licita. Antecedens probat. Quia imprimis, non est præiudicialis illi, cui conceditur; nam licèt non ieiunando priuetur bono abstinentiæ, hæc tamen priuatio, non est illi præiudicialis; quia solùm dicit negationem maioris boni, quod non tollitur à dispensatione; cùm adhuc à dispensato possit obtineri, ieiunando. Nec rursus est præiudicialis alteri particulari: nam quòd Petrus non ieiunet, nihil præiudicat Paulo. Nec tandem est præiudicialis bono communi, tum quia est circa priuatas actiones; quæ priuatim exercentur: Tum, quia lex ieiunij, non est data pro bono communitatis, sed pro bono particularis cuiuscumque: ergo dispensatio ieiunij absque causa, nullum continebit peccatum. Ita ille *loc.cit. n.9. & decis.402. n.* 2. Quia tamen nullum pro se citat Authorem; poterat tamen citare, quamplures qui generaliter loquendo, existimāt, posse licitè Principem in suis legibus ad libitum, & sine causa dispensare. Nam, vt habet Glossa, *l. relegati, ff. de pœnis: Vt lex positiua non liget, est in Principe pro ratione voluntas.* Ita ille, & Ludouic. Peguera, Gallego, Innoc. Anton, de Butrio, Præpositus, Panormitan. Speculator, Felin. Decius, Nauarr. Couarru. Villalob. & Gigas, quos omnes, & eorum loca, refert pro hac parte, Salas, *de legib. tract.*14. *disp.* 20. *sect.*4. *n.*37. Citat etiam pro hac parte Sanchez, *l.8. de Matrim. disp.18. n.*2. Hostiens. Angelum, Rosellam, Syluestrum, Armillam, & alios, ex quibus nonnullos, vt notat Salas, pro vtraque sententia citat.

Sed, longè multò probabiliùs, & veriùs, Respondeo dicendum. Quòd peccaret. *Primò.* Quia omnis Legislator, etiamsi supremus sit Princeps, peccat dispensando cum aliquo, absque legitima causa, in proprijs legibus: ergo, & Pontifex peccaret, si absque legitima causa, dispensaret cum aliquo in lege ieiunij. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur. *Primò.* Quia, vt ait D.Thom. 1.2. *q.97. art.4.* Dispensatio sine causa, est impudens temerarius, & infidelis vsus potestatis. Est etiam vt ait D. Bernard. *lib.3. de consider. ad finem*, dissipatio quædam, & violatio iuris naturalis; siquidem facit, quòd sine causa, pars non consonet toti. Est, Rursus, offensio æqualitatis, quam iustitia erga omnes seruari petit; cap. *Iustum est, dist.9.* Estque denique, actus dissonus rationi, & offensionis ansam cæteris subditis præbens: ergo dispensatio facta sine causa, actus illicitus, & peccaminosus est.

Secundò. Probo nostram responsionem, specialiter loquendo de dispensatione in ieiunio, contra Pasqualigum; destruendo eius fundamentum. Quia dispensatio in ieiunio cum aliquo absque causa data, & est præiudicialis, illi, cui conceditur; & alijs particularibus; & etiam bono communi: ergo est illicita. Consequentiam necessariò debet concedere Pasqualigus. Probatur ergo antecedens. Quia imprimis, dispensatio in ieiunio, absque causa, est præiudicialis illi cui conceditur cum absque causa priuetur, non ieiunando, exercitio virtutis abstinentiæ, merito ieiunij, & satisfactione pro peccatis. Nec valet dicere, quòd

quòd hoc bonum non tollatur per dispensationem in ieiunio; cùm possit à dispensato adhuc, ieiunando, obtineri. Nam id non est verum, aut firmum. Quia dato casu, quòd dispensatus ieiunaret, quod est contingens, hoc pro libito suo faceret, non necessitatus præcepto; & ideò non obtineret tam grande meritum, tantamque satisfactionem; quam perciperet per ieiunium factum ex præcepto; cùm, ex sententia communi Theologorum, maioris meriti, & satisfactionis sint opera facta ex præcepto, vel voto, quàm opera voluntariè facta.

Rursus, dicta dispensatio, est etiam præiudicialis cæteris, qui ieiunant; tum, quia vna ex conditionibus ad legis iustitiam petitis, est, vt sit æqualis omnibus: quæ conditio omnino deficit, quando cæteris lege oppressis, aliquis sine causa ab ea eximitur. Tum etiam, quia cùm videant alios sine causa à ieiunio eximi, iure offenduntur, & sumunt ansam ad idem faciendum, vt dixit Tridentinum, *sess. 25. cap. 5. & 18.*

Tandem, dicta dispensatio in ieiunio, est etiam præiudicialis bono communi. Quia lex ieiunij indicta est, ob bonum commune, sicuti omnes aliæ leges: vt habetur in cap. *Erit autem lex dist. 4.* & concedit, loquendo adhuc in specie de lege ieiunij, ipsemet Pasqualigus, *decis. 381. num. 1.* ergo eius dispensatio sine causa, præiudicialis erit bono communi; ergo, ex omni parte, illicita. Sic D. Thom. *qu. 97. art. 4. & ibi Medina, & alter Medina, C. de ieiunio, 3. 3. ver. Ad oppositum.* Angles, *q. 5. de ieiun. diff. 2. concl. 2.* Sotus, *de iust. q. 7. art. 3. dub. 2.* Victoria, *in relect. de potest. Papa num. 14.* Sancius, *in select. di. 54.* Sanchez *l. 5. consil. cap. 1. dub. 5. num. 5. & 6.* Reginald. *n. 226. cit.* Molfes. *tract. 10. cap. 4. num. 15.* Salas, *loc. cit. sect. 5. n. 50.* Qui, incidens in notam, quam inurit Sanchez, multos citat pro hac sententia, Doctores, quos pro opposita *num. 48.* eiusdem sectionis, & *num. 37. sectionis 4.* citauerat, neimpe Armillam, Rosellam, Nauarrum, Couarr. & alios. Tenent etiam hanc nostram Doctrinam alij innumeri Doctores statim cit. n. ii. Inter quos illam mo citato, tenet Diana *p. 10. tr. 16. Res. 77. in fine.*

QVÆSTIO V.

An si Pontifex dispensaret in lege ieiunij absque causa, peccaret non solùm venialiter, verùm etiam mortaliter?

NEgant quòd peccaret mortaliter, sed solùm venialiter, qui absolutè, & generaliter, loquendo de dispensatione, docent, non peccare mortaliter Principem, dispensando in suis legibus, sine causa, secluso scandalo, & graui aliorum damno. Ita tenent (penes Pasqualigum, *loc. cit. num. 3.*) Lopez *1. part. instruct. cap. 4. vers. sexto addimus.* Nauarr. *in Man. prælud. 9. num. 14. & cap. 25. num. 5.* Philiarc. *tom. 1. de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. cap. 4.* Valentia, *1. 2. disp. 7. q. 5. pun. 9. in fine.* Sanchez, *lib. 8. de Matrim. disp. 18. nu. 7.* Salas, *de legib. disp. 20. sect. 5.* (non 7. vt citat Pasqu.) *num. 53.* Basilius *lib. 8. de Matrim. cap. 14. num. 4.* Villalob. *tom. 1. tract. 2. diff. 4. num. 6.* Palaus *1. part. oper. moral. tr. 3. disp. 6. puncto 8. §. 1. n. 5.* Diana *1. p. tr. 10. Res. 35.* Barbosa *lib. 1. de Vniuers. iure Eccles. cap. 1. n. 200.* & Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 2. dub. 7. n. 18.* His addi possunt Rodriguez, *1. tom. summ. c. 237. n. 8.* qui pro hac parte refert Sanchez *loc. cit. de Matrim.* Cordubá *lib. 4. qu. 8.* Vuald. *Append. ad Candelab. cap. 12. num. 23.* & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Quòd peccaret mortaliter. Quia dispensare in præcepto, tam sancto Ecclesiæ, sine causa, est contra iustitiam distributiuam aut legalem, & destructiuum communis boni; & præbet occasionem violandi leges, vt quæst. præcedenti est habitum: ergo est peccatum mortale. Sic loquendo in generali de dispensatione, tenent (apud Pasqualigum *loc. cit. num. 2.* Palaos *in 4. dist. 15. disp. 8. post. 4. conc.* Ledesma *2. p. 4. q. 17. art. 5.* Syluest. *ver. dispensatio. num. 2.* Petrus Ledesma *1. part. summ. tract. de Matrim. cap. 27. dub. 1. post 4 concl. ver. Digo lo primero.* Vega *part. 2. sum. cap. 23. casu 14.* Couarr. *4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 7.* Granados *1. 2. contro. 7. tract. 5. part. 2. disp. 17. sect. 5. num. 24.* Malderus, *1. 2. q. 97. art. 4. dub. 2. post 1. concl.* Rodriguez, *1. part. summ. c. 195. in fine.* Suarez, *lib. 6. de legib. cap. 18. num. 17.* & Sanchez, *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 5. nu. 6.* vbi retractat quod dixerat *loc. citato, de Matrim.* per hæc verba: Et quamuis *lib. 8. de Matrim. disp. 18. n. 7.* dixerim, probabilius esse hoc peccatum esse tantùm veniale ex genere suo; at modò plus placet esse mortale, ex suo genere, & tantùm excusari ob materiæ paruitatem; quando scilicet lex, in qua dispensatur, non esset magni momenti. Sic ille. Citat etiam Salas, *loc. cit. n. 54* pro hac parte Cordubam *lib. 4. q. 8.* & Victoriam *relect. de potest. Papæ num. 6. & 15.* Sed ex his Doctoribus, Rodriguez, citatur à Sanchez, *loc. cit. de Matrim.* pro sententia contraria, quam ibi tenuerat, & benè etiam; quia, contrarias sibi, expressè vtramque sententiam docet.

QVÆSTIO VI.

An Episcopus possit dispensare in præcepto ieiunij?

REspondeo: Posse cum hoc, vel illo. *Primò.* Quia ex praxi, & approbato vsu Ecclesiæ, constat, ad has particulares dispensationes datam esse Episcopis talem potestatem. *Secundò.* Quia aliàs non esset satis prouisum fidelibus, si oporteret super his Romanum Pontificem adire, è quocumque etiam remotissimo loco. Patet, quia quando dispensatio veniret, iam esset transacta necessitas. Sic D. Thomas, *2. 2. q. 147. art. 4.* & antea *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. qu. 4. ad 3.* Durandus ibi *q. 10. num. 6.* & alij Scholastici. Caiet. *2. 2. loc. cit. & in summ. verb. Ieiunium. cap. 3.* Nauarr. *c. 21. num. 20. & 21.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 18.* (*alias 29.*) *q. 2.* Sotus, Medina, D. Anton. Palud. Host. Armilla, Tabiena, Syluest. Angles, Palat. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 5. num. 16.* Bonacina *disp. vltim. de præc. Eccles. q. 1. puncto vltim. num. 18.* Reginald. *lib. 4. num. 224.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. c. 2. dub. 7. num. 18.* Fagundez, *de 4. præc. Eccles. lib. 1. cap. 9. n. 1.* Pasqualig. *decis. 384.* & communis omnium.

QVÆSTIO VII.

An dispensatio in ieiunio, facta ab Episcopo, sine iusta causa, non solùm sit illicita, verùm inualida?

REspondeo: Etiam esse inualidam. Vnde, si Episcopus, vel alius Prælatus inferior Papa, aliquem à lege ieiunij eximat, sine causa, non solùm peccet mortaliter, sed etiam ipsa exemptio, aut dispensatio sit irrita, & inualida, ex defectu potestatis. Quia ea, quæ sunt iuris communis, non possunt Episcopi dispensare, sine iusta causa; quia excederent facultatem sibi commissam. Non enim data est illis à Papa, nisi sub conditione causæ iustæ, & sufficientis. Sic omnes Authores suprà adducti. Angel. *ver. dispensatio. num. 3.* Syluest.

Syluest. *q.3.num.5.* Armilla, *n.* 14. Sa, *num.3.* Nauarr. *cap.* 25. *num.* 74. Sanchez, *lib.8. de Matrim. disp.17. num.4. & lib.5. consil. cap.1. dub.5. num.* 23. & penes illum, Innoc. Nicolaus, Curtius, Felin. Bald. Alex. Ripa, Couarru, Palat. & quidam alij docti Recentiores. Basil. *lib.8. de Matrim. cap.14. num.8.* Sancius, *in select. disp.54. n.38.* Vazquez, *1.2. disp.178. cap.3. nu.17.* Castro Palao *1. tom. tr. 3. de dispensatione leg. disp.6. punct.8. §.2.* Pasq. *decis.* 383. *à n.4.* Salas, *disp.* 20. *cit. num.31.* & alij.

QVÆSTIO VIII.

An Episcopus possit abrogare legem localem ieiunij, datam à Concilio Prouinciali?

RESpondeo: Non posse illam abrogare; licèt possit in ea dispensare; sicut potest in lege ieiunij lata à iure communi. Ratio est. Quia inferior non potest abrogare legem Superioris: Sed sic est, quòd Concilium Prouinciale, est supra Episcopum; cùm illius iurisdictio extendatur per totam prouinciam, & etiam supra quemlibet seorsim ex illius Episcopis ergo. Sic communiter Doctores. Pasq. *decis.384. n.2. & decis. 38*.

QVÆSTIO IX.

An saltem, possit Episcopus abrogare legem ieiunij, latam à Synodo diœcesana?

RESpondeo: Posse. Quia lex diœcesanæ Synodi solùm habet vim, & vigorem ab Episcopo: ergo ab ipsomet potest abrogari. Et à fortiori, in ea cum aliquibus dispensare; etiam validè (non licitè) quamuis id faciat sine causa; vt ex suprà habitis, constat. Sic communiter Doctores. Nauarr. *loco citato*, Sanchez, *de matrim. disput. cit. numero* 33. & Consiliis *loc. cit. num.* 33. Pasqualig. *loc. cit.* & alij. Qui idem dicunt, loquendo de lege propria ab Episcopo latâ.

QVÆSTIO X.

An Parochus possit, absente Episcopo, iusta de causa in ieiunio dispensare?

NEgant Angel. *v. Ieiun. n.20.* Tabiena, *n.15.* Hostiens. & Butrius, *in c. consilium. de obseru. ieiun.* & etiam, Palat. *in 4. dist.15. disp.8. in fine.* Licèt anteà contrarium docuerit.

Sed certissimè Respondeo: Posse. Quia aliàs non esset prouisum sufficienter fidelibus pro omnibus suis necessitatibus, si absente Episcopo, aut eius Vicegerente, non haberent præsentem, qui in ieiunio posset cum eis, vrgente necessitate, dispensare. Sic tenent communiter Doctores, præsertim, quæstione sequenti, pro vtraque sententia citandi.

QVÆSTIO XI.

An etiam, præsente Episcopo, possit Parochus in ieiunio cum aliquibus, iusta de causa, dispensare?

NEgant (penes Pasqualigum) Graffis, *1. part. decis. lib.2. cap.37. num.17.* Gabriel, *in 4. dist. 16. qu.3. art.1. notab.* 5. Angles *q.5. de ieiun. diff.4. in fine.* Sà *verb. Ieiunium num.9.* Rodriguez, *1. part. sum.* (non vt inuenies citatum apud ipsum Pasqualigum) *c.24. num.4.* Petrus Ledesma *in summ. tract. 27. c.2. dub.3. post 5. concl. ver. En esta difficultad digo lo primero.* Vega *1. part. summ. c.14. casu 36.* Moure, seu Fernandez, *2. part. summ. prac.2. Ecclesiæ c.* 8. (non 7. vt citat Pasq.) §. 2. *n.23.* Hostiens. & Butrius *loc. cit.* His addit Sanchez vt infrà, Nauarr. Palud. D. Anton. Armillam, & Caietanum.

Sed probabilius Respondeo: Posse dispensare, etiam præsente Episcopo. Quia probabilius est; hanc iurisdictionem, consuetudine introductam, habere ad dispensandum in ieiunio, præsente, & consentiente ipso Episcopo. Sic Pasqualigus *decis.* 387. *n.3.* & 4. & penes ipsum, D. Thom. *in 4. dist.15. q.3. articul. 2. ad. 3.* Durand. *q. 10. num.* 6. Richard. *art.* 4. *q.4.* Palat. *disp.* 8. *post 4 concl.* (licèt postea contrarium docuerit, vt habitum est suprà *q.10.* Caiet. *2.2. q.147. art.4. dub.1. & 1.2. q.97. art.4.* Syluest. *verb. Ieiunium, quæst.7. dicto* 4. Rosella, *num.16.* Sotus *lib.1. de iust. quæst. 7. articul. vltim. circa finem.* Viuald. *in Appen. ad candelab. cap.15. num.* 57. Nauarr. *c.21. num.* 21. Valentia, *tom.3. disp. 9. quæst. 2. punct.2. in fine.* Suarez, *lib.6. de legib. cap.14. in fine.* Sanchez *l.8. de Matrim. disp.9. num.27. & lib.5. consil. cap.1. dub.5. num.18.* Molfesius *1. part. summ. tract.10. cap.4 n.52.* Sancius *in select. disp. 54. num.36.* Bonacina *disp. vltim. de præcept. Ecclesiæ, quæst.1. punct. vltim. num.18.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num.18.* Villalob. *1. part. summ. tract.23. diff. 4. num.21.* Ortiz *in summ. cap.19. præcept.2. num.16.* Azor *1. part. lib.7. c.18.* (aliàs 29.) *q.3. ver. Sed dubia.* Fagundez *præc.4. Eccles. lib. 1. cap.9. num.2.* & Syluius *2.2. quæst.147. art.4.*

Sed ex iis Authoribus, contrariam sententiam apertè tenet Fagundez, loco à Pasqualigo citato pro nostra; vt constat, ex Stephani Fagundij verbis: Prior (inquit) sententia, tantùm locum habebit, quando Episcopus facilè adiri possit, vt docet Azorius *tom.1. lib.7. cap.* 18. (aliàs 29.) *quæst.3.* Si enim facilè adiri potest, non potest Parochus tutò in hac re dispensare; & hoc est, inquit Azor, quod vsu, & consuetudine receptum est, vt Parochus dispenset quando Episcopus adiri facilè non potest. Huc vsque Fagundes ex Azorio. Illum ergo malè citat Paqualigus pro nostra sententia, & Fagundez malè citat Azorium, pro sua, Nam *loc. cit. ver. Sed dubia*, apertè docet hanc sententiam; licèt non ita consequenter. Item contrariam sententiam docet Nauarr. *loc. citat.* pro nostra; & ideò pro illa citatur à Sanchez *de Matrim. loc. cit. num.* 27. & ideò malè pro nostra à Pasqualigo citatur. Imò, & Bonacina in oppositum videtur inclinare, siquidem ex vna parte non cognoscit consuetudinem certam, quam Parochi ad dispensandum in ieiunio habant, & ex altera, citat pro se Rodriguez, qui expressè primam sententiam tenet.

QVÆSTIO XII.

An non solùm Parochi, sed etiam eorum Vices gerentes, seu Vicarij, possint in ieiunio dispensare?

REspondeo: Posse; nisi aliàs, id ipsis à Parochis prohibeatur. Quia veluti Vicarij eorumdem Parochorum, exercent actus iurisdictionales parochiales: ergo, & hunc possunt exercere. Sic S[illegible]z *in consiliis num. 18. cit.* & penes illum, Palatius, *dicta disp.* 8. *num.* 119. Sancius *in select. loc. cit.* Pasqualigus, *loc. cit. num.* 6. Qui *num.* 7. benè aduertit, quòd cum dicti Parochi, aut eorum Vicarij, non dispensent, quando in ieiunio dispensant, in lege propria, sed Superioris; oporteat, vt dispensatio concedatur

ex

Digitized by Google

ex iusta causa; alioquin, non solùm illicita, verùm inualida erit; quod ex dictis suprà etiam constat.

Qvæstio. XIII.

An Superiores Regularium, possint cum suis subditis in Ecclesiastico ieiunio dispensare?

RESpondeo; posse dummodo subsit rationabilis causa. Ratio est: *Tum.* Quia aliàs non possent prouidere in necessarijs suis subditis circa quos habent iurisdictionem spiritualem. *Tum*, quia id concessit Eugenius IV. fratribus Ordinis D. Hieronymi, vt refert Tamburinus, citandus; quamuis hoc priuilegium, vt ipse notat, non conferat Prælatis nouam iurisdictionem, sed solùm sit declaratio quædam iurisdictionis, quam habent. Sic Caiet. 2. 2. q. 147. *art.* 4. *& in sum. verb. Ieiunium, cap.* 3. Syluest. *eo verb. num.* 20. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 21. Angles *q.* 5. *de ieiunio diff.* 3. Fagundez *de* 4. *præcept. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 12. *q.* 1. *num.* 1. Rodriguez *in summ.* 1. *part. cap.* 24. *num.* 4. Hieron. Rodriguez *in Compend. q. Regul. Resol.* 75. *num.* 2. Miranda, *tom.* 2. *Man. Prælat. q.* 30. *art.* 11. *concl.* 2. Bordonus *in consil. Regul. Resol.* 38. *num.* 7. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 19. *&* 20. Ledesma, Villalob. Lezana, Trullench, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus *decis.* 388. Quibus addi possunt Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 28. (aliàs 29.) *q.* 6. & alij. Qui bene notant, nomine Superiorum venire, in hac parte, non solùm Generales, & Prouinciales; sed etiam Abbates, Ministros, Priores, & alios superiores locales, qui toti conuentui, aut Monasterio præsunt. Quia omnes illi sunt veri Prælati.

Qvæstio XIV.

An etiam Vicarij Superiorum localium, possint dispensare suos Religiosos in ieiunio?

RESpondeo: posse dispensare, in absentia Superiorum localium: quia tunc horum funguntur vicibus; & eamdem authoritatem, & potestatem habent. Sic sentiunt Sanchez, Azor, Fagundez, & Bordon. *loc. cit.* Villalob. *tract.* 23. *diff.* 4. *n.* 23. & Pasqualig. *loc. cit. n.* 4. Addens, quòd non solùm possint dispensare in ieiunio in absentia Superiorum localium, verumetiam in ipsorum præsentia, casu, quo id eis indulgeant, vt contingit in Vicarijs Episcoporum.

Qvæstio XV.

An vt Superiores Regulares possint, non solùm licitè, sed etiam validè, dispensare in ieiunijs, tam Ecclesiæ, quàm Regulæ, requiratur iusta causa?

RESpondeo: Tanquam certum: Requiri. Quia lex de ieiunio, siue Ecclesiæ sit, siue Regulæ, siue constitutionis, factæ à capitulo Generali, est lex Superioris: at in hac, non possunt Prælati inferiores, dispensare: nisi adsit iusta causa, licitè, nec validè, vt ex [illegible] dictis q. 7. constat; & expressè habetur in nostra propria Regula data ab Innocentio III. *anno* 1198. cap. 15. vbi loquendo de ieiunijs indictis, tam ab Ecclesia quàm à Regula. Sic dicitur: *Possit tamen quandoque Minister ieiunium relaxare, propter æstatem, vel viam, vel aliam iustam causam.* &c. Sic Pasqualigus. *loc. cit. à num.* 5.

Qvæstio XVI.

An Confessarius possit (iusta interueniente causa) dispensare in ieiunio, saltem casu, quo Parochus non possit facilè adiri?

AFfirmant: posse in prædicto casu dispensare, Rosella. *verb. Ieiunium numero* 26. & Palaus *in* 4. *dist.* 15. *disput.* 8. *post* 4. *concl. ver. præsente igitur.* Quia (inquiunt) talis Confessarius, si est electus facultate Apostolica, habet vicem Curati.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non posse, adhuc casu, quo Parochus non possit adiri. Quia dispensatio in ieiunio, est actus iurisdictionis exterioris: Sed hanc non habet Confessarius, quantumuis sit electus facultate Apostolica: ergo. Sic communiter Doctores, Azor 1. *part. lib.* 7. *cap.* 28. (& aliàs 29.) *quæst.* 4. *&* 5. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disputat.* 9. *numero* 27. *& lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *numero* 18. *&* 29. Fagundez *loc. cit. num.* 3. Bonac. *disput. vltim. præcept. Eccl. s. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 18. Pasqualigus *decis.* 389. & alij. Potest tamen Confessarius declarare, an causa sit iusta, & sufficiens ad non ieiunandum, vt statim dicam.

Qvæstio. XVII.

An solius Confessarij, vel Medici, vel alterius viri prudentis consilium, sufficiat, vt quis à lege ieiunij liberetur?

REspondeo: Sufficere. Sic Angles *quæst.* 5. *de ieiun. dub.* 1. *propositione* 2. per hæc verba: Si certum non sit, causam sufficientem subsistere, satis erit hominem dubitantem viros peritos, & fide dignos audire: & re illis exposita, si declarauerint causam sufficere, poterit sine Superiorum dispensatione, eorum iudicio se summittere: Viri autem fide digni, citra Prælatum, quorum iudicio dubitans se poterit confirmare, sunt proprius Sacerdos, si doctus sit, aut Medicus, si causa morbi sit, aut vir doctus, ac litteratus in huiusmodi casibus instructus. Sic ille. Azor etiam, Bonac. Fagundez, Sanchez, Trullench, Pasqualigus *loc. citatis.*

Qvæstio XVIII.

An Abbatissæ, & aliæ Monialium Superiores, possint in ieiunio Moniales dispensare?

AFfirmant Henriquez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. per hæc verba: Abbatissa verò in Moniales subditas ex commissione Pœlati habet aliqualem vsum clauium, vt eas dignè gubernet, corrigat, puniat: & vt vota quædam Monialium irritet, dispensetque cum illis in ieiunijs, & quibusdam legibus Ecclesiasticis, dum causa vrget, &c. Ita ille.

Sed vt certissimum Respondeo: Non posse. Quia (vt suprà est habitum) ad dispensandum requiritur iurisdictio spiritualis: at sic est, quòd fœminæ sunt incapaces talis iurisdictionis: ergo. Sic Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 14. Sancius *in select. disp.* 54. *numero* 37. Portel. *in dubitat. Regul. ver. Abbatissa num.* 3. Barbosa *de iure Eccles. cap.* 45. *numero* 39. Tamburinus *de iure Abbat. disput.* 32. *quæst.* 10. Lezana *ver. Abbatissa num.* 14. Pasqualig. *decis.* 393. & alij.

Qva

QVÆSTIO XIX.

An saltem, possit Abbatissa declarare, quando Moniales obligentur, vel non obligentur ad ieiunium?

RESpondeo: Posse. Et ita præsupposita eius declaratione de non tentione, aut obligatione ad ieiunium, tutò poterunt Moniales non ieiunare. Ratio conclusionis est. Tum, quia ad Abbatissam pertinet directio Monialium: ergo debent habere sufficientem facultatem, pro munere proprio, quod non saluaretur, si ad minùs, non possent declarare, vtendo in hoc, iudicio prudentiali, quando Moniales teneantur ad ieiunium, & quando non. Tum etiam, quia ad id saltem, fuit concessum priuilegium à Paulo III. Abbatissæ S. Claræ, cuius meminere Rodriguez *collect. Bullar.* & Portel *loco. citat.* Sic ipse, Sancius, Lezana, & Pasqualigus *locis citatis.*

QVÆSTIO XX.

An dispensatio facta ab inferioribus Prælatis, in ieiuniis indictis à Superioribus, sit vera, & simpliciter dispensatio: an verò, sola declaratio, aut interpretatio?

NEgant, esse veram dispensationem (existimantes tantùm esse veram declarationem, quod in tali casu lex ieiunij non obliget) Petr. Ledesma *tract.27. cap.2. du'.3. post.5. conclus. ver. En esta dificultad digo lo primero.* Vega 1. *p. cap.14. casu* 36. Angles *quæst.5. de ieiun. diffic.3. concl.1. & 2.* Quoniam dispensatio vera, & propria est eiusdem potestatis, cuius est condere leges: ergo quando lex ieiunij est condita à prælato Superiori habente supremam potestatem, non poterunt prælati inferiores, in tali lege ieiunij, dispensare; sed solùm declarare, & authoritatiuè, interpretari legem non obligare, videlicet, hunc, qui ad dispensationem accedit.

Sed probabiliùs Respondeo: Esse veram, & simpliciter dispensationem. Quia, licèt dispensari, sit eius, qui potest condere leges, & ideò inferiores, attenta eorum sola potestate, nec dispensare nec relaxare possint leges Superiorum; possunt tamen ex præsumpta voluntate ipsorum; eo quod censeatur ipsis hoc concessum, & attributa sufficiens iurisdictio, qua lex ieiunij dispensatur, quando adest iusta causa. Ex quo, solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Sic Sanchez, *lib.8. de Matrim. disp 9. num.27.* Sancius *in select. disp.54. n.37.* Toletus *lib.6. c.4. n.5.* Pasqualig. *decis.390.* Rodrig. *tom.1. sum. c.24. n.4.* & alij.

QVÆSTIO XXI.

An possit Prælatus dispensare in ieiunio, quando dubium est, an detur causa sufficiens ad soluendum ieiunium?

RESpondeo: Tanquam certum. Posse. Quia dispensatio debet aliquid operari: at si requireretur causa certa ad soluendum ieiunium nihil operaretur, cùm tunc, absque dispensatione, cesset obligatio legis: ergo sufficit ad dispensandum, dubia causa. Sic D.Thom. 2.2.q.147. *art.4. in corpore.* Caiet. *ibi dub.1.* Nauarr. *cap.21. num.* 20. Sanchez *libro 5. consil. cap.1. dub.6. num.2.* Filliuc. Fagundez, Trullench, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.396. num.1. & 2.*

QVÆSTIO XXII.

An etiam possit Prælatus in ieiunio dispensare, quando dubium est, an detur causa sufficiens ad dispensandum in ieiunio?

NEgant ex parte, Nauarr. *cap.21. cit. num.22.* Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.5. numer.26.* Medina *lib.1. summ. cap.14.* §.10. Lezana *verb. Ieiunium, n.10.* & Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.7. num.19.* Quatenus docent, quòd in dicto casu debeat Prælatus partim in ieiunio dispensare, & partim illud in aliud opus bonum commutare. Ita namque ait Sanchez, *loc. cit.* Hinc infertur minùs bene, & minùs prudenter agere Prælatos, qui subditos recurrentes ad eos in suis dubiis pro dispensatione, nolunt consolari: siquidem tutâ conscientia hoc possunt facere, vel dispensando omnino si causa est omnino sufficiens: vel si non est omnino sufficiens, dispensando partim, & partim commutando. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse in dicto casu, absolutè in lege ieiunij, etiamsi indicta sit à Superiori Prælato, dispensare. Quia stante dubio, de sufficienti causa ad dispensandum; stat etiam dubium an Prælatus possit dispensare: ergo cùm hic sit in possessione dispensatiuæ potestatis, & in dubio fauendum sit possessori, dicendum est, quòd tunc habeat potestatem & consequenter: quòd dispensare possit. Sic omnino Pasqualig. *loc. cit. nu.4. & 5.* & Azor, statim citandus, Quintanaduenas *de Iubileo, c.8. n.15.*

QVÆSTIO XXIII.

An Prælati debeant, se præbere benignos, & faciles cum suis subditis petentibus dispensationem in ieiunio?

RESpondeo: Omnino debere; licèt ipsimet Prælati, circa seipsos seueriores debeant esse. Nam *Primum*, est spiritus fraternæ charitatis, & misericordiæ; *Secundum* verò, spiritus prudentiæ vigilantis, contra carnem. Sic Sanchez *loc. cit.* & penes illum, Medina *lib.1. summ. cap.14.* §. 10. Angles. *quæst.5. de ieiun. diff.4. Append.1. & dub.1. propositione* 3. Caiet. 2. 2. *qu.147. art.4. dub.* 1. & Nauarr. *cap.21. num* 22. (aliàs 20.) & ex vtroque Azorius *lib.7. cit. quæst.*18. (aliàs 29.) *quæst.6.* vbi sic ait: Prælatus in hac parte scrupulosus non sit; nec rem in subditi conscientiam reiiciat, nec eius arbitrio relinquat: Sed subditum lege ieiunij soluat, quando id subditus petit, & dubia, & incerta causa videtur; nam si soluit, nulli se periculo peccati obiicit; quia potestate sua vtitur relaxando. Si autem subditum lege ieiunij non soluit in causa dubia, & incerta, sed rem subditi arbitrio relinquit, ipsum subditum exponit periculo peccati, & erroris, & fraudis. Sic ille. & idem docent Ledesma, Villalob. Rodriguez & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.396. numer.6.* & ante illum, Graffius *lib.2. decis. aurear. cap.36. numer.52.* ibi: Sed potiùs debent eis compati, & benignè dispensando à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud opus pium commutare, veluti, in septem psalmos, aut aliquid aliud. Sic ille.

QVÆSTIO XXIV.

An Prælatus, teneatur dispensare in ieiunio, toties, quoties, ex rationabili causa, petitur in illo dispensatio?

AFfirmant (loquẽdo generaliter de dispensatione) Rosella *ver. dispensat. n.4.* Syluest. *q.1. in fine.*

Armilla *num.* 14. Sà *num.* 2. *dicens. Cum subest causa dispensandi, videtur peccare Prælatus, qui potest, si non dispenset.* Sancius *in selectis disp.* 43. *numer.* 8. §. *Præterea*, Anton. Cardin. Rebuff. & alij, penes Sanchez, & Salas, *infrà citandi*.

Sed probabilius Respondeo: Non teneri semper, ad dispensandum. *Primò.* Quia ad id, nec ex præcepto positiuo, nec naturali, nec ex aliquo alio, tenetur: ergo. *Secundò.* Quia in iure, dispensatio appellatur *gratia cap. licet Canon. de elect. in* 6. & etiam appellatur *indulgentia & misericordia, cap.* 1. *de statu Monach.* & cap. *Postulasti, de Cleri. excom. ministrante.* Sed gratia, indulgentia, & misericordia, est indebita: ergo. Sic (loquendo in genere de dispensatione) tenent Archidiac. Turrecrem. Dominic. Francus, Decius, Felinus, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez, *lib.* 3. *de matrim. disp.* 10. *num.* 3. & 26. Salas, *de legib. disp.* 10. *sect.* 7. *numer.* 70. (non 7. vt inuenies apud Pasqualig.) Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 18. *numer.* 22. Basil. *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 14. *num.* 6. Castro Palao, 1. *p. tract.* 3. *de dispensatione legis, disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *num.* 9. Pasqualig. *decis.* 397. & alij.

Qvæstio XXV.

An saltem in aliquibus casibus, teneatur Superior, seu Prælatus, dispensare aliquem in lege ieiunij?

Respondeo: Teneri sub peccato in aliquibus casibus dispensare. *Primus* sit, quando causa non ieiunandi, est ita euidens, & certa, vt de se soluat obligationem ieiunij; tunc enim, tenetur Superior dispensare; aut, vt melius dicam, declarare, saltem pro exteriori apparentia, ad tollendas murmurationes, & praua iudicia, quòd non obliget ieiunium. Ita Menchaca, *controuer. illustr. cap.* 15. *num.* 8. Pasqualig. *decis.* 399. *num.* 3. & omnes.

Secundus casus sit, Quando in petente, ex iusta causa, dispensationem, est periculum violandi ieiunium. Tunc namque Prælatus, ex charitate saltem, tenetur illum à ieiunio dispensare. Sic in specie de ieiunio loquendo, tenet Pasqualig. *loc. cit. num.* 5. & loquendo de dispensatione in genere. Salas, *de legib. disp.* 20. *sect.* 7. *num.* 74. Vbi, de alijs agit casibus.

Qvæstio XXVI.

An vtens dispensatione in ieiunio illicitè, sed validè concessa à Superiori; peccet, saltem venialiter?

Negant peccare, nec venialiter, Syluest. *v. dispensatio, q.* 3. *nu.* 5. Angel. *n.* 3. Vasquez, 1. 2. *disp.* 178. *cap.* 4. Suarez, *lib.* 9. *de leg. cap.* 19. *n.* 14. Salas, *disp.* 20. *sect.* 6. *numer.* 60. Basilius, *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 14. *num.* 5. Castro Palao *disput.* 6. *cit. punct.* 8. §. 1. *num.* 8. Diana 1. *p. tract.* 10. *resol.* 35. Aragon, Viuald. & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.* 392. *num.* 3. Quia inquiunt per dispensationem, verè est ablata lex ieiunij; ergo dispensatus, nequit, nec venialiter peccare, non seruando illam.

Affirmant verò è contrà, peccare non solùm venialiter, sed etiam mortaliter P. Ledesma, 1. *p. sum. vbi de Matrim. cap.* 27. *diff.* 1. *post* 4. *concl.* & alij apud Pasqualigum, *loc. cit. num.* 1.

Sed ego probabilius Respondeo: Peccare: sed solùm venialiter. *Prima pars*, probatur; Quia Superior dispensando legem propriam, sine causa, peccat mort. ergo, & subditus, quamuis in ea dispensatus validè, peccabit saltem venialiter. *Secunda verò pars*, etiam probatur. Quia subditus, adhuc in lege dispensatus, ideò peccat, non seruando legem; quia absque vlla causa, non conformatur præcisè suo toti; at hæc in dispensato non est grauis iniuria: ergo. Sic Nauarr. *prælud.* 9. *num.* 14. *aliàs* 11. Quidquid Salas pro se illum citet, Sotus, *lib.* 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. Couarr. 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. §. 9. *num.* 7. & 8. Gallego, *de cognat. spirit. c.* 21. *n.* 9. Corduba, *lib.* 4. *q.* 8. *col. pen.* Valentia, *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. *in fine.* Philiarc. *tom.* 1. *de off. Sacerd. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. Rodriguez, *in q. Regul. q.* 46. *art.* 1. quos omnes pro hac parte citat, & sequitur Sanchez, *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 11. & 12. & *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 11. & 12. Sic etiam Amicus, *tom.* 5. *de iure, & iust. disp.* 6. *sect.* 7. *n.* 109. & penes ipsum, Caiet. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. §. *Ad hoc dubium*, & Syluius, 1. 2. *q.* 97. *art.* 4.

Qvæstio XXVII.

An saltem peccet mortaliter, vtens dispensatione, in ieiunio, inualidè concessa?

Respondeo Tanquam certum: Peccare mortaliter; nisi aliàs, vtens putaret, bona fide, esse veram dispensationem. Ratio est. Quia dispensatio inualida non tollit obligationem legis: ergo contra legem faciet, qui vtitur tali dispensatione. Sic Sanchez, *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 24. & omnes Doctores citati pro sententiis omnibus, quæst. præcedenti, relatis. Secus dicendum est in casu, quo quis vteretur dispensatione, de qua dubitatur, an fuerit validè concessa. Quia tunc licitè posset dispensatus ea vti. Quia in dubio semper est præsumendum pro Principe dispensante. Sic Sanchez, *dub.* 5. *cit. num.* 10. Diana, 4. *p. tract.* 3. *resol.* 45. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 7. *numer.* 18. Pasqualig. *decis.* 494. & alij penes ipsum.

Qvæstio XXVIII.

An quando Prælatus inferior dispensat in Superioris lege de ieiunio, ex iusta causa; possit imponere aliquod onus dispensato?

Respondeo Negatiuè. Quia non habet inferior potestatem concessam à Superiori, ad subsituendam aliam obligationem pro ieiunio, sed solùm ad concedendam gratiam, seu dispensationem, quando iudicat esse concedendam. Vnde si ab huiusmodi inferiori grauatur dispensatus aliquo onere, fieret illi iniuria. Sic Sancius *in select. disput.* 54. *numer.* 40. Sanchez, *lib.* 3. *de matrim. disp.* 10. *numer.* 9. Castro Palao, *disp.* 6. *cit. punct.* 9. *num.* 4. Pasqualig. *decis.* 398. & alij communiter.

Qvæstio XXIX.

An saltem, quando ipsemet Legislator dispensat in lege ieiunij, possit imponere aliquod onus dispensato?

Negat adhuc Sancius *loc. cit.* citans Filliuc. *tract.* 27. 2. *p. cap.* 7. *num.* 129.

Sed clarius sub distinctione, sic Respondeo dicendum, quòd dispensatio, quæ fit à proprio Legislatore, est debita, vel non, sed gratiosa. Si debita, debet gratis, & sine nouo onere petenti concedi; nam aliàs fieret illi iniuria: Si non est debita, sed gratiosa, optimè poterit illi à Legislatore imponi aliquod onus: quia cùm nō teneatur ad dispensandam legem, & eius obligationem relaxare, poterit id cum aliquo

compen

compensare onere. Sic Suarez, *lib.6. de legib.c.16. initio*. Castro Palao, *punct.9. cit. nu.3.* Pasqual. *decis.* 398. Qui dicit, hoc solum voluisse Fillıucium citatum pro se à Sancio.

QVÆSTIO XXX.

An si Superior dicat alicui, quod non ieiunet; censeatur dispensare cum illo, in ieiunio?

RE spondeo; Affirmatiuè. Quia non est præsumendum, quod superior vellet inducere ad peccatum, vt re vera faceret, si non dispensaret. Sic Lopez, *p.1. instruct.c.4.* Rodriguez, *1.p. summ. cap.24.* . 7. Ledesma, *p.2. summ. tr.27.c.2. diff.2. post 5. concl. ver. Dico lo quarte.* Pasq. *decis.* 403. per totam, & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An qui potest dispensare in præcepto ieiunij, possit etiam dispensare in præcepto abstinentia à carnibus, & lacticiniis?

RE spondeo: Posse. Quia qui est Superior in ordine ad relaxationem ieiunij, est superior etiam ad omnia, quæ sunt annexa ieiunio: ergo, qui primum potest, etiam secundum: & ideò, quæ dicta sunt de dispensatione in ieiunio, in superioribus quæstionibus; eodem pacto proportionabiliter sunt intelligenda, & applicanda pro dispensatione carnium, lacticiniorum, & ouorum, necnon, & pro dispensatione præueniendi horam in die ieiunij. Sic Sanchez, *lib.5. consil.c.1. dub.5. n.21.* Syluest. *verb. ieiun.n.7. in fine*, & Caiet. *2.2.p.147. art.4. dub.1.* penes ipsum. Quintanaduchas *de Iul.c.8.n.15* Pasq. *decis.*404. & penes ipsum, Ioan. Sanchez, & Palat. Aduertendo tamen, quod maior causa requiratur ad dispensandum in abstinentia à carnibus quàm in ieiunio, & ideo plures causæ, quæ soluunt obligationem ieiunij, aut sufficiunt ad dispensandum, non soluunt obligationem abstinentiæ à carnibus, nec per se sufficiunt ad dispensationem, vt labor corporalis, &c.

QVÆSTIO XXXII.

An difficultas, in ieiunando, sit sufficiens causa ad dispensandum in ieiunio?

NEgat, Angles *q.5. de ieiun. diff.4. dub.2. propositione 2.* per hæc verba: Neque prætextu magnæ difficultatis, quam imperfecti sentiunt, minuendum est ieiunium, aut cum illis dispensandum. Ratio est: quoniam huiusmodi difficultates assiduitate mollescunt, & per seuerantia vincuntur. Ita ille. Et ex illo Ludou. de S. Ioan. *quæst. de Ieiun. art.6. diff.2. dub.3. concl.2.*

Sed probabiliùs Respondeo, esse sufficientem causam ad dispensandum. Quia, vt habeat locum dispensatio in lege ex rationabili causa, sufficit, quòd obseruantia legis euadat onerosior consueto; vt probat Pasqual. *decis.*407. ex Sanchez *lib.5. consil. cap.1. dub.6.n.2.* Sed sic est quòd lex ieiunij prædictis, est valde onerosa, & longè quàm cæteris: ergo sufficientem causam habent, vt illi in ieiunio dispensentur. Sic Sà, *verb. Ieiunium, num.*10. Ita dicens: *Dispensandi causa iusta est, magna in ieiunando difficultas.* Medina *C. de ieiun.q.9.v. Ad hoc breuiter.* Ortiz, *in summ. cap.19. prac.2.n.13.* Pasqual. *decis.*408.

QVÆSTIO XXXIII.

An tota communitas possit dispensari in ieiunio, & cibis vetitis?

RE spondeo: Posse, dummodo iusta, & rationabilis causa dispensandi detur respectu totius communitatis; vt contingere potest ratione penuriæ, pestilentiæ, aut alterius causæ. Quia, si, existente iusta causa, potest dispensari particularis in dictis præceptis, vt suprà est habitum: ita eodem modo poterit tota communitas, existente eadem causa; cùm militet eadem ratio. Sic Palat. *in 4. dist.15. disp.8. post.4. concl. §. obseruandum est.* Vbi affirmat illo anno, quo scribebat, Lusitanos dispensatos fuisse, vt ederent carnes in Quadragesima. Sanchez, *lib.5. consil. cap.1. dub.6. nu.4.* Layman, *lib.4. tr.8.c.3.n.8.* & Pasqualig. *decis.*410. Vbi benè aduertit, quod vt causa dicatur communis toti communitati, non sit necessarium, quòd sit communis omnibus, & singulis; sed sufficiat, quòd sit communis maiori parti. Et ita facta dispensatione pro tota communitate, poterunt de illa gaudere omnes, qui sunt de illa communitate; etiam illi, in quibus seorsim non datur causa dispensationis.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui potest dispensare alios in ieiunio, per propriam legem, instituto; possit etiam dispensare seipsum in tali ieiunij lege?

NEgant Anton. Alex. de Neuo, Beroius, Decius, & alij, quos pro hac parte refert Pasqualigus, *decis.*412. *num.*1. eo quod nemo possit in seipsum exercere iurisdictionem. His fauet Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib. 6. de voto cap.* 11. quatenus id solùm Summo Pontifici, non aliis Prælatis inferioribus, concedit.

Sed certissimè ferè Respondeo: Posse (quicumque sit Legislator) in propria lege ieiunij secum dispensare; sicut cum aliis potest. Quia Legislator habet potestatem relaxandi, tollendive legem propriam, vtpotè ab illius voluntate pendentem; vt suprà est habitum: ergo sicut potest illam tollere ad libitum (modo suprà habito) respectu aliorum, ita potest in ordine ad seipsum. Nam licèt iurisdictionem in ordine ad actus iustitiæ non possit quis exercere circa seipsum; potest tamen iurisdictionem in ordine ad actus legales, vt optimè probat Pasqual. *loc.cit.n.5.* & 6. Sic ille ibi, & penes ipsum, Caiet. *2.2.qu.6.art.5.* Corduba *lib.5.q.31.* Bonac. *disp.1. de leg. q.2. punct.1.n.9.* Fillıuc. *tr.10.p.2.n.295.* & etiam Suarez, *lib.6. de legib. c.12. n.11.* Vbi id esse extra controuersiam affirmat. Citat etiam pro hac parte Anton. & Alex. de Neuo, quos pro priori sententia citauerat.

QVÆSTIO XXXV.

An qui potest dispensare cum aliis, in lege ieiunij imposita à Superiori, possit etiam cum seipso?

NEgant Doctores citati, pro prima sententia, necnon, apud Pasqual. Palud. *in 4. dist.38. q.4. art.4.* Rodriguez, *tom.1. q. Regul. q.43. art. vltim.* Hieron. Rodriguez, *in Compend. quæst. Regul. Resol.12. num.39.* Azor. *1. part. lib.5.c.15. q.6. in fine.* Miranda, *in Man. tom.2.q.31. art.3.* Corduba, Decius, & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse etiam. Quia aliàs potentes dispensare cum aliis, essent deterioris conditionis, quàm cæteri cum quibus dispensant. Sic expressè

expreſsè Azor (loquens ſpecialiter de ieiuniu) *lib.7. cap.18.q.6.* per hæc verba: Si quæras, an huiuſmodi Prælati, & Præfecti, poſſint, iuſta ex cauſa, ſeipſus lege ieiuniorum ſoluere in his caſibus, in quibus poſſunt alios ſibi ſubiectos, Reſpondeo, poſſe; id enim colligitur ex Syluestro, *in v.lex.quaeſt.14.* & ex Soto *in 4. diſt. 18. quaeſt.1. artic. 3. & libro 1. de iuſt. quaeſt.6. artic.1.ad finem*, Caiet.1.2.*quaeſt.96. artic.5. dub.vlt.* Nam quamuis nemo in ſe ipſum, alioqui iuriſdictione vti queat, in hoc tamen vti poteſt, quia ſibi permittitur, ne ſit deterioris conditionis, quàm alij. Sic Azor iam ſibi contrarius, niſi differentiam aliquam inueniat inter diſpenſationem voti, de qua loquitur, loco pro priori ſententia citatu, & inter diſpenſationem legis ieiunij, de qua, quæ relata ſunt verba, habet. Sic, ante ipſum, docuit etiam D. Thom. 2. 2. *quaeſt.185. artic.8. in corp.* Sanchez, *lib.8.de Matrim.diſput.3. numer.8, & in ſumm. libro 4. cap.37. numer.45.* Baſilius, *lib.8.de Matrim.cap.4. numero 9.* Salas, *diſput. 20. de leg.ſect. 12. numer.105.* Caſtro Palao, *1.p. oper. Moral. diſput. 5. de diſpenſatione legis, punct.7.§.1.numer.2.* Villalob. *tract.23. diffic.4.num. 23.* Diana, *1.p.tract.9. Reſol.15.* Paſqualigus, *deciſ.413.n.2.* & alij. Sic etiam Rodriguez, *2. p. ſumm.cap.32. num.4.* iam ſibi contrarius, vbi pro hac parte citat Cordubam, eodem loco, quo Paſqualigus citat pro contraria, nempe *in addit. ad compend.priuileg.verb. Accedere tit.13.* & eſt communis.

Qvæstio XXXVI.

An qui poteſt cum aliis diſpenſare in lege ieiunij; poſſit committere alteri iuriſdictionem, vt ſecum diſpenſet?

NEgat Suarez, *tom.2.de Relig.lib.6.de voto,cap.11. num.4.* Syluest. *v. Votum 4.q. 3.verſ.Vndecimum.* Angel.*eo.v.num.* & alij penes ipſum.

Sed probabilius longè, Reſpondeo: Poſſe. Quia ſi poteſt diſpenſare cum ſe ipſo, vt quæſtione præcedenti eſt habitum, à fortiori poterit committere alteri ſuam iuriſdictionem, vt ſecum diſpenſet. Sic omnes DD. citati nuper pro noſtra ſententia; præcipuè Sanchez, *lib.8. de Matrim. diſput. 3.* (non 11. vt inuenies apud Paſqualigum) *numer.3.& in ſumm. lib.4.cap.37.numer.42.* & penes ipſum, Palud. D. Anton. Henriquez, Sayrus, & alij, inter quos, citat etiam pro hac parte Syluestrum, *ver. Confeſſor.1.qu.9.* & Angelum, *v. Confeſſio 3.num.7.* Sic etiam Baſilius, *lib.8. de Matrim. cap.4.num.9.* Paſqualig. *deciſ. 411.* & alij penes ipſum.

Qvæstio XXXVII.

An habentes iuriſdictionem delegatam diſpenſandi in ieiunio in vniuerſum, cum aliqua communitate, cuius ipſi ſunt partes; poſſint ſecum diſpenſare?

REſpondeo tanquam certum: Poſſe. Tum quia illa poteſtas delegata, nõ eſt limitata. Tum, quia aliàs eſſent peioris conditionis, quàm cæteri. Sic Sanchez, *lib.8. de matrim. diſp.3. num.9.& 10. & lib.4. ſumme, c.37. n.45.* Qui ſecus dicit diceodum, caſu quo haberent limitatam poteſtatem diſpenſandi, cum certis perſonis, aut cum certo perſonarum numero (de qua limitatione egimus, *1.p.tr.5.diſp.12.q.45. in ſimili.*) Rodriguez, *2. tom.ſum.c.40. aliàs 32.n.4.* Salas *diſp.20.de legib.ſect.12.n.105.* Miranda, *tom.2. Man. Prælat. q.31. art.5.* quos citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.414.* & communis.

Qvæstio XXXVIII.

An Prælati Regulares, poſſint diſpenſare ſeipſos in ieiunio; quando poſſunt alios?

NEgant Collector priuileg. Medican *v. Accedere ad Monaſteria, q.vltim.* & Rodriguez *tom.1. qq.Regul. qu.54.art. vltim.* Ducti ex quodam priuilegio Eugenij VI. conceſſo Patribus S. Hieronymi, in quo conceditur, quòd Prior, & Vicarius, poſſint obtinere licentiam à Conſiliario non ieiunandi: ergo ſi poſſent ſe ipſos diſpenſare, non indigerent tali priuilegio.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe. Quia ſi cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſunt, à fortiori ſecum: aliàs eſſent peioris conditionis. Sic Sanchez, *loc. cit. de Matrim.concl.4. num.9.* & penes illum Sà, *v. Religioſus, numer.47.* Azor, *lib.7.cit.cap.29.* (aliàs 18.) *quaeſt.6.* Armilla, Molina, & Rodriguez, Fagundez *de 4.præc. lib.1. cap.9.num.6.* & penes ipſum, Caiet. Sotus, & Syluest. Miranda *loc.cit.* Lezana, *verb. Ieiunium, num.10.* Paſqual. *deciſ 415.* & alij. Nec obſtat priuilegium adductum pro oppoſita parte. Quia licèt non ſit neceſſarium, eſt tamen vtile pro ſedandis conſcientiis ſcrupuloſorum.

Qvæstio XXXIX.

An ieiunia, à Pontifice, vel à iure communi indicta pro certis diebus, poſſint transferri ab Epiſcopis, ex rationabili cauſa in alios dies?

NEgare videtur Bonacin. *diſput.vltim. de præcept. Eccleſ. qu.1. punct. vltim. num.18.* Vbi ſic ait: Quanquam Caietan. *verb. Ieiun. cap.3.* Syluest. *47.* Reginald. *lib.4.num.224.* Mald. *v. Ieiun. num.7.* putant Epiſcopum poſſe ieiunium, ab vno die in alium transferre, vt ſi ieiunium vigiliæ S. Ioannis incidat in feſtum Corporis Chriſti, poteſt illud transferre in diem præcedentem. Sed hoc ego non facilè admiſerim, exceptis caſibus particularibus, vt docui de diſpenſatione, & excepto priuilegio.

Sed abſolutè Reſpondeo: Poſſe, interueniente iuſta cauſa. *Primò.* Quia id ex praxi conſtat, vt probant Azor, & Fagundez citandi. *Secundò.* Quia id colligitur ex iore Canonico, imo, & præſtat, *cap. concilium, de obſeruat. ieiun.* Vbi ieiunium incidens in Dominicâ, anticipatur in Sabbato. Vnde quamuis ea, quæ ſunt determinata à Superiori non relinquantur abſolutè diſpoſitioni inferioris, & ideò quæ ſunt iuris canonici, non relinquatur diſpoſitioni Epiſcoporum abſolutè; committitur tamen ipſis executio eorum, vt colligitur ex iure. cap. citato, & ita quando prudentia id exigit, poſſunt facere quod exequantur in vno tempore, quod eſſet in alio exequendum. Sic Innoc. *in Rubr. de obſeruat. ieiun.* Caietan. *in ſumm. verb. Ieiun. cap.3.* Armilla, *numer.6.* Nauarr. *cap.21. numer.11.* Azor, *lib.7.cap.18.quaeſt.5.* Fagundez, *de 4.præcept. Eccleſ. lib.1. cap.9. numero 4.* Sà, *verb. Ieiun. num.5.* vbi abſolutè dicit ſic: cùm vigilia incidit in feſtum ſolenne, pridie eius diei ieiunandum. Trullench *lib.3.in Decalog. cap. 2. dub.7. num.21.* Sylvius, Layman, Angles, Gordonus, & alij, quos citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.197.* Qui etiam pro hac parte citat Bonacinam. Sed non ita bene. Poterat tamen pro ipſo citare Thomam Sanchez, *lib.5.conſil.cap.1.dub.5.numer.27.* & alios penes ipſum.

Qvæ

QVÆSTIO XL.

An etiam Abbates, aut alij exercentes iura Episcopalia, possint transferre in alium diem ieiunium iuris communis?

RESpondeo: Etiam posse. Quia cùm habeant iurisdictionem fori Ecclesiastici, æquiparantur Episcopis. Sic Pasqualig. *loc. cit. n.4.* Qui idem concedit Prælatis Regularium respectu suorum subditorum, ipsi namque tanquam ordinarij ipsorum poterunt, iusta interueniente causa, transferre eorum ieiunia in alios dies.

QVÆSTIO XLI.

An si in festum solemne titularis alicuius Ecclesiæ particularis, aut Patroni alicuius Diæcesis, incidat vigilia aliqua, possit Episcopus transferre ieiunium in alium diem pro iis, qui sunt de illa Ecclesia, vel Diæcesi?

RESpondeo: Posse. Quia eadem est ratio. Sic Caiet. Armilla, & Sanchez, *loc. cit.* Vbi docent, quòd non solùm id possit Episcopus; sed quòd debeat transferre ieiunium in antecedentem diem; vt sic, ieiunia Christiani populi consonent iuris dispositioni disponentis, quando vigilia occurreret in Dominica, transferatur in diem antecedentem, vt habetur, *cap. 1. & 2. de obseruat. ieiun.* vt vidimus, *q. 39.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 5. n. 19.* Sylvius, *2. 2. quæst. 147. art. 4. ver. Quartum quando.* Pasqualigus *loc. cit. num. 6.* & ita in praxi obseruatur in Regno Nauarræ, in Ciuitate Pampilonensi, in qua festum Sancti Saturnini, Patroni illius Ciuitatis solemnissimè celebratur; & quia occurrit in vigilia S. Andræ Apostoli transfertur hoc ieiunium in diem antecedentem. Quod idem fit, vt refert Syluester, *verb. Ieiun. qu. 7.* in Francia, in qua, quia festum S. Quintini occurrit in vigilia omnium Sanctorum, transfertur ieiunium in præcedentem diem.

Addunt tamen Caiet. Armilla, & Sanchez, id solum teneri verum, loquendo de vigiliis alicuius Sancti: non verò loquendo de ieiuniis quatuor temporum, nam hæc etiamsi occurrant in aliquo magno festo, vt occurrunt sæpe in die Sancti Matthæi, non sunt transferenda.

QVÆSTIO XLII.

An quando vigilia S. Matthiæ incidit in aliquem diem, ex duobus vltimis Bacchanalium (*Hispanè*, Lunes, o Martes de Carnestolendas) *possit Episcopus ieiunium illud in alium diem transferre?*

AFfirmat Pasqualig. *decis. 180. num. 2.* per hæc verba: Mihi tamen probabile videtur, quòd possit Episcopus, transferre in alium diem huiusmodi ieiunium. Et ita sentiunt Layman, *lib. 4. Theol. Moral. tractat. 8. cap. 3. num. 9.* & Diana, *3. part. tract. 6. resol. 66.* Adest enim causa valde rationabilis pro tali translatione, vt nimirum, vitentur tot peccata, quot committuntur in violatione ieiunij. Ita ille.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Non posse. *Primò.* Quia ratio, quæ ad transferendum ieiunium dictæ vigiliæ, assignatur, non videtur rationalis, nec sufficienter iusta. Nam aliàs, etiam posset in alium diem transferre quodlibet ieiunium, incidens in diem quemcunque festum; cùm etiam multa committantur peccata in ieiuniis incidentibus in festa: ergo.

Secundò. Quia à sæculo non est auditum, prælatum vigiliæ ieiunium translatum fuisse in alium diem ab aliquo Episcopo, esto, quòd causa vitandi peccata, in violatione dicti ieiunij, semper steterit eadem.

Tertiò. Quia prædicta translatio ieiunij, non esset ita conformis dispositioni iuri; siquidem hoc solùm, propter occurrentiam alicuius festiuitatis ab Ecclesia institutæ, permittit, aut præcipit, quòd ieiunium in illam incidens, transferatur: vt constat ex cap. *consilium de obseru. ieiun.*

Tandem. Quia causa, quam contrarij ad defendendam suam opinionem assignant, præuisa est à Summis Pontificibus: & tamen non instituerunt translationem dicti ieiunij: non ergo alia ratione nisi, quia ad id non inuenere sufficientem causam, vt alias illã instituerent, sicut instituerunt translationem vigiliæ S. Ioannis Baptistæ incidentis in festum Corporis Christi anticipando illam in feria quarta antecedenti, Leo. X. & Vrbanus VIII.

Nec oppositam sententiam, absolutè tuentur Layman, & Diana. Nam Layman, solùm dicit, quòd fortassè aliquis respondere poterit si vigilia S. Matthiæ incidat in feriam secundam vel tertiam quinquagesimæ, iustam fore causam, vt Episcopus tale ieiunium in præcedens Sabbatum transferat. Diana verò, quod forsan sententiam Laymanij alicui probabilis videbitur. Non bene ergo hos Authores citat absolutè pro se Pasqualigus: licèt illi satis faueant. Vnde iam clarè me citato hanc sententiam tenet Diana *part. 10. tractat. 16. Resolut. 7.* His verbis: Huc vsque Leandrus, qui obseruat Pasqualigum non debuisse me, & Laymanium absolutè pro sua sententia adducere; vnde ego nunc sententiæ Leandri clarè adhæreo. Et eminentissimus meus Cardinalis de Lugo annis præteritis fuit in hac opinione, S.D.N. Innocentium X. non debere dictam Vigiliam transferre in aliam diem.

QVÆSTIO XLIII.

An Prælati Regulares, etiam in Curia Romana vbi facilè potest adiri Pontifex; possint pro suis subditis transferre ieiunium iuris communis; de vno, in alium diem; intercedente iusta causa?

RESpondeo: Posse. Quia etiam in Curia Romana possunt Prælati Regulares dispensare, ex iusta causa, suos subditos in lege ieiunij indicti à iure communi, ex præsumpta, & præhabita voluntate Pontificis: ergo à fortiori ex iusta etiam causa, transferre pro ipsis ieiunium de vno in alium diem possunt. Sic Pasqualig. *decis. 181. num. 2. & sequen.*

QVÆSTIO XLIV.

An Regulares poſſint, ratione itineris, transferre ieiunium, etiam iuris communis, de vno in alium diem?

RESpondeo: Poſſe. Quia ita conceſſit Leo X. Minoribus de Obſeruantia, vt refertur in compendio priuileg. eorumdem. *ver. itinerantes.* & notan. Sorbus *in comp. priuileg. Mendican. tit. ieiunium. num.*4. Ioann. de Cruce *in Epitome priuileg. lib.*1.*cap.*6 *dub.*22. *concl.*4. Peregrin. *in comp. priuileg. tit. ieiunium*, §.3. & Paſqualigus *deciſ.*183. & 416. *num.*3. vbi bene notat, quòd, vt hoc priuilegium aliquid operetur, debeat intelligi, & accipi de ieiunio, quod adhuc io itinere obliget, ac proinde, quando iter, vel ratione breuitatis, vel quia commodè fit, non ſufficit, vt excuſet à ieiunio. Gaudent autem dicto priuilegio, cæteri omnes Religioſi habentes communicationem priuilegiorum, vt aduertunt omnes Authores citati.

QVÆSTIO XLV.

An qui accedit ad locum, in quo ieiunium eſt tranſlatum, gaudeat etiam beneficio tranſlationis?

RESpondeo: Gaudere, ſi communicet in cauſa, ob quam tranſlatio facta eſt, celebrando videlicet feſtum cum aliis illius loci, qui eam celebrant Ratio eſt: quia tale priuilegium conceſſum eſt intuitu loci, & non perſonæ; ergo extendi debet ad omnes, qui ſunt de tali loco, vel de tali loco fiunt formaliter, concelebrando feſtiuitatem, cuius intuitu ieiunium tranſlatum eſt, vt cum maiori lætitia celebretur. Sic Paſqualig. *deciſ.*182. *numero* 1. & 2. Legatur.

TRACTA

TRACTATVS SEXTVS,

DE QVINTO PRÆCEPTO ECCLESIÆ,
De Solutione, Primitiarum, & Oblationum.

TRACTANT de Decimis Theologi cum Angelico Doctore, 2.2. *quæst.*87. Caiet. & Raphaël de la Torre, *ibi.* Sotus, *lib.9.de iust & iure, quæst.*4. Abulens. *tom.*11. *in cap.*23. *Matthæi.* Suarez, *tom.*1. *de Religione, lib.*1. *c.*9. Vasquez, *in opusc. de beneficiis, cap.*1. §. *vnico,* Molfesius, *in summ.tract.*6. *cap.*4. Castro Palao, *tom.*2. *tract.*10. *disp.vnica.* Reginald *lib.*19. *cap.vltimo.* Valentia *tom.*3. *disp.*6. *quæst.*5. Bellarmin. *tom.*1. *controuers. part.*2. *controu.*5. *generali lib.*1. *de Clericis, c.*35. Azor, *tom.*1. *instit. Moral. lib.*7. *cap.*34. Lessius, *de iust & iure, lib.*2. *cap.*39. Bonacina, *tom.*1. *disp. vltima, de præceptis Ecclesiæ, q.*5. Fagundez, *de præcept. Eccles. præcept.*5. *lib.*1. & 2. Vincentius Filliuc. *tract.*27. *à c.*7. Paulus Layman, *tom.*2. *lib.*4. *tract*6. *cap.*1. Ioann. Ægidius Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. Iodocus, *tom.*1. *Thesauri Catholici, verb. Decima.* Canonistæ, *titulo de Decimis,* Præcipuè Butrius, Zabatella, Ioan. Andreas, Imola, Anania, Ancharranns, Panormitanus, & alij. Rebuffus, Tyndarus, Henricus, Moneta, Andr. Hispanus, & Honcala, *in specialibus tractatibus de Decimis,* D. Didacus Couarruuias, *lib.*1. *variar. cap.*17. Martinus Azpiliqueta, Nauarrus, *in Man. c.*21. *à num.*28. *tom.*1. *consil. tit. de Decim.* Gregorius Lòpez, *in* 1. *part. tit.*10. Ioann. Gutierrez, *Canonic. lib.*2. *cap* 21. Perez, *ad tit.*5. *lib.*1. *ordinan.* & alij quamplures, quos refert Augustinus Barbosa, *de officio, & potestate Parochi, part.*3, *cap.*28. & *tom.*2. *in Ius Canon. tit.*30. *de Decim.* & *tom.*5. *in Decretum Gratiani* 16. *q.*1. & alij. Et Summistæ etiam verb. Decimæ, vbi Syluest. Angel. Armil. Sà, & Bassæus, Toletus, *lib.*6. *sum. c.*20. Rodriguez, *in summ. tom.*1. *cap.*87. Vega, 1. *p. sum. c.*87. Læl. Zech. *in summ. part.*2. *cap.*88. Petr. Ledesma, *in summ. part.*2. *tract.*9. Villalob. *in sum. part.*2. *tract.*33. Luysius de Torres, *part.*1. *summa, cap.*136. & 137. & *sequent.* Ludouicus Miranda, *in Man. Prælat. tom.*2. *q.*49. & alij plures.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura Decimarum, ac de Obligatione eas soluendi in lege veteri.

QVÆSTIO I.

An Decimæ, à Decimando, seu à numero denario dicantur?

RESPONDEO: Affirmatiuè. Quia videlicet, significant decimam partem fructuum, seu aliarum quarumcumque rerum, quæ Principibus, aut Sacerdotibus, seu Ecclesiis, solui consueuit. Sic colligitur *ex l.*2. *ff. de pollicit.* & sic explicant hoc nomen Calepin. Syluest. *hoc eod. verbo.* Indocus, *ver. Decimæ, num.*1. Layman *tract.*6. *cit. cap.*1. *in principio* Molfesius *tom.*1. *summ. tractat.*6. *cap.*4. *num.*21. Castro Palao *tom.*2. *tractat.*10. *disputat. vnica punct.*1. *numero* 1. Azor 1. *part lib.*7. *cap.*34. Lessius *cap.*39. *citato dub.*1. Fagundez *lib.*1. *cit. cap.*1. Suarez, *cap.*9. *cit.* Bonacina *q.*5. *cit. punct.*1. & alij. Raphaël de la Torre *in* 2.2. D. Thomæ *qu.*87. *art.*1. *in fine.* Ita diceos: Dicimæ appellantur, quando ex decem partibus vna in Dei cultum, applicatur & soluitur.

QVÆSTIO II.

An Obligatio soluendi Decimas in lege veteri fuerit orta ex iure naturæ?

AFfirmarunt aliqui, quos, tacitis nominibus, refert Abulensis *tom.*11. *in cap.*23. *Matthæi, q.*136. *ver. Aliqui dicunt.* Quorum fundamentum esse potuit; quòd ius Decimarum, erat ante legem Moysis Sed omne ius, quod fuit ante legem Moysi, fuit naturale; cùm ante legem Moysi, nulla fuerit diuina legislatio: ergo ius soluendi decimas in lege veteri, ex naturali iure ortum habuit. Maior probatur: Nam Abraham soluit Decimas, vt patet ex *Genes.*14. & Iacob etiam, vt constat ex *Genes.*29. at vterque fuit ante legem Moysi: ergo.

Alij verò è contrà, tanquam certum, negant, obligationem soluendi Decimas in lege veteri, ortam fuisse ex iure naturæ; sed ex iure diuino positiuo tantum. Quia si Decimæ fuissent de iure naturali debitæ Deo, omnes gentes necessario debuissent illas soluere; sed hoc est falsum; quia alioqui, omnes, qui ante legem Moysi non soluebant Decimas, peccabant mortaliter, quod non potest dici: ergo non erant de iure naturæ debitæ, sed ex Dei institutione. Sic sentit Abulens. *loc. cit.* & Rebuffus ex illo, *q.*1. *de decim. n.*10.

quòd hoc bonum non tollatur per dispensationem in ieiunio; cùm possit à dispensato adhuc, ieiunando, obtineri. Nam id non est verum, aut firmum. Quia dato casu, quòd dispensatus ieiunaret, quod est contingens, hoc pro libito suo faceret, non necessitatis præcepto; & ideò non obtineret tam grande meritum, tantamque satisfactionem; quam perciperet per ieiunium factum ex præcepto; cùm, ex sententia communi Theologorum, maioris meriti, & satisfactionis sint opera facta ex præcepto, vel voto, quàm opera voluntariè facta.

Rursus, dicta dispensatio, est etiam præiudicialis cæteris, qui ieiunant; tum, quia vna ex conditionibus ad legis iustitiam petitis, est, vt sit æqualis omnibus quæ conditio omnino deficit, quando cæteris lege oppressis, aliquis sine causa ab ea eximitur. Tum etiam, quia cùm videant alios sine causa à ieiunio eximi, iure offenduntur, & sumunt ansam ad idem faciendum, vt dixit Tridentinum, *sess.* 25. *cap.* 5. *&* 18.

Tandem, dicta dispensatio in ieiunio, est etiam præiudicialis bono communi. Quia lex ieiunij indicta est, ob bonum commune, sicuti omnes aliæ leges: vt habetur in cap. *Erit autem lex dist.* 4. & concedit, loquendo adhuc in specie de lege ieiunij, ipsemet Pasqualigus, *decis.* 381. *num.* 1. ergo eius dispensatio sine causa, præiudicialis erit bono communi; ergo, ex omni parte, illicita. Sic D. Thom. *qu.*97. *art.*4. *& ibi* Medina, & alter Medina, *C. de ieiunio*, 7.3. *ver. Ad oppositum.* Angles, *q.*5. *de ieiun. diff.* 2. *concl.* 2. Sotus, *de iust. q.*7. *art.*3. *dub.*2. Victoria, *in relect. de potest. Papæ num.*14. Sancius, *in select. disp.*54. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*5. *num.*5. *&* 6. Reginald. *n.* 226. *cit.* Molfes. *tract.* 10. *cap.*4. *num.* 15. Salas, *loc. cit. sect.*5. *n.*50. Qui, incidens in notam, quam inurit Sanchez, multos citat pro hac sententia, Doctores, quos pro opposita *num.* 48. eiusdem sectionis, *& num.*37. *sectionis* 4. citauerat, nempe Armillam, Rosellam, Nauarrum, Couarr. & alios. Tenent etiam hanc nostram Doctrinam alij innumeri Doctores statim citandi. Inter quos illam me citato, tenet Diana *p.* 10. *tr.*16. *Res.*77. *in fine.*

Qvæstio V.

An si Pontifex dispensaret in lege ieiunij absque causa, peccaret non solùm venialiter, verùm etiam mortaliter?

NEgant quòd peccaret mortaliter, sed solùm venialiter, qui absolutè, & generaliter, loquendo de dispensatione, docent, non peccare mortaliter Principem, dispensando in suis legibus, sine causa, secluso scandalo, & graui aliorum damno. Ita tenent (penes Pasqualigum, *loc. cit. num.* 3.) Lopez 1. *part. instruct. cap.*4. *vers. sexto addimus.* Nauarr. *in Man. prælud.*9. *num.*14. *& cap.*25. *num.*5. Philiarc. *tom.*1. *de offic. Sacerd. part.*2. *lib.*3. *cap.* 4. Valentia, 1.2. *disp.* *q.*5. *pun.*9. *in fine.* Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. disp.*18. *nu.*7. Salas, *de legib. disp.*20. *sect.*5. (non 7. vt citat Pasq.) *num.*55. Basilius *lib.*8. *de Matrim. cap.*14. *num.*4. Villalob. *tom.*1. *tract.*2. *diff.*4. *num.*6. Palaus 1. *part. oper. moral. tr.* 3. *disp.*6. *punct.*8. *§.*1. *n.*5. Diana 1. *p. tr.*10. *Res.* 35. Barbosa *lib.* 1. *de Vniuers. iure Eccles. cap.* 1. *n.*200. & Trullench *lib.*3. *in Decalog. c.*2. *dub.*7. *n.*18. His addi possunt Rodriguez, 1. *tom. summ. c.*237. *n.*1. qui pro hac parte refert Sanchez *loc. cit. de Matrim.* Corduba *lib.*4. *qu* 8. Vuald. *Append. ad Candelab. cap.*12. *num.*23. & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Quòd peccaret mortaliter. Quia dispensare in præcepto, tam sancto Ecclesiæ, sine causa, est contra iustitiam distributiuam aut legalem, & destructiuum communis boni; & præbet occasionem violandi leges, vt quæst. præcedenti est habitum: ergo est peccatum mortale. Sic loquendo in generali de dispensatione, tenent (apud Pasqualigum *loc. cit. num.* 2.) Palatios *in* 4. *dist.* 15. *disp.*8. *post.* 4. *conc.* Ledesma 2. *p.*4. *q.*17. *art.*3. Syluest. *ver. dispensatio. num.*2. Petrus Ledesma 1. *part. summ. tract. de Matrim. cap.*27. *dub.*1. *post* 4 *concl. ver. Digo lo primero:* Vega *part.* 2. *sum. cap.*23. *casu* 14. Couarr. 4. *decretal. part.*2. *cap.*6. *§.* 9. *num.*7. Granados 1. 2. *controu.*7. *tract.*3. *part.*2. *disp.*27. *sect.*3. *num.*24. Malderus, 1.2. *q.*97. *art.*4. *dub.*2. *post* 1. *concl.* Rodriguez, 1. *part. summ. c.*195. *in fine.* Suarez, *lib.*6. *de legib. cap.*18. *num.* 17. & Sanchez, *lib.*5. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *nu.*6. vbi retractat quod dixerat *loc. citato, de Matrim.* per hæc verba: Et quamuis *lib.*8. *de Matrim. disp.*18. *n.*7. dixerim, probabilius esse hoc peccatum esse tantùm veniale ex genere suo; at modò plus placet esse mortale, ex suo genere, & tantùm excusari ob materiæ paruitatem; quando scilicet lex, in qua dispensatur, non esset magni momenti. Sic ille. Citat etiam Salas, *loc. cit. n.*54 pro hac parte Cordubam *lib.*4. *q.*8. & Victoriam *relect. de potest. Papæ num.*6. *&* 15. Sed ex his Doctoribus, Rodriguez, citatur à Sanchez, *loc. cit. de Matrim.* pro sententia contraria, quam ibi tenuerat: & bene etiam; quia, contrarius sibi, expressè vtramque sententiam docet.

Qvæstio VI.

An Episcopus possit dispensare in præcepto ieiunij?

REspondeo: Posse cum hoc, vel illo. *Primò*. Quia ex praxi, & approbato vsu Ecclesiæ, constat, ad has particulares dispensationes, datam esse Episcopis talem potestatem. *Secundò*. Quia aliàs non esset satis prouisum fidelibus; si oporteret super his Romanum Pontificem adire, è quocumque etiam remotissimo loco. Patet; quia quando dispensatio veniret, iam esset transacta necessitas. Sic D. Thomas, 2.2.*q.* 147. *art.*4. & antea *in* 4. *dist.*16. *q.*3. *art.*2. *qu.*4. *ad* 3. Durand. ibi *q.*10. *num.*6. & alij Scholastici. Caiet. 2.2. *loc. cit. & in summ. verb. Ieiunium. cap.*3. Nauarr. *c.*21. *num.*20. *&* 21. Azor, *tom.*1. *lib.*7. *cap.*18. (*aliàs* 29.) *q.*2. Sotus, Medina, D. Anton. *Palud.* Host. Armilla, Tabiena, Syluest. Angles, Palat. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.*5. *num.*16. Bonacina *disp. vltim. de præc. Eccles. q.*1. *punct. vltim. num.*18. Reginald. *lib.* 4. *num.* 214. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*7. *num.*18. Fagundez, *de* 4. *præc. Eccles. lib.*1. *cap.*9. *n.*1. Pasqualig. *decis.* 384. & communis omnium.

Qvæstio VII.

An dispensatio in ieiunio, facta ab Episcopo, sine iusta causa, non solùm sit illicita, verùm inualida?

REspondeo: Etiam esse inualidam. Vnde, si Episcopus, vel alius Prælatus inferior Papa, aliquem à lege ieiunij eximat, sine causa, non solùm peccet mortaliter, sed etiam ipsa exemptio, aut dispensatio sit irrita, & inualida, ex defectu potestatis. Quia ea, quæ sunt iuris communis, non possunt Episcopi dispensare, sine iusta causa; quia excederent facultatem sibi commissam. Non enim data est illis à Papa, nisi sub conditione causæ iustæ, & sufficientis. Sic omnes Authores suprà adducti. Angel. *ver. dispensatio. num.* 3,

Syluest.

Syluest. q.3.num.5. Armilla, n.14. Sa, num.3. Nauarr. cap. 25. num.74. Sanchez, lib.8. de Matrim. disp.17. num.4. & lib.5. consil. cap.1. dub.5. num. 23.& penes illum, Innoc. Nicolaus, Curtius, Felin.Bald. Alex.Ripa, Couarru, Palat.& quidam alij docti Recentiores. Basil. lib.8.de Matrim. cap.14. num.8. Sancius, in select. disp.54.n.38. Vazquez, 1.2.disp.178.cap.3. n.17. Castro Palao 1. tom.tr. 3. de dispensatione leg. disp.6. punct.8.§.2. Pasq.decis. 383. à n.4. Salas, disp. 20. cit. num.31. & alij.

QVÆSTIO VIII.

An Episcopus possit abrogare legem localem ieiunij, latam à Concilio Prouinciali?

RESpondeo: Non posse illam abrogare; licèt possit in ea dispensare; sicut potest in lege ieiunij lata à iure communi. Ratio est. Quia inferior non potest abrogare legem Superioris: Sed sic est; quòd Concilium Prouinciale, est supra Episcopum; cùm illius iurisdictio extendatur per totam prouinciam, & etiam supra quemlibet seorsim ex illius Episcopis ergo. Sic communiter Doctores. Pasq.decis.384. n.2. & decis. 385.

QVÆSTIO IX.

An saltem, possit Episcopus abrogare legem ieiunij, latam à Synodo diœcesana?

RESpondeo: Posse. Quia lex diœcesanæ Synodi solùm habet vim, & vigorem ab Episcopo: ergo ab ipsomet potest abrogari. Et à fortiori, in ea cum aliquibus dispensare; etiam validè (non licitè, quamuis id faciat sine causa; vt ex suprà habitis, constat. Sic communiter Doctores. Nauarr. loco citato, Sanchez, de matrim. disput. cit. numero 53. & Consilus loc. cit. num. 33. Pasqualig. loc. cit. & alij. Qui idem dicunt, loquendo de lege propria ab Episcopo lata.

QVÆSTIO X.

An Parochus possit, absente Episcopo, iusta de causa in ieiunio dispensare?

NEgant Angel. v. Ieiun. n.20. Tabiena, n.15. Hostiens. & Butrius, in c. consilium. de obseruatione. & etiam, Palat. in 4. dist.15.disp.8.in fine. Licet anteà contrarium docuerit.

Sed certissimè Respondeo: Posse. Quia aliàs non esset prouisum sufficienter fidelibus pro omnibus suis necessitatibus, si absente Episcopo, aut eius Vicegerente, non haberent præsentem, qui in ieiunio posset cum eis, vrgente necessitate, dispensare. Sic tenent communiter Doctores, præsertim, quæstione sequenti, pro vtraque sententia citandi.

QVÆSTIO XI.

An etiam, præsente Episcopo, possit Parochus in ieiunio cum aliquibus, iusta de causa, dispensare?

NEgant (penes Pasqualigum) Graffis, 1.part.decis. lib. 2.cap.37.num.17. Gabriel, in 4. dist. 16.qu.3. art.1. notab. 5. Angles q.5. de ieiun. diff.4. in fin. Sà verb. Ieiunium num.9. Rodriguez, 1. part. sum. (non vt inuenies citatum apud ipsum Pasqualigum) c.24. num.4. Petrus Ledesma in summ. tract. 27. c.2. dub. 5. post 5. concl. ver. En esta difficultad digo lo primero. Vega 1. part. summ.c.14. casu 36. Moure, seu Fernandez, 2. part. summ. prac.2. Ecclesiæ c. 8. (non 7. vt citat Pasq.) §. 2. n.23. Hostiens. & Butrius loc.cit. His addit Sanchez vt infrà, Nauarr. Palud. D. Anton. Armillam, & Caietanum.

Sed probabilius Respondeo: Posse dispensare, etiam præsente Episcopo. Quia probabilius est; hanc iurisdictionem, consuetudine introductam, habere ad dispensandum in ieiunio, præsente, & consentiente ipso Episcopo. Sic Pasqualigus decis. 387. n.3. & 4. & penes ipsum, D. Thom. in 4. dist.15. q.3. articul. 2. ad. 3. Durand. q. 10. num. 6. Richard. art. 4. q.4. Palat. disp. 8. post 4. concl. (licèt postea contrarium docuerit, vt habitum est suprà q.10. Caiet. 2.2. q. 147. art.4. dub.1. & 1.2.q.97. art.4. Syluest. verb. Ieiunium, quæst.7. dicto 4. Rosella, num.16. Sotus lib.1. de iust. quæst. 7. articul. vltim. circa finem. Viuald. in Appen. ad candelab. cap.15. num. 57. Nauarr. c.21. num.21. Valentia, tom.3. disp. 9. quæst. 2. punct. 2. in fine. Suarez, lib.6. de legib.cap.14. in fine. Sanchez l.8. de Matrim.disp.9. num.27. & lib.5.consil.cap.1.dub.5. num.18. Molfesius 1. part. summ. tract.10.cap.4 n.52. Sancius in select. disp. 54. num.36. Bonacina disp. vltim. de precept. Ecclesiæ, quæst.1.punct.vltim. num.18. Trullench lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub.7. num. 18. Villalob.1. part. summ. tract.23. diff. 4. num.21. Ortiz in summ. cap.19. præcept.2. num.16. Azot 1. part.lib.7. c.18. (aliàs 29.) q.3. ver. Sed dubia. Fagundez prac.4. Eccles. lib. 1. cap.9. num.2. & Syluius 2.2. quæst.147. art.4.

Sed ex iis Authoribus, contrariam sententiam aperte tenet Fagundez, loco à Pasqualigo citato pro nostra; vt constat, ex Stephani Fagundij verbis: Prior (inquit) sententia, tantùm locum habebit, quando Episcopus facilè adiri possit, vt docet Azotius tom.1. lib.7. cap. 18. (aliàs 29.) quæst.3. Si enim facilè adiri potest, non potest Parochus tuto in hac re dispensare; & hoc est, inquit Azor, quod vsu, & consuetudine receptum est, vt Parochus dispenset quando Episcopus adiri facilè non potest. Hucvsque Fagundes ex Azorio. Illum ergo malè citat Paqualigus pro nostra sententia, & Fagundez malè citat Azorium, pro sua. Nam loc. cit. ver. Sed dubia, apertè docet hanc sententiam; licèt non ita consequenter. Item contrariam sententiam docet Nauarr. loc. cit. pro nostra; & ideò pro illa citatur à Sanchez de Matrim. loc. cit. num. 27. & ideò malè pro nostra à Pasqualigo citatur. Imò, & Bonacina in oppositum videtur inclinare, siquidem ex vna parte non cognoscit consuetudinem certam, quam Parochi ad dispensandum in ieiunio haberent, & ex altera, citat pro se Rodriguez, qui expressè primam sententiam tenet.

QVÆSTIO XII.

An non solùm Parochi, sed etiam eorum Vices gerentes, seu Vicarij, possint in ieiunio dispensare?

REspondeo: Posse; nisi aliàs, id ipsis à Parochis prohibeatur. Quia veluti Vicarij eorumdem Parochorum, exercent actus iurisdictionales parochiales: ergo, & hunc possunt exercere. Sic S[illegible]ez in consiliis num. 18. cit. & penes illum, Palatius, dicta disp. 8. num. 119. Sancius in select. loc. cit. Pasqualigus, loc.cit. num. 6. Qui num. 7. benè aduertit, quòd cum dicti Parochi, aut eorum Vicarij, non dispensent, quando in ieiunio dispensant, in lege propria, sed Superioris; oporteat, vt dispensatio concedatur ex

ex iuſta cauſa; alioquin, non ſolùm illicita, verùm inualida erit; quod ex dictis ſuprà etiam conſtat.

QVÆSTIO XIII.

An Superiores Regularium, poſſint cum ſuis ſubditis in Eccleſiaſtico ieiunio diſpenſare?

RESpondeo; poſſe dummodo ſubſit rationabilis cauſa. Ratio eſt: *Tum.* Quia aliàs non poſſent prouidere in neceſſariis ſuis ſubditis circa quos habent iuriſdictionem ſpiritualem. *Tum,* quia id conceſſit Eugenius IV. fratribus Ordinis D. Hieronymi, vt refert Tamburinus, citandus; quamuis hoc priuilegium, vt ipſe notat, non conferat Prælatis nouam iuriſdictionem, ſed ſolùm ſit declaratio quædam iuriſdictionis, quam habent. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. & *in ſum. verb. Ieiunium, cap.* 3. Syluest. *eo ver. num.* 20. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 21. Angles *q.* 5. *de ieiunio diff.* 3. Fagundez *de* 4. *præcept. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 12. *q.* 1. *num.* 1. Rodriguez *in ſumm.* 1. *part. cap.* 24. *num.* 4. Hieron. Rodriguez *in Compendio Regul. Reſol.* 75. *num.* 2. Miranda, *tom.* 2. *Man. Prælat. q.* 30. *art.* 11. *concl.* 2. Bordonus *in conſil. Regul. Reſol.* 8. *num.* 7. Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 19. & 20. Ledeſma, Villalob. Lezana, Trullench, & alij, quos citat, & ſequitur Paſqualigus *deciſ.* 388. Quibus addi poſſunt Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 28. (aliàs 29.) *q.* 6. & alij. Qui benè notant, nomine Superiorum venire, in hac parte, non ſolùm Generales, & Prouinciales; ſed etiam Abbates, Miniſtros, Priores, & alios ſuperiores locales, qui toti conuentui, aut Monaſterio præſunt. Quia omnes iſti ſunt veri Prælati.

QVÆSTIO XIV.

An etiam Vicarij Superiorum localium, poſſint diſpenſare ſuos Religioſos in ieiunio?

RESpondeo: poſſe diſpenſare, in abſentia Superiorum localium: quia tunc horum funguntur vicibus; & eamdem authoritatem, & poteſtatem habent. Sic ſentiunt Sanchez, Azor, Fagundez, & Bordon. *loc. cit.* Villalob. *tract.* 23. *diff.* 4. *n.* 23. & Paſqualig. *loc. cit. n.* 4. Addens, quòd non ſolùm poſſint diſpenſare in ieiunio in abſentia Superiorum localium, verumetiam in ipſorum præſentia, caſu, quo id eis indulgeant, vt contingit in Vicariis Epiſcoporum.

QVÆSTIO XV.

An vt Superiores Regulares poſſint, non ſolùm licitè, ſed etiam validè, diſpenſare in ieiunijs, tam Eccleſiæ, quàm Regulæ, requiratur iuſta cauſa?

RESpondeo: Tanquam certum: Requiri. Quia lex de ieiunio, ſiue Eccleſiæ ſit, ſiue Regulæ, ſiue conſtitutionis, factæ à capitulo Generali, eſt lex Superioris: at in hac, non poſſunt Prælati inferiores, diſpenſare: niſi adſit iuſta cauſa, licitè, nec validè, vt ex [illegible] dictis *q.* 7. conſtat; & expreſsè habetur in noſtra propria Regula data ab Innocentio III. *anno* 1198. cap. 15. vbi loquendo de ieiuniis indictis, tam ab Eccleſia quàm à Regula. Sic dicitur: *Poſſit tamen quandoque Miniſter ieiunium relaxare, propter ætatem, vel viam, vel aliam iuſtam cauſam.* &c. Sic Paſqualigus. *loc. cit. à num.* 5.

QVÆSTIO XVI.

An Confeſſarius poſſit (iuſta interueniente cauſa) diſpenſare in ieiunio, ſaltem caſu, quo Parochus non poſſit facilè adiri?

AFfirmant: poſſe in prædicto caſu diſpenſare. Roſella. *verb. Ieiunium numero* 26. & Palatius *in* 4. *diſt.* 15. *diſput.* 8. *poſt* 4. *concl. ver. præſente igitur.* Quia (inquiunt) talis Confeſſarius, ſi eſt electus facultate Apoſtolica, habet vicem Curati.

Sed, tanquam certum, Reſpondeo: Non poſſe, adhuc caſu, quo Parochus non poſſit adiri. Quia diſpenſatio in ieiunio, eſt actus iuriſdictionis exterioris: Sed hanc non habet Confeſſarius, quantumuis ſit electus facultate Apoſtolica: ergo. Sic communiter Doctores, Azor 1. *part. lib.* 7. *cap.* 28. (& aliàs 29.) *quæſt.* 4. & 5. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſputat.* 9. *numero* 27. & *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 5. *numero* 18. & 29. Fagundez *loc. cit. num.* 3. Bonac. *diſput. vltim. præcept. Eccl. ſ. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 18. Paſqualigus *deciſ.* 389. & alij. Poteſt tamen Confeſſarius declarare, an cauſa ſit iuſta, & ſufficiens ad non ieiunandum, vt ſtatim dicam.

QVÆSTIO XVII.

An ſolius Confeſſarij, vel Medici, vel alterius viri prudentis conſilium, ſufficiat, vt quis à lege ieiunij liberetur?

RESpondeo: Sufficere. Sic Angles *quæſt.* 5. *de ieiun. dub.* 1. *propoſitione* 2. per hæc verba: Si certum non ſit, cauſam ſufficientem ſubſiſtere, ſatis erit homini dubitanti viros peritos, & fide dignos audire: & re illis expoſita, ſi declarauerint cauſam ſufficere, poterit ſine Superiorum diſpenſatione, eorum iudicio ſe ſummittere: Viri autem fide digni, citra Prælatum, quorum iudicio dubitans ſe poterit confirmare, ſunt proprius Sacerdos, ſi doctus ſit, aut Medicus, ſi cauſa morbi ſit, aut vir doctus, ac litteratus in huiuſmodi caſibus inſtructus. Sic ille. Azor etiam, Bonac. Fagundez, Sanchez, Trullench, Paſqualigus *loc. citatis.*

QVÆSTIO XVIII.

An Abbatiſſæ, & aliæ Monialium Superiores, poſſint in ieiunio Moniales diſpenſare?

AFfirmant Henriquez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. per hæc verba: Abbatiſſa verò in Moniales ſubditas ex commiſſione Prælati habet aliqualem vſum clauium, vt eas dignè gubernet, corrigat, puniat: & vt vota quædam Monialium irritet, diſpenſetque cum illis in ieiuniis, & quibuſdam legibus Eccleſiaſticis, dum cauſa vrget, &c. Ita ille.

Sed vt certiſſimum Reſpondeo: Non poſſe. Quia (vt ſuprà eſt habitum) ad diſpenſandum requiritur iuriſdictio ſpiritualis: at ſic eſt, quòd fœminæ ſunt incapaces talis iuriſdictionis: ergo. Sic Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 14. Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *numero* 37. Portel. *in dubitat. Regul. ver. Abbatiſſa num.* 3. Barboſa *de iure Eccleſ. cap.* 45. *numero* 39. Tamburinus *de iure Abbat. diſput.* 32. *quæſt.* 10. Lezana *ver. Abbatiſſa num.* 14. Paſqualig. *deciſ.* 391. & alij.

QVÆ

QVÆSTIO XIX.

An saltem, possit Abbatissa declarare, quando Moniales obligentur, vel non obligentur ad ieiunium?

RESpondeo: Posse. Et ita præsupposita eius declaratione de non tentione, aut obligatione ad ieiunium, tutò poterunt Moniales non ieiunare. Ratio conclusionis est. Tum, quia ad Abbatissam pertinet directio Monialium: ergo debent habere sufficientem facultatem, pro munere proprio, quod non saluaretur; si ad minùs, non possent declarare, vtendo in hoc, iudicio prudentiali, quando Moniales teneantur ad ieiunium, & quando non. Tum etiam, quia ad id saltem, fuit concessum priuilegium à Paulo III. Abbatissæ S. Claræ, cuius meminere Rodriguez *collect. Bullar.* & Portel *loco. citat.* Sic ipse, Sancius, Lezana, & Pasqualigus *locis citatis.*

QVÆSTIO XX.

An dispensatio facta ab inferioribus Prælatis, in ieiuniis indictis à Superioribus, sit vera, & simpliciter dispensatio: an verò, sola declaratio, aut interpretatio?

NEgant, esse veram dispensationem (existimantes tantùm esse veram declarationem, quod in tali casu lex ieiunij non obliget) Petr. Ledesma *tract. 27. cap. 2. du'. 3. post. 5. conclus. ver. En esta dificultad digo lo primero.* Vega 1. *p. cap.* 14. *casu* 36. Angles *quæst. 5. de ieiun. diffic. 3. concl. 1. & 2.* Quoniam dispensatio verá, & propria est eiusdem potestatis, cuius est condere leges: ergo quando lex ieiunij est condita à prælato Superiori habente supremam potestatem, non poterunt prælati inferiores, in tali lege ieiunij, dispensare; sed solùm declarare, & authoritatiuè, interpretari legem non obligare, videlicet, hunc, qui ad dispensationem accedit.

Sed probabiliùs Respondeo: Esse veram, & simpliciter dispensationem. Quia, licèt dispensari, sit eius, qui potest condere leges, & ideò inferiores, attenta eorum sola potestate, nec dispensare nec relaxare possint leges Superiorum; possunt tamen ex præsumpta voluntate ipsorum; eo quod censeatur ipsis hoc concessum, & attributa sufficiens iurisdictio, qua lex ieiunij dispensatur, quando adest iusta causa. Ex quo, solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Sic Sanchez, *lib. 8. de Matrim. disp 9. num. 27.* Sancius *in select. disp. 54. n. 37.* Toletus *lib. 6. c. 4. n. 5.* Pasqualig. *decis. 390.* Rodrig. *tom. 1. sum. c. 24. n. 4.* & alij.

QVÆSTIO XXI.

An possit Prælatus dispensare in ieiunio, quando dubium est, an detur causa sufficiens ad soluendum ieiunium?

REspondeo: Tanquam certum. Posse. Quia dispensatio debet aliquid operari: at si requireretur causa certa ad soluendum ieiunium nihil operaretur, cùm tunc, absque dispensatione, cesset obligatio legis: ergo sufficit ad dispensandum, dubia causa. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art. 4. in corpore.* Caiet. *ibi dub.* 1. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 20. Sanchez *libro 5. consil. cap. 1. dub. 6. num. 2.* Filliuc. Fagundez, Trullench, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 396. num. 1. & 2.*

QVÆSTIO XXII.

An etiam possit Prælatus in ieiunio dispensare, quando dubium est, an detur causa sufficiens ad dispensandum in ieiunio?

NEgant ex parte, Nauarr. *cap. 21. cit. num.* 22. Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 5. numer.* 26. Medina *lib. 1. summ. cap.* 14. §. 10. Lezana *verb. Ieiunium, nu.* 10. & Trullench, *lib. 3 in Decalog. cap. 2. dub. 7. num.* 19. Quatenus docent, quòd in dicto casu debeat Prælatus partim in ieiunio dispensare, & partim illud in aliud opus bonum commutare. Ita namque ait Sanchez, *loc. cit.* Hinc infertur minùs bene, & minùs prudenter agere Prælatos, qui subditos recurrentes ad eos in suis dubiis pro dispensatione, nolunt consolari: siquidem tutâ conscientia hoc possunt facere, vel dispensando omnino si causa est omnino sufficiens: vel si non est omnino sufficiens, dispensando partim, & partim commutando. Ita ille.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse in dicto casu, absolutè in lege ieiunij, etiamsi indita sit à Superiori Prælato, dispensare. Quia stante dubio, de sufficienti causa ad dispensandum; stat etiam dubium an Prælatus possit dispensare: ergo cùm hic sit in possessione dispensatiuæ potestatis, & in dubio fauendum sit possessori, dicendum est, quòd tunc habeat potestatem & consequenter: quòd dispensare possit. Sic omnino Pasqualig. *loc. cit. nu. 4. & 5.* & Azor, statim citandus, Quintanaduеñas *de Iubilæo, c. 8. n.* 15.

QVÆSTIO XXIII.

An Prælati debeant, se præbere benignos, & faciles cum suis subditis petentibus dispensationem in ieiunio?

REspondeo: Omnino debere; licèt ipsimet Prælati, circa seipsos seueriores debeant esse. Nam *Primum*, est spiritus fraternæ charitatis, & misericordiæ; *Secundum* verò, spiritus prudentiæ vigilantis, contra carnem. Sic Sanchez *loc. cit.* & penes illum, Medina *lib. 1. summ. cap. 14. §. 10.* Angles. *quæst. 5. de ieiun. diff. 4. Append. 1. & dub. 1. propositione* 3. Caiet. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. *dub.* 1. & Nauarr. *cap.* 21. *num* 22. (aliàs 20.) & ex vtroque Azorius *lib. 7. cit. quæst.* 18. (aliàs 29.) *quæst.* 6. vbi sic ait: Prælatus in hac parte scrupulosus non sit; nec rem in subditi conscientiam reiiciat, nec eius arbitrio relinquat: Sed subditum lege ieiunij soluat, quando id subditus petit, & dubia, & incerta causa videtur; nam si soluit, nulli se periculo peccati obiicit; quia potestate sua vtitur relaxando. Si autem subditum lege ieiunij non soluit in causa dubia, & incerta, sed rem subditi arbitrio relinquit, ipsum subditum exponit periculo peccati, & erroris, & fraudis. Sic ille. & idem docent Ledesma, Villalob. Rodriguez & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis. 396. numer. 6.* & ante illum, Graffius *lib. 2. decis. aurear. cap. 36. numer.* 52. ibi: Sed potiùs debent eis compati, & benignè dispensando à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud opus pium commutare, veluti, in septem psalmos, aut aliquid aliud. Sic ille.

QVÆSTIO XXIV.

An Prælatus, teneatur dispensare in ieiunio, toties, quoties, ex rationabili causa, petitur in illo dispensatio?

AFfirmant (loquẽdo generaliter de dispensatione) Rosella *ver. dispensat. n. 4.* Syluest. *q. 1 in fine.*

Armilla *num.*14. Sà *num.*2. *dicens. Cum subest causa dispensandi, videtur peccare Prælatus, qui potest, si non dispenset.* Sancius *in selectis disp.*43. *numer.*8. §. *Praterea.* Anton. Cardin. Rebuff.& alij, penes Sanchez,& Salas, *infrà citandi.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non teneri semper, ad dispensandum. *Primò.* Quia ad id, nec ex præcepto positiuo, nec naturali, nec ex aliquo alio, tenetur: ergo. *Secundò.* Quia in iure, dispensatio appellatur *gratia cap. licet Canon. de elect. in* 6. & etiam appellatur *indulgentia & misericordia, cap.* 1. *de statu Monach.* & cap. *Postulasti, de Cleri. excom. ministrante.* Sed gratia, indulgentia,& misericordia, est indebita: ergo. Sic (loquendo in genere de dispensatione) tenent Archidiac. Turrecrem. Dominic. Francus, Decius, Felinus,& alij, quos citat,& sequitur Sanchez, *lib.*3. *de matrim. disp.*10. *num.*3. & 26. Salas, *de legib. disp.*20. *sect.*7. *numer.*70. (non 7. vt inuenies apud Pasqualig.) Suarez *de legib. lib.*6. *cap.*18. *numer.*22. Basil. *lib.*8. *de Matrim. cap.* 14. *num.* 6. Castro Palao, 1. *p. tract.*3. *de dispensatione legis, dis.*6. *punct.*8. §. 2. *num.*9. Pasqualig. *decis.*397. & alij.

Qvæstio XXV.

An saltem in aliquibus casibus, teneatur Superior, seu Prælatus, dispensare aliquem in lege ieiunij?

RESpondeo: Teneri sub peccato in aliquibus casibus dispensare. *Primus* fit, quando causa non ieiunandi, est ita euidens,& certa, vt de se soluat obligationem ieiunij; tunc enim, tenetur Superior dispensare; aut, vt melius dicam, declarare, saltem pro exteriori apparentia, ad tollendas murmurationes,& praua iudicia, quòd non obliget ieiunium. Ita Menchaca, *controuer. illustr. cap.*25. *num.*8. Pasqualig. *decis.*399. *num.*3. & omnes.

Secundus casus fit, Quando in petente, ex iusta causa, dispensationem, est periculum violandi ieiunium. Tunc namque Prælatus, ex charitate saltem, tenetur illum à ieiunio dispensare. Sic in specie de ieiunio loquendo, tenet Pasqualig. *loc. cit. num.*5. & loquendo de dispensatione in genere. Salas, *de legib. disp.*20. *sect.*7. *num.*74. Vbi, de alijs agit casibus.

Qvæstio XXVI.

An vtens dispensatione in ieiunio illicitè, sed validè concessa à Superiori; peccet, saltem venialiter?

NEgant peccare, nec venialiter, Sylnest. *v. dispensatio*, *q.*3. *nu.*5. Angel. *n.*3. Vasquez, 1.2. *disp.*178. *cap.*4. Suarez, *lib.*9. *de leg. cap.*19. *n.*14. Salas, *disp.*20. *sect.* 6. *numer.*60. Basilius, *lib.*8. *de Matrim. cap.* 14. *num.*5. Castro Palao *disput.*6. *cit. punct.*8. §. 1. *num.*8. Diana 1. *p. tract.*10. *resol.*35. Aragon, Viuald. & alij, quos citat, & sequitur Pasqualig. *decis.* 392. *num.*3. Quia inquiunt per dispensationem, verè est ablata lex ieiunij; ergo dispensatus, nequit, nec venialiter peccare, non seruando illam.

Affirmant verò è contrà, peccare non solùm venialiter, sed etiam mortaliter P. Ledesma, 1. *p. sum. vbi de Matrim. cap.*27. *diff.*1. *post* 4. *concl.*& alij apud Pasqualigum, *loc. cit. num.*1.

Sed ego probabiliùs Respondeo: Peccare: sed solùm venialiter. *Prima pars*, probatur; Quia Superior dispensando legem propriam, sine causa, peccat mort. ergo, & subditus, quamuis in ea dispensatus validè, peccabit saltem venialiter. *Secunda verò pars*, etiam probatur. Quia subditus, adhuc in lege dispensatus, ideò peccat, non seruando legem; quia absque vlla causa, non conformatur præcisè suo toti; at hæc in dispensato non est grauis iniuria: ergo. Sic Nauarr. *prælud.*9. *num.*14. *aliàs* 11. Quidquid Salas pro se illum citet, Sotus, *lib.*1. *de iust. q.*7. *art.*3. Couarr. 4. *decret. p.*2. *c.*6. §. 9. *num.*7. & 8. Gallego, *de cognat. spirit. c.*21. *n.*9. Corduba, *lib.*4. *q.*8. *col. pen.* Valentia, *tom.*3. *disp.*7. *q.*5. *punct.*9. *in fine.* Philiarc. *tom.*1. *de off. Sacerd. p.*2. *lib.*3. *cap.*4. Rodriguez, *in q. Regul. q.*46. *art.*1. quos omnes pro hac parte citat, & sequitur Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. disp.*18. *num.*11. & 22. & *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.*5. *n.*11. & 12. Sic etiam Amicus, *tom.*5. *de iure, & iust. disp.*6. *sect.*7. *n.*109. & penes ipsum, Caiet. 1.2. *q.*96. *art.*5. §. *Ad hoc dubium*, & Syluius, 1.2. *q.*97. *art.*4.

Qvæstio XXVII.

An saltem peccet mortaliter, vtens dispensatione, in ieiunio, inualidè concessa?

REspondeo Tanquam certum: Peccare mortaliter; nisi aliàs, vtens putaret, bona fide, esse veram dispensationem. Ratio est. Quia dispensatio inualida non tollit obligationem legis: ergo contra legem faciet, qui vtitur tali dispensatione. Sic Sanchez, *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*5. *n.*24 & omnes Doctores citati pro sententiis omnibus, quæst. præcedenti, relatis. Secus dicendum est in casu, quo quis vteretur dispensatione, de qua dubitatur, an fuerit validè concessa. Quia tunc licitè posset dispensatus ea vti. Quia in dubio semper est præsumendum pro Principe dispensante. Sic Sanchez, *dub.*5. *cit. num.*10. Diana, 4. *p. tract.*3. *resol.*45. Trulleneh, *lib.*3. *in Decalog. cap.*2. *dub.*7. *numer.* 18. Pasqualig. *decis.* 494. & alij penes ipsum.

Qvæstio XXVIII.

An quando Prælatus inferior dispensat in Superioris lege de ieiunio, ex iusta causa; possit imponere aliquod onus dispensato?

REspondeo Negatiuè. Quia non habet inferior potestatem concessam à Superiori, ad substituendam aliam obligationem pro ieiunio, sed solùm ad concedendam gratiam, seu dispensationem, quando iudicat esse concedendam. Vnde si ab huiusmodi inferiori grauatur dispensatus aliquo onere, fieret illi iniuria. Sic Sancius *in select. disput.* 54. *numer.*40. Sanchez, *lib.*3. *de matrim. disp.*10. *numer.*9. Castro Palao, *disp.*6. *cit. punct.*9. *num.*4. Pasqualig. *decis.*398. & alij communiter.

Qvæstio XXIX.

An saltem, quando ipsemet Legislator dispensat in lege ieiunij, possit imponere aliquod onus dispensato?

NEgat adhuc Sancius *loc. cit.* citans Filliuc. *tract.* 27. 2. *p. cap.*7. *num.*129.

Sed clariùs sub distinctione, sic Respondeo dicendum, quòd dispensatio, quæ fit à proprio Legislatore, est debita, vel non, sed gratiosa. Si debita, debet gratis, & sine nouo onere petenti concedi; nam aliàs fieret illi iniuria: Si non est debita, sed gratiosa, optimè poterit illi à Legislatore imponi aliquod onus: quia cùm nō teneatur ad dispensandam legem, & eius obligationem relaxare, poterit id cum aliquo

compen

compensare oocre. Sic Suarez, *lib.6.de legib.c.16. initio.* Castro Palao, *punct.9.cit.nu.3.* Pasqual. *decis.* 398. Qui dicit, hoc solum voluisse Fillincium citatum pro se à Sancio.

QVÆSTIO XXX.

An si Superior dicat alicui, quod non ieiunet; censeatur dispensare cum illo, in ieiunio?

REspondeo; Affirmatiuè. Quia noo est præsumendum, quòd superior vellet inducere ad peccatum, vt re vera faceret, si non dispensaret. Sic Lopez, *p.1.instruct.c.4.* Rodriguez, *1.p.summ.cap.24.n.7.* Ledesma, *p.2.summ.tr.27.c.2.diff.2.post 5.concl.ver.Digo lo quarto.* Pasq. *decis.*403. per totam, & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An qui potest dispensare in praecepto ieiunij, possit etiam dispensare in praecepto abstinentia à carnibus, & lacticiniis?

REspondeo: Posse. Quia qui est Superior in ordine ad relaxationem ieiunij, est superior etiam ad omnia quæ sunt annexa ieiunio: ergo, qui primum potest, etiam secundum: & ideò, quæ dicta sunt de dispensatione in ieiunio, in superioribus quæstionibus; eodem pacto proportionabiliter sunt intelligenda, & applicanda pro dispensatione carnium, lacticiniorum, & ouorum, necnon, & pro dispensatione præueniendi horam in die ieiunij. Sic Sanchez, *lib.5. consil.c.1.dub.5.n.21.* Syluest. *verb. ieiun.n.7. in fine,* & Caiet. 2.2. *p.147. art.4. dub.1.* penes ipsum. Quintaaduεñas *de Iul.c.8.n.15* Pasq. *decis.*404. & penes ipsum, Ioan. Sanchez, & Palat. Aduertentes tamen, quòd maior causa, requiratur ad dispensandum in abstinentia à carnibus quàm in ieiunio, & ideò plures causæ, quæ soluunt obligationem ieiunij, aut sufficiunt ad dispensandum, non soluunt obligationem abstinentiæ a carnibus, nec per se sufficiunt ad dispensationem; vt labor corporalis, &c.

QVÆSTIO XXXII.

An difficultas, in ieiunando, sit sufficiens causa ad dispensandum in ieiunio?

NEgat, Angles *q.5.de ieiun.diff.4.dub.2. propositione 2.* per hæc verba: Neque prætextu magnæ difficultatis, quam imperfecti sentiunt, minuendum est ieiunium, aut cum illis dispensandum. Ratio est: quoniam huiusmodi difficultates assiduitate mollescunt, & perseuerantia vincuntur. Ita ille. Et ex illo Ludou. de S. Ioan. *quæst. de Ieiun. art.6. diff.2. dub.3. concl.2.*

Sed probabiliùs Respondeo, esse sufficientem causam ad dispensandum. Quia, vt habeat locum dispensatio in lege ex rationabili causa, sufficit, quòd obseruantia legis euadat onerosior consueto; vt probat Pasqual. *decis.*407. ex Sanchez *lib.5. consil.cap.1. dub.6.n.2.* Sed sic est quòd lex ieiunij prædictis, est valde onerosa, & longè quàm cæteris: ergo sufficientem causam habent, vt illi in ieiunio dispensentur. Sic Sà, *verb.Ieiunium, num.10.* Ita dicens: *Dispensandi causa iusta est, magna in ieiunando difficultas.* Medina *C. de ieiun.q.9.v. Ad hoc breuiter.* Ortiz, *in summ. cap.19.prac.2.n.13.* Pasqual. *decis.*408.

R. P. Leand. in V. Pracept. Eccles.

QVÆSTIO XXXIII.

An tota communitas possit dispensari in ieiunio, & cibis vetitis?

REspondeo: Posse, dummodo iusta, & rationabilis causa dispensandi detur respectu totius communitatis; vt contingere potest ratione penuriæ, pestilentiæ, aut alterius causæ. Quia, si, existente iusta causa, potest dispensari particularis in dictis præceptis, vt suprà est habitum: ita eodem modo poterit tota communitas, existente eadem causa; cùm militet eadem ratio. Sic Palat. *in 4.dist.15.disp.8.post.4.concl. §. obseruandum est.* Vbi affirmat illo anoo, quo scribebat, Lusitanos dispensatos fuisse, vt ederent carnes in Quadragesima. Sanchez, *lib.5.consil.cap.1.dub.6.nu.4.* Layman, *lib.4.tr.8.c.3.n.8.* & Pasqualig. *decis.*410. Vbi bene aduertit, quod vt causa dicatur communis toti communitati, non sit necessarium, quòd sit communis omnibus, & singulis; sed sufficiat, quòd si communis maiori parti. Et ita facta dispensatione pro tota communitate, poterunt de illa gaudere omnes, qui sunt de illa communitate; etiam illi, in quibus seorsim non detur causa dispensationis.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui potest dispensare alios in ieiunio, per propriam legem, instituto; possit etiam dispensare seipsum in tali ieiunij lege?

NEgant Anton. Alex. de Neuo, Beroius, Decius, & alij, quos pro hac parte refert Pasqualigus, *decis.412.num.2.* eo quod nemo possit in seipsum exercere iurisdictionem. His fauet Suarez, *tom.1. de Relig. lib. 6. de voto cap. 11.* quatenus id solùm Summo Pontifici, non aliis Prælatis inferioribus, coocedit.

Sed certissimè ferè Respondeo: Posse (quicumque sit Legislator) in propria lege ieiunij, secum dispensare; sicut cum aliis potest. Quia Legislator habet potestatem relaxandi, tollendive legem propriam, vtpotè ab illius voluntate pendentem; vt suprà est habitum: ergo sicut potest illam tollere ad libitum (modo suprà habito) respectu aliorum, ita potest in ordine ad seipsum. Nam licèt iurisdictionem in ordine ad actus iustitiæ oon possit quis exercere circa seipsum; potest tamen iurisdictionem in ordine ad actus legales, vt optimè probat Pasqual. *loc.cit.n.5.& 6.* Sic ille ibi, & penes ipsum, Caiet. *2.2.qu.6.art.5.* Corduba *lib.5.q.31.* Bonac. *disp.1. de leg. q.2.punct.1.n.9.* Filliuc. *tr.10.p.2.n.295.* & etiam Suarez, *lib.6. de legib.c.12. n.11.* Vbi id esse extra controuersiam affirmat. Citat etiam pro hac parte Anton. & Alex. de Neuo, quos pro priori senteotia citauerat.

QVÆSTIO XXXV.

An qui potest dispensare cum aliis, in lege ieiunij imposita à Superiori, possit etiam cum seipso?

NEgant Doctores citati, pro prima sententia, necnon, apud Pasqual. Palud. *in 4. dist.38. q.4.art.4.* Rodriguez, *tom.1. q. Regul. q.45. art. vltim.* Hieron. Rodriguez, *in Compend.quæst.Regul. Resol.12.num.39.* Azor, *1.part. lib.5.c.15.q.6. in fine.* Miranda, *in Man. tom.2.q.31.art.3.* Corduba, Decius, & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse etiam. Quia aliàs potentes dispensare cum aliis, essent deterioris conditionis, quàm cæteri cum quibus dispensant. Sic

expreſsè Azor (loquens ſpecialiter de ieiunio) *lib.7. cap.18.q.6.* per hæc verba: Si quæras, an huiuſmodi Prælati, & Præfecti, poſſint, iuſta ex cauſa, ſeipſos lege ieiuniorum ſoluere in his caſibus, in quibus poſſunt alios ſibi ſubiectos, Reſpondeo, poſſe; id enim colligitur ex Syluestro, *in v.lex.quæſt.*14. & ex Soto *in 4. diſt.* 18. *quæſt.*1. *artic.* 3. *& libro* 1. *de iuſt. quæſt.*6. *artic.*1.*ad finem*, Caiet.1.2. *quæſt.*96. *artic.*5. *dub.vlt.* Nam quamuis nemo in ſe ipſum, alioqui iuriſdictione vti queat, in hoc tamen vti poteſt, quia ſibi permittitur, ne ſit deterioris conditionis, quàm alij. Sic Azor iam ſibi contrarius, niſi differentiam aliquam inueniat inter diſpenſationem voti, de qua loquitur, loco pro priori ſententia citato, & inter diſpenſationem legis ieiunij, de qua, quæ relata ſunt verba, habet. Sic, ante ipſum, docuit etiam D. Thom. 2. 2. *quæſt.*185. *artic.*8. *in corp.* Sanchez, *lib.*8.*de Matrim.diſput.*3. *numer.*8. *& in ſumm. libro* 4. *cap.*37. *numer.*45. Baſilius, *lib.*8.*de Matrim.cap.*4. *numero* 9. Salas, *diſput.* 20. *de leg.ſect.* 12. *numer.*105. Caſtro Palao, 1.*p. oper. Moral. diſput.* 5. *de diſpenſatione legis, punct.*7.§.1.*numer.*2. Villalob. *tract.*23. *diffic.*4.*num.* 23. Diana, 1.*p.tract.*9. *Reſol.*15. Paſqualigus, *deciſ.*413.*n.*2. & alij. Sic etiam Rodriguez, 2. *p. ſumm.cap.*32. *num.*4. iam ſibi contrarius, vbi pro hac parte citat Cordubam, eodem loco, quo Paſqualigus citat pro contraria, nempe *in addit. ad compend.priuileg.verb. Accedere tit.*13.& eſt communis.

Qvæstio XXXVI.

An qui poteſt cum aliis diſpenſare in lege ieiunij; poſſit committere alteri iuriſdictionem, vt ſecum diſpenſet?

NEgat Suarez, *tom.*2.*de Relig.lib.*6.*de voto,cap.*11. *num.*4. Syluest. *v. Votum* 4.*q.*3.*verſ.Vndecimum.* Angel.*eo.v.num.* & alij penes ipſum.

Sed probabiliùs longè, Reſpondeo: Poſſe. Quia ſi poteſt diſpenſare cum ſe ipſo, vt quæſtione præcedenti eſt habitum, à fortiori poterit committere alteri ſuam iuriſdictionem, vt ſecum diſpenſet. Sic omnes DD. citati nuper pro noſtra ſententia; præcipuè Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. diſput.* 3. (non 11. vt inuenies apud Paſqualigum) *numer.*3.*& in ſumm. lib.*4.*cap.*37.*numer.*42. & penes ipſum, Palud. D. Anton. Henriquez, Saytus, & alij, inter quos, citat etiam pro hac parte Syluestrum, *ver. Confeſſor.*1.*qu.*9. & Angelum, *v. Confeſſio* 3.*num.*7. Sic etiam Baſilius, *lib.*8. *de Matrim. cap.*4.*num.*9. Paſqualig. *deciſ.* 411. & alij penes ipſum.

Qvæstio XXXVII.

An habentes iuriſdictionem delegatam diſpenſandi in ieiunio in vniuerſum, cum aliqua communitate, cuius ipſi ſunt partes; poſſint ſecum diſpenſare?

REſpondeo tanquam certum: Poſſe. Tum quia illa poteſtas delegata, nō eſt limitata. Tum, quia aliàs eſſent peioris conditionis, quàm cæteri. Sic Sanchez, *lib.*8. *de matrim. diſp.*3. *num.*9.*&* 10. *& lib.*4. *ſumma, c.*37. *n.*45. Qui ſecus dicit dicendum, caſu quo haberent limitatam poteſtatem diſpenſandi, cum certis perſonis, aut cum certo perſonarum numero (de qua limitatione egimus, 1.*p.tr.*5.*diſp.*12.*q.*45. *in ſimili.*) Rodriguez, 2. *tom.ſum.c.*30. *aliàs* 32.*n.*4. Salas *diſp.*20.*de legib.ſect.*12.*n.*105. Miranda, *tom.*2. *Man. Prælat. q.*31. *art.*5. quos citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.*414. & communis.

Qvæstio XXXVIII.

An Prælati Regulares, poſſint diſpenſare ſeipſos in ieiunio; quando poſſunt alios?

NEgant Collector priuileg. Medican *v. Accedere ad Monaſteria, q.vltim.* & Rodriguez *tom.*2. *qq.Regul. qu.*54.*art. vltim.* Ducti ex quodam priuilegio Eugenij VI. conceſſo Patribus S. Hieronymi, in quo conceditur, quòd Prior, & Vicarius, poſſint obtinere licentiam à Confeſſario non ieiunandi: ergo ſi poſſent ſe ipſos diſpenſare, non indigerent tali priuilegio.

Sed probabiliùs Reſpondeo; Poſſe. Quia ſi cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſunt, à fortiori ſecum: aliàs eſſent peioris conditionis. Sic Sanchez, *loc. cit. de Matrim.concl.*4. *num.* 9. & penes illum Sà, *v. Religioſus, numer.*47. Azor, *lib.*7.*cit.cap.*29. (aliàs 18.) *quæſt.*6. Armilla, Molina, & Rodriguez, Fagundez *de* 4.*præc. lib.*1. *cap.*9.*num.*6. & penes ipſum, Caiet. Sotus, & Syluest. Miranda *loc.cit.* Lezana, *verb. Ieiunium, num.*10. Paſqual. *deciſ* 415. & alij. Nec obſtat priuilegium adductum pro oppoſita parte. Quia licet non ſit neceſſarium, eſt tamen vtile pro ſedandis conſcientiis ſcrupuloſorum.

Qvæstio XXXIX.

An ieiunia, à Pontifice, vel à iure communi indicta pro certis diebus, poſſint transferri ab Epiſcopis, ex rationabili cauſa in alios dies?

NEgare videtur Bonacin. *diſput.vltim. de præcept. Eccleſ. qu.*1.*punct. vltim. num.*18. Vbi ſic ait: Quanquam Caietan. *verb. Ieiun. cap.*3. Syluest. *q.*7. Reginald. *lib.*4.*num.*224. Mald. *v. Ieiun. num.*7. putant Epiſcopum poſſe ieiunium, ab vno die in alium transferre, vt ſi ieiunium vigiliæ S. Ioannis incidat in feſtum Corporis Christi, poteſt illud transferre in diem præcedentem. Sed hoc ego non facilè admiſerim, exceptis caſibus particularibus, vt docui de diſpenſatione, & excepto priuilegio.

Sed abſolutè Reſpondeo: Poſſe, interueniente iuſta cauſa. *Primò.* Quia id ex praxi conſtat, vt probant Azor, & Fagundez citandi. *Secundò.* Quia id colligitur ex iure Canonico, imo, & præſtat, *cap. concilium, de obſeruat. ieiun.* Vbi ieiunium incidens in Dominicā, anticipatur in Sabbato. Vnde quamuis ea, quæ ſunt determinata à Superiori non relinquantur abſolutè diſpoſitioni inferioris, & ideò quæ ſunt iuris canonici, non relinquatur diſpoſitioni Epiſcoporum abſolutè; committitur tamen ipſis executio eorum, vt colligitur ex iure. cap. citato, & ita quando prudentia id exigit, poſſunt facere quod exequatur in vno tempore, quod eſſet in alio exequendum. Sic Innoc. *in Rubr. de obſeruat. ieiun.* Caietan. *in ſumm. verb Ieiun. cap.*3. Armilla, *numer.*6. Nauarr. *cap.*21. *numer.*11. Azor, *lib.*7.*cap.*18.*quæſt.*5. Fagundez, *de* 4.*præcept. Eccleſ. lib.*1. *cap.*9. *numero* 4. Sà, *verb. Ieiun. num.*5. vbi abſolutè dicit ſic: cùm vigilia incidit in feſtum ſolenne, pridie eius diei ieiunandum. Trullench *lib.*3.*in Decalog. cap.* 2. *dub.*7. *num.*21. Syluius, Layman, Angles, Gordonus, & alij, quos citat, & ſequitur Paſqualig. *deciſ.*197. Qui etiam pro hac parte citat Bonacinam. Sed non ita bene. Poterat tamen pro ipſo citare Thomam Sanchez, *lib.*5.*conſil.cap.*1.*dub.*5.*numer.*27. & alios penes ipſum.

Qvæ

QVÆSTIO XL.

An etiam Abbates, aut alij exercentes iura Episcopalia, possint transferre in alium diem ieiunium iuris communis?

REspondeo: Etiam posse. Quia cùm habeant iurisdictionem fori Ecclesiastici, æquiparantur Episcopis. Sic Pasqualig. *loc. cit. n.4.* Qui idem concedit Prælatis Regularium respectu suorum subditorum, ipsi namque tanquam ordinarij ipsorum poterunt, iusta interueniente causa, transferre eorum ieiunia in alios dies.

QVÆSTIO XLI.

An si in festum solemne titularis alicuius Ecclesiæ particularis, aut Patroni alicuius Diœcesis, incidat vigilia aliqua, possit Episcopus transferre ieiunium in alium diem pro iis, qui sunt de illa Ecclesia, vel Diœcesi?

REspondeo: Posse. Quia eadem est ratio. Sic Caiet. Armilla, & Sanchez, *loc. cit.* Vbi docent, quòd non solùm id possit Episcopus; sed quòd debeat transferre ieiunium in antecedentem diem; vt sic, ieiunia Christiani populi consonent iuris dispositioni disponentis, quando vigilia occurreret in Dominica, transferatur in diem antecedentem, vt habent, *cap. 1. & 2. de obseruat. ieiun.* vt vidimus, *q.39.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.2. dub.5. n.19.* Syluius, *2.2. quæst.147. art.4. ver. Quartum quando.* Pasqualigus *loc. cit. num.6.* & ita in praxi obseruatur in Regno Nauarræ, in Ciuitate Pampilonensi, in qua festum Sancti Saturnini, Patroni illius Ciuitatis solemnissimè celebratur, & quia occurrit in vigilia S. Andræ Apostoli transfertur hoc ieiunium in diem antecedentem. Quod idem fit, vt refert Syluester, *verb. Ieiun. qu.7.* in Francia, in qua, quia festum S. Quintini occorrit in vigilia omnium Sanctorum, transfertur ieiunium in præcedentem diem.

Addunt tamen Caiet. Armilla, & Sanchez, id solum teneri verum, loquendo de vigiliis alicuius Sancti: non verò loquendo de ieiuniis quatuor temporum, nam hęc etiamsi occurrant in aliquo magno festo, vt occurrunt sæpe in die Sancti Matthæi, non sunt transferenda.

QVÆSTIO XLII.

An quando vigilia S. Matthiæ incidit in aliquem diem, ex duobus vltimis Bacchanalium (*Hispanè*, Lunes, o Martes de Carnestolendas) *possit Episcopus ieiunium illud in alium diem transferre?*

AFfirmat Pasqualig. *decis.180. num.2.* per hæc verba: Mihi tamen probabile videtur, quòd possit Episcopus, transferre in alium diem huiusmodi ieiunium. Et ita sentiunt Layman, *lib.4. Theol. Moral. tractat.8. cap.3. num.9.* & Diana, *3. part. tract.6. resol.66.* Adest enim causa valde rationabilis pro tali translatione, vt nimirum, vitentur tot peccata, quot committuntur in violatione ieiunij. Ita ille.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Non posse. *Primò.* Quia ratio, quæ ad transferendum ieiunium dictæ vigiliæ, assignatur, non videtur rationalis, nec sufficienter iusta. Nam aliàs, etiam posset in alium diem transferre quodlibet ieiunium, incidens in diem quemcumque festum; cùm etiam multa committantur peccata in ieiuniis incidentibus in festa: ergo.

Secundò. Quia à sæculo non est auditum, prælatum vigiliæ ieiunium translatum fuisse in alium diem ab aliquo Episcopo, esto, quòd causa vitandi peccata, in violatione dicti ieiunij, semper steterit eadem.

Tertiò. Quia prædicta translatio ieiunij, non esset ita conformis dispositioni iuri; siquidem hoc solùm, propter occurrentiam alicuius festiuitatis ab Ecclesia institutæ, permittit, aut præcipit, quòd ieiunium in illam incidens, transferatur: vt constat ex cap. *consilium de obseru. ieiun.*

Tandem. Quia causa, quam contrarij ad defendendam suam opinionem assignant, præuisa est à Summis Pontificibus: & tamen non instituerunt translationem dicti ieiunij: non ergo alia ratione nisi, quia ad id non inuenere sufficientem causam, vt aliàs illā instituerent, sicut instituerunt translationem vigiliæ S. Ioannis Baptistæ incidentis in festum Corporis Christi anticipando illam in feria quarta antecedenti, Leo. X. & Vrbanus VIII.

Nec oppositam sententiam, absolutè tuentur Layman, & Diana. Nam Layman, solùm dicit, quòd fortasse aliquis respondere poterit si vigilia S. Matthiæ incidat in feriam secundam vel tertiam quinquagesimæ, iustam fore causam, vt Episcopus tale ieiunium in præcedens Sabbatum transferat. Diana verò; quod forsan sententiam Laymanij alicui probabilis videbitur. Non bene ergo hos Authores citat absolutè pro se Pasqualigus: licèt illi satis faueant. Vnde iam clarè ine citato hanc sententiam tenet Diana *part.10. tractat.16. Resolut.7.* His verbis: Hinc vsque Leandrus, qui obseruat Pasqualigum non debuisse me, & Laymanium absolutè pro sua sententia adducere; vnde ego nunc sententiæ Leandri clarè adhæreo. Et eminentissimus meus Cardinalis de Lugo annis præteritis fuit in hac opinione, S.D.N. Innocentium X. non debere dictam Vigiliam transferre in aliam diem.

QVÆSTIO XLIII.

An Prælati Regulares, etiam in Curia Romana vbi facilè potest adiri Pontifex; possint pro suis subditis transferre ieiunium iuris communis; de vno, in alium diem; intercedente iusta causa?

REspondeo: Posse. Quia etiam in Curia Romana possunt Prælati Regulares dispensare, ex iusta causa, suos subditos in lege ieiunij indicti à iure communi, ex præsumpta, & præhabita voluntate Pontificis: ergo à fortiori ex iusta etiam causa, transferre pro ipsis ieiunium de vno in alium diem possunt. Sic Pasqualig. *decis.181. num.2. & sequen.*

TRACTATVS SEXTVS,

DE QVINTO PRÆCEPTO ECCLESIÆ, De Solutione, Primitiarum, & Oblationum.

TRACTANT de Decimis Theologi cum Angelico Doctore, 2.2. *quæst.*87. Caiet. & Raphaël de la Torre, *ibi.* Sotus, *lib.9.de iust & iure, quæst.*4. Abulens. *tom.*11. *in cap.*23. *Matthæi.* Suarez, *tom.* 1. *de Religione, lib.*1. *c.*9. Vasquez, *in opusc. de beneficiis, cap.*1. §. *vnico,* Molfesius, *in summ. tract.*6. *cap.*4. Castro Palao, *tom.*2. *tract.*10. *disp. vnica.* Reginald *lib.*19. *cap. vltimo.* Valentia *tom.*3. *disp.*6. *quæst.*5. Bellarmin. *tom.*1. *controuers. part.*2. *controu.*5. *generali lib.*1. *de Clericis, c.*35. Azor, *tom.*1. *instit. Moral. lib.*7. *cap.*34. Lessius, *de iust & iure, lib.*2. *cap.*39. Bonacina, *tom.*1. *disp. vltima, de præceptis Ecclesiæ, q.*5. Fagundez, *de præcept. Eccles. præcept.*5. *lib.*1. *&* 2. Vincentius Filliuc. *tract.*27. *à c.*7. Paulus Layman, *tom.*2. *lib.*4. *tract* 6. *cap.*1. Ioann. Ægidius Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. Iodocus, *tom.*1. *Thesauri Catholici, verb. Decimæ.* Canonistæ, *titulo de Decimis,* Præcipuè Butrius, Zabarella, Ioan. Andreas, Imola, Anania, Ancharranus, Panormitanus, & alij. Rebuffus, Tyndarus, Henricus, Moneta, Andr. Hispanus, & Honcala, *in specialibus tractatibus de Decimis,* D. Didacus Couarruuias, *lib.*1. *variar. cap.*17. Martinus Azpilqueta, Nauarrus, *in Man. c.*21. *à num.*28. *tom.*1. *consil. tit. de Decim.* Gregorius Lopez, *in* 1. *part. tit.*20. Ioann. Gutierrez, *Canonic. lib.*2. *cap* 21. Perez, *ad tit.*5. *lib.*1. *ordinan.* & alij quamplures, quos refert Augustinus Barbosa, *de officio, & potestate Parochi, part.*3. *cap.*28. *& tom.*2. *in Ius Canon. tit.*30. *de Decim. & tom.*5. *in Decretum Gratiani* 16. *q.*1. & alij. Et Summistæ etiam verb. Decimæ, vbi Syluest. Angel. Armil. Sà, & Bassæus, Toletus, *lib.*6. *sum. c.*20. Rodriguez, *in summ. tom.*1. *cap.*87. Vega, 1. *p. sum. c.*87. Læl. Zech. *in summ. part.*2. *cap.*88. Petr. Ledesma, *in summ. part.*2. *tract.*9. Villalob. *in sum. part.*2. *tract.*33. Luysius de Torres, *part.*1. *summa, cap.*136. *&* 137. *& sequent.* Ludouicus Miranda, *in Man. Prælat. tom.*2. *q.*49. & alij plures.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura Decimarum, ac de Obligatione eas soluendi in lege veteri.

QVÆSTIO I.

An Decimæ, à Decimando, seu à numero denario dicantur?

RESPONDEO: Affirmatiuè. Quia videlicet, significant decimam partem fructuum, seu aliarum quarumcumque rerum, quæ Principibus, aut Sacerdotibus, seu Ecclesiis, solui consueuit. Sic colligitur *ex l.*2. *ff. de pollicit.* & sic explicant hoc nomen Calepin. Syluest. *hoc eod. verbo.* Iodocus, *ver. Decimæ, num.*1. Layman *tract.*6. *cit. cap.*1. *in principio* Molfesius *tom.*1. *summ. tractat.*6. *cap.*4. *num.*21. Castro Palao *tom.*2. *tractat.*10. *disputat. vnica punct.*1. *numero* 1. Azor 1. *part lib.*7. *cap.*34. Lessius *cap.*39. *citato dub.*1. Fagundez *lib.*1. *cit. cap.*1. Suarez, *cap.*9. *cit.* Bonacina *q.*5. *cit. punct.*1. & alij. Raphaël de la Torre *in* 2.2. D. Thomæ *qu.*87. *art.*1. *in fine.* Ita dicens: Dicimæ appellantur, quando ex decem partibus vna in Dei cultum, applicatur & soluitur.

QVÆSTIO II.

An Obligatio soluendi Decimas in lege veteri fuerit orta ex iure naturæ?

AFfirmarunt aliqui, quos, tacitis nominibus, refert Abulensis *tom.*11. *in cap.*23. *Matthæi, q.*136. *ver. Aliqui dicunt.* Quorum fundamentum esse potuit; quòd ius Decimarum, erat ante legem Moysi. Sed omne ius, quod fuit ante legem Moysi, fuit naturale; cùm ante legem Moysi, nulla fuerit diuina legislatio: ergo ius soluendi decimas in lege veteri, ex naturali iure ortum habuit. Maior probatur: Nam Abraham soluit Decimas, vt patet ex *Genes.*14. & Iacob etiam, vt constat ex *Genes.* 29. at vterque fuit ante legem Moysi: ergo.

Alij verò è contrà, tanquam certum, negant, obligationem soluendi Decimas in lege veteri, ortam fuisse ex iure naturæ; sed ex iure diuino positiuo tantum. Quia si Decimæ fuissent de iure naturali debitæ Deo, omnes gentes necessario debuissent illas soluere; sed hoc est falsum; quia alioqui, omnes, qui ante legem Moysi non soluebant Decimas, peccabant mortaliter, quod non potest dici: ergo non erant de iure naturæ debitæ, sed ex Dei institutione. Sic sentit Abulens. *loc. cit.* & Rebuffus ex illo, *q.*1. *de decim. n.*10.

Sed ego, iuxta infrà, disp. sequenti, *q.4. & 5.* dicenda, clariùs cum distinctione Respondeo: Dicendum, quòd *Decima* sumi potest dupliciter; Primò, pro parte fructuum, quos colligimus, non tamen pro certa, definita, & taxata parte, sed tanta, quanta est necessaria ad commoda Ministrorum Dei alimenta. Secundò, sumi potest *Decima* pro parte certa, definita, & taxata, nempe pro Decima parte fructuum quos colligimus (vt in præsenti tractatu sumitur) Si primo modo sumatur, dico, quòd obligatio soluẽdi Decimas, ortum habuit ex iure naturæ, vt bene probat Sotus *lib.9. de iust. & iure, q.4. art.1. pag. mihi 744. col.a. vers. Ad tertium.* Si verò *Decima*, secundo modo sumatur, tunc dico, quòd obligatio soluendi Decimas in veteri lege, non habuit ortum ex iure naturæ, vt bene probant Authores secundæ sententiæ. Et sic sentiunt etiam Azor *1. part. lib.7. cap.34. q.1. & a.* quamuis non ita clarè, & Suarez *lib.1. cit. cap.9. n.5.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. q.87. art.1. disp.1. per totam.*

Ad fundamentum primæ sententiæ, Respondeo negando maiorem; ad cuius probationem, dico, quòd neque Abraham, neque Iacob obtulerunt Decimas ex iure aliquo; sed Abraham spontaneè, Iacob verò, ex voto. Legantur Abulens. & Azor, *loc. cit.*

QVÆSTIO III.

Quo tempore præcepit Deus solutionem Decimarum?

RESpondeo: Dicendum, quòd Deus instituit solui Decimas in veteri testamento, quando legem dedit; quod fuit, primo anno ab exitu de Ægypto. Est res certissima apud omnes, & constat plane ex Scriptura *Exodi.22. v.29.* vbi sic dicitur: Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere, *& c.23. v.19.* primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. *Leuit.27. & num.18.* & alibi. Sic Abulens. in cap.23. *Matth. quæst.137.* Qui addit, quod licèt hoc verum sit, verumtamen Decimarum solutio non fuit, inquit, inchoata illis quadraginta annis, quibus Filij Israël manserunt in deserto; quia tunc non seruauerunt cærimonias legis; sed solùm postquam intrauerunt in terram Chanaam, vbi manebant iam securi, & possidebant terram ex cuius frugibus, & fructibus Decimæ ab ipsis solui debebant, Deuteron. *cap.12.* Legantur Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.9. num.6.* Raphaël de la Torre. 2. 2. *q.87. artic.2. disp.2.* & Abulens. *loc. citat.*

QVÆSTIO IV.

An in lege veteri, non solùm Leuitis, sed etiam Sacerdotibus, soluebantur Decimæ?

AFfirmant Ribera *lib.3. de Templo cap.2. pag. mihi* 182. Qui & refert pro se Iosephum *lib.4. Antiquit. cap.4.* & Nehemiam, *cap.10.*

Sed, tanquam certum, Respondeo: Dicendum, quòd solùm Leuitis soluebantur: licèt verum sit, quòd hi, ex Decimis sibi oblatis, Decimas darent Summo Sacerdoti, imo, & aliis Sacerdotibus, vt statim dicemus. Sic enim habetur expressè cap.18. *Num. vers.21.* vbi sic dicitur: *Filiis autem Leui dedi omnes Decimas Israëlis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi tabernaculo fœderis* Et vers.25. & 26. per hæc verba: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Præcipe Leuitis, atque denuntia: Cum acceperitis à filiis Israël Decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiarum, tam de areis, quàm de torcularibus. Et vniuersis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron Sacerdoti.* Sic ibi. & Sic Abulens. *in capite 23. Matth. q.138. & 141.* Raphaël de la Torre *disput.2. cit. num.4.* Cornelius à Lapide *in cap.18. Num. v.21.* Rebuffus de *Decimis, quæst.1. num.8.* & penes ipsum, Iosephus, & Nehemias. Sed ex his, saltem Iosephus, meliùs citatur à Ribera pro se, docet enim expressè suam sententiam *loc. cit. pag. mihi 85. his verbis:* Et insuper à toto populo decimas annui fructus exegit Leuitis simul ac Sacerdotibus conferendas. Sic ille.

QVÆSTIO V.

An Leuitæ, solùm Summo Sacerdoti, seu Pontifici, Decimam decimarum soluerint?

AFfirmant Raphaël de la Torre 2. 2. *q.87. art.2. disp.2. in fine.* Et ante illum Rebuffus *loc. cit. & q.3. num.3.* Lyranus *in cap.18. Numeri:* & Abulens. *loco citato, q.138. & 143.* vbi sic ait: Dicendum, quòd Leuitæ, cùm non haberent possessiones, non dabant decimas; sed ex illis decimis, quas à populo accipiebant, rursus ipsi dabant decimam Summo Sacerdoti, quæ erat decima decimæ, id est, centesima omnium fructuum totius Israël. Ita ille. Quod colligit ex illis verbis nuper adductis *vers.28. & date Aaron Sacerdoti.* Vnde iuxta hanc opinionem, Summus Sacerdos valde ditissimus fuit, vt colligunt Abul. & Cornelius à Lapide *in cap.27. Leuitici, vers.30.* vbi videtur Abulensis sententiæ consentire, quamuis, alibi contrarium sentiat, vt infrà.

Sed probabiliùs Respondeo: Dicendum, quòd non solùm Summo Sacerdoti, seu Pontifici; verumetiam, aliis Sacerdotibus, Leuitæ decimam decimæ soluerint. Quia alioqui Pontifex valde diues, & Sacerdotes, vtpotè plurimi, valde pauperes fuissent. Sic sentiunt Iosephus, *lib.4. Antiquit.* & S.Hieron. *in c.45. Ezechiel.* Philo, *de honoribus Sacerdotum, in fine:* & Ribera *lib.3. de templo cap.2.* Quos citat, & clarè sequitur Cornelius à Lapide *in cap.18. Numeri. v.27. pag. mihi 865.* Quibus addi potest Cardinalis Caietan. in *c.18. Numer. vers.28.* vbi sic ait: Non soli Pontifici, sed Pontifici, & Sacerdotibus danda decernitur decima decimæ, quæ est ex ipsa decima Leuitarum, eleuatio Dei, hoc est, portio offerenda Deo, tanquam id, quod eleuatur Deo. Sic ille.

QVÆSTIO VI.

Quare solis Leuitis soluebantur integraliter Decimæ?

REspondeo dicendum: Hanc fuisse causam. Quia videlicet, Deus optimus Maximus electis duodecim Tribubus populi Israëlitici, vni ex eis, quæ fuit Tribus Leuitica, non dedit possessionem certam terræ promissionis, inter cæteras Tribus; vt sic expeditiùs vacarent diuinis officiis, ac cultui in tabernaculo. Vt igitur Leuitæ haberent, vnde viuerent, constituit Deus, ac dedit eis in possessionem omnes Decimas reliquarum vndecim Tribuum. Sic habetur expressè *capite* 18. *Numer.* vbi *vers.20.* Sic dicitur: *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum* (*idest*, Hebræorum fratrum vestrorum) *nihil possidebitis nec habebitis partem* (intellige hæreditatis) *inter eos: ergo pars, & hæreditas, tua in medio filiorum Israël. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis,* &c. Legantur Abulens. *in 23. Matth.*

quæst.138

quaest. 138. *& sequent.* Caiet & Cornelius *in cap.* 18. *Numer.* & alij expositores.

QVAESTIO VII.

Quare tribus Leuitica, inter caeteras, ad ministrandum Deo, assumpta fuerit?

Respondeo: quia ita voluit Deus, sicque placitum fuit ante eum; elegit enim Tribum, quàm voluit, in ministram sibi; quia ipse Dominus. Haec mihi causa, haec ratio, & non alia, cùm non ponat Scriptura. Non desinam tamen referre causam, (quam ex Rabi Eliezer, affert Cornelius) propter quam potius hanc Tribum leuiticam, quàm aliam in ministram sibi assumpserit Deus. Narrat R. Eliezer (ait Cornelius) quòd Leui fuerit decimae filiorum Iacob, incipiendo à Beniamin, ideoque oblatus sit per S. Michaelem Deo, vt huic Leuitae seruirent in coelo Angeli: tumque dixisse S. Michaelem Deo, aequum esse, vt suos famulos alat Rex: sicque Deum decimas Leuitis dedisse. An historicè ita factum sit, nouit Deus: Alioqui, pia, & acuta est haec contemplatio. Huc vsque Cornelius.

QVAESTIO VIII.

An omnes Tribus Israel tenerentur praecepto soluendi Decimas?

Respondeo: Dicendum, Quòd omnes vndecim Tribus tenebantur ad dandas Decimas; minimè verò Tribus Leui. Quia decimae dabantur de fructibus terrae, eò quòd non colebant terram; imò nec habebant loca, quae colerent; quia non acceperant sortem possessionis inter Israelitas; sed tota terra data est laicis in possessionem. Sacerdotibus autem & Leuitis, data sunt iura Sanctuarij in possessionem. *Num.* 18. *Deut.* 18. *& Iosue* 13. *cap.* & ideò non pertinebat ad eos solutio decimarum, sed solum ad laicos, qui fructus terrae; & possessiones habebant. Sic ferè Abulens. *in cap.* 23. *Matth. quaest.* 142 Legatur D. Thom. 2. 2. q. 87. *art.* 1. *in corpore.*

QVAESTIO IX.

An in veteri testamento, soluebantur Decimae, de omnibus fructibus tam terrae, quàm pecorum?

Respondeo: affirmatiuè. Vnde de fructibus terrae, dabantur Decimae de segetibus omnibus, de vino, & oleo, & de pomis arborum (id est, de fructibus omnium arborum.) quod patet ex *Leuit.* 23. *Num.* 18. *cap.* De fructibus verò pecorum, dabantur decimae de ouibus, & capreis, vt constat ex *Leuit.* 27 Sic Abulens. *loc. cit. quaest.* 145. Cornelius *in cap.* 27. *Leuit. vers.* 30. *&* 32. Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *disput.* 2. *num.* 4. Rebuffus *de decim. q.* 3. *num.* 2. & omnes.

QVAESTIO X.

An etiam, soluebantur Decimae, de omnibus plantis, & herbis terrae?

Negant aliqui, apud Abulensem *quaest.* 146. *in cap.* 23. *Matth.* eò quòd Deus, solùm Decimas de frugibus, & pomis arborum dandas, expressit. *Leuit.* 27.

Sed tanquam certum, Respondeo: Quòd etiam soluebantur Decimae de plantis, & herbis terrae; videlicet, de caulibus, pastinacis, lactucis, leguminibus, mentha, Cymino, Anetho, ruta & similibus. Quia *Deuter.* 14. *cap.* Dicitur; *Decimam partem separabis de cunctis fructibus, qui nascuntur in terra per per annos singulos*: Sed ista, quae nominata sunt, sunt terrae nascentia: ergo de illis debebantur Decimae. Sic Abulens. *loc. cit. quaest.* 146. Qui bene ad fundamentum in contrarium respondet, dicendo, quòd lex, *in loc. cit.* non tetigit, aut expressit omne, quod decimandum erat, sed ea, quae praecipua sunt, & reliqua alia multa, quae alibi expressa, saltem sub nomine communi sunt, vt *Deut.* 14. vbi, vt vidimus, expressè dicitur, quòd de omnibus fructibus terrae sunt Decimae soluendae. Sic etiam tenet Raphaël de la Torre loco citato, & communis.

QVAESTIO XI.

Quot modi Decimarum erant in veteri testamento?

Respondeo: Quòd, quatuor. *Primae Decimae* erant, quas laici dabant Leuitis de omnibus fructibus terrae, gregum, & armentorum. *Secundae,* erant, quas Leuitae ex suis Decimis, Decimam partem dabant Summo Pontifici, & aliis Sacerdotibus, vt habitum est suprà, & constat *ex Leuit.* 27. *& Num.* 18. *Tertiae Decimae* erant, quas singuli laici separabant, vt comederent eas, quando ireut in templum Domini ter in anno, *Deuter* 14. *& Quartae* erant, quae non separabantur quolibet anno, sed solùm fiebant de triennio in triennium, & quisque recondebat eas apud se, ad faciendum inde eleemosynas pauperibus, viduis, pupillisque. *Deuter.* 14. Sic Abulens. *q.* 140. *&* 149. *in Matth.* Theodor. Oleast. Caiet. & Cornelius *in cap.* 14. *Deutero. vers.* 22. Augustinus Barbosa *in cap. Decimam, de Decimis, num.* 2. ex Moneta *tract. de Decimis cap.* 3, *num.* 1. 2. & 3. Rebuff. *q.* 3. *de decim.* Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *disp.* 2. *num.* 2. & omnes.

QVAESTIO XII.

An diuinum praeceptum de soluendis Decimis in lege veteri, datum fuerit non solùm de Decimis praedialibus; sed etiam, de personalibus?

Affirmant Innocent. *in cap. finali num.* 2. *de parochijs.* vbi *num.* 3. inquit, esse quasi insanos, & haereticos, qui asserunt, Decimas personales non esse de iure diuino dandas. Innocentium sequuti sunt Rebuffus *de decimis q.* 1. *num.* 11 Barba. *consil.* 49. *col.* 4. Anton. Butr. *in cap. Parochianos, in* 1. *quaest.* & alij Canonistae, tam antiqui, quàm moderni, quos citat, & reprobat, Gutierrez *lib.* 1. *Canon. quaest. c.* 21. *num.* 4. *&* 5. Fundamentum eorum erat. Quia nunc extat praeceptum diuinum soluendi Decimas personales: ergo, & olim solui praecepta erant.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo dicendum; quòd nullo modo datum fuerit praeceptum diuinum, de soluendis Decimis personalibus, sed solùm, de soluendis Decimis praedialibus; & ita quod personales nunquam fuerint solutae à Iudaeis, sed solae praediales. Ratio est, quia nullum inuenitur datum praeceptum de Decimis personalibus; sed potiùs vbicumque fit mentio de Decimis, semper exprimuntur praediales, vt constat *Leuit.* 27. *Num.* 18. *cap.* & latè probat Abulens. *in c.* 23. *Matth. q.* 141 Sic ille, & Angel. Doctor D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 1.

Sotus

Sotus *lib. 9. de inst. q. 4. art.* 2. Hostiens. Couarru. & Gutierrez, quos citat, & sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *praec. Eccles. cap.* 2. *num.* 4. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *disput.* 5. *num.* 9. vbi ait, hanc nostram sententiam esse veram, & communem, tam apud Theologos, quàm Canonistas; & censuram Innocentij, insanam, & audacem.

QVÆSTIO XIII.

An praeceptum Decimarum veteris legis, fuerit Cærimoniale?

AFfirmanit Apud Suarium, Henricus, *quodlib.* 4. *q.* 28. nouissimè affirmat Cornelius a Lapide (licèt ubiter) *in cap.* 27. *Leuitici, vers.* 30. §. *Hinc c. Parochianos.*

Sed, tanquam certum ferè, Respondeo: Nullo modo illud praeceptum fuisse cærimoniale, sed iudiciale, quoad determinationem partis decimæ. *Primò.* Quia præcepta cærimonialia ita cessarunt, vt renouari non possint per legem humanam: at sic est, quòd præceptum Decimarum est retentum in Ecclesia, vt infrà, quod in iudicialibus præceptis fieri potest; vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. ergo. *Secundò.* Quia præcepta iudicialia dicebantur, quæ ad debitum ordinem, & æquitatem inter partes illius populi seruandam, ordinabatur: vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 104. at sic est, quòd præceptum Decimarum ordinabatur ad constituendam æquitatem quamdam inter Tribus illius populi; eo quod Tribus Leui, non habuit partem cùm alijs Tribubus in diuisione terræ, quoad prædia, & possessiones (vt suprà est habitum) ergo oportait aliquomodo illud recompensari; quod factum fuit per solutionem Decimarum: ergo præceptum soluendi Decimas, iudiciale fuit. Sic S. Thom. 2. 2. *quæstion.* 87. *art.* 1. & ibi Caietan. Sotus *lib.* 9. *de instit. & iure qu.* 4. *artic.* 1. *concl.* 1. Aragon. Valentia, & Astensis, quos citat, & sequitur Suarez *lib.* 1. *citato, cap.* 9. *num.* 8. Vasquez *in opusc. tract. de beneficiis dub.* 1. *num.* 2. Barbosa *in cap. Parochianos, de Decimis, num.* 4. *in fine.* Rebuff. *de decimis, q.* 1. *n.* 14. & communis.

DISPVTATIO II.

De obligatione soluendi Decimas, in lege Euangelica.

QVÆSTIO I.

An in lege noua teneantur fideles aliquo iure, Decimas Ministris Ecclesiæ soluere?

NEGARVNT olim quidam hæretici; quos referunt Turrecremata *lib.* 4. *de Eccles. p.* 2. *cap.* 37. Castro *de hæres. lib.* 4. *vers. Decimæ,* quos postea secutus fuit Vuiclephus vt refert. Vualdens. *lib.* 2. *de doct. fidei antiquæ, cap.* 64. & 65. docentes, Decimas non esse iure aliquo debitas Sacerdotibus: sed meras eleemosynas, quas proinde, possint fideles ad libitum negare Sacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed de fide Respondeo: Teneri fideles aliquo iure (de quo postea) Decimas Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ soluere. Ideoque non esse meras eleemosynas, sed subsidium Sacerdotibus, & alijs Ministris debitum, propter ministerium spirituale ab illis Christiano populo impensum. Quia sic definitum fuit in Concil. Constantien. contra Vuiclephum, *sess.* 8. Et in Concil. Trident *sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. præcipitur, quòd excommunicentur qui decimas subtrahunt, aut impediunt; & quòd ab hoc crimine, nisi restitutione secuta, non absoluantur. Quod intellige, de iis solum, qui ante mortem, vel ante sumptionem Eucharistiæ, restituere possunt, vt infrà. Sic omnes Theologi, & Canonistæ, & vniuersi Catholici. Legantur Nauarr. *cap.* 21. *n.* 12. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *qu.* 5. *punct.* 1. Lessius *libr.* 2. *de inst. & iure cap.* 39. *dub.* 1. *a n.* 1. *vsque ad* 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. Fagundez *de* 5. *precept. Ecclesiæ, lib.* 1. *in principio.* Raphaël de la Torre 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *disp.* 4. & alij infrà citandi.

QVÆSTIO II.

An diuisio Decimarum, in Personales, & Prædiales, sit sufficiens, & adæquata?

AFfirmant Glossa in cap. *Ad Apostolica. de Decimis.* & Suarez *cap.* 9. *cit. num.* 4. Sotus, *lib.* 9. *de inst. quæst.* 4. *art.* 2. *vers. Conclusio quidem,* & Barbosa *libro* 3. *de iure vniuersi, cap.* 16. *num.* 9. & *in lib.* 3. *decretal. titulo* 30. *de decimis, in principio, num.* 11. & Summa Goffredi, *tit. de Decimis num.* 21. Quibus fauet meus Nauarr. *consil.* 1. *de Decimis, num.* 8. dicens, hanc sententiam esse communiter receptam, & approbatam. Fundamentum eorum est: quia in *citato cap.* solùm fit mentio Decimarum Personalium, & & Prædialium, sicuti etiam *in lib.* 1. *parti.*

Negant verò è contrà alij, dicentes: non esse sufficientem, & adæquatam dictam diuisionem; eo quòd existiment, triplicem esse distinctionem Decimarum; *Prædiales* videlicet, *Personales,* & *Mixtas.* Decima *Prædialis* est, inquiunt, decima pars fructuum prouenientium ex terra, campisve, arboribus, locatione ædium & similium. *Personalis* verò, est decima pars fructuum prouenientium ex industria personæ, nempe ex mercatura, negotiatione, piscatione, venatione, ludo, scientia, aut ex alio hominis artificio, & manuum labore. *Mixta* tandem, est decima pars fructuum prouenientium ex animalibus, vt sunt fœtus, lana, lac, butyrum, & similia, quæ ideò dicitur, Decima Mixta, quia huiusmodi fructus, partim ex prædijs naturaliter, partim ex industria hominum proueniunt. Sic Abulens. *in cap.* 23. *Matthæi qu.* 150. D. Thom. 2. 2. *qu.* 87. *articul.* 2. Nauarr. *cap.* 21. *n.* 29. Azor. *tom.* 1. *libro* 7. *cap.* 34. *quæst.* 3. Bonac. *qu.* 5. *cit. punct.* 2. *num.* 1. Vazquez *tom. opusc. tract. de Beneficiis cap.* 1. (non 7. vt offendes apud Bonacinam) *dub.* 8. & penes ipsum, Sotus *art.* 2. *cit.* Syluest. *ver. Decima q.* 6. Nauarr. & D. Thom. *loc. cit.* Sed ex his malè citatur Sotus: nam hic Author, solùm distinguit Decimas in personales, & prædiales, seu reales. Lessius *lib.* 2. *de iustitia & iure cap.* 29. *dubit.* 3. *nu.* 12. Fagundez *lib.* 1. *de quinto præcept. Eccles. cap.* 2. *num.* 1. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 1. Bassæus, *verb. Festum, nu.* 1. Qui malè citat Suarium pro hac parte. Iodocus *verb. Decima, n.* 3. Reginald. *lib.* 19. *c.* 3. *sect.* 3. *n.* 83. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 3. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 1. *num.* 2. Molfesius, *in summ. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 32. Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 10. *docum.* 1. *n.* 2. Qui etiam malè citat Suarium pro hac parte, *eod. n.* 4. citato à nobis pro opposita parte. Grassius, *part.* 2. *decis. lib.* 2. *c.* 27. *num.* 8: Bauny, *tom. de Sacram. tract.* 10. §. *de Decimis, q.* 1. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. *disp.* 1. *num.* 6. Gregor. Lopez, *in l.* 1. *part.* 1. *tit.* 20.

verb.

verb. Dos maneras. Rebuff. *de Decim. quæst.3.nu.* 31. 32. *&* 33.

Sed mihi Respondendum videtur: Quòd in re; verior sit prima sententia, clarior ac distinctior secũda; ideoque claritatis gratiâ, hanc sequemur. *Prima Pars*, huius responsionis probatur. Tum ex fundamento pro prima sententia adducto. Tum etiam; Quia Decima mixta, ad Prædialem reduci debet, vtpotè in illa contenta, vt latè probat Suarez, *n.4.cit.*

Secunda verò pars, constat ex se. Vnde ipsemet Suarez, *loc.cit.* ait, quòd breuitatis causa, interdum vtetur nomine Decimarum mixtarum; ad significandas Decimas ex fructibus animalium, vbi specialis difficultas circa eas occurrerit. Legatur Castro, *tom.*2. *tract.*10. *punct.* 1. *nu.*2. vbi ait hanc controuersiam, duntaxat esse de nomine, cùm certum sit apud omnes, de omnibus præfatis rebus decimas deberi.

QVÆSTIO III.

Quot modis, possint accipi, considerariuè, Decimæ?

RESpondeo: Quòd, duobus. Primò, genericè, & secundùm substantiam, videlicet, pro congrua sustentatione ministrorum Ecclesiæ, & potest vocari decima sustentationis; secundò strictè, & propriè, nempe pro determinata parte fructuum, hoc est, pro decima parte fructuum terræ, pecorum, &c. quæ in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ soluitur; & vocatur decima quotæ. Sic supponunt, ad resolutionem sequentium difficultatum, omnes Doctores. Legantur Azor, Suarez, Fagundez, Bonacina, Trullench, & alij, *loc.cit.*

QVÆSTIO IV.

An decimæ genericè sumptæ, nempe; pro sustentatione congrua, & necessaria Ministris Ecclesiæ, sint illis debitæ, iure naturali, & diuino?

RESpondeo tanquam certum, esse illis debitas, vtroque iure, nempe naturali, & diuinò. Et quidem, quòd sint illis debitæ iure naturali, constat. Quia recta ratio dictat, imo, & præcipit, vt eos, qui nobis inseruiunt, alamus & consequenter, vt demus Ministris Ecclesiæ, qui nos spiritualia docent, vnde viuant. Id enim manifestis argumentis probat Apostolus, 1. *Cor.* 9. *Quis (inquiens) militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Sic Paulus Apostolus.

Quòd autem etiam debitæ sint, iure diuino; planè liquet, ex Verbis Christi Domini, *Lucæ* 10. vbi sic dicit: *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Quæ verba ad nostrum intentum, citat Apostol. 1. *ad Timoth.*5. ergo vtroque iure debentur Ecclesiæ Ministris Decimæ genericè sumptæ, hoc est, pro sustentatione necessaria Sacerdotum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum Sic D.Thom.2.2.q.87. *art.*1. *& quodlib.*11. *art.* 8. Caiet. 2.2. *loc.cit.* Suarez, *tom.*1. *de Relig.lib.*1. *cap.*9. *num.*10. Azor, *tom.* 1. *lib.*7. *cap.* 34. *q.*4.*col. mihi.*782. Valentia, *tom.*3. *disp.*6. *q.*5. *punct.*1. *col. mihi* 1316. Lessius, *lib.*2. *de iust.cap.*39. *dub.*1 *n.*4. Bonac. *q.*5. *cit. punct.* 1, *num.* 3. Fagundez, *lib.* 1. *cit. cap.*1. *num.*2. Barbosa, *lib.* 3. *de iure vniuerso*, *cap.* 26. *num.*6. Palao, *tom.*2. *tract.*10. *disp. vnica*, *punct.*1. *n.*4. Trullench, *lib.* 3. *in decalog. cap.* 1. *dub.* 1. *numero* 4. Layman, *lib.*4. *tract.*6. *cap.* 2. *num.* 1. Nauarr. *de Redd. Ecclesiast. qu.*1. *mon.* 58. Gutierrez *lib.*2. *can. qq. cap.*21. *num.*9. Ballæus, *verb. Decima*, *num.*1. Indocus, *eod. verb. num.*4. Vasquez, *tract. de benef. cap.*1. *dub.*1. *num.*5. & penes illum, Syluester, Maior, Adrian. Sotus, Castro, & Couarru Graffis etiam *tom.* 2. *lib.*2. *cap.*27. *n.*10. *&* 11. Molfesius, *in sum. tractat.*6. *cap.*4. *num.*22.

QVÆSTIO V.

An decimæ propriè sumptæ, hoc est, prout sunt Decima pars fructuum, debeantur Ministris Ecclesiæ, iure etiam naturali?

AFfirmant Andreas Hispan. *tract. de Decimis* §.2. (vt refert Suarez infrà citandus) cui fauet Rebuff. *tract. de Decimis*, *quæst.*1. *r.*9. *&* 10. quatenus docet, quòd, quamuis dictæ decimæ non debeantur Ministris Ecclesiæ iure naturali, debeantur tamen, iure diuino positiuo, dictante ratione naturali.

Sed, tanquam omninò certum; Respondeo dicendum, quòd dictæ Decimæ, nullo modo debeantur Ministris Ecclesiæ iure naturali. *Primò*. Quia nulla ratio naturalis dictat, necessarium esse dare Ministris Ecclesiæ ad suam sustentationem, decimam partem fructuum; aut prouentuum, vt constat. *Secundò*. Quia vt suprà, *disp.*1. *quæst.* 2. est habitum, & docet D.Thom.1.2. *quæst.*87. *artic.*1. *ad* 2. ante legem scriptam, nullum fuit præceptum soluendi Decimas strictè sumptas: ergo præceptum eas soluendi, non est de iure naturali. Sic omnes Doctores communiter. Legantur Azor, *tom.*1. *lib.*7. *cap.*34. *qu.*2. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *cap.*9. *num.*5. *& cap.*10. *num.* 1. & alij mox citandi.

QVÆSTIO VI.

An saltem, huiusmodi Decimæ, iure diuino debeantur Ecclesiæ Ministris?

AFfirmant communiter Canonistæ, Innocent. *in Rubric. de Decimis*, *& in cap. vltim. de Parochiis*; & ita acriter, vt dicat, ferè esse hæreticos, qui asserunt, Decimas, etiam sub lege gratiæ, non iure diuino, sed tantum deberi humano. Glossæ, *in cap. Nuper de Decim. & in cap.*1. *de Decimis in* 6. Archid. *in cap. Decima* 19.*q.*1. Ioan. Andreas, Abbas, Alexand, & alij quos citat Couarr. *lib.*1. *variar. cap.*17. *num.*2. *vers. Et præter has.* Ita etiam Graffis, *cap.* 27. *cit. numero* 11. *&* 12. Azeuedo, *lib.*1. *nouæ Recopil. tit.* 5. *in l.*1. *num.*1. *&* 5. & penes ipsum, Couarr. *cap.*17. *cit.* Rebuffus, *tract. de Decim. q.*1. *à num.* 1. & Didacus Perez, *in d.l.*1. *quæst.* 5. per totam. Additque hanc sententiam approbare Concilium Trident. *in sess.*25. *de reformat. cap.*12. (Sed ex his Authoribus, Couarruuias oppositum docet. Et Tridentinum Concilium nil huic sententiæ fauet.) Ita etiam Riccius, *part.*6. *collectan. decis.*2393. dicens, id esse plusquam clarum, ac notum, & tenuisse Rot. *in antiquis decis.*75. Capycinm, *decis.*70. Franc. Marc. *in decis. Delph.* 198. Iosephum Ludouicum *in decis. Perus.* 106. Reusner. *decis.* 2. Tyndarus, *de Decim. à num.* 10. Bonascos, Reusner, Petrus Gregor. Germon, Borrell. Andreas Hispan. & Albert. Phig. quos pro hac parte citat Barbosa, *cap. Parochianos. de Decim. num.*2. Quos, oblitus sui, sequitur *in cap. Nuper. eo. cit. num.* 4. ibi: Verbum, decimæ, referri potest ad decimas extraordinarias, quæ imponuntur ab homine, non autem ad ordinarias, & prædiales, quæ sint debitæ de iure diuino.

diuino. Sic Barbosa ibi cùm aliàs contrarium docuerit, vbi infrà. Sic etiam Ceuallos *comm. contra com. tom. 1. quæst.* 437. Qui citat pro se Ancharranum, Francum, Menchacam, Nauarrum, & alios. Sed ex iis, malè citat Nauarrum, vt infrà.

Affirmant etiam alij Canonistæ, limitando tamen ex parte dictam sententiam; dicendo, quòd licèt verum sit quòd Decimæ prædiales sint debitæ Ministris Ecclesiæ iure diuino; non tamen Decimæ personales; quia istæ sunt (inquiunt) de iure Ecclesiastico. Ita Hostiens. *in summ. tit. de Decimis*, §. 7. *& in cap. In aliquibus de Decimis*, vnde non bene illum refert Trullench, inter Authores primæ sententiæ. Henricus, Felinus, Imola, Florianus, & alij, penes Suarez, & Vasquez, *vbi infra.*

Fundamenta vtriusque sententiæ sunt hæc. *Primò.* Quia in sacra Scriptura expressè præcipitur, vt decima pars fructuum Leuitis, & Sacerdotibus soluatur, *Exod.* 26. *Leuit.* 27. *& Num.* 18. vt habitum est suprà, *disp.* 1. ergo præceptum soluendi dictas decimas, saltem prædiales, de iure diuino est.

Secundò. Quia in iure Canonico, expressè dicitur, quòd Decimæ non sint institutæ ab homine, sed à Deo. Item; quòd diuino præcepto sint soluendæ: vt constat ex cap. *Parochianos*, cap. *Tua nobis*, *& in cap. Cum non sit, titul. de Decimis, & cap. Decimas, & cap. Reuertimini* 16. *q.* 1. & alibi: ergo decimæ, etiam strictè sumptæ, quoad suam quotam, vel, quod idem est, prout sunt decima pars fructuum, iure diuino debentur Ministris Ecclesiæ.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo dicendum. Quòd nullo modo iure diuino, sed solùmmodo iure humano, positiuo Ecclesiastico, exemplariter constituto ad imitationem præcepti iuris diuini veteris legis, debeantur nunc Ministris Ecclesiæ Decimæ strictè sumptæ, prout sunt, scilicet decima pars fructuum terræ.

Probatur *Primò.* Quia in lege gratiæ, nullum extat præceptum datum à Christo Domino de decima parte fructuum danda, & soluenda Ministris Ecclesiæ, vt latè probat D. Thom. *quodlib.* 2. *art.* 8. ergo solutio harum decimarum, non est de iure diuino.

Secundò. Quia si decima, prout est pars decima fructuum, esset præcepti iuris diuini, nullo modo posset consuetudine contraria tolli, vel minui: at sic est, quòd in multis regionibus, & locis, vel ex toto, vel ex parte, tale præceptum est consuetudine ablatum, vel abrogatum: ergo. Sic sentiunt omnes Theologi cum D. Thoma, *quodlib. cit. &* 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. Vbi Caiet. Raphaël de la Torre, & alij interpretes. Alens. D. Anton. Ricard. Henric. Adrian. Abulens. Sot. & alij, quos citat, & sequitur Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Maior, *in* 3. *dist.* 37. *q.* 36. affirmans, & dicens, opinionem relatam Iuristarum, esse hæresim; cùm oporteat, eam niti hæretico principio; nempe, præceptum diuinum iudiciale veteris legis de soluendis decimis, adhuc obligare, cùm sit de fide certum iam expirasse. Vazquez, *to. opusc. tract. de beneficiis cap.* 1. *dub.* 1. *nume.* 5. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 35. *q.* 4. Bonac. *disp. vlti, de præc. Eccle. quæst.* 5. *pun.* 5. *num.* 2. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubitatione* 1. *n.* 6. Valentia, *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *pun.* 1. Reginald. *lib.* 19. *num.* 84 Molfesius, *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 22. *& sequen.* Fagundez, *de* 5. *pracep. Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 20. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 6. *&* 7. Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 7. *n.* 6. *num.* 147. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica pun.* 1. *num.* 4. dicens, hanc sententiam esse omnino veram. Quamuis in summario capitis, solùm illam probabiliorem vocet. Syluest. *v. Decima num.* 10. Vbi acriter reprehendit Iuris Canonici Interpretes. Iodocus. *v. Decima pun.* 4. Bassæus, *eod. verb. num.* 1. Villalob. *tract.* 33. *diff.* 5. *n.* 4. Rodriguez, 1. *p. sum. cap. mihi* 87. *num.* 1. & alij Theologi communiter. Et ex Canonistis, Princeps eorum, Nauarr. *in man. cap.* 21. *num.* 28. *& de reddit. Ecclesiast. quæst.* 1. *monito* 69. Couarrun. 1. *variar. cap.* 17. Gutierrez, *lib.* 2. *Canon. qq. cap.* 21. *numero* 8. Barbosa, *lib.* 3. *de iure vniuerso cap.* 26. *num.* 7. *& in cap. Parochianos, de Decimis, num.* 4. & penes ipsum, prætet aliquos ex à nobis citatis Malder. *de iust. & Religione, tract.* 10. *tit. de Decim. dubit.* 2. Fernandez, *in examen. Theolog. moral. part.* 1. *ad* 7. *pracep. Decalogi, cap.* 13. §. 3. Henriquez, *lib.* 7. *cap.* 27. §. 1. *& lib.* 14. *cap.* 1. §. *vlt. litt. Y*, Ceuall. & alij. Sed ex iis, malè Ceuall. Sic etiam Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 10. *docum.* 1. *n.* 7. Luysius, *in summ.* 1. *part. cap.* 137. *dub.* 1. citat etiam pro hac parte Ceuall. vbi suprà Rebuffum, *quæst.* 1. *a numero* 2. Sed non benè cùm oppositum millies doceat, & ipsemet Ceuall. pro contra citet, *quæst.* 364. *numero* 3.

Ad fundamenta autem oppositæ sententiæ, ex dictis patet. *Ad primum* enim dicendum, tale præceptum, siue fuerit iudiciale, vt nos suprà diximus, siue cerimoniale, vt alij dixere, iam omnino cum lege veteri cessasse, & expirasse, & ideò solutionem decimarum, non esse de iure diuino veteri, imo, nec nouo, vt ostensum est.

Ad secundum dicendum est, quòd ideò, in iure Canonico dicitur, Decimas, etiam quoad quotam, esse soluendas iure diuino, quia earum solutio ortum habuit ex iure, seu lege diuina, & positiua Dei, ad cuius exemplum Ecclesia, nouo iure, præcepit eodem modo soluendas.

QVÆSTIO VII.

An Ecclesia rectè taxauerit decimam partem fructuum ad sustentationem Ministrorum Dei?

NEgauit turpiter Erasmus, *in Annotation. ad Nouum testamentum*, dum ausus fuit dicere, exactionem Decimarum esse tyrannidem.

Sed certissimè de fide, Respondeo: Rectè, ac iustè Ecclesiam assignasse decimam partem fructuum pro sustentatione Ministrorum Dei. *Primò.* Quia ita decreuere multa Iura, & Concilia, vt habetur in Decretis, 16. *q.* 1. *&* 7. præcipuè *cap. Ecclesia, cap. Decimis, cap. decimas, &c.* Et in Decretalib. *titul. de Decimis, lib.* 3. *& in* 6. Et in Concil. Tridentino, *sess.* 25. *cap.* 13. *de Reformatione*, & in Concil. Constantiensi, *sess.* 8. & alibi.

Secundò. Quia sic sentit vniuersalis Ecclesia, quæ errare nequit in moribus. Legantur. Theologi, & Canonistæ citati, præcipuè Caietan. 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *& in summ. verb. Decima.* Suarez, *lib.* 1. *cit. cap.* 11. Valentia, *disput.* 6. *cit. qu.* 5. *punct.* 1. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 2. Fagundez, *lib.* 1. *cit. c.* 1. *n.* 12. Filliuc. *num.* 148. *cit.* Vasquez, *in* 1. *citato*, & Luysius, *in sum.* 1. *p. cap.* 137. *dub.* 3.

QVÆSTIO VIII.

Quas ob causas, præceptum dandi Decimas, nouè ab Ecclesia institutum sit?

REspondeo: Quòd ob multas. *Prima*, vt profiteamur Deum, omnium rerum habere dominium; omniumque bonorum esse auctorem, vt habetur cap. *Tua nobis*, & cap. *Cùm non sit de Decimis, & text. in l.* 7. *tit.* 20. *part.* 1. *Secunda*, vt Ministri Dei commodè

modè sustententur; ita, vt omni cura soluti, & liberi, expeditiùs, liberiúsque possint legi Dei, cuiusque cultui vacare, iuxta illud 2. *Paralip. cap.* 13. Præcepit etiam Ezechias populo habitanti Hierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Dei. *Tertia.* Quia Ministri noui Testamenti, non sunt minùs, sed potiùs multò digniores, veteris testamenti Ministris: ergo sicut illis, vt conseruarent suum statum in populo, liberiúsque, & expeditiùs Deo inseruirent, decimam partem fructuum terræ gens Israelitica contribuebat: à fortiori bis, debet populus Christianus, ob eandem causam, decimas præstare. *Quarta.* Quia alias, si Sacerdotes, his Ecclesiæ fructibus, non sufficienter alerentur; necessum esset vt vilissimus ministerius, cogerentur inseruire, vnde parum boni fidelibus præstare possent. Ex quo constat, quòd decimæ, ob multas, & iustissimas causas, nouè ab Ecclesia institutæ sint. Legantur Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubit.* 2. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *q.* 4. Suarez, *lib.* 1. *cit. cap.* 11. *num.* 5 Iodocus, *ver. Decimæ, num.* 5. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 2. *num.* 5. & Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *dispu.* 6. & optime Rebuffus, *tract. de Decim. qu.* 2. *à num.* 1.

QVÆSTIO IX.

An solutio Decimarum, sit virtutis Religionis actus?

AFfirmat D. Thom. 2. 2. q. 87. & cum eo communiter omnes Theologi.

Sed distinctione vtendo, sic Respondeo: Si consideretur Decima, vt est necessaria, ac competens sustentatio Sacerdotum, debita illis, ob sacrum ministerium; sic, immediatè est actus iustitiæ commutatiuæ; cùm (vt suprà est habitum) ex iustitia, Sacerdotibus necessaria sustentatio debeatur: Si verò consideretur, Decima, vt est res quædam, quam Sacerdotibus in recognitionem dominij, quod Deus habet super vniuersos fructus terræ, soluimus, & per quam Deum colimus, illius ministros sustentando, sic Decimarum solutio, actus est Religionis. Et vtroque modo fit à fidelibus. Sicque intelligendus est D. Thomas., & alij Theologi. Ita Lessius, *lib.* 2. *c.* 39. *dub.* 1. *num.* 8. Fagundez, *lib.* 1. *de* 5. *precept. Eccles. cap.* 1. *num. vltim.* Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 10. *&* 21., & Castro Palao, *tom.* 2. *tractat.* 10. *disputat. vnica, punct.* 2. *numero* 10. Qui ex dictis colligit, non soluentem decimam, duplex peccatum committere (vel vnum peccatum, cùm duplici circunstantia) alterum, contra iustitiam; & alterum, contra Religionem. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 3. Suarez, *lib.* 1. *citato, cap.* 36. *num.* 1. & Machado, *tr.* 10. *cit. docum.* 1. *num.* 8. Raphaël de la Torre, *disp.* 6. *cit. num.* 2. Vbi ait, multis titulis decimas Ministris Ecclesiæ esse debitas; sed præcipuè lege iustitiæ, Religionis, ac misericordiæ.

QVÆSTIO X.

An Ecclesia seu eius Ministri, verum habeant dominium Decimarum, antequam separentur à cumulo fructuum, vi præcepti soluendi Decimas?

NEgant quamplures Canonistæ, & Theologi, docentes, quòd nullo modo habeat Ecclesia, vel Parochus, dominium decimæ partis fructuum, antequam hæc, ab aliis fructibus, seu ab eorum cumulo, separatur, & aliquo modo, saltem per designationem, Ecclesiæ tradatur. Sic Glossa in cap. *Moderamini, verb. Sibi vendicent.* 16. *quæst.* 1. & Gloss. *in cap. Tua nobis de Decimis, verbo Tributa.* Federicus Senens. *cons.* 74. Rebuff. *tractat. de Decimis, quæst.* 3. *num.* 16. *&* 17. *& quæst.* 9. *à num.* 8. Moneta, *cap.* 8. *num.* 35. Quos citat, & sequitur Bonacina, *disputat. vltim. de præcept. Eccles. qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 5. Quibus addi possunt Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 5. & (penes ipsum, & Trullench) Suarez, *tom.* 1. *de Religio. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 6. Filliuc. *tractat.* 27. *numero* 239. Quorum sententiam, cùm eam in vltimo collocet loco, videtur sequi Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tractat.* 10. *docum.* 1. *num.* 9. Lnysius, *in summ.* 1. *p. c.* 140. *dub.* 3.

Fundamentum huius sententiæ est. Quia dominium rei, non comparatur absque traditione, aut apprehensione illius.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quòd Ecclesia, ex vi præcepti soluendi decimas, verum habeat dominium decimarum (seu decimæ partis fructuum) antequam soluantur, vel separentur à cumulo fructuum; & ideò quòd omninò sint debitæ Ecclesiæ, tanquam res alienæ respectu debitoris, ante earum separationem; quia ex quo fructus percipiuntur, statim incipiunt esse sub dominio Ecclesiæ.

Probatur hæc sententia. *Primò.* Quia Deus dicit Decimas esse suas, *cap. Tua nobis*: at sic est quòd *suum*, indicat dominium: ergo. *Secundò.* Quia Ecclesia potest Decimas vendicare, *cap. Moderamini* 16. *q.* 1. Sed vendicatio datur Domino, in re sua, *l.* 1. *& l. In rem. ff. de rei vendicatione*: ergo. *Tertiò.* Quia Ecclesia habet priuilegium, vt sine traditione consequatur dominium rei sibi legatæ, aut donatæ. *cap.* 2. *de consuetud. l. vt inter ius. C. de Sacrosanctis Ecclesiis*: ergo etiam ex voluntate Dei, & Ecclesiæ, transfertur dominium Decimarum in Ecclesiam, seu Clericos illius, ante traditionem illarum. Patet tum, quia efficacior est voluntas Ecclesiæ, quàm priuati donatoris: at hæc sufficit: ergo, à fortiori, illa. Tum etiam, quia id significant Canones citati: ergo. Sic Abbas, *in c. Commissum, & cap. Tua nobis de Decimis*, dicens, esse sententiam Innocentij. Ioann. Andreas, & Hostiensis, Azor, 1. *p. lib.* 7. *cap.* 34. *q.* 9. *col. mihi* 787. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubit.* 3. *num.* 14. *&* 15. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *numero* 5. Fagundez, *lib.* 1. *de precept.* 5. *Eccles. cap.* 6. *num.* 3. *&* 4. Vbi ait, inte, idem sentire Suarium, loco, pro prima sententia ab alij citatum, *à numero* 8. Et in hanc sententiam videtur inclinare Bassæus, *verb. Decima, numero* 14. & aliqua ex parte, Castro Palao, *tom.* 2. *tractat.* 10. *punct.* 2. *à numero* 8. Vbi pro illa citat Suarium loco citato, & Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *disputat.* 7. quatenus hanc opinionem in vltimo refert loco, dissoluitque fundamenta sententiæ oppositæ.

QVÆSTIO XI.

An Ecclesia possit duplici actione, nempe, condictione ex Canone, & rei vendicatione Decimas petere?

NEgare debent omnes Authores primæ sententiæ, nuper relatæ (licèt non omnes id faciant) eo quòd negent, Ecclesiam verum habere dominium in Decimas, antequam à reliquis fructibus separentur; & ideò absolutè asserere tenentur quòd solùm ex vnico capite, seu sola ex vnica actione, nempe, ex condictione ex Canone, possit Ecclesia Decimas à debitoribus, petere. Sic videtur sentire Layman, *tractat.* 6. *cit. cap.* 2. *num.* 3. *vers. Quæres.*

Vbi, sibi quærenti, qua actione Ecclesia, vel Parochus, Decimas petere possit, respondet; quòd condictione ex lege, siue Canone.

Sed probabilius Respondeo: Quòd non solùm condictione ex Canone, hoc est ex lege Canonica, quæ laicis imponit onus, & debitum Decimas soluendi; sed etiam, rei vendicatione, possit Ecclesia, seu Parochus, Decimas petere. Hoc quidem ex dictis constat. Sic communiter Doctores secundæ sententiæ, nuper relatæ. D.Thom. 2.2.*q*.87.*art*.2.*ad* 4. ibidem Syluius, Fagundez, *cap*.6.*cit. num*.4. Bassæus *loc. cit*. Trullench *loc.cit.n*.6. Sic dicens: Hinc colligitur, Ecclesiam duplici actione posse decimas repetere, vt docet Panormit.*sup*. Prima, *condictione ex Canone*; id est, quia per Canones impositum est läicis onus, & debitum illas soluendi. Secunda, *rei vendicatione*, quæ est actio in rem & conceditur, *l.in rem.ff.de rei vendic*. Prior actio, est personalis, eaque priùs vti debet; tum ne debitores turbentur, si res apprehendatur, antequam ipsi conuenti fuerint; tum, quia diuisio, est per debitorem facienda: si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & inde decimam separare. Huc vsque Trullench.

QVÆSTIO XII.

An quando fructus non decimati venduntur, habeat Ecclesia actionem realem, & personalem, tam in venditorem, quàm in emptorem?

RESpondeo: In vtrumque actionem habere. In venditorem, videlicet; quia suis Decimis fraudauit Ecclesiam: in emptorem verò; quia habet rem Ecclesiæ debitam Potest ergo Ecclesia apprehendere dictorum fructuum Decimas, vel à venditore, vel ab emptore. A venditore tamen in praxi, apprehendet dictos fructus, si emptor bona fide emit, quia putauit iam esse decimatos: ab emptore verò, si mala fide emit, putando non esse decimatos; quia, qui mala fide emit, ea tacita conditione emit, vt teneatur illam restituere. Sic Angel. Doctor 2.2.*q*.87.*art*.2.*ad* 4. per hæc verba Ad 4. dicendum, quòd de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur, Decimas soluere non tenetur, antequam recuperet, nisi fortè propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrit. Si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesiæ decimas exigere, & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam; & à venditore, quia quantum est de se, Ecclesiam defraudauit, vno tamen soluente; alius non tenetur. Sic D. Thomas. Et cum eo Suarez, *lib*.1.*cit.cap*.36.*num*.11. Abulens. *in cap*.23. *Matth.q*.158. Lessius, *lib*.2.*cap*.39. *dub*.3. *n*.14 Layman, *tract*.6. *cit.c*.2.*n*.4. Fagundez, *lib*.1.*cit c*.6.*n*.5. Trullench. *lib*.3. *in Decalog*. *cap*.3. *dub*.2. *n*.6. Filliuc. *tract*.27.*c*.11.*q*.7. Palao, *punct*.2. *cit.n*.7. & 8. vbi ex D. Thoma, Suario, Lessio, & Fagundio, *loc. cit*, docet, & infert, quòd omnes fructus indecimatos bona fide, cùm primùm constet ei esse indecimatos, teneantur reddere Ecclesiæ: licèt possit agere contra venditorem de pretio dato. Idem docet Raphaël de la Torre *in* 2.2.*q*.87.*art*.2.*disp*.12.*à num*.6.

QVÆSTIO XIII.

An qui fructus non decimatos furatur; teneatur ex eis Decimas soluere?

REspondeo, tanquam certum: teneri. Quia dicti fructus sunt, quoad decimam partem, Ecclesiæ; ergo tenetur fur eam partem Ecclesiæ soluere. Sic Abbas, *in. cap.*: *Cum non sit*., *de decimis*. Syluest. *v. Decimæ, numero* 12. Palao, *tom*.2. *tract*.10. *punct*.2. *num*.8. Raphaël de la Torre, *in* 2.2. *quæst*.87. *art*.2. *disput*.10. *num*.1. Lessius, *lib*.2. *cap*.39. *dubit*.3. *numero* 13. *ver*. *Notandum est*. & Fagundez, *cap*.6. *cit. num*.6. Sic dicens: Ex dictis inferes, teneri filios, seruos, & quoscumque alios, qui ex fructibus non decimatis aliquid furantur, ad restitutionem Ecclesiæ faciendam pro Decima, siue parua sit quantitas, siue magna: ad mortale, & sub mortali, si quantitas fuerit magna; ad veniale verò, & sub veniali, si fuerit perexigua. Et ad eandem restitutionem teneri eos, qui ex agris spicas colligunt, ac vehunt in magna quantitate. Ita Fagundez. Et benè; dummodò non velit teneri ad restitutionem illos, qui spicas relictas à messoribus in agris colligunt; quia nec est in vsu, nec ratio dictat id esse restituendum: cùm nullum damnum Ecclesiæ colligentes tales spicas, aliàs perituras, inferant. Sic etiam Suarez, *capite* 36. *cit. num*.11. per hæc verba: Qui omnes fructus non decimatos furatur, tunc clarum est, teneri ad restituendos omnes fructus. Tamen non dubito, quin satisfaciat illos omnes reddendo priori Domino, imò fortasse non rectè faceret, reddendo nouem partes Domino, & decimam Ecclesiæ, quia non potest ipse, sua auctoritate Decimam ab alio debitam, ex illius bonis soluere, Sic ille. Et post illum Raphaël de la Torre, *loc.cit. num*.1. Vbi id absolutè, & sine dubitatione docet, & probat: Quia (inquit) prior Dominus est; qui omnium fructuum etiam decimæ partis habet dominium, & ipse, cui incumbit decimam dare.

QVÆSTIO XIV.

An qui in bello iniusto, aut aliàs iniustè, segetes, vineas, &c. combussit, aut arbores, iam fructus habentes succidit, teneatur Decimas peremptas Ecclesiæ restituere?

NEgat Castro Palao, *punct*.2.*cit. num*.9. per hæc verba. Quartò infertur impedientem à venatore piscatione; aut segetes aliorum iniustè comburentem, aut damnificantem non teneri Ecclesiæ restituere decimam partem illarum. Quia Ecclesiæ solum debentur Decimæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis. Ita expresse Molina, *tract*.2. *de iust. disp*.4. §. *Addit Couar*. & Lessius, *lib*.2. *cap*.39. *dub*.3 *num*.15. Huc vsque Castro Palao.

Sed longè multò probabilius; Respondeo: Et teneri Decimas Ecclesiæ restituere, & Ecclesiam posse ab eo tales Decimas exigere. *Primum*. constat. Quia, qui alteri iniustè damnificat tenetur damnum resarcire, vt omnes docent Doctores. *Secundum*, etiam liquet. Quia non minùs damnificat Ecclesiam, qui comburit segetes, aut perdit fructus; quàm, qui ab illa rapit illos, aut detinet: at sic est, quòd in hunc habet Ecclesia actionem, ratione rei acceptæ: ergo etiam habebit actionem in illum alium, ratione damni illati. Sic Couarru. *in Regul. peccatum. par*.2.§.8 *num*.12. Azor 1.*part.lib*.7. *cap*.34. *quæst*.9. Ioann. Andreas, Abbas, statim citandi. Suarez *tom*.1. *de Religione lib*.1.*cap*.36. *num*.17 Fagundez *de* 5.*præcept.Eccles.cap*.6.*num*.8. & Raphaël de la Torre 2.2. *q*.87. *art*.2. *disp*.11. *n*.6.

Qua

QVÆSTIO XV.

An etiam ille, qui in bello iusto segetes, vineas, olineta, & alios fructus, combussit; teneatur restituere Ecclesiæ Decimam peremptam?

NEgant absolutè Doctores communiter; Quia in hoc casu, hostis vtitur iure suo ad victoriam comparandam, vel illa potiendam. Sic Abbas *in cap. Commissum, de decimis.* Ioann. Andreas, Lessius *lib.2. cap.39. dub.3.* (non 13. vt inuenies apud Fagundez) *num.15.* Fagundez *lib.1. de 5. præcept. Eccles. cap.6. num.8.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.8.* Villalob. *tract.33. diff.* a. Raphaël de la Torre *loc. cit. num.* i. licèt *num.9.* in nostram responsionem inclinet.

Ego clariùs Respondeo: Non teneri quidem ad restitutionem Decimæ peremptæ, casu, quo illa destructio fructuum, sit necessaria ad victoriam comparandam, quia tunc, vt benè docent Doctores citati, nullo modo grauatur conscientia militum, etiam respectu Decimæ, in qua damnificatur Ecclesia nam verè vtuntur iure suo, & non possunt Decimæ separationem facere. Secus verò dicendum, casu quo præfata combustio fructuum, non sit medium necessarium ad victoriam comparandam, vel ad bellandum securè, & expeditè; quia tunc qui combussit, vel destruxit fructus, teneretur ad restitutionem Decimæ peremptæ, cum potuisset bellum agere, sine dicto Ecclesiæ damno. Sic Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.36. num.17.* Filliuc. *tract.27. cap.11. quæst.7. n.246.* Et idem philosophandum est, de aliis causis, quæ assignari possunt, præfatæ vastationis, aut depopulationis; vt v. g. si arbores fixæ sint muro domus, per quas facilis sit transitus ad interiora ædium, iure succindentur, &c.

QVÆSTIO XVI.

An si ipsemet parochianus suas segetes, vineas &c. comburat; teneatur, pro decimis consumptis, satisfacere Ecclesiæ?

NEgat Bonac. *disp. vltim. q.5. punct.3. num.9.* Quia dominus agri (inquit) non tenetur soluere Decimas agri ex fructibus, quos sua culpa non collegit: ergo nec tenetur si segetes combussit, antequam fructus colligeret. Ita ille, qui, & citat pro se, Molinam *disp.49.* & Lessium *lib.2. cap.5. dub.7. num.38.*

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri. Constat ex dictis. Quia si extraneus comburens tenetur, etiam tenebitur ipsemet Dominus segetum: cùm vterque damnum inferat Ecclesiæ æqualiter. Sic communiter Doctores, Suarez, Filliuc. Trullench, *loc. cit.* Couarru. *part.2. §.8. num.18.* & alij. Nec Lessius pro opposito citatus loquitur in propria specie de nostro casu; quamuis bene in simili, de quo loquendo licèt oppositum tueatur, est satis cum timore, & magis ex sententia aliorum; quàm ex propria.

QVÆSTIO XVII.

An qui, collectis iam fructibus, & positis in eo statu, in quo tenetur statim decimam Ecclesiæ tribuere illam non soluit; & interim fructus pereunt: teneatur decimam persoluere?

NEgat etiam Bonacina *loc. cit. num.9.* Quia non tenemur (inquit) ad solutionem decimarum fructuum, quos non collegimus.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Teneri. Quia tunc sua culpa fructus periere: & consequenter ius quod Ecclesia in fructus habebat, violauit & peccauit contra iustitiam, & ideò tenetur ad restitutionem Decimæ destructæ. Sic expressè D. Thom. *2.2. quæst.87. art.2. ad 4.* vt vidimus *quæst.11.* Sotus *lib.9. de iust. quæst.4. art.2. ad 4.* vbi sic ait: Ad quartum denique respondetur, quòd si granum agricolæ ante decimationem, sublatum est, tunc Decimas, nisi culpata sua negligentia furtum accideret, non debet. Idem perfectò arbitrur, si vel fruges, vel iam excussus grani aceruus alluuione aliqua in area perierit. Si enim graui sua culpa diù illud relinquit in area, profectò non esset à decimarum debito immunis. Secus si esset à culpa liber: nam quanto tempore sub dio est granum, Sacerdotibus etiam periclitatur; postquam verò in horrea conditum est, iam inde dominus est decimarum debitor, quacumque strage, aut calamitate dispereat. Sic Sotus, cuius hæc sunt verba; non illa, quæ refert Suarez *lib.1. cit. cap.36. num.19. in fine.* Sic etiam ipsemet Suarez *numer.20.* Gloss. Aleps. & Rebuff. penes ipsum. Fagundez *c.6. cit. numer.9.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.8.* Filliuc. *tract.27. cap.11. quæst.8. à numer. 247.* Raphaël de la Torre *in 2.2. quæst.87. art.2. disput.10. num.4. & 5.*

QVÆSTIO XVIII.

An etiam ille, qui in colligendis fructibus valdè negligens fuit, aut omninò noluit eos colligere, & ideò perierunt; teneatur decimam peremptam restituere?

NEgat Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.36 num.20.* Sic, inquiens: Distinguendum igitur videtur de mora. Vna est quando collectis iam fructibus, & in eo statu positis, in quo teneatur quis statim decimam tribuere Ecclesiæ non soluit, sed detinet. Alia est mora in colligendis ipsis fructibus, tempore opportuno; quo in statu, non videtur adhuc obligare præceptum Ecclesiæ, quia solum obligat ad dandas Decimas, ex fructibus collectis, vt apertè habetur ex cap. *Cum homines*, de Decimis. Huc vsque Suarez. Et ex illo, etiam Filliuc. *tr.27. c.11. n.249.* Trullench *lib.3. in Decal. cap.3. dub.2. n.8. & dub.10. n.12.* Bonac. *disp. vlt. q.5. punct.3. nu.9.* Castro Palao *tom.2. tract.10. punct.2. n.9.* & Raphaël de la Torre *2.2. qu.87. art.2. disp.10. n.12. & 14.*

Sed, probabiliùs longè. Respondeo: Teneri ad restitutionem Decimæ peremptæ. *Primò.* Quia Decimæ fructuum, ex iustitia debentur Ecclesiæ, vt suprà habitum est ergo illa mora ac negligentia habita in colligendis fructibus, contra iustitiam processit; ergo nocumentum, quod ratione illius negligentiæ, aut omissionis, prouenit, debitori imputatur tanquam iniuria illi facta: ergo illud restituere tenetur. Hoc argumentum facit Suarez *loc. cit. n.20.* ad probandum teneri ad restitutionem Decimæ destructæ, qui fuit negligens, & omissus in conseruandis fructibus iam collectis, de quibus diximus, quæstione præcedenti; sed certè si vis rationis perpendatur, etiam nostram responsionem conuincit, vt constat.

Secundò. Quia falsum est, quòd præceptum decimandi, aut decimarum, non extendatur ad fructus colligendos, sed solùm ad collectos: quia aliàs, nec ille, qui in bello iniusto segetes, olineta, vel vineas, vel arbores combussit, succiditve; nec proprius Dominus, qui suas segetes destruxit, aut fuit causa moralis talis damni, teneretur ad soluendas decimas destructas, & peremptas; quod est falsum, vt fatetur

ipsemet Suarez, cum communi (aut saltem multò minùs probabile) vt vidimus q.14.& 16. ergo præceptum decimarum, etiam ad fructus colligendos, extenditur; ergo, qui in illis colligendis est valdè omissus, & remissus, ad restitutionem Decimæ fructuum, quos aliàs perciperet, tenebitur. Vnde caput. *Cum homines*, quod pro sua sententia affert Suarez, tam de fructibus collectis, quàm colligendis, est intelligendum, propter dicta. Sic S Thom. 2.2. *quæst.* 87. *art.* 4. *ad* 4. & Sotus *lib.* 9. *de iust.* q.4. *art.* 2. *ad* 4. cuius verba retulimus, quæst. antecedenti. Et esse probabile, satis clarè innuit Trullench *loc. cit.* cum contrarium solum, vt probabile sequatur.

QVÆSTIO XIX.

An qui non habuit sui prædij fructus, quia, vel noluit seminare, vel vineam, aut oliueta, &c. colere; teneatur ad decimas soluendas?

AFfirmant aliqui, quos suppressis nominibus, refert Filliuc. infrà citandus, & teneri etiam affirmare Authores nostræ sententiæ, nuper relatos, vt Suarez *loc. cit. num.* 17. *in fine.* Quia etiam est in causa, vt Ecclesia careat decimis suis.

Sed tanquam longè probabilius Respondeo: Non teneri. *Primò.* Quia præceptum decimarum, non extenditur ad cogendos colonos, vt agros seminent, sed solùm ad decimandum de fructibus, quos de facto percipiunt, aut perceperunt aliàs erant, si sua culpa non perijssent, iuxta nuper habita; quod constat, ex omnibus capitibus iuris, decimas præcipientibus.

Secundò, quia (vt benè Fagundez *c.*6. *cit. n.*10. ad simile propositum) Ecclesia solùm est domina decimarum ex fructibus productis non autem prædiorum, arborum, aut agrorum: ergo cùm dominium camporum maneat apud sæculares, possunt isti, ad suum libitum vti re sua, & iure suo: ergo, si seminare, vel vineas colere, &c. ergo, si non seminêt agros aut non colant, non peccabunt, saltem contra iustitiam, & ideò ad restitutionem decimarum non tenebuntur. Ex quibus iam constat ad rationem pro affirmatiua parte adductam. Non enim militat eadem ratio de illo, qui non vult seminare, ac de illo, qui fructus iam productos in quos Ecclesia iam habet dominium, destruit aut est causa moralis talis damni. Sic Doctores communiter. Suarez *cap.* 36. *cit. r.* 19. *& seq.* Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 11. *quæst.* 8. *num.* 148. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 8. *& sub.* 10. *num.* 12. Bonac. *disp. vlt. cit q.* 5. *punct.* 3. *num.* 9. Castro Palao *punct.* 2. *cit. num.* 9. Addens, quòd in dictis casibus, possit Ecclesia parochianum compellere, vt agrū administret per se, vel colonos, vt possit cum integritate decimas persoluere, & si noluerit, possit de facto ipsa Ecclesia colonum constituere. Ita illos, ex Abbate, & Suario. Sic etiam Raphaël de la Torre *q.* 87. *art.* 2. *disp.* 10. *num.* 16.

QVÆSTIO XX.

An teneatur ad restitutionem decimarum (quibus priuat Ecclesiam) qui agros, & vineas in domos conuertit, præcipuè si id faciat malitiosè, ob non soluendam Decimam?

REspondeo: Non teneri. Quia Domini possunt vti re sua ad suum libitum, vt nuper diximus: ergo domini agrorum, & vinearum, licitè possunt, non solùm mutare agrum in vineam, vel vineam in agrum; verumetiam vineas, & agros, in domos; (adhuc contradicentibus Parochis) absque vlla obligatione restituendi Ecclesiæ decimas, quibus Ecclesiam, hæc permutando, priuant, licèt alias, si malitiosè id faciant, odij, aut iudiæ peccatum admittet, non tamen iniustitiæ; ideoque non tenebuntur ad restitutionem. Sic Rebuff. *tract. de Decimis*, q.6. *num.* 35. Hostiens. *in summ.* §. *vt vtrum*, *vers. Decim.* Quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Ecclesiæ cap.* 6. *num.* 10.

QVÆSTIO XXI.

An Parochus possit, propria authoritate accipere decimas à suis Parochianis, iniustè illas detinentibus?

REspondeo: Non posse. Quia ad pacem Reipublicæ spectat, quòd nemo per vim spolietur rebus suis; at sic est, quòd licèt parochianus decimas debeat, adhuc tamen est legitimus possessor earum: ergo. Sic communiter. Nauarr. *lib.* 3. *consil.* 1. *de decimis.* Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 12. *num.* 259. Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 15. *num.* 4. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *num.* 9.

QVÆSTIO XXII.

An Parochus possit nolentibus soluere decimas, Sacramenta, propria authoritate, denegare?

REspondeo: Non posse; nisi aliàs peccatum sit notorium: & publicè per sententiam declaratum Quia nemò potest, sine causæ cognitione, alium sui iuris vsu priuare; quia illud esset auctoritate priuata priuare, quòd non est licitum, etiamsi esset iudex: at Parochus priuans propria authoritate parochianos vsu Sacramentorum priuat eos vsu sui iuris: ergo. Sic optimè meus Nauarrus *loc. cit.* Filliuc. & Trullench. ex ipso *loc. cit.* Suarez *lib.* 1. *cit. cap.* 25. Molfesius *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 53. Palao *tract.* 10. *cit. punct.* 15. *num.* 4.

QVÆSTIO XXIII.

An Redecima, (hoc est, duplex decima) de vna, & eadem re, siue de vno accruo, solui debeat?

REspondeo: Non debere, (nisi aliàs sit introducta cõsuetudo redecimandi: quia tunc solui debet.) Ratio est Quia redecima; non solùm est præter, sed contra ius, vt docent Cocc. *decis.* 372. *n.* 12. & 7. & Ludou. Postius, *de manutenend. ob ferv.* 44. *n.* 57. addens id est verum, etiam casu, quo vna decima prætenderetur ab Ecclesia prædiali; & altera ab Ecclesia Sacramentali: ergo de vna & eadē re, nec debet solui, nec percipi duplex decima. Sic ipsi, Innoc. in cap. *Cum non sint*, *de Decimis* Gloss. *deducendas*, in cap. *Pastoralis*, *eod. tit.* & ibi alij Doctores. Gigas *de pension. q.* 59. *n.* 3. & 4. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 10. & Barbosa *lib.* 3. *de iure vniuerso c.* 26. §. 1. *n.* 46. Et est textus expressus in *l.* 7. nouæ recop. *lib.* 1. *tit.* 5. & *l.* 10. & 13 & 16. *tit.* 20. *part.* 1. Azebedo *in dict. l.* 7. & penes illum, Didacus Perez Montaluus, & alij.

QVÆSTIO XXIV.

An ius exigendi Decimas sit spirituale?

REspondeo: Affirmatiuè, Quia ius exigendi decimas fructuum, competit Ministris Ecclesiæ, ob mini-

ministerium rerum spiritualium, nempe, verbi diuini, & Sacramentorum; ergo est spirituale. Ideoque ad decimarum perceptionem requiritur Clericatus, seu tonsura, tanquam dispositio, & tanquam quid, dans capacitatem ad illas percipiendas. Sic Suarez *tom.1. de Relig.cap.38. num.16.* (non *cap.28. num.6.* vt inuenies citatum apud Trullench.) Barbosa *lib.1. de iure vniuerso cap.26. §.2. num.1. & 2. in cap. Ad hæc de decimis, num.3.* Moneta, *tractatu de decimis, cap.5. num.57.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.8. num.1. & 10.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.36. quæstione 1.* Azeuedo, *lib.1. noua recopil. tit.5. l.1. numero 2.* & alij omnes.

QVÆSTIO XXV.

An Decima petenda sit, coram Iudice Ecclesiastico; an verò coram Ciuili?

RESpondeo: Petendam esse coram iudice Ecclesiastico, non coram ciuili. Quia causa decimarũ est spiritualis, & Ecclesiastica, vt constat ex superdictis, & ex cap. *Parochianos* de decimis: at sic est, quòd causa spiritualis, solùm pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, vt constat ex Clem. *Dispendiosa, de iudiciis, & cap. Decernimus, eod. tit.* ergo. Sic absolutè loquendo docent omnes Doctores, licèt in singularibus casibus, de quibus statim, non nihil varient. Legantur Azor *loc. cit.* & Diana, *1. part. tract. 2. Res. 90. & 91. & 3. part. tract. 1. Resol. 50. & part. 4. tractat. 1. Resol. 56.*

QVÆSTIO XXVI.

An saltem, possit quis petere decimas, coram Tribunali Principis sæcularis; si illud, ex Iudicibus Ecclesiasticis, simul & sæcularibus, constet?

RESpondeo: Non posse, (saltem quando quæstio, & causa est iuris) nisi aliàs iudices Ecclesiastici à Romano Pontifice constituti fuerint. Quia ratio habetur eius, à quo iurisdictio est mandata: ergo si iudicum potestas, & iurisdictio, à solo Principe sæculari fluat, sæcularis erit, non Ecclesiastica; ac per consequens non potest coram illa quis causas decimarum agere. Sic Rebuff. *de decimis, quæst. 10. num. 36.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 36. quæst. 2.* & Fagundez *in 5. præcept. lib. 3. cap. 5. num. 4.* Qui addunt, hoc adeo verum esse, quod nec etiam iudex Ecclesiasticus simul cum sæculari, de causa iuris decimarum iudicare possit, etiam ratione compromissi; ex cap. *Contingit*, de Arbitris, Trullench *lib. 3. in Decalog. c. 3. dub. 8. n. 11.* Bonac. *de 5. præc. Eccles. q. 5. punct. 6. num. 2.*

QVÆSTIO XXVII.

An ad minùs, possint Iudices sæculares cognoscere, de causa decimarum, quando Decimæ in feudum datæ laicis, etiam Principibus, Romani Pontificis concessu?

AFfirmant Ioannes Rupellius *lib. 1. forensium instit. cap. 25.* Gulielmus Benedictus *ad cap. Raynutius, de Testam. in verbo si absque num. 45.* (non *num. 360.* vt inuenies apud Fagundez) Cananæus *in Consuetud. Burgun. §. 6. n. 350.* & Couarruu. *in Pract. quæst. cap. 35. num. 2.* Quos pro hac parte refert Azor, *vbi infrà.* Quibus addi possunt D. Alphonsus Narbona *in 3. part. noua recopil. lib. 4. tit. 21. leg. 26. num. 11.* & penes ipsum, Gomez de Leon *decis. 491.* Stephan. Gratianus *discept. forens. cap. 238.* & Zeual. *tract. de cognitio. per viam violentiæ 2. part. quæst. 55. num. 8.* (Sed ex iis malè citatur Gratianus cùm oppositum expresse doceat, vt infrà) Castro Palao *to. 2. tract. 10. disp. vnica punct. 15. num. 6.* & Trullench *loc. cit.* in causa tamen solùm, quo Decimæ datæ sint in feudum perpetuum; & non pro limitato tempore. Fundamentum eorum est: Quia, si Decimæ laico in feudum datæ, Romani Pontificis priuilegio coram iudicibus Ecclesiasticis agi deberent, multo iuri laicorum detraheretur, sic enim, iudices Ecclesiastici, facilè laicos eluderent, & qua possent ratione, eorum priuilegium inuerent, & vel ex toto, vel ex parte abrogare niterentur.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Adhuc non posse; nisi aliàs id, expresso priuilegio, dictis laicis concedat Romanus Pontifex. *Primò.* Quia licèt, ipsum feudum datum sæcularibus, in se sæculare sit; quia tamen à iure spirituali dependet, & oritur, nempe à iure decimarum censeri omnino debet res spiritualis, non profana, aut ciuilis, petat. Quia quando temporale quid oritur, & dependet à spirituali, ratione connexionis, censetur etiam spirituale, cum ratione spiritualium debeatur, vt bene Caiet. *de Simon. q. 1. ad finem:* ergo eius cognitio ad Ecclesiasticum forum pertinere debet.

Secundò. Quia quando Sum. Pontifex decimas in feudum sæcularibus concedit, non ideò censendus est de facto transferre lites causarum decimarum ad forum sęculare, nisi id exprimat in feudo: quia (vt bene Azor) non ideò, quòd vnum priuilegium beneficia Principis conceditur alicui, eo ipso alterum datum esse creditur. Sic Federicus *in consil. 254.* & Rebuff. *de decimis, q. 10. n. 35. & 39.* quos citat, & sequitur Azor *lib. 7. cit. cap. 37. q. 3. §. Hoc posito.* Fagundez *lib. 3. in 5. præcept. Eccles. cap. 5. num. 5.* Gratianus, *loc. cit.* pro parte contraria *num. 60. 61. & 62.* & penes ipsum, Federicus. Ioan. Monachus, Gomez. Lamb. Ruin. & alij. Diana *1. part. tr. 2. Re. 91.* Qui tamen malè citat Rebuffum, pro contraria sententia; expressè namque docet, locis citatis, non posse iudices laicos de decimis etiam infeudatis cognoscere, nisi ex speciali priuilegio. Vnde meliùs citat illum Azor pro nostra sententia, licèt id non doceat Rebuffus *num.* . vt citat ille, sed *num. 35. & 39.* à nobis citatis. Idem rursus docet Diana *3. p. tr. 1. Res. 50.* & quædam decisio Rotæ apud Postium, nempe 535. vbi *n. 10.* Sic habetur: Iidem causa decimarum, quæ datæ sunt in feudum sæcularibus, discutienda est coram iudice Ecclesiastico: licèt enim dominium huiusmodi decimarum, scilicet fructuum illarum omninò spectet ad laïcos, & feudum censeatur sæculare, tamen quia oritur, & dependet à iure spirituali, & Ecclesiastico, non potest Iudex laïcus de illis cognoscere. Sic ibi.

QVÆSTIO XXVIII.

An casu, quo Decimæ, authoritate Papæ, in Principes laicos, contractu permutationis translatæ fuerint, possit tunc causa de decima, quæ Principi debetur, coram sæculari Tribunali cognosci?

RESpondeo: Posse. Quia, quando contractu permutationis, Principes laïci dictas decimas, re alia temporali, vel maioris, vel æqualis æstimationis; pretij, aut vtilitatis compensarunt; tunc lis, aut causa de decima, amplius spiritualis non est; eo quòd decima, ratione permutationis legitimæ factæ,

principi debetur: & Ecclesia, etiam retinet suum ius integrum in re cum qua decima permutauit; nam quod substituitur io locum alterius, sortitur conditionem, & ius eius, in quod subrogatur. Sic Azor *cap.36. quæst.3. vers. Cæterum.* Quem citat, & sequitur Stephanus Gratianus 2.*part. discept. forens. c.238. num.83.* (vbi idem docet loquendo de alius translationibus decimarum, siue per viam donationis, siue ex alia causa, quod antea docuerat *num.58*) Fagundez *cap.5. cit. num.7.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.8. num.11.* Raphaël de la Torre 2.2.D.Thomæ *tom.2. quæst.87. disp.8. num.4.* Quem citat, & sequitur Diana 3.*part. tract.1. Resol.50.*

QVÆSTIO XXIX.

An Decimarum causa, quando quæstio, aut lis, est iuris, non facti, ad iudices Ecclesiasticos pertineat?

RESpondeo: Taoquam certum pertinere. Quia, vt habitum est suprà, *quæst.24.* ius decimarum est spirituale: ergo ad forum Ecclesiasticum pertinet, vt constat ex habitis *q.25.* Vnde ad iudices Ecclesiasticos, & non ad sæculares, pertinet, cùm quæstio est iuris; v.g. cùm agitur, cuius sit decimarum ius? ad quamnam Ecclesiam ius decimarum pertineat? sitoe aliquis priuilegiatus, aut consuetudine exemptus à solutione decimarum? Quo titulo percipiantur? Quo modo, & tempore decimandum est? Quibus expensis? &c. Sic omnes Doctores. Legantur Azor *tom.1. lib.7. cap.36. quæst.5.* Rebuff *tract. de decimis quæst.12. num.2.* Suarez *tom.1. de Relig. libro 1. cap.38. num.15. & 16.* Fagundez *lib.3. in 5. præcept. Ecclesiæ cap.5. num.1.* Lessius *lib.2. de iust. cap.39. dub.4. num.18.* Trullench *lib.3. in Decalog. capite 3. dub.8. num.18.* Bassæus *verb. Decima num.12.* Palao *tom.2. tract.10. disp. vnica punct.15. num.5.* Barbosa *lib.3. de iure vniuerso cap.26. §.4. num.1.* Diana 1.*part. tract.2. Resol.40.* & penes illum, Moneta *de decim. capite 8. quæst.1. num.2. & 5.* Gutierrez *de iuram. confir. part.1. cap.2. num.35.* & Germonius *de Sacr. immun. lib.3. cap.19. numero 84. & 99.* Molfesius *tractat.6. cap.4. num.67.* dicens in hoc, nullum inuenisse contradictorem.

QVÆSTIO XXX.

An adhuc, quando lis super decimas, est facti; vt si quæratur; soluerit ne Paulus Decimam debitam, an non? Debeatne soluere ille, an alius? &c. *tunc etiam debeat tractari, coram iudice Ecclesiastico?*

NEgant expressè, Fredericus *consil.245.* Zerola etiam *in praxi Episcopal. part.1. verb. Decima. Ad sextum.* & penes ipsos, alij contendentes in hoc casu, causam decimarum, coram iudice ciuili, & sæculari, solummodo agi debere, Quia quæstiones decimarum, cùm sint de facto, amittunt (inquiunt) illam connexionem, quam cum rebus spiritualibus habent: ergo solùm ad forum sæculare spectant.

Negant etiam alij, docentes, prædictas causas, & quæstiones, cùm sint de facto, esse mixti fori; & ideò posse tractari vel coram iudice sæculari, vel coram Ecclesiastico. Quia vbique (inquiunt) videmus Episcopos, Ecclesiasticis censuris, & pœnis, cogere laïcos ad restituendas decimas, furtò ablatas; & ad soluendas illas, quæ noò sunt solutæ. Quapropter si lis, & causa apud iudicem Ecclesiasticum cœpta est, non est ad iudicem sæcularem deferenda, quia agi coram vtroque iudice, sæculari, vel Ecclesiastico, potest, ita vt iure possit vnus alterum præuenire. Sic Rebuff. *tract. de decimis quæst.10. num.39. & quæst.12. num.3.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.38. num.16.* Couarru. *in practicis q. cap.35. num.2.* Gomez, Ripa, & Belluga, quos omnes citat, & sequitur Fagundez *loc. cit. numer.2. & 12.* Trullench, *loc. cit. num.12.* Barbosa *loc. cit.* Diana 1.*part. tract.2. Resol.90.* & penes ipsum, Gutierrez, & Germonius *loc. cit.* Palao *tom.2. tract.10. puncl.15. numer.5.* Stephaous Gratianus 2.*part. discept. forens. cap.238. num.10.* (adiuncto *n.16.*) & apud ipsum, Ripa, Gomes. Caldes. Barbosa (intellige, *senior*) Iason, Federic. Zeuall. & alij.

Sed mihi probabiliùs Respoodeo: Adhuc debere tractari huiusmodi causas de facto, circa Decimas, coram iudice Ecclesiastico, non ciuili. Quia, re vera, hæ decimarum causæ, etiamsi sint facti, sunt spirituales, vel rebus spiritualibus adnexæ, vel ex spirituali descoodentes, nempe, ex iure decimarum: ergo solùm ad iudicem Ecclesiasticum spectare possunt. Sic Azor 1.*p. lib.7. cap.36. quæst.5.* Homobonus *de Exam. Eccles. part.2. tract.8. cap.8. q.24.* Raphaël de la Torre 2.2. D. Thom. *tom.2. quæst.87. disp.8. num.5.* & alij, peoes ipsos.

QVÆSTIO XXXI.

An quando Clerici Decimas petunt à laïcis, qui præscriptione, vel consuetudine immemorabili illa nunquam soliti sunt persoluere; fas sit laicis, eam causam, coram ciuili iudice, agere; & authoritate illius, contra Clericos, se defendere?

AFfirmant quidam licitum esse in hoc casu laïcis, agere huiusmodi causas, coram iudicibus sæcularibus, adireque illos, vt eos defendant, inhibeantque iudices Ecclesiasticos. *Primò.* Quia tunc, non videtur tractari de causa decimarum iuris, sed facti. *Secundò.* Quia in Francia, edicto Philippi Pulchri Regis; & in Hispaoia Caroli V. constitutione, talis decimarum causa, coram iudicibus secularibus agitur; & Episcoporum iussa, & mandata, si ad eos causa defertur, inhibentur: & tandem, cùm id sit vsu, & coosuetudine receptum, improbari, & damnari nequit. Sic Couar. *in pract. q. c.35. n.2. & lib.1. varior. cap.17. num.18. v. Nonò principaliter.* & penes Gratianum vbi infrà, Ferre. Osasc. Menoch. Guido, Pap. Peregrin. Ioan. Ign. Roland. Thesaur. Misinger. & alij plures. Carolus Degrassalius *lib.2. Regalium Franciæ in iure septimo.* Horum sententiam, dicunt Palao, *punct.15. cit. num.7.* & Trullench *num.12. cit.* esse veram, quando Ecclesia petit decimas, existimans laïcos noo habere priuilegium, aut oon præscripsisse; non verò quando petit, iudicans præscriptionem, non esse legitimam; vel priuilegium validum non esse; quia tunc inquiunt, ad iuris, & non facti quæstionem pertioet; & sic io hoc secundo casu, illicitum erit laïcis, coram ciuili, & sæculari iudice causam prædictam agere; licitum verò, in primo.

Sed probabiliùs Respondeo: Noo esse licitum in dicto casu, coram ciuili iudice causam agere. *Primò.* Quia probabiliùs est, talem quæstionem: & litem, esse iuris, & non facti; vt de se constat, & probat bene Fagundez, infra: at sic est, quòd in omnium opinione, quæstiones, & lites, ortæ super decimas, si sunt iuris, pertinent ad iudices Ecclesiasticos, vt suprà *quæst.29.* est habitum: ergo. *Secundò.* Quia dato, & non concesso, quòd talis lis, esset facti, & non iuris adhuc dicendum

dicendum est, quòd decisio illius ad iudicem Ecclesiasticum pertineat, ob rationem assignatam pro nostra sententia, quæstione 30. videlicet, quia causa de decimis est spiritualis: at sic est, quod de causis spiritualibus, laïci iudicare non possunt, cùm id Canones omnino prohibeant, vt suprà q. 25. est habitum: ergo.

Ex quibus iam constat ad rationes in contrarium adductas. Ad primam, dicendum talem quæstionem esse iuris, & non facti. Imo dato, quod esset facti, non pertinere nisi ad iudices Ecclesiasticos, vt patet ex dictis.

Ad secundam dicendum, quòd, si in Hispania, & Francia contrarium, constitutionibus Regiis, obseruatur, id possit euenire, vel quia sequuntur opinionem probabilem, iuxta quam ita sanxere; vel quia fortè ad id habent priuilegium aliquod, saltem per famam extans. Nam aliàs, vsus contrarius, nullo modo probari potest, cum sit corruptela, vt bene docet Azor *lib. 7. tit. q. 4. & 7.* vbi per hæc verba, ad argumentum ex consuetudine desumptum, respondet: Ergo (inquit) huiusmodi consuetudinem suprà dictam, corruptelam esse puto, & proinde locum non habere, quia cum Canonico iure pugnat; quare nisi, vel Priuilegio Romani Pontificis, vel expresso eius consensu approbetur, non valet: nec sufficit, si dicas eam permitti, nam permittitur certè, quia commodè impediri non potest, aut permittitur inscio Pontifice, aut inuito, & reclamante. Huc vsque Azor defendens, & sequens nostram sententiam, & penes ipsum, Rebuffus, *tract. de Decim. q. 10.* Sic etiam Fagundez, *de 5. prac. Eccles. lib. 3. c. 5. n. 10.* dicens, hanc esse veram sententiam, Diana, *1. par. 2. Resol. 92. & 3. part. tract. 2. Res. 50.* Raphaël de la Torre, *2. 2. q. 87. disp. 8. num. 5.* Tannerus, *in 2. 2. D. Thomæ, disp. 5. q. 3. dub. 2. num. 40.* Stephanus Gratian. *2. p. discept. forens. c. 238. à num. 4.* & penes ipsum, Rebuff. *loc. cit. n. 7.* Puteus, *decis. 361. lib. 1.* & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An laicus conductor Decimarum, conueniri debeat coram iudice Ecclesiastico; quando pretium conducta, seu locata Decimæ, soluere non vult?

NEgant imprimis, aliqui Doctores, docentes, talem conductorem decimarum, solùm apud iudicem sæcularem conuenire posse. Quia censent, huiusmodi causam, implendi, videlicet contractum initum, & promissis standi, de soluendo pretio Decimæ conductæ, & locatæ, esse merè prophanam, & ciuilem: ergo ad solum Iudicem sæcularem, & ciuilem spectare potest. Ita docet Palao, *tom. 2. tract. 10. disp. vnica punct. 15. num. 9.* Quam citat, & sequitur Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 8. num. 11.* Pro qua sententia, vterque affert Couarruuiam, *c. 35. pract. quæst. num. 2. vt §. Quintò* (sed an ita bene, statim videbimus) sic etiam Gutierrez *pract. qq. lib. 3. q. 26. num. 10.* & alij.

Negant deinde alij, existimantes, posse prædictum conductorem, in dicto casu, vocari in iudicium, tam apud Iudicem ciuilem, quam Ecclesiasticum. Quia existimant, dictam causam esse mixti fori. Ita Fagundez, *loc. cit. n. 11.* citans pro se Couarruuiam, (*loc. cit.* pro se à Trullench) & bene quidem, quia saltem in aliquo euantu, clarè docet hanc sententiam iis verbis; Quintò, non video congruam rationem, qua defendi iure valeat, laïcum decimarum conductorem, posse conuenire, absque vlla fori præscriptione, apud Iudicem Ecclesiasticum, in hac etenim specie, non agitur de iure decimarum, nec de decimis soluendis ab his, qui tenentur eas soluere, sed de soluendo pretio quo conductæ fuere decimæ alicuius Parochiæ & iam à Colonis, & à quibuscumque prædiorum dominis solutæ. Et ideò rectè poterunt hi conductores apud Iudicem sæcularem conueniri: imo iure ordinario debet ab eo causa tractari, poteritque iudicium Ecclesiasticum declinare. Quamuis, iure Regio expeditum sit, conductores istos posse, apud Ecclesiasticum Iudicem conueniri, quoties in conductionis contractibus se conductores submiserint iurisdictioni Ecclesiasticæ, censuris, & aliis Canonicis legibus, aut iuramentum præstiterint, &c. Huc vsque Couarruuias. Cuius etiam sententiam tenent Germonius, *de sacr. immunit. lib. 3. c. 19. n. 97.* Moneta, *de decim. c. 8. q. 1. n. 17.* Alphonsus Narbona *in 3. p. nouæ Recopil. l. 4. tit. 21. l. 26. n. 12.* Vbi sic ait: Ergo vt laïcus decimarum conductor per Ecclesiasticum iudicem per censuras ad decimarum solutionem iure compelli possit, necessarium erit, quòd in ipso conductionis contractu se iurisdictioni Ecclesiastici iudicis subiecerit, vel iureiurando ad illarum præstationem se obstrinxerit, quo in casu ratione submissionis huiusmodi, vel iuramenti laïcus conductor decimarum fori Ecclesiastici efficietur, vti statuitur *in l. 9. 10. & 11. tit. 1. supra hoc lib. 4.* & probant Couarr. Collantes, & Zeual. & cæteri, vbi suprà. Huc vsque Narbona.

Sed iuxta doctrinam à nobis suprà traditam, probabiliùs, Respondeo absolutè dicendum, quòd in dicto casu; conueniri, & vocari debeat conductor, seu locator decimarum, coram Iudice Ecclesiastico, & non laïco, etiamsi locator, iuramento, aut submissione Ecclesiastico iudici non se subiecerit. Quia probabilius est, quòd omnes causæ, & lites decimarum, siue Iuris, siue facti sint, debent coram Iudice Ecclesiastico tractari: quia huiusmodi causæ, vel sunt spirituales, vel ortum habent ab illis. Vnde licèt, in casu nostræ quæstionis, lis non sit de decima, sed de pretio locatæ, & conductæ decimæ persoluendo; nihilominus tamen ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, iudicare de illa; eo quòd defluat à causa decimarum, quæ ad illum per se spectat, vt sæpe vidimus. Sic bene Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 36. q. 6.* Quem citat, & sequitur Diana, *1. part. tract. 2. Resol. 94. & 3. part. tr. 2. Resol. 50.* Raphaël de la Torre, *in 2. 2. quæst. 87. disp. 8. num. 5.* & Tannerus ibidem. *disput. 5. quæst. 3. dub. 2. num. 40.*

QVÆSTIO XXXIII.

An causa, seu lis, super possessionem Decimarum solùm coram iudice Ecclesiastico tractari debeat?

NEgant Panormitan. Vincent. Ioann. Andreas, & alij, quos refert Couarr. *in pract. quæst. c. 35. n. 1. vers. Secunda conclus.* Quia existimant, causam possessionis rei spiritualis per laïcum iudicem examinari, & tractari posse.

Sed certissimè Respondeo: Solùm coram Iudice Ecclesiastico tractari debere. Quia dicta causa est Ecclesiastica, vt constat ex Clement. vnica, *de caus. possessio. & propriet.* & Clement. vnica *de sequestratio. possess. & fruct.* Sed sic est, quòd, secundùm Canones, causæ Ecclesiasticæ tractandæ; & examinandæ sunt, ac debent, apud Iudices Ecclesiasticos, non apud sæculares, vt constat, *ex cap. 2. de Iudiciis*: ergo. Sic Anton. Ioannes Dayama, & Augustinus Beroius, quos citat, & sequitur Couarruu. *loc. cit. vers. Verum, si diligenter.* Palao, *tom. 1. tract. 10. punct. 15. n. 8.* Trullench, *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 8. num. 12. in fine.*

Sotus *lib. 9. de inst. q. 4. art.* 2. Hostiens. Couarru. & Gutierrez, quos citat, & sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *prac. Eccles. cap.* 2. *num.* 4. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *disput.* 5. *num.* 9. vbi ait, hanc nostram sententiam esse veram, & communem, tam apud Theologos, quàm Canonistas; & censuram Innocentij, iosanam, & audacem.

QVÆSTIO XIII.

An praceptum Decimarum veteris legis, fuerit Cærimoniale?

AFfirmauit Apud Suarium, Henricus, *quodlib.* 4. *q.* 28. nouissimè affirmat Cornelius a Lapide (licèt obiter) *in cap.* 27. *Leuitici, vers.* 30. §. *Hinc c. Parochianos.*

Sed, tanquam certum ferè, Respondeo: Nullo modo illud præceptum fuisse cærimoniale, sed iudiciale, quoad determinationem partis decimæ. *Primò.* Quia præcepta cærimonialia ita cessarunt, vt renouari non possint per legem humanam: at sic est, quòd præceptum Decimarum est retentum in Ecclesia, vt infrà, quod in iudicialibus præceptis fieri potest; vt docet D. Thom. 1. 2. *quest.* 104. *art.* 3. ergo. *Secundò.* Quia præcepta iudicialia dicebantur, quæ ad debitum ordinem, & æquitatem inter partes illius populi seruandam, ordinabantur: vt docet D. Thom. 1. 2. *quest.* 104. at sic est, quòd præceptum Decimarum ordinabatur ad constituendam æquitatem quamdam inter Tribus illius populi; eo quod Tribus Leui, non habuit partem cùm alijs Tribubus in diuisione terræ, quoad prædia, & possessiones (vt suprà est habitum) ergo oportuit aliquo modo illud recompensari; quod factum fuit per solutionem Decimarum: ergo præceptum soluendi Decimas, iudiciale fuit. Sic S. Thom. 2. 2. *question.* 87. *art.* 1. & ibi Caietan. Sotus *lib. 9. de instit. & iure qu.* 4. *artic.* 1. *concl.* 1. Aragon. Valentia, & Astensis, quos citat, & sequitur Suarez *lib.* 1. *citato, cap.* 9. *num.* 8. Vasquez *in opusc. tract. de beneficiis dub.* 1. *num.* 2. Barbosa *in cap. Parochianos, de Decimis, num.* 4. *in fine.* Rebuff. *de decimis, q.* 1. *n.* 14. & communit.

DISPVTATIO II.

De obligatione soluendi Decimas, in lege Euangelica.

QVÆSTIO I.

An in lege noua teneantur fideles aliquo iure, Decimas Ministris Ecclesiæ soluere?

NEGARVNT olim quidam hæretici; quos referunt Turrecremata *lib.* 4. *de Eccles. p.* 2. *cap.* 37. Castro *de hæres. lib.* 4. *vers. Decima,* quos postea secutus fuit Vuiclephus vt refert. Vualdens. *lib.* 2. *de doct. fidei antiquæ, cap.* 64. & 65. docentes, Decimas non esse iure aliquo debitas Sacerdotibus: sed meras eleemosynas, quas proinde, possint fideles ad libitum negare Sacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed de fide Respondeo: Teneri fideles aliquo iure (de quo postea) Decimas Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ soluere. Ideoque non esse meras eleemosynas, sed subsidium Sacerdotibus, & alijs Ministris debitum, propter ministerium spirituale ab illis Christiano populo impensum. Quia sic definitum fuit in Concil. Constantien. contra Vuiclephum, *sess.* 8. Et in Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. præcipitur, quòd excommunicentur qui decimas subtrahunt, aut impediunt; & quòd ab hoc crimine, nisi restitutione secuta, non absoluantur. Quod intellige, de iis solum, qui ante mortem, vel ante sumptionem Eucharistiæ, restituere possunt, vt infrà. Sic omnes Theologi, & Canonistæ, & vniuersi Catholici. Legantur Nauarr. *cap.* 21. *n.* 12. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *qu.* 5. *punct.* 1. Lessius *libr.* 2. *de inst. & iure cap.* 39. *dub.* 1. *à n.* 1. *vsque ad* 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. Fagundez *de* 5. *precept. Ecclesiæ, lib.* 1. *in principio.* Raphaël de la Torre 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *disp.* 4. & alij infrà citandi.

QVÆSTIO II.

An diuisio Decimarum, in Personales, & Prædiales, sit sufficiens, & adæquata?

AFfirmant Glossa in cap. *Ad Apostolica. de Decimis.* & Suarez *cap.* 9. *cit. num.* 4. Sotus, *lib.* 9. *de inst. quæst.* 4. *art.* 2. *vers. Conclusio quidem,* & Barbosa *libro* 3. *de iure vniuerso, cap.* 16. *num.* 9. & *in lib.* 3. *decretal. titulo* 30. *de decimis, in principio, num.* 11. & Summa Goffredi, *tit. de Decimis num.* 21. Quibus fauet meus Nauarr. *consil.* 3. *de Decimis, num.* 8. dicens, hanc sententiam esse communiter receptam, & approbatam. Fundamentum eorum est: quia in *citato cap.* solùm fit mentio Decimarum Personalium, & & Prædialium, sicuti etiam *in lib.* 1. *parti.*

Negant verò è contrà alij, dicentes: non esse sufficientem, & adæquatam dictam diuisionem; eo quòd existiment, triplicem esse distinctionem Decimarum; *Prædiales* videlicet, *Personales,* & *Mixtas.* Decima *Prædialis* est, inquiunt, decima pars fructuum prouenientium ex terra, campisve, arboribus, locatione ædium & similium. *Personalis* verò, est decima pars fructuum prouenientium ex industria personæ, nempe ex mercatura, negotiatione, piscatione, venatione, ludo, scientia, aut ex alio hominis artificio, & manuum labore. *Mixta* tandem, est decima pars fructuum prouenientium ex animalibus, vt sunt fœtus, lana, lac, butyrum, & similia, quæ ideò dicitur, Decima Mixta, quia huiusmodi fructus, partim ex prædijs naturaliter, partim ex industria hominum proueniunt. Sic Abulens. *in cap.* 23. *Matthæi qu.* 150. D. Thom. 2. 2. *qu.* 87. *articul.* 2. Nauarr. *cap.* 21. *n.* 29. Azor. *tom.* 1. *libro* 7. *cap.* 34. *quæst.* 3. Bonac. *qu.* 5. *cit. punct.* 2. *num.* 1. Vazquez *tom. opusc. tract. de Beneficiis cap.* 1. (non 7. vt offendes apud Bonacinam) *dub.* 6. & penes ipsum, Sotus *art.* 2. *cit.* Syluest. *ver. Decima q.* 6. Nauarr. & D. Thom. *loc. cit.* Sed ex his malè citatur Sotus: nam hic Author, solùm distinguit Decimas in personales, & prædiales, seu reales. Lessius *lib.* 2. *de iustitia & iure cap.* 29. *dubit.* 3. *nu.* 12. Fagundez *lib.* 1. *de quinto precept. Eccles. cap.* 2. *num.* 1. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 1. Bassæus, *verb. Festum, nu.* 1. Qui malè citat Suarium pro hac parte. Iodocus *verb. Decimæ, n.* 3. Reginald. *lib.* 19. *c.* 3. *sect.* 3. *n.* 83. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 3. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 1. *num.* 2. Molfesius, *in summ. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 32. Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 10. *docum.* 1. *n.* 2. Qui etiam malè citat Suarium pro hac parte, *eod. n.* 4. citato à nobis pro opposita parte. Graffius, *part.* 2. *decis. lib.* 2. *c.* 27. *num.* 8. Bauny, *tom. de Sacram. tract.* 10. §. *de Decimis, q.* 1. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. *disp.* 1. *num.* 6. Gregor. Lopez, *in l.* 1. *part.* 1. *tit.* 20. *verb.*

verb. Dos maneras. Rebuff. *de Decim. quæst.* 3. *nu.* 31. 32. *&* 33.

Sed mihi Respondendum videtur: Quòd in re, verior sit prima sententia, clarior ac distinctior secũda; ideoque claritatis gratiâ, hanc sequemur. *Prima Pars*, huius responsionis probatur. Tum ex fundamento pro prima sententia adducto. Tum etiam; Quia Decima mixta, ad Prædialem reduci debet, vtpotè in illa contenta, vt latè probat Suarez, *n.* 4. *cit.*

Secunda verò pars, constat ex se. Vnde ipsemet Suarez, *loc. cit.* ait, quòd breuitatis causa, interdum vtetur nomine Decimarum mixtarum; ad significandas Decimas ex fructibus animalium, vbi specialis difficultas circa eas occurrerit. Legatur Castro, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 1. *nu.* 2. vbi ait hanc controuersiam, duntaxat esse de nomine, cùm certum sit apud omnes, de omnibus præfatis rebus decimas deberi.

QVÆSTIO III.

Quot modis, possint accipi, considerariuè, Decimæ?

RESpondeo: Quòd, duobus. Primò, genericè, & secundùm substantiam, videlicet, pro congrua sustentatione ministrorum Ecclesiæ, & potest vocari decima sustentationis; secundò strictè, & propriè, nempe pro determinata parte fructuum, hoc est, pro decima parte fructuum terræ, pecorum, &c. quæ in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ soluitur; & vocatur decima quotæ. Sic supponunt, ad resolutionem sequentium difficultatum, omnes Doctores. Legantur Azor, Suarez, Fagundez, Bonacina, Trullench, & alij, *loc. cit.*

QVÆSTIO IV.

An decimæ genericè sumptæ, nempe, pro sustentatione congrua, & necessaria Ministris Ecclesiæ, sint illis debitæ, iure naturali, & diuino?

REspondeo tanquam certum, esse illis debitas, vtroque iure, nempe naturali, & diuino. Et quidem, quòd sint illis debitæ iure naturali, constat. Quia recta ratio dictat, imo, & præcipit, vt eos, qui nobis inseruiunt, alamus & consequenter, vt demus Ministris Ecclesiæ, qui nos spiritualia docent, vnde viuant. Id enim manifestis argumentis probat Apostolus, 1. *Cor.* 9. *Quis* (*inquiens*) *militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Sic Paulus Apostolus.

Quòd autem etiam debitæ sint, iure diuino; planè liquet, ex Verbis Christi Domini, *Lucæ* 10. vbi sic dicit: *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Quæ verba ad nostrum intentum, citat Apostol. 1. *ad Timoth.* 5. ergo vtroque iure debentur Ecclesiæ Ministris Decimæ genericè sumptæ, hoc est, pro sustentatione necessaria Sacerdotum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum Sic D.Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *& quodlib.* 11. *art.* 8. Caiet. 2. 2. *loc. cit.* Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 34. *q.* 4. *col. mihi* 782. Valentia, *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *punct.* 1. *col. mihi* 1316. Lessius, *lib.* 2. *de iust. cap.* 39. *dub.* 1 *n.* 4. Bonac. *q.* 5. *cit. punct.* 1. *num.* 3. Fagundez, *lib.* 1. *cit. cap.* 1. *num.* 2. Barbosa, *lib.* 3. *de iure vniuerso, cap.* 26. *num.* 6. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 1. *n.* 4. Trullench, *lib.* 3. *in decalog. cap.* 1. *dub.* 1. *numero* 4. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. Nauarr. *de Redd. Ecclesiast. qu.* 1. *mon.* 58. Gutierrez *lib.* 2. *can. qq. cap.* 21. *num.* 9. Bassæus, *verb. Decimæ, num.* 1. Iodocus, *eod. verb. num.* 4. Vasquez, *tract. de benef. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 5. & penes illum, Syluester, Maior, Adrian. Sotus, Castro, & Couarru. Grassis etiam *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 10. *&* 11. Molfesius, *in sum. tractat.* 6. *cap.* 4. *num.* 22.

QVÆSTIO V.

An decimæ propriè sumptæ; hoc est, prout sunt Decima pars fructuum, debeantur Ministris Ecclesiæ, iure etiam naturali?

AFfirmant Andreas Hispan. *tract. de Decimis* §. 2. (vt refert Suarez infrà citandus) cui fauet Rebuff. *tract. de Decimis, quæst.* 1. *n.* 9. *&* 10. quatenus docet, quòd, quamuis dictæ decimæ non debeantur Ministris Ecclesiæ iure naturali, debeantur tamen, iure diuino positiuo, dictante ratione naturali.

Sed, tanquam omninò certum; Respondeo dicendum, quòd dictæ Decimæ, nullo modo debeantur Ministris Ecclesiæ iure naturali. *Primò.* Quia nulla ratio naturalis dictat, necessarium esse dare Ministris Ecclesiæ ad suam sustentationem, decimam partem fructuum; aut prouentuum, vt constat. *Secundò.* Quia vt suprà, *disp.* 1. *quæst.* 2. est habitum, & docet D.Thom. 1. 2. *quæst.* 87. *artic.* 1. *ad* 2. ante legem scriptam, nullum fuit præceptum soluendi Decimas strictè sumptas: ergo præceptum eas soluendi, non est de iure naturali. Sic omnes Doctores communiter. Legantur Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 34. *qu.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. *& cap.* 10. *num.* 1. & alij mox citandi.

QVÆSTIO VI.

An saltem, huiusmodi Decimæ, iure diuino debeantur Ecclesiæ Ministris?

AFfirmant communiter Canonistæ, Innocent. *in Rubric. de Decimis, & in cap. vltim. de Parochiis;* & ità acriter, vt dicat, ferè esse hæreticos, qui asserunt, Decimas, etiam sub lege gratiæ, non iure diuino, sed tantum deberi humano. Glossæ, *in cap. Nuper de Decim. & in cap.* 1. *de Decimis in* 6. Archid. *in cap. Decimæ* 19. *q.* 1. Ioan. Andreas, Abbas, Alexand. & alij quos citat Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 2. *vers. Et præter has.* Ita etiam Grassis, *cap.* 27. *cit. numero* 11. *&* 12. Azeuedo, *lib.* 1. *noua Recopil. tit.* 5. *in l.* 1. *num.* 1. *&* 5. & penes ipsum, Couarr. *cap.* 17. *cit.* Rebuffus, *tract. de Decim. q.* 1. *à num.* 1. & Didacus Perez, *in d. l.* 1. *quæst.* 5. per totam. Additque hanc sententiam approbare Concilium Trident. *in sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. (Sed ex his Authoribus, Couarruuias oppositum docet. Et Tridentinum Concilium nil huic sententiæ fauet.) Ita etiam Riccius, *part.* 6. *collectan. decis.* 2393. dicens, id esse plusquam clarum, ac notum, & tenuisse Rot. *in antiquam decis.* 75. Capycium, *decis.* 70. Franc. Marc. *in decis. Delph.* 198. Iosephum Ludouicum *in decis. Perus.* 106. Reusner. *decis.* 2. Tyndarus, *de Decim. à num.* 10. Bonascos, Reusner, Peous, Gregor. Germon, Borrell. Andreas Hispan. & Albert. Phig. quos pro hac parte citat Barbosa, *cap. Parochianos. de Decim. num.* 2. Quos, oblitus sui, sequitur *in cap. Nuper. eo. cit. num.* 4. ibi: Verbum, decimæ, referri potest ad decimas extraordinarias, quæ imponuntur ab homine, non autem ad ordinarias, & prædiales, quæ sint debitæ de iure diuino.

diuino. Sic Barbosa ibi cùm aliàs contrarium docuerit, vbi infrà. Sic etiam Ceuallos *comm. contra com. tom.* 1. *quæst.* 437. Qui citat pro se Ancharranum, Francum, Menchacam, Nauarrum, & alios. Sed ex iis, malè citat Nauarrum, vt infrà.

Affirmant etiam alij Canonistæ, limitando tamen ex parte dictam sententiam; dicendo, quòd licèt verum sit quòd Decimæ prædiales sint debitæ Ministris Ecclesiæ iure diuino; non tamen Decimæ personales; quia istæ sunt (inquiunt) de iure Ecclesiastico. Ita Hostiens. *in summ. tit. de Decimis*, §. 7. *& in cap. In aliquibus de Decimis*, vnde non bene illum refert Trullench, inter Authores primæ sententiæ. Henricus, Felinus, Imola, Florianus, & alij, penes Suarez, & Vasquez, *vbi infra*.

Fundamenta vtriusque sententiæ sunt hæc. *Primò*. Quia in sacra Scriptura expressè præcipitur, vt decima pars fructuum Leuitis, & Sacerdotibus soluatur, *Exod.* 20. *Leuit.* 27. *& Num.* 18. vt habitum est suprà, *disp.* 1. ergo præceptum soluendi dictas decimas, saltem prædiales, de iure diuino est.

Secundò. Quia in iure Canonico, expressè dicitur, quòd Decimæ non sint institutæ ab homine, sed à Deo. Item; quòd diuino præcepto sint soluendæ: vt constat ex cap. *Parochianos*, cap. *Tua nobis*, *& in cap. Cum non sit, titul. de Decimis, & cap. Decimas, & cap. Reuertimini* 16. *q.* 1. & alibi: ergo decimæ, etiam strictè sumptæ, quoad suam quotam, vel, quod idem est, prout sunt decima pars fructuum, iure diuino debentur Ministris Ecclesiæ.

Sed, tanquam mihi certum, Respondeo dicendum. Quòd nullo modo iure diuino, sed solummodo iure humano, positiuo Ecclesiastico, exemplariter constituto ad imitationem præcepti iuris diuini veteris legis, debeantur nunc Ministris Ecclesiæ Decimæ strictè sumptæ, prout sunt, scilicet decima pars fructuum terræ.

Probatur *Primò*. Quia in lege gratiæ, nullum extat præceptum datum à Christo Domino de decima parte fructuum danda, & soluenda Ministris Ecclesiæ, vt latè probat D. Thom. *quodlib.* 2. *art.* 8. ergo solutio harum decimarum, non est de iure diuino.

Secundò. Quia si decima, prout est pars decima fructuum, esset præcepti iuris diuini, nullo modo posset consuetudine contraria tolli, vel minui: at sic est, quòd in multis regionibus, & locis, vel ex toto, vel ex parte, tale præceptum est consuetudine ablatum, vel abrogatum: ergo. Sic sentiunt omnes Theologi cum D. Thoma, *quodlib. cit. &* 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. Vbi Caiet. Raphaël de la Torre, & alij interpretes. Alens. D. Anton. Ricard. Henric. Adrian. Abulens. Sot. & alij, quos citat, & sequitur Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Maior, *in* 3. *dist.* 37. *q.* 36. affirmans, & dicens, opinionem relatam Iuristarum, esse hæresim; cùm oporteat, eam niti hæretico principio; nempe, præceptum diuinum iudiciale veteris legis de soluendis decimis, adhuc obligare, cùm sit de fide certum iam expirasse. Vazquez, *to. opusc. tract. de beneficiis cap.* 1. *dub.* 1. *nume.* 5. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 35. *q.* 4. Bonac. *disp. vlti. de præc. Eccle. quæst.* 5. *pun.* 5. *num.* 2. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubitatione* 1. *n.* 6. Valentia, *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *pun.* 1. Reginald. *lib.* 19. *num.* 84 Molfesius, *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 22. *& sequen.* Fagundez, *de* 5. *præcep. Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 20. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 6. *&* 7. Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 7. *n.* 6. *num.* 147. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica pun.* 1. *num.* 4. dicens, hanc sententiam esse omnino veram. Quamuis in summatio capitis, solùm illam probabiliorem vocet. Syluest. *v. Decima num.* 10. Vbi acriter reprehendit Iuris Canonici Interpretes. Iodocus. *v. Decima pun.* 4. Bassæus, *eod. verb. num.* 1. Villalob. *tract.* 33. *diff.* 5. *n.* 4. Rodriguez, 1. *p. sum. cap. mihi* 87. *num.* 1. & alij Theologi communiter. Et ex Canonistis, Princeps eorum, Nauarr. *in man. cap.* 21. *num.* 28. *& de reddit. Ecclesiast. quæst.* 1. *monito* 69. Couarrum. 1. *variar. cap.* 17. Gutierrez, *lib.* 2. *Canon. qq. cap.* 21. *numero* 8. Barbosa, *lib.* 3. *de iure vniuerso cap.* 26. *num.* 7. *& in cap. Parochianos, de Decimis, num.* 4. & penes ipsum, præter aliquos ex à nobis citatis Malder. *de iust. & Religione, tract.* 10. *tit. de Decim. dubit.* 2. Fernandez, *in exam. Theolog. moral. part.* 1. *ad* 7. *præcep. Decalogi, cap.* 15. §. 3. Henriquez, *lib.* 7. *cap.* 27. §. 1. *& lib.* 14. *cap.* 1. §. *vlt. lit. T*, Ceuall. & alij. Sed ex iis, malè Ceuall. Sic etiam Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 10. *docum.* 1. *n.* 7. Luysius, *in summ.* 1. *part. cap.* 137. *dub.* 2. citat etiam pro hac parte Ceuall. vbi suprà Rebuffum, *quæst.* 1. *a numero* 2. Sed non benè cùm oppositum nullibi doceat, & ipsemet Ceuall. pro contra citet, *quæst.* 364. *numero* 3.

Ad fundamenta autem oppositæ sententiæ, ex dictis patet. *Ad primum* enim dicendum, tale præceptum, siue fuerit iudiciale, vt nos suprà diximus, siue cerimoniale, vt alij dixere, iam omnino cum lege veteri cessasse, & expirasse, & ideò solutionem decimarum, non esse de iure diuino veteri, imo, nec nouo, vt ostensum est.

Ad secundum dicendum est, quòd ideò, in iure Canonico dicitur, Decimas, etiam quoad quotam, esse soluendas iure diuino, quia earum solutio ortum habuit ex iure, seu lege diuina, & positiua Dei, ad cuius exemplum Ecclesia, nouo iure, præcepit eodem modo soluendas.

QVÆSTIO VII.

An Ecclesia rectè taxauerit decimam partem fructuum ad sustentationem Ministrorum Dei?

NEgauit turpiter Erasmus, *in Annotation. ad Nouum testamentum*, dum ausus fuit dicere, exactionem Decimarum esse tyrannidem.

Sed certissimè de fide, Respondeo: Rectè, ac iustè Ecclesiam assignasse decimam partem fructuum pro sustentatione Ministrorum Dei. *Primò*. Quia ita decreuere multa Iura, & Concilia, vt habetur in Decretis, 16. *q.* 1. *&* 7. præcipuè *cap. Ecclesia, cap. Decimis, cap. decimas, &c.* Et in Decretalib. *titul. de Decimis, lib.* 3. *& in* 6. Et in Concil. Tridentino, *sess.* 25. *cap.* 13. *de Reformatione*, & in Concil. Constantiensi, *sess.* 8. & alibi.

Secundò. Quia sic sentit vniuersalis Ecclesia, quæ errare nequit in moribus. Legantur. Theologi, & Canonistæ citati, præcipuè Caietan. 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *& in summ. verb. Decima.* Suarez, *lib.* 1. *cit. cap.* 12. Valentia, *disput.* 6. *cit. qu.* 5. *punct.* 1. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 2. Fagundez, *lib.* 1. *cit. c.* 1. *n.* 12. Filliuc. *num.* 148. *cit.* Vasquez, *du.* 1. *citato*, & Luysius, *in sum.* 1. *p. cap.* 137. *dub.* 3.

QVÆSTIO VIII.

Quas ob causas, præceptum dandi Decimas, nouè ab Ecclesia institutum sit?

REspondeo: Quòd ob multas. *Prima*, vt profiteamur Deum; omnium rerum habere dominium; omniumque bonorum esse auctorem, vt habetur cap. *Tua nobis*, & cap. *Cùm non sit de Decimis, & text. in l.* 7. *tit.* 20. *part.* 1. *Secunda*, vt Ministri Dei commodè

modè sustententur; ita, vt omni cura soluti, & liberi, expeditiùs, liberiúsque possint legi Dei, eiusque cultui vacare, iuxta illud 2. *Paralip. cap.* 13. Præcepit etiam Ezechias populo habitanti Hierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Dei. *Tertia.* Quia Ministri noui Testamenti, non sunt minùs, sed potiùs multò digniores, veteris testamenti Ministris: ergo sicut illis, vt conseruarent suum statum in populo, liberiúsque, & expeditiùs Deo inseruirent, decimam partem fructuum terræ gens Israëlitica contribuebat; à fortiori his, debet populus Christianus, ob eandem causam, decimas præstare. *Quarta.* Quia alias, si Sacerdotes, his Ecclesiæ fructibus, non sufficienter alerentur; necessium esset vt vilissimis ministeriis, cogerentur inseruire, vnde parum boni fidelibus præstare possent. Ex quo constat, quòd decimæ, ob multas, & iustissimas causas, nouè ab Ecclesia institutæ sint. Legantur Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubit.* 2. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *q.* 4. Suarez, *lib.* 1. *cit. cap.* 11. *num.* 5 Iodocus, *ver. Decima, num.* 5. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 2. *num.* 5. & Raphaël de la Torre, *in* 2.2. *qu.* 87. *art.* 1. *disput.* 6. & optime Rebuffus, *tract. de Decim. qu.* 2. *à num.* 1.

Qvæstio IX.

An solutio Decimarum, sit virtutis Religionis actus?

AFfirmat D.Thom. 2.2. *q.* 87. & cum eo communiter omnes Theologi.

Sed distinctione vtendo, sic Respondeo: Si consideretur Decima, vt est necessaria, ac competens sustentatio Sacerdotum, debita illis, ob sacrum ministerium; sic, immediatè est actus iustitiæ commutatiuæ; cùm (vt suprà est habitum) ex iustitia, Sacerdotibus necessaria sustentatio debeatur: Si verò consideretur, Decima, vt est res quædam, quam Sacerdotibus in recognitionem dominij, quod Deus habet super vniuersos fructus terræ, soluimus, & per quam Deum colimus, illius ministros sustentando, sic Decimarum solutio, actus est Religionis. Et vtroque modo fit à fidelibus. Sicque intelligendus est D.Thomas, & alij Theologi. Ita Lessius, *lib.* 2. *c.* 39. *dub.* 1. *num.* 8. Fagundez, *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Eccles. cap.* 1. *num. vltim.* Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 10. *&* 11. & Castro Palao, *tom.* 2. *tractat.* 10. *disputat. vnica, punct.* 2. *numero* 10. Qui ex dictis colligit, non soluentem decimam, duplex peccatum committere (vel vnum peccatum, cùm duplici circunstantia) alterum, contra iustitiam; & alterum, contra Religionem. Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 3. Suarez, *lib.* 1. *citato, cap.* 36. *num.* 1. & Machado, *tr.* 10. *cit. docum.* 1. *num.* 8. Raphaël de la Torre, *disp.* 6. *cit. num.* 2. Vbi ait, multis titulis decimas Ministris Ecclesiæ esse debitas; sed præcipuè lege iustitiæ, Religionis, ac misericordiæ.

Qvæstio X.

An Ecclesia seu eius Ministri, verum habeant dominium Decimarum, antequam separentur à cumulo fructuum, vi præcepti soluendi Decimas?

NEgant quamplures Canonistæ, & Theologi, docentes, quòd nullo modo habeat Ecclesia, vel Parochus, dominium decimæ partis fructuum, antequam hæc, ab aliis fructibus, seu ab eorum cumulo, separatur, & aliquo modo, saltem per designationem,

Ecclesiæ tradatur. Sic Glossa in cap. *Moderamini, verb. Sibi vendicent.* 16. *quæst.* 1. & Gloss. *in cap. Tua nobis de Decimis, verbo Tributa.* Federicus Senens. *consil.* 74. Rebuff. *tractat. de Decimis, quæst.* 3. *num.* 16. *&* 17. *& quæst.* 9. *à num.* 8. Moneta, *cap.* 8. *num.* 35. Quos citat, & sequitur Bonacina, *disputat. vltim. de præcept. Eccles. qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 5. Quibus addi possunt Layman, *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 5. & (penes ipsum, & Trullench) Suarez, *tom.* 1. *de Religio. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 6. Filliuc. *tractat.* 27. *numero* 239. Quorum sententiam, cùm eam in vltimo collocet loco, videtur sequi Machado, *lib.* 2. *part.* 4. *tractat.* 10. *docum.* 1. *num.* 9. Lnysius, *in summ.* 1. *p. c.* 140. *dub.* 3.

Fundamentum huius sententiæ est. Quia dominium rei, non comparatur absque traditione, aut apprehensione illius.

Sed probabiliùs Respondeo dicendum, quòd Ecclesia, ex vi præcepti soluendi decimas, verum habeat dominium decimatum (seu decimæ partis fructuum) antequam soluantur, vel separentur à cumulo fructuum; & ideò quòd omninò sint debitæ Ecclesiæ, tanquam res alienæ respectu debitoris, ante earum separationem; quia ex quo fructus percipiuntur, statim incipiunt esse sub dominio Ecclesiæ.

Probatur hæc sententia. *Primò.* Quia Deus dicit Decimas esse suas, *cap. Tua nobis*: at sic est quòd *suum*, indicat dominium: ergo. *Secundò.* Quia Ecclesia potest Decimas vendicare, *cap. Moderamini* 16. *q.* 1. Sed vendicatio datur Domino, in re sua, *l.* 1. *& l. In rem. ff. de rei vendicatione*: ergo. *Tertiò.* Quia Ecclesia habet priuilegium, vt sine traditione consequatur dominium rei sibi legatæ, aut donatæ. *cap.* 2. *de consuetud. l. vt inter ins. C. de Sacrosanctis Ecclesiis*: ergo etiam ea voluntate Dei, & Ecclesiæ, transfertur dominium Decimarum in Ecclesiam, seu Clericos illius, ante traditionem illarum. Patet tum, quia efficacior est voluntas Ecclesiæ, quàm priuati donatoris: at hæc sufficit: ergo, à fortiori, illa. Tum etiam, quia id significant Canones citati: ergo. Sic Abbas, *in c. Commissum, & cap. Tua nobis de Decimis*; dicens, esse sententiam Innocentij. Ioann. Andreas, & Hostiensis, Azor, 1. *p. lib.* 7. *cap.* 34. *q.* 9. *col. mihi* 787. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 39. *dubit.* 3. *num.* 14. *&* 15. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *numero* 5. Fagundez, *lib.* 1. *de præcept.* 5. *Eccles. cap.* 6. *num.* 3. *&* 4. Vbi ait, in re, idem sentire Suarium, loco, pro prima sententia ab alij citatum, *à numero* 8. Et in hanc sententiam videtur inclinare Bassæus, *verb. Decima, numero* 14. & aliqua ex parte, Castro Palao, *tom.* 2. *tractat.* 10. *punct.* 2. *à numero* 8. Vbi pro illa citat Suarium loco citato, & Raphaël de la Torre, *in* 2.2. *quæst.* 87. *art.* 1. *disputat.* 7. quatenus hanc opinionem in vltimo refert loco, dissoluitque fundamenta sententiæ oppositæ.

Qvæstio XI.

An Ecclesia possit duplici actione, nempe, condictione ex Canone, & rei vendicatione Decimas petere?

NEgare debent omnes Authores primæ sententiæ, nuper relatæ (licèt non omnes id faciant) eo quòd negent, Ecclesiam verum habere dominium in Decimas, antequam à reliquis fructibus separentur; & ideò absolutè asserere tenentur quòd solùm ex vnico capite, seu sola ex vnica actione, nempe, ex condictione ex Canone, possit Ecclesia Decimas à debitoribus, petere. Sic videtur sentire Layman, *tractat.* 6. *cit. cap.* 2. *num.* 3. *vers. Quæres.*

Vbi, sibi quærenti, qua actione Ecclesia, vel Parochus, Decimas petere possit, respondet; quòd condictione ex lege, siue Canone.

Sed probabiliùs Respondeo: Quòd non solùm condictione ex Canone, hoc est ex lege Canonica, quæ laicis imponit onus, & debitum Decimas soluendi; sed etiam, rei vendicatione, possit Ecclesia, seu Parochus, Decimas petere. Hoc quidem ex dictis constat. Sic communiter Doctores secundæ sententiæ, nuper relatæ. D.Thom. 2.2.*q.87.art.2.ad* 4. ibidem Syluius, Fagundez, *cap.6.cit. num.*4. Bassæus *loc. cit.* Trullench *loc.cit.n.6.* Sic dicens: Hinc colligitur, Ecclesiam duplici actione posse decimas repetere, vt docet Panormit. *sup.* Prima, *condictione ex Canone*; id est, quia per Canones impositum est laicis onus, & debitum illas soluendi. Secunda, *rei vendicatione*, quæ est actio in rem & conceditur, *l.in rem.ff.de rei vendic.* Prior actio, est personalis, eaque priùs vti debet; tum ne debitores turbentur, si res apprehendatur, antequam ipsi conuenti fuerint; tum, quia diuisio, est per debitorem facienda: si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & inde decimam separare. Huc vsque Trullench.

Qvæstio XII.

An quando fructus non decimati venduntur, habeat Ecclesia actionem realem, & personalem, tam in venditorem, quàm in emptorem?

Respondeo: In vtrumque actionem habere. In venditorem, videlicet; quia suis Decimis fraudauit Ecclesiam: in emptorem verò; quia habet rem Ecclesiæ debitam Potest ergo Ecclesia apprehendere dictorum fructuum Decimas, vel à venditore, vel ab emptore. A venditore tamen in praxi, apprehendet dictos fructus, si emptor bona fide emit, quia putauit iam esse decimatos: ab emptore verò, si mala fide emit, putando non esse decimatos; quia, qui mala fide emit, ea tacita conditione emit, vt teneatur illam restituere. Sic Angel. Doctor *2.2.q.87.art.2. ad* 4. per hæc verba Ad 4. dicendum, quòd de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur, Decimas soluere non tenetur, antequam recuperet, nisi fortè propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrit. Si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesiæ decimas exigere, & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam; & à venditore, quia quantum est de se, Ecclesiam defraudauit, vno tamen soluente, alius non tenetur. Sic D. Thomas. Et cum eo Suarez, *lib.1.cit.cap.36. num.*21. Abulens. *in cap.*23. *Matth.q.*158. Lessius, *lib.2.cap.39. dub.3. n.*14 Layman, *tract.6. cit.c.2.n.4.* Fagundez, *lib.1. cit c.6.n.5.* Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. n.6.* Filliuc. *tract.27.c.1 2.q.7.* Palao, *punct. 2. cit.n.7. &* 8. vbi ex D. Thoma, Suario, Lessio, & Fagundio, *loc. cit.* docet, & infert, quòd omnes fructus indecimatos bona fide, cùm primùm constet ei esse indecimatos, teneatur reddere Ecclesiæ: licèt possit agere contra venditorem de pretio dato. Idem docet Raphaël de la Torre *in 2.2.q.87. art.2. disp.*12. *à num.6.*

Qvæstio XIII.

An qui fructus non decimatos furatur; teneatur ex eis Decimas soluere?

Respondeo, tanquam certum: teneri. Quia dicti fructus sunt, quoad decimam partem, Ecclesiæ; ergo tenetur fur eam partem Ecclesiæ soluere. Sic Abbas, *in. cap. Cum non sit., de decimis.* Syluest. *v. Decima, numero* 12. Palao, *tom.1. tract.*10. *punct.2. num.8.* Raphaël de la Torre, *in 2.2. quæst.*87. *art.2. disput.*10. *num.*1. Lessius, *lib.2. cap.39. dubit.3. numero* 13. *ver. Notandum est.* & Fagundez, *cap.6. cit. num.6.* Sic dicens: Ex dictis inferes, teneri filios, seruos, & quoscumque alios, qui ex fructibus non decimatis aliquid furantur, ad restitutionem Ecclesiæ faciendam pro Decima, siue parua sit quantitas, siue magna: ad mortale, & sub mortali, si quantitas fuerit magna; ad veniale verò, & sub veniali, si fuerit perexigua. Et ad eandem restitutionem teneri eos, qui ex agris spicas colligunt, ac vehunt in magna quantitate. Ita Fagundez. Et benè; dummodò non velit teneri ad restitutionem illos, qui spicas relictas à messoribus in agris colligunt; quia nec est in vsu, nec ratio dictat id esse restituendum: cùm nullum damnum Ecclesiæ colligentes tales spicas, aliàs perituras, inferant. Sic etiam Suarez, *capite 36. cit. num.*11. per hæc verba: Qui omnes fructus non decimatos furatur, tunc clarum est, teneri ad restituendos omnes fructus. Tamen non dubito, quin satisfaciat illos omnes reddendo priori Domino, imò fortasè non rectè faceret, reddendo nouem partes Domino, & decimam Ecclesiæ, quia non potest ipse, sua auctoritate Decimam ab alio debitam, ex illius bonis soluere. Sic ille. Et post illum Raphaël de la Torre, *loc.cit. num.*1. Vbi id absolutè, & sine dubitatione docet, & probat: Quia (inquit) prior Dominus est; qui omnium fructuum etiam decimæ partis habet dominium, & ipse, cui incumbit decimam dare.

Qvæstio XIV.

An qui in bello iniusto, aut aliàs iniustè, segetes, vineas, &c. combussit, aut arbores, iam fructus habentes succidit, teneatur Decimas peremptas Ecclesiæ restituere?

Negat Castro Palao, *punct.2.cit. num.9.* per hæc verba. Quartò infertur impedientem à venatore piscatione; aut segetes aliorum iniustè comburentem, aut damnificantem non teneri Ecclesiæ restituere decimam partem illarum. Quia Ecclesiæ solum debentur Decimæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis. Ita expresè Molina, *tract.2. de iust. di p.4. §. Addit Couar.* & Lessius, *lib.2. cap.39. dub.3 num.*15. Huc vsque Castro Palao.

Sed longè multò probabiliùs, Respondeo: Et teneri Decimas Ecclesiæ restituere, & Ecclesiam posse ab eo tales Decimas exigere. *Primum* constat. Quia, qui alteri iniustè damnificat tenetur damnum resarcire, vt omnes docent Doctores. *Secundum*, etiam liquet. Quia non minùs damnificat Ecclesiam, qui comburit segetes, aut perdit fructus; quàm, qui ab illa rapit illos, aut detinet: at sic est, quòd in hunc habet Ecclesia actionem, ratione rei acceptæ: ergo etiam habebit actionem in illum alium, ratione damni illati. Sic Couarru. *in Regul. peccatum. par.2.§.8 num.*12. Azor 1.*part.lib.7. cap.34. quæst.9.* Ioann. Andreas, Abbas, statim citandi. Suarez *tom.1. de Religione lib.1.cap.36. num.*17. Fagundez *de 5.præcept.Eccles.cap.6.num.*8. & Raphaël de la Torre 2.2. *q.87. art.2. disp.*11. *n.6.*

Qvæ

Qvæstio XV.

An etiam ille, qui in bello iusto segetes, vineas, oliueta, & alios fructus, combussit; teneatur restituere Ecclesiæ Decimam peremptam?

NEgant absolutè Doctores communiter; Quia in hoc casu, hostis vtitur iure suo ad victoriam comparandam, vel illa potiendam. Sic Abbas *in cap. Commissum, de decimis.* Ioann. Andreas, Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 3.* (non 13. vt inuenies apud Fagundez) *num. 15.* Fagundez *lib. 1. de 5. præcept. Eccles. cap. 6. num. 8.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 2. num. 8.* Villalob. *tract. 33. diff. 2.* Raphaël de la Torre *loc. cit. num.*.. licèt *num. 9.* in nostram responsionem inclinet.

Ego clariùs Respondeo: Non teneri quidem ad restitutionem Decimæ peremptæ, casu, quo illa destructio fructuum, sit necessaria ad victoriam comparandam, quia tunc, vt benè docent Doctores citati, nullo modo grauatur conscientia militum, etiam respectu Decimæ, in qua damnificatur Ecclesia nam verè vtuntur iure suo, & non possunt Decimæ separationem facere. Secus verò dicendum, casu quo præfata combustio fructuum, non sit medium necessarium ad victoriam comparandam, vel ad bellandum securè, & expeditè; quia tunc qui combussit, vel destruxit fructus, teneretur ad restitutionem Decimæ peremptæ, cum potuisset bellum agere, sine dicto Ecclesiæ damno. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 36. num. 17.* Filliuc. *tract. 27. cap. 11. quæst. 7. n. 246.* Et idem philosophandum est, de aliis causis, quæ assignari possunt, præfatæ vastationis, aut depopulationis; vt v. g. si arbores fixæ sint muro domus, per quas facilis sit transitus ad interiora ædium, iure scindentur, &c.

Qvæstio XVI.

An si ipsemet parochianus suas segetes, vineas &c. comburat; teneatur, pro decimis consumptis, satisfacere Ecclesiæ?

NEgat Bonac. *disp. vltim. q. 5. punct. 3. num. 9.* Quia dominus agri (inquit) non tenetur soluere Decimas agri ex fructibus, quos sua culpa non collegit: ergo nec tenetur si segetes combussit, antequam fructus colligeret. Ita ille, qui, & citat pro se, Molinam *disp. 49.* & Lessium *lib. 2. cap. 5. dub. -. num. 38.*

Sed probabiliùs Respondeo: Teneri. Constat ex dictis. Quia si extraneus comburens tenetur, etiam tenebitur ipsemet Dominus segetum: cùm vterque damnum inferat Ecclesiæ æqualiter. Sic communiter Doctores, Suarez, Filliuc. Trullench, *loc. cit.* Couarru. *part. 2. § 8. num. 18.* & alij. Nec Lessius pro opposito citatus loquitur in propria specie de nostro casu; quamuis bene in simili, de quo loquendo licèt oppositum tueatur, est satis cum timore, & magis ex sententia aliorum; quàm ex propria.

Qvæstio XVII.

An qui, collectis iam fructibus, & positis in eo statu, in quo tenetur statim decimam Ecclesiæ tribuere illam non soluit; & interim fructus pereunt; teneatur decimam persoluere?

NEgat etiam Bonacina *loc. cit. num. 9.* Quia non tenemur (inquit) ad solutionem decimarum fructuum, quos non collegimus.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Teneri. Quia nunc sua culpa fructus periere: & consequenter ius quod Ecclesia in fructus habebat, violauit & peccauit contra iustitiam, & ideò tenetur ad restitutionem Decimæ destructæ. Sic expressè D. Thom. *2. 2. quæst. 87. art. 2. ad 4.* vt vidimus *quæst. 11.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 4. art. 2. ad 4.* vbi sic ait: Ad quartum denique respondetur, quòd si granum agricolæ ante decimationem, sublatum est, nunc Decimas, nisi culpata sua negligentia furtum accideret, non debet. Idem perfectò arbitror, si vel fruges, vel iam excussus grani aceruus alluuione aliqua in area perierit. Si enim graui sua culpa diù illud relinquit in area, profectò non esset à decimarum debito immunis. Secus si esset à culpa liber: nam quanto tempore sub dio est granum, Sacerdotibus etiam periclitatur; postquam verò in horrea conditum est, iam inde dominus est decimarum debitor, quacumque strage, aut calamitate dispereat. Sic Sotus, cuius hæc sunt verba, non illa; quæ refert Suarez *lib. 1. cit. cap. 36. num. 19. in fine.* Sic etiam ipsemet Suarez *numer. 20.* Glossa, Alens. & Rebuff. penes ipsum. Fagundez *c. 6. cit. numer. 9.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 2. num. 8.* Filliuc. *tract. 27. cap. 11. quæst. 8. à numer. 247.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. quæst. 87. art. 2. disput. 10. num. 4. & 5.*

Qvæstio XVIII.

An etiam ille, qui in colligendis fructibus valdè negligens fuit, aut omninò noluit eos colligere, & ideò perierunt; teneatur decimam peremptam restituere?

NEgat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 36 num. 20.* Sic, inquiens: Distinguendum igitur videtur de mora. Vna est quando collectis iam fructibus, & in eo statu positis, in quo teneatur quis statim decimam tribuere Ecclesiæ non soluit, sed detinet. Alia est mora in colligendis ipsis fructibus, tempore opportuno; quo in statu, non videtur adhuc obligare præceptum Ecclesiæ, quia solum obligat ad dandas Decimas, ex fructibus collectis, vt apertè habetur ex cap. *Cum homines*, de Decimis. Huc vsque Suarez. Et ex illo, etiam Filliuc. *tr. 27. c. 11. n. 249.* Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 3. dub. 2. n. 8. & dub. 10. n. 11.* Bonac. *disp. vlt. q. 5. punct. 3. nu. 9.* Castro Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 2. n. 9.* & Raphaël de la Torre *2. 2. qu. 87. art. 2. disp. 10. n. 12. & 14.*

Sed, probabiliùs longè. Respondeo: Teneri ad restitutionem Decimæ peremptæ. *Primò*. Quia Decimæ fructuum, ex iustitia debentur Ecclesiæ, vt suprà habitum est ergo illa mora ac negligentia habita in colligendis fructibus, contra iustitiam processit; ergo nocumentum, quod ratione illius negligentiæ, aut omissionis, prouenit, debitori imputatur tanquam iniuria illi facta: ergo illud restituere tenetur. Hoc argumentum facit Suarez *loc. cit. n. 20.* ad probandum teneri ad restitutionem Decimæ destructæ, qui fuit negligens, & omissus in conseruandis fructibus iam collectis, de quibus diximus, quæstione præcedenti; sed certè si vis rationis perpendatur, etiam nostram responsionem conuincit, vt constat.

Secundò. Quia falsum est, quòd præceptum decimandi, aut decimarum, non extendatur ad fructus colligendos, sed solùm ad collectos: quia aliàs, nec ille, qui in bello iniusto segetes, olineta, vel vineas, vel arbores combussit, succiditve; nec proprius Dominus, qui suas segetes destruxit, aut fuit causa moralis talis damni, teneretur ad soluendas decimas destructas, & peremptas; quod est falsum, vt fatetur

ipsemet Suarez, cum communi (aut saltem multò minùs probabile) vt vidimus q.14. & 16. ergo præceptum decimarum, etiam ad fructos colligendos, extenditur; ergo, qui in illis colligendis est valdè omissus, & remissus, ad restitutionem Decimæ fructuum, quos aliàs perciperet, tenebitur. Vnde caput. *Cum homines*, quod pro sua sententia affert Suarez, tam de fructibus collectis, quàm colligendis, est intelligendum, propter dicta. Sic S.Thom. 2.2. *quæst.* 87. *art.* 4. *ad* 4. & Sotus *lib.* 9. *de iust.* q.4. *art.* 2. *ad* 4. cuius verba retulimus, quæst. antecedenti. Et esse probabile, satis clarè innuit Trullench *loc. cit.* cum contrarium solum, vt probabile sequatur.

QVÆSTIO XIX.

An qui non habuit sui prædij fructus, quia, vel noluit seminare, vel vineam, aut oliveta, & ecolere; teneatur ad decimas soluendas?

Affirmant aliqui, quos suppressis nominibus, refert Filliuc. infrà citandus, & teneri etiam affirmare Authores nostræ sententiæ, nuper relatos, ac Suarez *loc. cit. num.* 19. *in fine.* Quia etiam est in causa, vt Ecclesia careat decimis suis.

Sed tanquam longè probabilius Respondeo: Non teneri. *Primò.* Quia præceptum decimarum, non extenditur ad cogendos colonos, vt agros seminent, sed solùm ad decimandum de fructibus, quos de facto percipiunt, aut perciperent aliàs erant, si sua culpa non perirent, iuxta nuper habita; quod constat, ex omnibus capitibus iuris, decimas præcipientibus.

Secundò, quia (vt bene Fagundez *c.* 6. *cit. n.* 10. ad simile propositum) Ecclesia solùm est domina decimarum ex fructibus productis non autem prædiorum, arborum, aut agrorum: ergo cùm dominium camporum maneat apud sæculares, possunt isti, ad suum libitum vti re sua, & iure suo: ergo, si seminare, vel vineas colere, &c. ergo si non seminet agros aut non colant, non peccabunt, saltem contra iustitiam, & ideò ad restitutionem decimarum non tenebuntur. Ex quibus iam constat ad rationem pro affirmatiua parte adductam. Non enim militat eadem ratio de illo, qui non vult seminare, ac de illo, qui fructus iam productos in quos Ecclesia iam habet dominium, destruit aut est causa moralis talis damni. Sic Doctores communiter. Suarez *cap.* 36. *cit. n.* 1.9. *& seq.* Filliuc. *tractat.* 27. *cap.* 11. *quæst.* 8. *num.* 248. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 8. *& sub.* 10. *num.* 12. Bonac. *disp. vlt. cit. q.* 5. *punct.* 3. *num.* 9. Castro Palao *punct.* 2. *cit. num.* 9. Addens, quòd in dictis casibus, possit Ecclesia parochianum compellere, vt agrū administret per se, vel colonos, vt possit cum integritate decimas persoluere, & si noluerit, possit de facto ipsa Ecclesia colonum constituere. Ita ille, ex Abbate, & Suario. Sic etiam Raphaël de la Torre *q.* 87. *art.* 2. *disp.* 10. *num.* 16.

QVÆSTIO XX.

An teneatur ad restitutionem decimarum (quibus priuat Ecclesiam) qui agros, & vineas in domos conuertit, præcipuè si id faciat maliotiosè, ob non soluendam Decimam?

Respondeo: Non teneri. Quia Domini possunt vti re sua ad suum libitum, vt nuper diximus: ergo domini agrorum, & vinearum, licitè possunt, non solùm mutare agrum in vineam, vel vineam in agrum; verumetiam vineas, & agros, in domos; (adhuc contradicentibus Parochis) absque vlla obligatione restituendi Ecclesiæ decimas, quibus Ecclesiam, hæc permutando, priuant, licèt alias, si maliotiosè id faciant, odij, aut iniuriæ peccatum admittet, non tamen iniustitiæ; idcoque non tenebuntur ad restitutionem. Sic Rebuff. *tract. de Decimis*, *q.* 6. *num.* 35. Hostiens. *in summ.* §. *vt vtrum*, *vers. Decim.* Quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Ecclesiæ cap.* 6. *num.* 10.

QVÆSTIO XXI.

An Parochus possit, propria authoritate accipere decimas à suis Parochianis, iniustè illas detinentibus?

Respondeo: Non posse. Quia ad pacem Reipublicæ spectat, quòd nemo per vim spolietur rebus suis; at sic est, quòd licèt parochianus decimas debeat, adhuc tamen est legitimus possessor earum: ergo. Sic communiter. Nauarrus *lib.* 3. *consil.* 2. *de decimis.* Filliuc *tract.* 27. *cap.* 12. *num.* 255. Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 15. *num.* 4. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 2. *num.* 9.

QVÆSTIO XXII.

An Parochus possit nolentibus soluere decimas, Sacramenta, propria authoritate, denegare?

Respondeo: Non posse; nisi aliàs peccatum sit notorium: & publicè per sententiam declaratum Quia nemo potest, sine causæ cognitione, alium suis iuris vsu priuare; quia illud esset auctoritate priuata priuare, quòd non est licitum, etiamsi esset iudex: at Parochus priuans propria authoritate parochianos vsu Sacramentorum priuat eos vsu sui iuris: ergo. Sic optimè meus Nauarrus *loc. cit.* Filliuc. & Trullench ex ipso *loc. cit.* Suarez *lib.* 1. *cit. cap.* 25. Molfesius *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 53. Palao *tract.* 10. *cit. punct.* 15. *num.* 4.

QVÆSTIO XXIII.

An Redecima, (hoc est, duplex decima) de vna, & eadem re, siue de vno acervo, solui debeat?

Respondeo: Non debere, (nisi aliàs sit introducta cōsuetudo redecimandi: quia tunc solui debet.) Ratio est Quia redecima, non solùm est præter, sed contra ius, vt docent Cocc. *decis.* 37 2. *n.* 12. & 7. & Ludou. Postus, *de manutenend. ob seru.* 44. *n.* 57. addens id esse verum, etiam casu, quo vna decima prætenderetur ab Ecclesia prædiali; & altera ab Ecclesia Sacramentali: ergo de vna & eadē re, nec debet solui, nec percipi duplex decima. Sic ipsi, Innoc. in cap. *Cùm non sint*, *de Decimis* Gloss. *deducendas*, in cap. *Pastoralis*, *eod. tit.* & ibi alij Doctores. Gigas *de pension. q.* 59. *n.* 3. & 4. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 10. & Barbosa *lib.* 3. *de iure vniuersal c.* 26. §. 1. *n.* 46. Et est textus expressus *in l.* 7. nouæ recop. *lib.* 1. *tit.* 5. & *l.* 10. & 13. & 16. *tit.* 20. *part.* 1. Azebedo *in dict. l.* 7. & penes illum, Didacus Perez Montaluus, & alij.

QVÆSTIO XXIV.

An ius exigendi Decimas sit spirituale?

Respondeo: Affirmatiuè, Quia ius exigendi decimas fructuum, competit Ministris Ecclesiæ, ob mini

ministerium rerum spiritualium, nempe, verbi diuini, & Sacramentorum; ergo est spirituale. Ideoque ad decimarum perceptionem requiritur Clericatus, seu tonsura, tanquam dispositio, & tanquam quid, dans capacitatem ad illas percipiendas. Sic Suarez *tom.1. de Relig.cap.38. num.16.* (non cap.28. *num.6.* vt inuenies citatum apud Trullench.) Barbosa *lib.1. de iure vniuerso cap.26. §.2. num.1. & 2. in cap. Ad hoc de decimis, num.3.* Moneta, *tractatu de decimis, cap.5.num.57.* Trullench, *lib.3. in Decalog.cap.3.dub.8. num.8. & 10.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.36. quæstione 1.* Azeuedo, *lib.1. noua recopil. tit.5.l.1. numero 2.* & alij omnes.

QVÆSTIO XXV.

An Decima petenda sit, coram Iudice Ecclesiastico: an verò coram Ciuili?

RESpondeo: Petendam esse coram iudice Ecclesiastico, non coram ciuili. Quia causa decimarū est spiritualis, & Ecclesiastica, vt constat ex nuper dictis, & ex cap. *Parochianos* de decimis: at sic est, quòd causa spiritualis, solùm pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, vt constat ex Clem. *Dispendiosa, de iudicijs, & cap. Decernimus, eod. tit.* ergo. Sic absolutè loquendo docent omnes Doctores, licèt in singularibus casibus, de quibus statim, non nihil varient. Legatur Azor *loc.cit.* & Diana, *1.part. tract.2. Res.90. & 91. & 3.part. tract.1. Resol.50. & part.4. tractat.1. Resol.56.*

QVÆSTIO XXVI.

An saltem, possit quis petere decimas, coram Tribunali Principis sæcularis; si illad, ex Iudicibus Ecclesiasticis, simul & sæcularibus, constet?

RESpondeo: Non posse, (saltem, quando quæstio, & causa est iuris) nisi aliàs iudices Ecclesiastici à Romano Pontifice constituti fuerint. Quia ratio habetur eios, à quo iurisdictio est mandata: ergo si iudicum potestas, & iurisdictio, à solo Principe sæculari fluat, sæcularis erit, non Ecclesiastica; ac per consequens non potest coram illa quis causas decimarum agere. Sic Rebuff. *de decimis, quæst.10. num. 36.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.36. quæst.2.* & Fagundez *in 5. precept. lib.3. cap.5. num.4.* Quia addunt, hoc adeo verum esse, quod nec etiam iudex Ecclesiasticus simul cum sæculari, de causa iuris decimarum iudicare possit, etiam ratione compromissi; ex cap. *Contingit*, de Arbitris, Trullench *lib.3. in Decalog. c.3. dub.8. n.11.* Bonac. *de 5. præc. Eccles. q.5. punct.6. num.2.*

QVÆSTIO XXVII.

An ad minùs, possint Iudices sæculares cognoscere, de causa decimarum, quando Decimæ in feudum data laicis, etiam Principibus, Romani Pontificis concessu?

AFfirmant Ioannes Rupellius *lib.1. ferensium institut. cap.25.* Gulielmus Benedictus *ad cap. Raynutius, de Testam. in verbo si absque num.45.* (non *num.360.* vt inuenies apud Fagundez) Canariæus *in Consuetud. Burgun. §.6. n.350.* & Couarruu. *in Pract. quæst. cap.35. num.2.* Quos pro hac parte refert Azor, *vbi infrà.* Quibus addi possunt D. Alphonsus Narbona *in 3. part. noua recopil. lib.4. tit.21. leg.26. num.*

11. & penes ipsum, Gomez de Leon *decis.491.* Stephan. Gratianus *discept. forens. cap.238.* & Zeual. *tract. de cognitio. per viam violentiæ 2. part. quæst.55. num.8.* (Sed ex his malè citatur Gratianus cùm oppositum expresse doceat, vt infrà) Castro Palao *to.2. tract.16. disp. vnica punct.15. num.6.* & Trullench *loc. cit.* in causa tamen solùm, quo Decimæ datæ sint in feudum perpetuum; & non pro limitato tempore. Fundamentum eorum est: Quia, si Decimæ laico in feudum datæ, Romani Pontificis priuilegio coram iudicibus Ecclesiasticis agi deberent, multo iure laicorum detraheretur, sic enim, iudices Ecclesiastici, facilè laicos eluderent, & qua possent ratione, eorum priuilegium inuenerent, & vel ex toto, vel ex parte abrogare niterentur.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Adhuc non posse; nisi aliàs id, expresso priuilegio, dictis laicis concedat Romanus Pontifex. *Primò.* Quia licèt, ipsum feudum datum sæcularibus, in se sæculare sit; quia tamen à iure spirituali dependet, & oritur, nempe à iure decimarum censeri omnino debet res spiritualis, non profana, aut eiusdis, petat. Quia quando temporale quid oritur, & dependet à spirituali, ratione connexionis, censetur etiam spirituale, cum ratione spiritualium debeatur, vt bene Caiet. *de Simon, q.1. ad finem:* ergo eius cognitio ad Ecclesiasticam forum pertinere debet.

Secundò. Quia quando Sum. Pontifex decimas in feudum sæcularibus concedit, non ideò censendus est de facto transferre lites causarum decimarum ad forum sæculare, nisi id exprimat in feudo: quia (vt bene Azor) non ideò, quòd vnum priuilegium beneficio Principis conceditur alicui, eo ipso alterum datum esse creditur. Sic Federicus *in consil.254.* & Rebuff. *de decimis, q.10. n.35. & 39.* quos citat, & sequitur Azor *lib.7. cit. cap.37. q.3. §. Hoc posito.* Fagundez *lib.3. in 5. precept. Eccles. cap.5. num.5.* Gratianus, *loc. cit.* pro parte contraria *num.60.61. & 62.* & penes ipsum, Federicus, Ioan. Monachus, Gomez. Lib. n., Ruin. & alij. Diana *1. part. tr.2. Re.91.* Qui tamen malè citat Rebuffum, pro contraria sententia; expressè namque docet, locis citatis, non posse iudices laicos de decimis etiam infeudatis cognoscere, nisi ex speciali priuilegio. Vnde meliùs citat illum Azor pro nostra sententia, licèt id non doceat Rebuffus *num. 1.* vt citat ille, sed *num.35. & 39.* à nobis citatis. Idem rursus docet Diana *3. p. tr.1. Res.50.* & quædam decisio Rotæ apud Postium, nempe *535.* vbi *n.10.* Sic habetur: Eadem causa decimarum, quæ datæ sunt in feudum sæcularibus, discutienda est coram iudice Ecclesiastico: licèt enim dominium huiusmodi decimarum, scilicet fructuum illarum omninò spectet ad laicos, & feudum censeatur sæculare, tamen quia oritur, & dependet à iure spirituali, & Ecclesiastico, non potest Iudex laicus de illis cognoscere. Sic ibi.

QVÆSTIO XXVIII.

An casu, quo Decima, autoritate Papæ, in Principes laicos, contractu permutationis translata fuerint, possit tunc causa de decima, quæ Principi debetur, coram sæculari Tribunali cognosci?

RESpondeo: Posse. Quia, quando contractu permutationis, Principes laici dictas decimas, re alia temporali, vel maioris, vel æqualis æstimationis, pretij, aut vilitatis compensarunt; tunc lis, aut causa de decima, amplius spiritualis non est; eo quòd decima, ratione permutationis legitimæ factæ,

dicendum est, quòd decisio illius ad iudicem Ecclesiasticum pertineat, ob rationem assignatam pro nostra sententia, quæstione 30. videlicet, quia causa de decimis est spiritualis: at sic est, quod de causis spiritualibus, laïci iudicare non possunt, cùm id Canones omnino prohibeant, vt suprà *q.25.* est habitum: ergo.

Ex quibus iam constat ad rationes in contrarium adductas. Ad primam, dicendum talem quæstionem esse iuris, & non facti. Imo dato, quod esset facti, non pertinere nisi ad iudices Ecclesiasticos, vt patet ex dictis.

Ad secundam dicendum, quòd, si in Hispania, & Francia contrarium, constitutionibus Regiis, obseruatur, id possit euenire, vel quia sequuntur opinionem probabilem, iuxta quam ita sanxere; vel quia fortè ad id habent priuilegium aliquod, saltem per famam extans. Nam aliàs, vsus contrarius, nullo modo probari potest, cum sit corruptela, vt bene docet Azor *lib.7.cit. q.4. & 7.* vbi per hæc verba, ad argumentum ex consuetudine desumptum, respondet: Ergo (inquit) huiusmodi consuetudinem suprà dictam, corruptelam esse puto, & proinde locum non habere, quia cum Canonico iure pugnat; quare nisi, vel Priuilegio Romani Pontificis, vel expresso eius consensu approbetur, non valet: nec sufficit, si dicas eam permitti, nam permittitur certè, quia commodè impediri non potest, aut permittitur inscio Pontifice, aut inuito, & reclamante. Huc vsque Azor defendens, & sequens nostram sententiam, & penes ipsum, Rebuffus, *tract. de Decim. q.*10. Sic etiam Fagundez, *de 5. prae. Eccles. lib.3. c.5. n.*10, dicens, hanc esse veram sententiam, Diana, 1. *p. tr.2. Resol.92. & 3. part. tract.2. Ref.*50. Raphaël de la Torre, 2.2. *q.87. disp.8. num.*5. Tannerus, *in 2.2. D.Thomæ, disp.5. q.3. dub.2. num.*40. Stephanus Gratian. 2. *p. discept. forens. c.*238. *à num.*4. & penes ipsum, Rebuff. *loc. cit. n.7.* Puteus, *decis.* 361. *lib.* 1. & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An laicus conductor Decimarum, conueniri debeat coram iudice Ecclesiastico; quando pretium conductæ, seu locatæ Decimæ, soluere non vult?

NEgant imprimis, aliqui Doctores, docentes, talem conductorem decimarum, solùm apud iudicem sæcularem conuenire posse. Quia censent, huiusmodi causam, implendi, videlicet contractum initum, & promissis standi, de soluendo pretio Decimæ conductæ, & locatæ, esse merè prophanam, & ciuilem: ergo ad solum Iudicem sæcularem, & ciuilem spectare potest. Ita docet Palao, *tom. 2. tract.*10. *disp. vnica punct.15. num. 9.* Quam citat, & sequitur Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap.3. dub. 8. num.* 11. Pro qua sententia, vterque affert Couarruuiam, *c.35. pract. quæst. num.2. ve f. Quintò* (sed an ita bene, statim videbimus) sic etiam Gutierrez *pract. qq. lib. 3. q.26. num.* 10. & alij.

Negant deinde alij, existimantes, posse prædictum conductorem, in dicto casu, vocari in iudicium, tam apud Iudicem ciuilem, quam Ecclesiasticum. Quia existimant, dictam causam esse mixti fori. Ita Fagundez, *loc. cit. n.*11. citans pro se Couarruuiam, (*loc. cit.* pro se à Trullench) & bene quidem, quia saltem in aliquo euentu, clarè docet hanc sententiam iis verbis; Quintò, non video congruam rationem, qua defendi iure valeat, laïcum decimarum conductorem, posse conuenire, absque vlla fori præscriptione, apud Iudicem Ecclesiasticum, in hac etenim specie, non agitur de iure decimarum, nec de decimis soluendis ab his, qui tenentur eas soluere, sed de soluendo pretio quo conductæ fuere decimæ alicuius Parochiæ & iam à Colonis, & à quibuscumque prædiorum dominis solutæ. Et ideò rectè poterunt hi conductores apud Iudicem sæcularem conueniri: imo iure ordinario debet ab eo causa tractari, poteritque iudicium Ecclesiasticum declinare. Quamuis, iure Regio expeditum sit, conductores istos posse, apud Ecclesiasticum Iudicem conueniri, quoties in conductionis contractibus se conductores submiserint iurisdictioni Ecclesiasticæ, censuris, & aliis Canonicis legibus, aut iuramentum præstiterint, &c. Huc vsque Couarruuias. Cuius etiam sententiam tenent Germonius, *de sacr. immunit. lib.3. c.19. n.97.* Moneta, *de decim. c.8. q.1. n.17.* Alphonsus Narbona *in 3. p. nouæ Recopil. l.4. tit.21. l.26. n.12.* Vbi sic ait: Ergo vt laïcus decimarum conductor per Ecclesiasticum iudicem per censuras ad decimarum solutionem iure compelli possit, necessarium erit, quòd in ipso conductionis contractu se iurisdictioni Ecclesiastici iudicis subiecerit, vel iureiurando ad illarum præstationem se obstrinxerit, quo in casu ratione submissionis huiusmodi, vel iuramenti laïcus conductor decimarum fori Ecclesiastici efficietur, vti statuitur *in l.9.10. & 11. tit.1. supra hoc lib.4.* & probant Couarr Collantes, & Zeual. & cæteri, vbi suprà. Huc vsque Narbona.

Sed iuxta doctrinam à nobis suprà traditam, probabiliùs, Respondeo absolutè dicendum, quòd in dicto casu; conueniri, & vocari debeat conductor, seu locator decimarum, coram Iudice Ecclesiastico, & non laïco, etiamsi locator, iuramento, aut submissione Ecclesiastico iudici non se subiecerit. Quia probabilius est, quòd omnes causæ, & lites decimarum, siue Iuris, siue facti sint, debent coram Iudice Ecclesiastico tractari: quia huiusmodi causæ, vel sunt spirituales, vel ortum habent ab illis. Vnde licèt, in casu nostræ quæstionis, lis non sit de decima, sed de pretio locatæ, & conductæ decimæ persoluendo; nihilominus tamen ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, iudicare de illa; eo quòd defluat à causa decimarum, quæ ad illum per se spectat, vt sæpe vidimus. Sic bene Azor, *tom.1. lib.7. cap.36. q 6.* Quem citat, & sequitur Diana, 1. *part. tract.2. Resol.94. & 3. part. tr.2. Resol.*50. Raphaël de la Torre, *in 2.2. quæst.8. disp.8. num.* 5. & Tannerus ibidem. *dispat. 5. quæst.3. dub.2. num.* 40.

QVÆSTIO XXXIII.

An causa, seu lis, super possessionem Decimarum solùm coram iudice Ecclesiastico tractari debeat?

NEgant Panormitan. Vincent. Ioann. Andreas, & alij, quos refert Couarr. *in pract. quæst. c.35. n.1. vers. Secunda conclus.* Quia existimant, causam possessionis rei spiritualis per laïcum iudicem examinari, & tractari posse.

Sed certissimè Respondeo: Solùm coram Iudice Ecclesiastico tractari debere. Quia dicta causa est Ecclesiastica, vt constat ex Clement. vnica, *de caus. possessio. & propriet.* & Clement. vnica *de seq. estratio. possess. & fruct.* Sed sic est, quòd, secundùm Canones, causæ Ecclesiasticæ tractandæ; & examinandæ sunt, ac debent, apud Iudices Ecclesiasticos, non apud sæculares, vt constat, *ex cap.2. de Iudiciis*: ergo. Sic Anton. Ioannes Dayana, & Augustinus Beroius, quos citat, & sequitur Couarruu. *loc. cit. vers. Verum, si diligenter.* Palao, *tom.2. tract.10. punct.15. n.8.* Trullench, *lib.3. in Decal. c.3. dub.8. num.12. in fine.*

Moneta, *de decimis. cap.8. quæst.1. à num.10.* Diana, 1. *part. tract.2. Resol. 93. vers. An verò de possessorio decimandi.*

QVÆSTIO XXXIV.

An causa, seu lis, de fructibus solutis decimarum, agi possit, coram Iudice sæculari, & ciuili?

RESpondeo: Tanquam quid certum, posse. Quia fructus decimarum, soluti iam, & collecti, non sunt quid spirituale, sed temporale. Sic, ex communi omnium sententia, docet Azor *tom.1. lib.7. cap.36. q.8.* per hæc verba: Quando fructus sunt percepti, collecti, ac soluti, coram iudice ciuili peti queunt, si fuerint furto à laico sublati, aut alia ratione subtracti. Nam fructus decimæ, vt superiùs dixi, non est quid spirituale; sed temporale. Sic ille, & Fagundez, *lib.3. de 5. præcept. Eccles. cap.5. num.* 12. Trullench, *lib.3. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num.* 12. Sic dicens: Quare Beneficiarius, cui sublati sunt à laico fructus decimarum, qui iam soluti ei erant, poterit coram Iudice sæculari, hanc causam agere. Sic ille: Bonac. *etiam de quinque præc. Eccles. q. 5. punct.6. n.2.* Azebedo. *lib.1. noua Recopil. tit. 5. l.1. n.1.*

QVÆSTIO XXXV.

An qui decimas non soluunt, sint ipso iure excommunicati?

AFfirmat Rebuff. *de decim. q. vltima num.15.* Per hæc verba: Committit sacrilegium retinens decimas, *cap. Decimas* 1. *ibi*: Sciant se sacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere, 16. *q.7. & cap. fin. 16. q.1. & p.1. quisquis 17. q.4.* & Caiet. *in summ. verb. Decimas*: & ideò est ipso iure excommunicatus, *cap. Canonica, 11. q.3. cap. cum causa*, vbi Gloss. *de sent. Excomm.* & ideo singulis diebus Dominicis debent publicari à Curatis excommunicati: vt dicit Andr. Hispan. Episcopus *in reg. decim. q.2.* Ita Rebuffus.

Sed tanquàm certum, Respondeo: Non esse ipso iure, vel facto, excommunicatos, sed solùm excommunicandos esse. Sic enim apertè colligitur, ex capite *statuimus 16. q.1.* & ex Concil. Matisconensi 2. Vbi statutum fuit, quòd omnes cuiuscumque gradus, & conditionis sint, decimas integras soluant iis, quibus iure debentur, alioqui excommunicationi subiiciantur. Et Concilium Tridentinum, *sess.25. c.12. de Reform.* eamdem pœnam confirmat his verbis: *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; Nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur.* Sic Concil. & sic omnes Doctores. Legantur Nauar. *cap. 21. num. 32.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.37. q.9.* Fagundez, *lib.3. in 5. præceptum Eccles. cap.6. num.3.* Barbosa, *in collectan. Concil. Trid. loc. cit. & lib.3. de iure vniuerso c.16. §.4. in cap. Ad hoc de decimis, num.4. & cap. In aliquibus eod. tit. num.3.* & alij quos ipse citat.

QVÆSTIO XXXVI.

An antequam is, qui non soluit decimas, excommunicetur; præmitti debeat admonitio?

REspondeo tanquam certum, præmitti debere. Tum: quia sic habetur in cap. *Peruenit, de decimis.* Tum etiam: quia excommunicationis sententia non fertur, ob delictum tantummodo; nisi contumacia præcesserit. Sic Azor, 1. *p. lib.7. c.35.* (non 24. vt offendes apud Barbosam) *q.17.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib. 2. c. 37.* Barbosa, *in collect. Concil. sess. 25. cap.12. num.5. & in cap. Ad hoc, de decimis, n.4. & in cap. In aliquibus, eod. tit. num.3.* Moneta, *de decimis cap.8. num.69.* Riccius in Neapol. *decis. 195. num.6. part.4.* & communis.

QVÆSTIO XXXVII.

An remissio decimæ, facta ab eo, cui debetur, sufficiat, vt quis ab excommunicatione liberetur, & vt ab illa possit absolui?

REspondeo: Sufficere. Quia certum est, quòd ab onere restituendi, liberat condonatio, ac remissio creditoris, modò condonari possit, & condonatio sit libera: ergo, si ille, cui debetur decima, liberè remittit, & condonat, vt potest (vt infrà dicemus) bene poterit debitor ab excommunicatione liberari, aut ab illa (si incurrit iam) absolui. Sic Gloss. *in cap. Peccatum, de Regul. iur. in 6. verb. Restituitur.* Nauarr. *cap. 21. num.* 32. quos refert, & videtur sequi, Azor, *lib.7. cit. cap.37. qu.9.* Fagundez *lib.3. de 5. præcepto Eccles. cap.6. num.4.* Palao *tom.2. tractat. 10. punct.14. num.1.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.8. n.19.* Barbosa, *lib.3. de iure vniuerso cap. 26. §.4. num.16.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui suâ culpâ non soluit Decimas; sed tamen, quando ad confessionem accedit, est impotens ad restituendum; possit ab excommunicatione incursa absolui?

NEgat, ex parte Nauarra, *lib.4. de restitut. dub.13. num. 67.* docens, nullo modo posse absolui; nisi casu, quo ille, ratione impotentiæ, esset absque culpa excommunicatus.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Posse absolui. Quia licet Tridentinum expresse dicat; quòd, *Detrahentes decimas excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta absoluantur*: nihilominus tamen, potest absolui, qui est impotens ad restituendum. Quia Concilium non prohibet absolui, nisi eum, qui pro tunc tenetur restituere, quique peccat non restituendo: at qui accedit ad confessionem cum impotentia ad restituendum; nec tenetur restituere, nec peccat, non restituendo; cùm sit ad hoc impotens: ergo potest absolui ab excommunicatione quomodolibet incursa. Sic Nauarrus, *in Man. cap.17. num.59.* quem citat, & sequitur Molina, *tom.3. de iust. disp.756. num. 4. vers. His relatis.* Henriquez, *lib.13. cap.28. num.1.* Rodriguez, *tom.1. summ. cap.87. num.8.* Quos omnes refert, & sequitur Sanchez, *tom.1. summ. lib.2. cap. 20. num.19.* Bonac. *qu.5. de præc. Eccles. punct.7. nu.1.* Valerus, *de differ. inter vtrumque forum, verb. Absolutio. differ. 5. nu.5.* Barbosa, *in Collect. Concilij loc. cit. num. 7. & in cap. Ad hoc, de decim. num.4.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.9.*

QVÆSTIO XXXIX.

An sufficiat dare aliquid pro decima, vt quis ab excommunicatione sit immunis?

AFfirmatiuam sententiam tenuisse aliquos Theologos, & inter illos, Petrum Lombardum, refert

Gloss.

Glossa, *in cap. 1. de decim. in 6. verb. Decimarum*, & ex illa Grassius, *2. p. decis. aurear. cap. 27. num. 17.* Qui quidem existimarunt, sufficere pro adimpletione huius præcepti, dare aliquam partem pro decima, & nomine decimæ, v. g. octogesimam, vel centesimam partem fructuum. Sic refert Glossa sententiam horum Doctorum, tacitis nominibus, præter Magistrum sententiarum, quem refert, sed non locum, vbi id doceat. Sed quidquid de hoc fuerit.

Respondeo tanquam verissimum: Non sufficere, vt quis ab excommunicatione sit immunis, dare aliquam partem pro decima: sed debere dare illam integram omnino, hoc est, decimam partem fructuum, pecudum, &c. Quia præceptum Ecclesiæ de soluendis decimis, est de integrè illis soluendis, vt definitur *in cap. In aliquibus de Decim.* & in Trident. *sess. 25. cap. 12.* & sic qui integrè non soluit compellitur ad integrè soluendum per excommunicationem: ergo non sufficit ad excommunicationem fugiendam soluere aliquam partem pro decima, aut nomine decimæ, sed necessariò requiritur, vt integrè soluatur. Sic Glossa, & Grassius *loc. cit.* & omnes Canonistæ, necnon, & Theologi. Quod tamen intelligunt, seclusa contraria consuetudine approbata, vt infrà dicemus.

Qvæstio XL.

An qui non soluit, aut restituit decimas, debeat etiam, Ecclesiastica sepultura priuari?

Respondeo: Etiam debere priuari. Quia sic habetur in cap. *Prohibemus de decim.* per hæc verba: Prohibemus, ne laïci decimas cum animarum suarũ periculo detinentes in alios laïcos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura priuetur. Sic textus, & sic Glossa, ibi Barbosa, *lib. 3. de iure vniuerso, c. 26. §. 4. num. 19.* (non 18. vt citat Trullench) *& in cap. Prohibemus cit. num. 6.* Trullench, *c. 3. cit. dub. 11. num. 19.* Rebuff. *de Decim. q. vltim. nu. 16.* Moneta, *cap. 8. n. 74.* Andr. Hispan. *in regul. decimarum, q. 2. num. 8.* Iuli. Lauor. *variar. lucubr. tom. 1. tit. 2. c. 12. num. 48.* & Spino *in speculo testam. glossa 2. principio, num. 20.* & alij.

Qvæstio XLI.

An excommunicentur Religiosi, qui Decimas, ad ipsos non pertinentes, modo aliquo occupant, & vsurpant?

Respondeo, Affirmatiuè. Nam expressè in Clementina, *1. de decimis*, excommunicantur omnes, ac quicunque Religiosi, qui decimas Ecclesiis debitas, sine iusto titulo, sibi vsurpant; vel prohibent Ecclesiis decimas solui. Et rursus in Clement. *Cupientes de pœnis.* excommunicantur etiam religiosi, qui suis sermonibus, auditores suos auertunt, aut retrahunt à solutione decimarum: Deinde suspenduntur Religiosi, qui audiendo confessiones, nullos iniiciunt scrupulos pœnitentibus, circa solutionem decimarum. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 29. n. 8. & tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 5. n. 3. & 36.* Bonac. *punct. 7. cit.* Azor, & Fagund. *loc. cit.* Barbosa, *loc. cit. §. 4. à n. 20.* Trull. *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 8. n. 8.* Bassæus, *verb. Decima, n. vltimo.* Tolet. *lib. 6. c. 20. n. 5.* Vbi notat, quòd hæc excommunicatio lata in d. Clem. *Cupientes*, non sit contra omnes Concionatores, sed contra solos Religiosos, & quòd, ipso facto incurratur; non tamen sit Papæ reseruata.

Dispvtatio III.

De decimis Personalibus, & de quibus rebus sint Ecclesiæ soluendæ.

Qvæstio I.

An de iure Canonico, soluenda sit Ecclesiæ, omnis decima personalis, videlicet, Prædialis, & Mixta?

Negandvm ex dictis videtur. Quia in lege veteri, nullo modo soluebantur decimæ personales, vt suprà *disp. 1. q. 11.* est habitum: ergo nec modo debent solui ex præcepto Ecclesiæ; cùm hoc, instar præcepti veteris legis, datum sit, vt suprà diximus.

Sed tanquam certum, Respondeo: Quòd, attento iure Canonico, soluenda sit Ecclesiæ omnis decima; nempe Personalis, Prædialis, & Mixta. Quia sic habetur expressè *in cap. Non est, cap. Ex transmissa, & cap. Pastoralis, de decimis*, & alibi: ergo ex præcepto Ecclesiæ, de omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt soluenda est Ecclesiæ decima. Et meritò hoc præceptum tam generale impositum fuit ab Ecclesia, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio; cùm de omnibus honorandus sit Deus, & in omnibus recognoscendus largitor. Notanter tamen diximus *de iure Canonico*: quia consuetudine introducta, multis in locis non soluuntur personales; sed solummodo Prædiales, & Mixtæ. Sic docent omnes Doctores. Legantur S. Thom. 2. 2. q. 87. *art. 2.* Nauar, *cap. 21. n. 29.* Sut. *de inst. q. 4. art. 2.* Abulens. *in c. 23. Matth. q. 147. & 151.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 35. qu. 9.* (non 34. vt inuenies apud Basiæum) Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 31.* Bonac. *q. 5. de præc. Eccles. punct. 3. n. 1.* Fagundez, *lib. 1. de 5. præc. Eccles. cap. 2. num. 1.* Bassæus, *v. Decima, n. 4.* Vasquez, *tom. opusc. tract. de benef. cap. 1. dub. 6.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 1.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. c. 3. dub. 2. à n. 1.* Castro Palao, *tom. 2. tract. 10. punct. 6. per totum*, & omnes communiter.

Ad rationem dubitandi dicendum est, quòd licèt olim in veteri testamento, non soluerentur decimæ personales, quia de illis non erat præceptum; nunc autem non sic; quia nunc cadunt sub præcepto Ecclesiastico, & iure Canonico, vt patet ex capitibus allegatis suprà. Nam sicut potuit Ecclesia constituere præceptum de decimis prædialibus, ad quas iam non manebat obligatio de iure diuino, vt habitum est suprà: ita potuit de nouo, statuere præceptum de decimis personalibus, quas facilius est solui, quàm prædiales. Causa autem, cur Ecclesia id statuit mox patebit.

Qvæstio II.

Cur in lege veteri, solùm prædiales, & mixtæ, soluebantur decimæ: nunc verò in lege gratiæ, etiam personales?

Respondeo: Ideo esse. Quia olim in lege veteri, omnes homines habebant suos agros, prædia, ac terras, quas in diuisione terræ promissionis acceperãt, vnde decimas soluere possent, & ideò non erat necesse, ab eis exigere decimas personales: at in lege

nona gratiæ, vbi non solùm familiæ multæ, sed etiam Vrbes, & Respublicæ quædam agris carent, vt Veneta, Gennensis, & similes, necessum fuit decimas personales imperare; alioqui plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia rustica, Clerus sustentari non potuisset. Sic Lessius, *lib.2. de iust. cap.39. dubit.3. num.13.* & ex illo Fagundez, *cap.2.cit.num 4.* lege alias rationes, apud Abulensem, *in cap.23. Matth. quæst.17.* & apud Raphaëlem de la Torre, *in 2.2.q.87.art.3.disp.5.n.10.*

QVÆSTIO III.

An Decimæ personales soluendæ sint, attento iure communi, ex omnibus lucris iustè acquisitis?

RESpondeo, Tanquam certum, soluendas esse ex omnibus lucris iustè acquisitis stando iuri communi. *Primo.* Quia non est maior ratio de vno lucro, quàm de alio. *Secundò.* Quia sic præcipitur in iuribus suprà citatis, præcipuè in cap. *Ex transmissa de Decimis.* Vbi Cœlestinus sic ait: *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur* Sic ibi. Et sic omnes Doctores, vt testatur Suarez, *tom.1.de Relig.lib.1.cap.31.num.2.* Filliuc. ex ipso, *tract.27. cap.10. num.215.* & alij. Quamuis nonnullæ difficultates, circa hanc generalem doctrinam, ab ipsis proponantur. Vnde ipsos sequendo, sit.

QVÆSTIO IV.

An vi iuris Canonici, debeatur decima, de bonis immobilibus, quæ per donationem, vel per testamentum, vel hæreditariam successionem, comparantur?

AFfirmare Syluestrum, *verb. Decima.* Cum Hostiensi, & alijs, dicunt Suarez, Raphael de la Torre, & Fagundez, vbi infrà. Sed non dicunt omninò benè. Nam imprimis, Syluester, non citat pro se Hostiensem, sed Hugum. Deinde, quamuis dicat partem affirmantem videri probabiliorem; tandem tamen, standum esse consuetudini, resoluit. Ait enim sic: Dico secundò, quòd de donatis, legatis, & successione acquisitis, secundùm Alber. soluenda non sunt: sed de his tantùm, quæ quis naturaliter, vel de suis operibus acquisiuit. Probabilius tamen secundum Verue. Videtur notasse Hug. *16. q.1.* decimæ. Quòd legatarius, & donatarius tenetur decimare legatum, & donatum, licèt decimatum fuerit à legatore, vel donatore. Non autem ad hoc tenetur filius patri succedens in re à patre decimata: cùm omnia patris quodammodo ad ipsum pertineant: hæres tamen extraneus ad hoc teneatur. Quia tamen Innoc. non videtur multùm vnam harum opinionum alteri præferre: standum in hoc putarem interpreti legum consuetudini, *ff.de legib.l. si de interpretatione.* Huc vsque Syluest. *quæst.6. num.12.* Ex cuius verbis, constat, quod notauimus, aduersum citantes illum absolutè, pro hac parte. Citare melius possent pro ea Alanum, & Ioann. Vincentium, asserentes, quòd debeatur decima de omnibus prouenientibus ex titulo lucratiuo, maximè si cui prouèniunt, non sit hæres. Quos pro hac parte citat Abulens. *in cap.23. Matth. q.159.*

Fundamentum horum Doctorum est. Quia ex vi iuris, de omni lucro acquisito debentur decimæ, vt constat ex cap. *Ex transmissa*, nuper adducto: at sic est, quòd ea, quæ per legationem, donationem, testamentum, aut successionem, acquiruntur, licitè titulo lucratiuo, acquiruntur: ergo.

Sed probabilius longè Respondeo: Non deberi decimas, ex præfatis rebus, adhuc, ex vi iuris Canonici. Quia probabilius longè est, quòd decimæ de rebus immobilibus, per legationem, donationem, aut successionem, acquisitis, nullo iure debeantur. Nam imprimis, non debentur iure diuino veteris legis, tum quia nullum ius de iis rebus extitit; cùm ibi non iuberet Deus dari Decimas, nisi de fructibus, & non de possessionibus. Tum etiam, quia dato, quòd extitisset; iam cessauit, vt suprà est habitum: Deinde, neque debentur de cõsuetudine approbata, quia in nullo loco est consuetum de talibus decimas dare. Nec tandem debentur de iure humano, quia nullum datur: Nam cap. *Ex transmissa*, quod nobis contrarij opponunt, intelligendum est, sic; quòd, scilicet, fidelis homo teneatur decimas soluere, de omnibus quæ acquiruntur manibus, aliquo labore, vel negotio; non de rebus, quæ titulo alio gratuito acquiruntur. Ex quo patet ad fundamentum oppositæ sententiæ. Sic Innoc. Beroard. Hostiens. Ioann. Andreas, Henric & Glossa, quos refert, & sequitur Abulensis *in cap.3. Matth. q.159.* Rebuff. *tract. de Decim. q.8. num. vltim.* Suarez, *tom.1. de Relig.lib.1. cap.31. num.6. & 7.* Filliuc. *tractat.27. part.2. cap.10. quæst.2. num.217.* Qui & citat Valentiam *tom.3. disp.6. quæst.5. part.3.* & Syluest. (Sed ex his, an benè citet Syluestrum, collige ex dictis.) Fagundez, *lib.1. de 5. præc. Eccles. cap.2. num.7. & 8. & 12.* Palao, *2 part.1. tract.10. disp. vnic. punct.6. n.2.* Azor, *tom.2. lib.7. cap.35.* (non 25. vt inueni citatum apud Bonac.) *quæst.8. & 11.* Bonac. *q.5. de præcep. Eccles. punct.3. num.2.* Moneta, *cap.4. num.37.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.2.* Barbosa, *lib.3. de iure vniuerso, cap.16. §.1. num.28.* Bassæus, *verb. Decimæ, num.4.* Raphaël de la Torre *in 2.2. q.87. art.2. disp.4. num.2.*

QVÆSTIO V.

An saltem, ex fructibus huiusmodi immobilium bonorum, per donationem, legationem, &c. acquisitorum; debeantur Decimæ?

REspondeo: Tanquam certum, deberi. Quia tales fructus verè sunt subiecti decimationi. Sic Azor, *q.11.cit.* Sic dicens: At non debetur decima, vt ait Glossa in cap. *Pastoralis, in verbo, quasi de lucro, de Decimis,* & bonis immobilibus, quamuis sint lucra: Sed ex fructibus huiusmodi bonorum, nimirum, vel ex annuis pensionibus, quibus locantur, vel ex fructibus, qui ex ipsis, quolibet anno colliguntur. Sic ille. Trullench, Barbosa, *locis citatis*, Suarez *loc.cit. num.10.* Raphaël de la Torre *loc.cit. n.4.*

QVÆSTIO VI.

An ad minùs debeatur decima, ex vi iuris communis, de bonis mobilibus; nempe, vasis aureis, vel argenteis, vestibus, & similibus, quæ per donationem, legationem, aut successionem comparantur?

AFfirmant Glossa *in cap. Pastoralis, de Decimis.* Rebuff. *tract. de Decimis, quæst.8.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.35. qu.8. & 11.* Fagundez, *lib.1. de 5. præcep. Eccles. cap.2. num.9.* & penes ipsos Syluest. *v. Decima, q.6.*

Sed probabilius Respondeo: Nec de his bonis, decimam,

decimam, ex vi iuris, deberi. Quia id, ex nullo iure colligi satis potest, vt ex dictis, *quæst.* 4. liquet, & bene probat Suarez, infrà; at sic est, quòd non decet augere onera, sine iure cogente: ergo. Sic Albericus, apud Sylvestrum, *loc. cit.* Panormitan. *in cap. Pastoralis cit.* Innoc. *in cap. Non est de Decimis* Valentia, *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 5. *part.* 3. Quos citat, & sequutur Suarez, *cap.* 31. *cit. num.* 6. *& sequent.* Abulens. *in cap.* 23. *Matth. quæst.* 159. Bonac. *punct.* 3. *cit. num.* 5. Qui malè citat pro hac parte Azorium, Filliuc. *tract.* 27. *cit. num.* 257. Bassæus, Barbosa, Trullench, *loc. cit.*

Quæstio VII.

An ex rebus immobilibus in bello captis, debeantur, ex vi iuris, Decimæ?

Negant Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 3. & 4. (non 6. vt inuenies citatum apud Fagundez) vbi pro se citat Abulensem, *in cap.* 23. *Matth. q.* 159. *in fine*; sed malè, vt infrà. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præc. Eccles. cap.* 2. *num.* 15. & Filliuc. *tract.* 27. *p.* 2. *num.* 219. & Glossa, *in cap. Pastoralis de Decimis.* Quia ex rebus immobilibus, non debentur decimæ, vt suprà habitum est.

Sed probabiliùs Respondeo: Deberi, ex vi iuris, Ita Abulens. loco citato, pro se, à Suario, vbi sic ait; Sed quid si aliquis acquirat immobilia, non titulo lucratiuo, sed ex labore et ex iusto bello, vel patrocinio, vel simili causa: an debeatur de illis decima. Et quantùm ad hoc de rigore iuris non videtur dubiū, quoniam soluenda est Decima personalis, quia est ibi lucrum ex operatione, & tamen aliqui dicunt, quòd adhuc de hoc immobili non est danda decima. Sic ille. Ex cuius verbis constat, non esse pro sententia Suarij, sed pro nostra; & etiam ad fundamentum contrarium. Licèt enim non debeantur decimæ ex rigore iuris ex rebus immobilibus, per donationem, legationem, aut successionem acquisitis, eo quòd ibi sine manibus, aut labore, comparentur, vt q. 4. diximus: debentur tamen ex immobilibus in bello acquisitis, quia hic, manibus, labore, & industria comparantur. Et ideò hanc sententiam tenent, vltra Abulensem, Rebuff. *tract. de decimis, q.* 8. *n.* 2. Andr. Hispan. *q.* 12. Azor *lib.* 7. *cit. c.* 35. *q.* 9.

Quæstio VIII.

An ex vi iuris, ex rebus immobilibus datis pro mercede militiæ, vel aduocationis &c. debeantur Decimæ?

Negant aliqui apud Innoc. in c. *Non est de decimis.* Sed tanquam quid probabiliùs Respondeo deberi, ex vi iuris. Quia hæc, verè acquiruntur labore, & industria humana, ergo ex vi iuris, ex immobilibus, prædicto modo acquisitis, decima est danda, vt constat ex dictis q. 4. Si ergo aliquis pro mercede militiæ, vel aduocationis, vel pro alio opere suo, recipiat ex pacto, vel sine pacto, aliquod castrum, vel villam, vineam vel aliam possessionem immobilem, debet dare decimam de dictis rebus immobilibus. Sic Abulens. *loc. cit. q.* 159. *in fine.* Suarez *loc. cit. n.* 4. Qui tamen aduertit, quòd in dicto casu, non debeat necessariò dari decima in eadem specie, id est, in parte rei immobilis; sed sufficiat dare in æstimatione, & pretio; quia hoc est per se, in tali lucro; aliud, est per accidens. Filliucius etiam *loc. cit. num.* 219. Fagundez *de quinto Eccles. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 10. *punct.* 6. *num.* 4. & alij.

Quæstio IX.

An ex prædiis, in bello iusto comparatis debeantur, ex rigore iuris, decimæ?

Respondeo: Tanquam certum, deberi, ex rigore iuris. Quia sic colligitur ex cap. *Non est, de decimis.* ibi: *Denegatione de ipsa etiam militia, & venatione, & omnibus bonis.* Ex iure ergo, debita est decima ex militia: at sic est, quòd militia, ita comprehendit lucrum istæ prædæ, sicut lucrum stipendij, vt notant Cardin. & Abbas, in dicto capit. *Non est,* & meritò, cùm præda in maximam partem lucri computetur. Vnde cùm obtineatur post partum victoriam, maximè postulat gratiorum actionem, & recognitionem diuini beneficij. Ideoque Abraham de omnibus spoliis victoriæ, decimas Melchisedecho obtulit. Genes. 14. & ad Hebr. 7. ergo, &c. Legatur cap. *Decimas* 16. *quæst.* 7. Sic Abulens. *in c.* 23. *Matth. quæst.* 168. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 31. *num.* 1. & 3. Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 219. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Eccles. cap.* 2. *num.* 12. Moneta *de decim. cap.* 4. *num.* 28. Barbosa *in capit. Non est, cit. num.* 7. Rebuff. *de decim. quæst.* 8. *num.* 20. & penes illum, Cardinalis, & Panormitan. *in cap. Non est, de decimis.*

Quæstio X.

An etiam, ex vi iuris, teneantur Milites, Doctores, & Lectores, Aduocati, & Iudices; de stipendiis militiæ, salario lecturæ, & pecuniæ aduocationis, Decimas soluere?

Respondeo; tanquam certum; ex vi iuris teneri. Quia ex omnibus bonis, quæ, actione nostra personali, comparamus, & debemus decimas reddere, vt nuper, ex cap. *Non est.* vidimus: at sic est, quod stipendia, quæ pro militia, Militibus; salarium pro lectura, Lectoribus; & pecunia pro aduocatione Aduocatis, dantur, sunt lucra, & bona, actionibus personalibus, acquisita: ergo de omnibus illis debentur, ex vi iuris, decimæ. Sic communiter omnes. Abulens. *q.* 168. *cit. vers. de militia,* Suarez, & Filliuc. *locis cit.* Fagundez *cap.* 2. *cit. num.* 10. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *q.* 9. Palao *punct.* 6. *citato, num.* 4. Rebuffus, Moneta, & Barbosa *loc. cit.*

Quæstio XI.

An ex rebus, quæ ex ludo licito comparantur, debeantur, rigore iuris, decimæ?

Respondeo: Tanquam certum, deberi ex rigore iuris. Quia lucrum ex iusto ludo prouenien est verum, & iustum lucrum ex actione, & industria humana prouenien: at sic est, quòd ex omni lucro licito, industria hominis proueniente, debetur decima; vt ex dictis constat. ergo. Sic Suarez *cap.* 32. *cit. num.* 5. Fagundez *n.* 10. *cit.*

Quæstio XII.

An ex vi iuris, debeantur Decimæ, ex bonis per eleemosynam acquisitis?

Respondeo: Tanquam certum: Non deberi, ex vi iuris. Quia in iure, nec verbum vllum inuenitur, in quo oppositum fundari possit. Nam licèt acquisita per eleemosynam sint bona quædam, licitè, que cōparata, vt per se constat; non tamen sunt cōparata à nobis actione propria personali; cùm potiùs in nobis

nobis, & à nobis recipiatur) quod necessum erat, vt ex vi iuris, ex prædictis bonis deberentur decimæ: Adde; quòd nullo modo erat conueniens, aut decens, pauperibus mendicantibus, seu ex eleemosynis viuentibus, tale, ac tam seuerum onus imponere. Sic Suarez *tom.1.de Relig. lib.1.cap.31. numer.9.* Vocans contrarium absurdum, Fagundez *lib.1. de 5. præcepto Eccles. cap. 2. num.*11. Bonacin. *qu.5. cit. punct. 3. num. 2.*

QVÆSTIO XIII.

An de pecunia, mercede, aut salario, quæ datur famulis, & famulabus pro seruitio, debeatur, ex vi iuris, Decima?

RESpondeo: Deberi, ex vi iuris. Quia decima debetur ea lucro, industria, aut labore hominum, quæsito: at tale est lucrum mercedis, aut pecuniæ, datæ famulis, & famulabus pro seruitio: ergo. Sic ex cap. *Ad Apostolica, cap. Pastoralis.* & ex Glossa ibidem, docet Nauarr. *cap.* 21. *numer.*30. Abulens. *in cap.*23. *Matth. quæst.*168. *vers. de seruitio.* Fagundez *loc. cit. numer.* 10. Vasquez *tom. opusc. tractat. de benef. cap.1. dub.* 6. Rodriguez 1. *part. summ. cap. mihi* 87.*num.*1.

QVÆSTIO XIV.

An ex vi iuris, sint de piscatione, decimæ dandæ?

RESpondeo: Dandas esse, ex vi iuris. Quia ex vi iuris, debentur decimæ ex fructibus, aut prouentibus, qui ex industria, & labore hominum proueniunt: at tales sunt fructus, qui ex piscatione proueniunt: ergo. Sic Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*160. Qui id probat ex cap. *Peruenit. de decimis.* & ex cap. *Pastoralis* eod. tit. Azor *tom.*1. *lib.6. cap.*35. *quæst.*9. & Barbosa. *in cap. Peruenit. cit. num.*4. vbi sic ait: De piscariis decimæ præstari debent. Cabed. *Lusitan. decis.*54.*num.*7.*part.*2. Rebuffus *d.q.*8.*num.*10. Moneta *d. cap.*4. *n.*20. resoluentes decimam soluendam esse illi Ecclesiæ vbi stagnum est. Et quòd de piscibus solui debeat decima censuit Rota *in Vlixbonen. decimarum piscium* 23. *Ianuarij* 1568. Coram Oradino. Et Abulens. *in Matth. c.*23. *q.*160. vult de piscatione, quæ fit in flumine publico, siue priuato, absque solutione pensionis soluendas esse decimas de lucro piscationis; de piscatione verò, quæ fit in stagno, vel flumine, aut alio loco propter quam soluitur pensio, soluendam esse decimam de prouentibus, per *text. In præsenti.* Sic Barbosa.

QVÆSTIO XV.

An ex rigore iuris, debeatur decima de venatione?

RESpondeo: Tanquam certum, deberi. Quia sic habetur in cap. *Non est, de decimis.* ibi: *De militia, & venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Sic Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*162. Azor *q.9. cit.* Rebuff. *q.*8. *de decim. n.*15. & penes ipsum, Abbas, & Innocent. *in dicto cap. Non est.* Moneta *c.4. de decim. n.*19. & Barbosa, *in d.c. Non est, n.*8. & omnes.

QVÆSTIO XVI.

An ex iure, debeatur ex aucupio, decima?

RESpondeo: Etiam deberi. Quia ex iure, debetur decima de omni lucro licito, actione humana acquisito. Sic Azor 1. *part. lib.7. c.35. q.9. cit.* per hæc verba: Item ex aucupio exoluitur decima: Nam, etsi expressè, nihil sit iure canonico statutum; Iurisconsultus tamen *in l. Item si fundi. §. Sed si insula, ff. de vsufructu*, dicit. Aucupiorum vsumfructū, sicut piscationem, esse fructuarij. Ergo si ex aucupio fructus proueniunt, decima debetur. Sic Azor & infrà: Sic dicit: Sciendum autem est, si pisces, vel volucres, vel feræ capiantur, decimam deberi personalem; quia sunt fructus, qui ex industria, & labore personæ proueniunt: at verò si in loco certo includantur cibi causâ, non voluptatis; Prædialis, siue Mixta decima debetur quia est fructus ex nostris animalibus prouenìens. Sic ille. Moneta, & Barbosa *loc. citatis*, & communis. Et meritò; quia aucupium est venatio quædam: at sic est, quòd ex venatione, de iure soluenda est decima: ergo, & de aucupio. Vnde non ita bene dixit Azorius, nil esse in iure de aucupio statutum.

QVÆSTIO XVII.

An ex vi iuris, debeantur decimæ personales, ex rebus, illicitè, iniustè, & cum obligatione restituendi, acquisitis?

RESpondeo: Tanquam certum; non deberi. Quia solùm ex verè, & iustè acquisitis, industriâ hominum, debentur decimæ, vt clarè colligitur ex cap. *Ex transmissa, de decimis.* ibi: *De licitè acquisitis*: ergo non ex rebus illicitè, & iniustè acquisitis, & quæ obnoxiæ sunt restitutioni. Sic omnes Doctores cum D. Thom. 2.2. *q.*87. *art.*2. Canonistæ *tit. de decimis.* & Summistæ *eod. verb.* Vnde ex rebus mobilibus furto, vel rapina, aut ex vsuris habitis; vel ex spoliis iniustis, & iniquis, & denique, ex omnibus illis rebus mobilibus, ex quibus lucrans dominium non acquirit, non debentur decimæ nec Ecclesiæ illas accipere, licitè possunt. Sic D. Thom. *loc. cit.* Syluest. *verbo decima, num.*12. *Dicto* 3. Armilla, *num.*5. Lublinus *n.*11. Abulens. *in c.*23. *Matth. q.*169. Suarius *lib.*1. *de Relig. c.*23. *num.*7. Azor *tom.1. lib.7. c.34. q.*13. & penes illum, Innocent. & Hostiens. Bonacin. *qu.5. de præcept. Eccles. punct.3. num.2.* Filliuc. *tract.* 27. *cap.*10. *quæst.*4. *num.*221. Fagundez *lib.1. de.5. præcept. Eccles. cap.2. à num.*13. Castro Palao *tom.2. tractat.*10. *punct.6. num.5.* Lessius *de iust. lib.2. c.39. dub.3. n.*13. & alij.

QVÆSTIO XVIII.

An saltem debeantur, ex iure, decimæ, ex rebus, ex Meretricatu, ex Histrionatu, ex Occisione, & ex similibus, turpiter, & illicitè acquisitis, quæ tamen non sunt obnoxia restitutioni?

NEgatiuam sententiam absolutè tenere Azorium Reginaldum, & alios communiter, ait Bonac. *nu.2. cit.* Sed certè id non absolutè docent ij Authores, loquendo præcipuè de quæstu meretricio, vt statim videbimus. Vnde.

Respondeo: Dicendum. Deberi decimas Ecclesiæ, ex rebus prædictis, præcipuè, ex meretricatu acquisitis,

fitis; dummodò non sint obnoxiæ restitutioni (secus si obnoxiæ restitutioni sint) quia prædicta bona, sunt verè accipientium, & non sunt restituenda: ergo comprehenduntur sub generali regula: ergo debetur decimæ ex illis, & ideò Ecclesia illas accipere potest: nisi aliòqui detur scandalum, eo quòd illas accipiendo, earum peccatum approbare videatur. Hoc, & non aliud, docet Azor *lib.7.cit.q.13.* (non 3. vt inuenies apud Bonac.) per hæc verba: Decima personalis non debetur, ex iis, quæ sunt domino restituenda. Ex cæteris verò, si fuerint lucra ex peccato notorio parta, vt ex meretricio quæstu; Ecclesia decimam non recipit: quamuis ipsi, qui acquirunt, debeant; à quibus per pœnitentiam veram conuersis, potest Ecclesia recipere decimas prætermissas. Si lucra fuerint ex peccato occulto, quamuis noto Parocho, siue Prælato, Ecclesia recipere potest decimas. Hæc omnia Syluest. *verb. Decima, q.6.* partim ex Hostiensi, Innocentio, & partim ex S.Thom. 2. 2. *quæst.87. art.2. ad 2.* Huc vsque Azor. Quibus verbis constat, nil aliud docere, quàm Syluester ex S.Thoma docet; ac proinde idem met, quod ipse Bonacina, cùm hos Authores pro se afferat. Sic etiam latè, & optimè, eximius in Sanctitate, & doctrina, Abulens. *quæst.169. cit.* Suarez *cap.32.cit. num.9. & 10.* Filliuc. Bonacin. Fagundez *loc. cit.* Lublinus *verb. Decima, n.18.* Sic, comprehendens omnia, quæ in titulo quæstionis veniunt, dicens: Quando vsurarij, meretrices, Histriones, & his similes, volūt decimam dare de bonis, quæ sunt obnoxia restitutioni, aut quæ ex notorio peccato, & turpi quæstu venerunt, non debet Ecclesia recipere, ne videatur peccatum approbare. Si verò non sint obnoxia, & ipsi desiderant ad pœnitentiam reuerti: tunc poterit Ecclesia exigere nouas, & repetere neglectas. Syluest. *1. part. tit. Decima, numer. 12.* Sic Lublinus, & sic etiam Reginaldus *loc. cit. num.85.* Castro Palao, *tom. 2. tract. 10. punct.6. n.5.* & penes ipsum, D.Thom. 2.2. *quæst.87. art.2. ad 1.* Valentia *disp.6. qu.5. punct.3. in fine.* Et Rebuff. *de decim. quæst.5. à nobis 27. pag.15.* Barbosa *in cap. Ex transmissa. n.5.* Moneta, Tyndar. Petr. Roiz, Perez, Spino, & alij.

QVÆSTIO XIX.

An non solùm ex iure communi, vt vidimus, sed ex vsu, & consuetudine, debeantur modò decimæ personales?

RESpondeo: Quòd Regulariter loquendo, non debeantur modò decimæ personales, quæ hactanus à nobis explicatæ sunt. Qua quamuis iure communi debeantur; consuetudine tamen, & vsu, tacitaque condonatione Ecclesiæ non soluuntur communiter. Sic communiter D D. Azor *loc. cit.* Sic ait: Etenim decima personalis in desuetudinem iam abiit. Palao *tract.10. cit. punct.6. num.10.* testificat, decimas personales nullibi ferè esse in vsu. Fagundez *c. 2. cit. num. 3.* absolutè affirmans, has personales decimas nullibi solui, & eodem modo id confirmant omnes Authores. Excepto doctissimo Nauarro, qui excipit decimas personales, prouenientes ex seruitio, seu salario famulorum, quæ (inquit) in aliquibus partibus Hispaniæ Ecclesiis soluuntur. Sic enim ait, prædictus Doctor. Sequitur secundò idem dicendum, de personalibus, quod de aliis, videlicet, quòd non debeantur, vbi est consuetudo legitimè præscripta non soluendi eas, qualis est ferè nostra ætate in toto orbe Christiano, excepto salariorum famulorum, & famularum, aliquarum regionum Hispaniæ. Sic ille. *c.21. nu.31.* & ex illo Rodrig. *1. p. sum. cap.87. n.1.* Gutierrez *Canon. lib.2. cap.21. num.34* & Rota *in Placentina decimarum de Traxillo 15. Nouembris 1621.* Quorum exceptio, haud multùm placet Vasquio, *tom. opus. tract. de benef. cap.1. dub.7.* vt deootat per hæc verba: Sed consuetudine ferè vbique est obtentum, vt ferè nullæ personales soluantur. Verùm est, in aliquibus Hispaniæ populis, famulos agricolarum decimas soluere, non tantum de frugibus, sed etiam de mercede, quā labore suo obtinent, quod rigidum videtur; cùm tamen negotiatores, mercatores nimium diuites, nihil ex sua industria soluant, sed tamen semper est standum consuetudini. Sic Vasquez. Et sic etiam Suarez, cum aliis, *lib.1. cit. c.21. à n.1.* Valentia *disp.6. q.5. punct.3. in fine.* Sà *verb. Decima, n.1.* & alij.

QVÆSTIO XX.

An decimæ personales, soluendæ sint ex lucro, nihil ex illo priùs pro expensis deducendo?

AFfirmandum videtur ex cap. *Non est de decimis:* vbi apertè habetur; *Decimas esse soluendas de vino, agro, fructibus, & negotiatione, militia, & venatione;* & subiungitur. *Præcipimus, quatenus antequam deducatis vllas de bonis prædictis expensas, decimas cum integritate persoluatis:* ergo hoc præceptum, tam de decimis prædialibus, quàm de personalibus clarè datur: ergo sicut decimæ prædiales soluuntur de fructibus, non deductis expensis; ita, & decimæ personales, non deductis de lucro expensis, debent solui.

Sed tanquam certum apud omnes, Respondeo: Non esse soluendas ante deductionem expensarum, sed posteà. Quia sic habetur expressè in cap. *Pastoralis, de decimis.* vbi dicitur: *In negotiatione, concessum esse, vt possint expensæ deduci, priusquam decimæ soluantur ex lucro.* Sic ibi. Et quamuis hic textus solùm loquatur de negotiatione, tamē Doctores communiter (quidquid velit Abulens. *qu.205. oppositum.*) id extendunt ad omnes alias decimas personales; vt sunt venatio, piscatio, merces, & aliæ similes, de quibus huc vsque egimus. Et ratio est. Quia decimæ personales præcipiuntur solui solùm de lucro acquisito: at sic est, quòd lucrum solùm est id, quod superest, deductis expensis, vt constat ex ipsamet appellatione lucri: ergo.

Ex hac ratione constat differentiam esse satis claram, inter decimas prædiales, ac personales; ideòque quamuis illæ soluendæ sint, ex vi dicti præcepti, ante deductionem expensarum; non verò istæ. Vnde illa verba. *Antequam deducatis,* quæ facere satis videntur pro opposito, restringenda sunt ad decimas prædiales; ne iura sint contraria. Sic Glossa in capit. *Non est.* & cap. *Pastoralis.* & ibi Innocent. Hostiens. Anton. & Abbas, Rebuff. *tract. de decimis, qu.11. num.4. & 6.* quos refert, ac sequitur Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.33. num.2.* Albe. Bald. & Ang. *in l. si à Domino, §. vltim. ff. de pet. hær.* Tiraquell. *de tractu lignagier, §.15. Glossa 1. num.14.* Bertrand, *tom.3. p.2. consil.247. n.1.* Barbosa *in cap. Pastoralis, cit.* Filliuc. *tract.27. cap.10. q.5. n.225.* Fagundez *lib.1. de 5. præc. Eccl. cap.2. num.18. & 20.* Castro Palao *tom.2. tract.10. punct.6. num.7.*

QVÆSTIO XXI.

Quid sit in his expensis computandum?

RESpondeo: Quòd loquendo de *Negotiatione,* computandæ sunt expensæ factæ in mercibus emendis, quærendis, & vendendis, & in faciendo rē melio

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles. Y

meliorem, & etiam quæ data sunt mediatoribus, & similibus. Sic Rebuff. Palao, Fagundez, Barbosa, Suarez, & Filliuc. *loc. cit.*

Loquendo verò *de piscatione, & venatione*, deducendæ sunt expensæ, & pecuniæ, factæ in emendis, & reficiendis retibus, & alijs ad piscationem, & venationem destinatis. Sic Fagundez *loc. cit. numero* 20.

Loquendo tandem de *militia, lectura, & aduocatione*; deducendæ sunt priùs pecuniæ, & expensæ factæ in emendis necessarijs ad officia hæc aptè exercenda; veluti militaria instrumenta, ad militiam; libri, ad lecturam; & aduocationem, &c. Sicque dicendum de alijs rebus, de quibus decimæ soluuntur personales. Legatur Barbosa *in cap. Pastoralis, de decimis.*

Qvæstio XXII.

An etiam deduci debeant expensæ, quas negotiator, miles, lector, aduocatus, venator, &c. faciunt, in victu, & vestitu suarum personarum, & seruorum?

Affirmandum videtur. Quia hæc omnia verè sunt necessaria ad præstandum officium, laborem, & opus, ex quo lucrum reportandum est: ergo negotiator, miles, lector, &c. non tenebuntur ad soluendas decimas personales ex toto lucro, stipendio, & salario; sed ex solo residuo, post suorum conuenientem victum, & vestitum. Huic affirmatiuæ parti, tanquam probabili, inclinatur Castro Palao *tract.* 10. *cit. punct.* 6. *num.* 8.

Sed cum distinctione Respondeo: Dicendum: Quòd, aut sumptus, & expensæ, quæ fiunt in alenda persona, & familia, nascuntur ex ipso ministerio, negotiatione, militia, &c. & sunt ita necessarij, vt sine dictis sumptibus, & expensis, tale ministerium, aut negotiatio, aut militia, &c. commodè exerceri non possit; & tunc re vera deducendi sunt sumptus, & expensæ factæ in victu, & vestitu: aut non nascuntur ex ipso ministerio, officio, vel arte; sed aliàs, per se sunt necessariæ ad sustentationem dictarum personarum; & tunc, non sunt deducendæ; quia hæc, re vera non sunt expensæ, quæ propter lucrum faciendum fiant. Sic Suarez *lib.* 1. *cit. c.* 33. *num.* 6. Filliuc. *tr.* 27. *cap.* 10. *num.* 225. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Eccl. cap.* 2. *num.* 20.

Qvæstio XXIII.

An decimæ personales, sint soluendæ, ex vi iuris communis, propriæ parochiæ, in qua quis eodem iure, tenetur audire Missam, & Sacramenta suscipere?

Respondeo: Affirmatiuè. *Primò.* Quia sic habetur expressè in cap. *Ad Apostolica de Decimis*, & in cap. *Significasti, de Parochijs.* & alibi. *Secundò.* Quia decimæ personales dantur in sustentationem eorum, qui nobis spiritualia ministrant: at sic est, quòd ad hoc tenentur Parochi ex officio: ergo illorum Ecclesijs debent solui. Sic omnes Canonistæ in cap. citatis. D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *ad* 2. & ibi omnes Theologi. Legantur Abulens. *in c.* 23. *Matth. qu.* 196. Nauarr. *lib.* 3. *consil.* 1. *de decimis.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1. & 2. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcepto Eccles. cap.* 3. *num.* 1. Bonac. *q.* 5. *de præc. Eccles. punct.* 3. *num.* 1. Qui, ob rationem dictam, docet, scholarem in studio commorantem, debere decimas personales soluere Parochiæ studij. Quod antea, idem docuerunt Federicus de Senis *consil.* 253. & Tuscus *tom.* 2. *concl.* 67. *num.* 1. Quos ipse citat. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 6. *n.* 9. & Barbosa *in cap. Ad Apostolica cit. num.* 1. & 2. & penes ipsum, Abbas, Innocent. Collect. Zabarell. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Rebuff. Moneta, Gutierrez, & alij Canonistæ.

Qvæstio XXIV.

An si quis habeat duo domicilia in diuersis Parochijs; debeantur decimæ personales vtrisque?

Affirmant absolutè Bonacin. *loco cit.* per hæc ferè verba: Qui in duabus Ecclesijs Sacramenta percipit, debet decimas personales diuidere pro rata temporis. Ita Rebuff. *de decimis, quæst.* 6. *num.* 2. Moneta *cap.* 17. *num.* 18. Ita ille.

Sed clariùs Respondeo: Quòd debeantur vtrisque Parochijs, æqualiter: casu, quo quis, in illis æqualia habeat duo domicilia ita vt in æstate, in vno; & hyeme, in alio resideat: at verò si vnum domicilium habeat principale, & aliud accessorium; tunc Ecclesiæ, vbi est principale debentur decimæ personales. Sic ex Rebuffo *loc. cit.* Suarez *cap.* 21. *cit. n.* 2. Fagundez *loc. cit. num.* 5. & penes illum, Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. Rodriguez *cap.* 87. *concl.* 2. & Sà *ver. Decima, num.* 4. & 8. Barbosa *in cap. Ad Apostolica de decim. num.* 2. Castro Palao, *num.* 9. *cit.* Sic dicens: Si verò plura domicilia, vnum sit principale, aliud quasi accessorium, soluet decimam illi parochiæ, in qua habet principale domicilium. Quapropter semper attendi debet domicilium principale, etiamsi Parochianus toto ferè anno, extra parochiam laboret, & de facto suscipiat Sacramenta; quia illud est per accidens. Sic ille.

Qvæstio XXV.

An qui habet domicilium in vna parochia, sed possessiones in alia; debeat soluere decimas personales Ecclesiæ, vbi habet domicilium?

Respondeo: Affirmatiuè. Quia in Ecclesia vbi habet domicilium, recipit Sacramenta: non in alia, vbi habet possessiones: ergo. Sic Suarez *num.* 2. *cit.* & Fagundez *cap.* 3. *cit. num.* 2. Qui idem dicunt dicendum, de illo, qui non mutat domicilium, et tamen extra suam parochiam per magnam anni partem laborando, negotiando &c. quòd, scilicet, tunc teneatur soluere decimas personales Ecclesiæ, vbi habet domicilium, quia ibi per se recipere tenetur Sacramenta, licèt per accidens contingat alibi ea recipere. Quod optimè, antea docuit Doctiss. Nauarr. *consil. mihi*, 1. *de dicimis*, *num.* 5. Suar. & Fagund. *consil.* 2. *num.* 3. Basilius, *de Matrim. libro* 3. *cap.* 13. § 5. *num.* 19. Barbosa *loc. cit.* & alij.

Qvæstio XXVI.

An qui in Ecclesijs Religiosorum Sacramenta recipit; debeat illis, an potiùs Parocho, decimas personales soluere?

Respondeo, Tanquam certum; Debere potiùs Parocho. Quia huic incumbit onus administrandi Sacramenta, propter quod, decimæ soluuntur. Sic Bonac. *punct.* 3. *cit. num.* 1. *vers. Secundò.* Et ratio constat ex nuper dictis.

Alios

Alios casus similes tractat Rebuff. Sed vt benè, Suarez, non oportet in illis immorari, quia, vt diximus, hæ decimæ personales, ferè omninò sunt sublatæ ob consuetudinem; si tamen alicubi soluuntur, semper fit propriæ parochiæ.

DISPVTATIO IV.

De decimis Prædialibus, & de quibus rebus solui debeant.

QVÆSTIO I.

An Decimæ prædiales soluendæ sint nunc de omnibus rebus, de quibus olim in lege veteri, iubebantur solui?

RESPONDEO: Tanquam certum, quòd sic. Quia licèt præceptum illud diuinum, quod fuit in lege veteri, de soluendis decimis prædialibus, non maneat nunc, vt habitum est suprà; tamen solutio decimarum prædialium, est nunc de præcepto Ecclesiæ ad similitudinem solutionis decimarum; quæ erat in lege veteri, vt suprà etiam est habitum; & ita necesse est, vt de omnibus illis rebus, soluantur nunc decimæ prædiales, de quibus in lege veteri iubebatur solui; nempè de omnibus fructibus, & frugibus arborum, & terræ. Sic omnes Doctores docent, ex capite *Nuncios*, ex capit. *Ex parte*, & cap. *Ex transmissa*, & ex aliis *capit. sub tit. de decimis & 16.q.1. & 7.* Legantur D.Thom. 2. 2. *q.87. art.2.* & *ibi* Caiet. & alij expositores. Abulens. *in cap.23. Matth.quæst.152.* Suarez *tom.1.de Relig.lib.1. cap.34. num. 1.* Fagundez *lib. 1. de 5. præcepto. Eccles. cap. 4. à num. 1.* Filliuc. *tract.27. part.2.quæst.6.n.226.* & alij mox citandi, loquendo in particulari, maioris claritatis gratia, de rebus, ex quibus soluendæ sint decimæ prædiales.

QVÆSTIO II.

An de omni grano tritici, hordei, & aliarum messium; soluenda sit, ex iure, decima?

RESpondeo: Tanquam certum; soluendam esse. *Primò.* Quia de his omnibus erat præceptum decimandi in lege veteri, vt colligitur ex Paralip. *cap.31. vers.5.* Vbi sic habetur: Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Israël frumenti, vini, & olei; mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus decimas obtulerunt. Sic ibi. (Non sicut refert Rebuff.) ergo cùm ad instar huius præcepti, sit datum præceptum de decimis in lege noua, dicendum est, etiam in illa, de omnibus prædictis decimari debere.

Secundò. Quia sic habetur expressè in cap. *Non est, de decimis.* vbi Celestinus tertius. Sic ait: *Re vera sicut Sancti Patres, in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Sic ibi. Et sic omnes Doctores, tam Canonistæ, quàm Theologi, præcipuè D.Thom. 2.2.*q.87. art.2.* ibi eius expositores, Rebuff. *de decim.q.8.n.3.* Moneta, *cap.4. n.2.* Suarez, *tom.1, de Relig. lib.1.c.34.n.2.* Fagundez, *de 5. præc. Eccles. lib.1, c.4. num.2* Quos citat & sequitur Barbosa, *lib.3. de iure vniuerso c.26.§.1.num.2.* & in cap. *Non est de Decimis, n.2.* Abulens. *q.152. cit.* Filliuc. *q.6. cit. num.227.* Azor, *tom.1.lib.7.cap.35. q.9.* Trullench, *lib.3. in Decal.cap.3.dub.2.n.4.* Bassæus, *v. Decima n.2.* Castro Palao, *tom.2, tr.10. disp. vnica, punct.7. num.1.* & omnes.

QVÆSTIO III.

An etiam ex vi iuris, debeatur decima de palea, integra, vel comminuta, per triturationem?

NEgat ex parte, Speculat. *in tit. de decimis, in fine, vers. Qua lex,* docens, quòd tunc solùm solui debeat decima de palea, quando frumentum soluitur in glebis, & in messe, quia tunc, inquit, palea est in fructu.

Sed absolutè, & sine distinctione; Respondeo: Deberi, ex vi iuris, decimã, de palea, siue integra, siue comminuta sit. *Prim.* Quia decima debetur de omni fructu, vt habetur in cap. *Nuncios*: at sic est, quòd palea, siue integra siue contrita est fructus, vt cònstat clarè. *Tum, ex l. fin. §. si vsufructuarius messem, ff. quemadmodum vsusfruct. amit. ex l. si in fine, C. de seruit. & aqua,* & docet Vincent. de Franchis, *vbi infrà,* ex Floria, *in l. qui scit. ff. de vsur.* & ex Auditore Perusi. *decis.106.num.10.* & latius *decis.14.num.9. Tum etiam,* quia palea nascitur in agro per humanum laborem, ad humanam vtilitatem: ergo ex ea debetur decima ex vi iuris. *Secundo.* Quia, vt bene Abbas, in cap. *Peruenit de decimis, num.3.* & ex illo Suarez, decima debetur ex manipulis segetum. sicut metuntur ex terra, & in rigore, sic deberent fructus decimari (vt tenet Speculator, *tit. de decimis, ad finem*) cùm tota illa materia sit fructus terræ, & ideò iura sæpe, sub nomine segetum, vel messium loquuntur, vt in cap. *Ad Apostolic. de decimis*: ergo quamuis post triturationem decimetur granum, idem ius manet in palea: ergo in rigore iuris de illa debetur etiam decima. Sic Moneta, Suarez, Azor, Fagundez, Bassæus, & Palao, *loc. nuper citatis.* Barbosa, *loc. cit. & cap. Nuncios, de decimis, num.6.* Rebuff. *tract. de Decimis, quæst.8. numero 3.* Raphaël de la Torre, *in 2. 2. q.87. art.2. num.3.* Abulens. *in cap.23. Matth.q.154.* Qui quamuis doceat, quòd de facto nulla sit obligatio soluendi decimam de palea, in multis regionibus; eo quòd apud illas præscriptum sit legitimè, ne in talibus regionibus paleæ decimentur; de iure tamen, inquit, quòd debeatur decima de palea integra, aut comminuta per triturationem, ob rationes à nobis assignatas. Vnde, an de facto debeat solui decima de palea, an non; standum est consuetudini regionum, vt docet Riccius, *in collectan. decis.19. collectan. 192.* Sic dicens: Infertur quartò, quòd si de fœno soluitur, ex capite præcedenti ad textum nostrum, ita, & de palea, nisi obstet consuetudo, vel per prius non fuerit longissimo tempore soluta, nam, & hæc sunt in fructu de Franch. *dec.103.* Sic ille. Et benè. Poterat tamen citari pro hac parte Aym, *primo volum. consil.21.* & Niger, *in cap. Regni.* Quos pro hac parte citat Vincentius de Franchis. Legatur etiam Gregorius Lopez, *in l.2. part.1. tit.20. verb. De las tierras.* Vbi docet, quòd debeat de palea decimari tamen triturato grano, & ita in horrea Ecclesiæ deferre.

QVÆSTIO IV.

An ex vino, de rigore iuris, debeatur decima?

RESpondeo: Tanquam quid certum, deberi. Quia sic expressè præcipitur in cap. *Non est*, vt habitum

tum est, suprà & in cap. *Quicumque* 16. *q.*7. & cap. *Omnes* 19. *q.*7. ergo ex iure decima debetur ex vino. Sic Suarez, Filliuc. Azor, Barbosa, Trullench, Fagundez, Bassæus & Raphaël de la Torre. Dixi, *ex rigore iuris*, quia aliud potest consuetudo introducere, aut derogando, aut minuendo decimas cuiuscumque rei. Quâ ratione ait Fagundez, *lib.*1. *cit. cap.*2. *num.*3. quòd in Archiepiscopatu Bracharensi, solùm debeatur decima ex vino, quod in torculari, doliisve calcatur, non verò ex vino, quod domi in vase manu premitur, modò id non fiat in fraudem.

Quòd si inquiras, An in vino, an verò in vuis soluenda sit dicta decima? Respondent Molfes. *tract.*6. *cap.*4. *num.*33. & penes ipsum, Riccius, & alij. Quòd in vino, quia in hoc inquit consistunt fructus vineæ. Sed nobis dicendum est, standum esse consuetudine locorum; nam in multis Regnis Castellæ, videlicet, & Nauarræ, non vino, sed in vuis soluuntur decimæ. Sic docet Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæst.*87. *art.*2. *disp.*7. *num.*8. his verbis: In aliquibus verò locis in musto, aut in oleo datur decima, non in fructibus sectis.

QVÆSTIO V.

An etiam, ex oleo, seu oliuis; ex vi iuris, debeatur Decima?

RESpondeo: Tanquam certum, deberi. *Primò.* Quia in dicto cap. *Non est, de decimis*, expressè dicitur, quòd solui debet decima *de fructibus arborum*, vt habitum est, *sup.* & idem præcipitur in cap. *Omnes* 19. *quæst.*7. ibi: *siue de frugibus, siue de pomis arborum.* Sed oliuæ veri sunt arborum fructus: ergo.

Secundò. Quia in lege veteri dabantur de præcepto, decimæ de area, & torculari, *Numer.*18. *cap. Vbi per aream*, accipiuntur fruges; per *torcular*, accipitur vinum, & oleum; quia ista, idest, vuæ, & oliuæ torquentur, vt succus, id est vinum, & oleum, exprimantur: ergo etiam in lege gratiæ, de iisdem rebus datur præceptum Ecclesiasticum; patet consequentia ex dictis, *suprà.* Sic communiter Doctores, loquendo generaliter de decimis ex fructibus. Sed loquendo expressè de decima ex oleo, aut oliuis; id docent Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*152. Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *cap.*34. *num.*2. Rebuff. *de decimis, q.*8. *n.*8. Moneta, *cap.*4. *num.*10. Fagundez, *de præc.*5. *Eccles. lib.*1. *cap.*4. *num.*2. Bassæus, *v. decima, num.*2. Barbosa, *lib.*3. *de iure Eccles. cap.*26. §.1. *num.*4. & 7. Vbi expressè docet decimam deberi ex oliuis; nisi aliàs, propter earum exiguitatem per multum temporis spatium decima soluta non fuerit, vt decisum fuit in vna ciuitate, decimarum, 26. *Martij* 1618. coram Card. Verospio. Riccius, 1. *p. collectan. decis.*192. & penes illum Anneus Robert. *alleg.*94.

QVÆSTIO VI.

An item, ex Nucibus, Amygdalis, Castaneis, & aliis fructibus arborum; debeatur, ex iure decima?

RESpondeo, Tanquam quid certum, deberi, ex iure. *Primò.* Quia olim in lege veteri soluebantur decimæ de omnibus fructibus arborum, vt constat ex dictis sup. *disp.*1. *q.*8. ergo etiam in lege gratiæ debent solui.

Secundò. Quia id expressè habetur in iure cap. *decimæ* 16. *q.*1. cap. *Nuncios*, c. *Cum homines*, & cap. *Non est de decimis*, in quibus præcipitur, vt de omnibus fructibus arborum soluatur decima. Sic omnes Authores. Bertrand. *cons.*247. *vol.*3. Rebuff. *de decimis*, *q.*8. *n.*5. Moneta, *cap.*4. *n.*5. Abulens. *q.*152. *cit.* Barbosa, *c.*26. *cit.* §.1. *n.*6. Et in cap. *Non est de decimis, num.*3. Suarez, Azor, Filiiuc. Fagundez, Trullench, & Bassæus, *loc. cit.* Palao, *punct.*7. *cit. n.*1. & omnes.

QVÆSTIO VII.

An ex foliis Mororum sint, ex iure, soluendæ decimæ?

AFfirmant, ex consuetudine saltem, soluendas esse, Seraphin. *decis.*827. & Rot. apud Farinac. *decis.*528. *numer.*3. Ex illis Barbosa, §. 1. *cit. numer.*8. & *cap. Nuncios de Decimis, num.*4.

Sed ego absolutè, Respondeo. Quòd non solùm ex consuetudine, vbi viget, sed ex iure, soluendæ sint, ex foliis mororum, decimæ. Quia, ex iure, soluendæ sunt decimæ ex omnibus fructibus arborum, vt constat ex dictis: sed sic est, quòd folia mororum est fructus principalis harum arborum; cùm nascantur in agro per humanum laborem, & assumantur in maiorem vtilitatem humanam, quam ipsimet fructus proprij dictorum mororum: ergo. *Confirmatur.* Quia ideò de palea debetur, ex iure, decima, quia inter fructus computatur ob dictam rationem, vt habitum est, *suprà*: ergo ob eandem rationem, debentur folia mororum computari inter fructus, & consequenter de illis solui decimas. Sic decis. Rot. Romanæ, 416. quam refert Postius, *tom.*2. *de manuten. pag. mihi* 378. & docent absolutè Barbosa in cap. *Non est de decim. num.*3.

QVÆSTIO VIII.

An de Blado, fabis, & pisis, & aliis leguminibus debeantur, ex iure, decimæ?

RESpondeo, tanquam certum: Deberi, ex iure. Quia sic habetur in cap. *Ex multiplici de Decimis*, vbi expressè, *de blado, & vniuersis leguminibus*, esse decimandum, decernitur. Et sic etiam de his decimabatur in lege veteri, vt habitum est suprà, *disp.*1. *q.*9. ergo ex iure, ex omni genere leguminum debentur decimæ. Sic communis omnium sententia. Hostiens. *in summ. tit. de decimis*, Rebuff. *tract. de decimis, q.*8. *num.*4. & 8. Abulens. *c.*23. *in Matth. q.*152. Moneta, *cap.*4. *num.*4. Suarez, *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *cap.*34. *num.*3. Azor, *tom.*1. *lib.*7. *cap.*35. *q.*9. Filliuc. *tract.*27. *cap.*10. *num.*227. Fagundez, *de præc.*5. *lib.*1. *cap.*4. *n.*3. Castro Palao, *tom.*2. *tr.*10. *punct.*7. *n.*1. Raphaël de la Torre, *art.*2. *cit. num.*3. Barbosa, *lib.*3. *de iure Eccles. c.*26. §.1. *n.*5. Trullench, *lib.*3. *in Decal. cap.*3. *dub.*2. *n.*4. Bassæus, *v. Decima, num.*2. & Graff. *cap.*27. *cit. num.*36. Nota hîc ex Barbosa, *tract. de Appellatiuis*, 34. quòd *Bladi* appellatione, venit omne illud, quod in terra seritur, etiam semen lini (præter legumina, vt constat ex cap. *Ex multiplici, cit.* ibi: *de blado, & vniuersis leguminibus.*) Sic Bart. *in l. triticum, ff. de verbor. obligationib.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An etiam, ex vi iuris, debeatur decima de Caulibus, lactucis, rapis, pastinacis, & aliis oleribus?

RESpondeo: Deberi, ex vi iuris. Quia in cap. *Non est* expressè præcipitur quòd etiã *ex Hortis* (idest, ex rebus, quæ proueniunt ex hortis) soluatur decima.

Rursu

s

Rursus in cap. *Et multiplici, cit.* præter legumina, adduntur etiam minutæ decimæ, quæ de oleribus debêt necessariò intelligi. Et tandem, quia de huiusmodi oleribus, in lege veteri ex iure, debeantur decimæ, vt sup. *disputat.* 1. *qu.* 9. est habitum: ergo & in lege gratiæ ex iure Ecclesiastico, debentur etiam. Sic Hostiens. Rebuff. Abulens. Moneta, Suarez, Graffius, Azor, Filliuc. Fagundez, Barbosa, Bassæus, & Trullench; *loc. cit.* & rursus Barbosa, in cap. *Non est de decim. num.* 5.

QVÆSTIO X.

An etiam, ex vi iuris, debeantur decimæ de Croco, mentha, Anetho, Cymino, & aliis minutis oleribus, quæ in cibum, aut in condimentum, nascuntur in hortis?

NEgant D. Thomas, 2. 2. q. 87. *art.* 2. *ad* 3. Sotus, *lib.* 9. *de inst. qu.* 4. *art.* 2. *ad* 3. Palao, *tractat.* 10. *cit. punct.* 7. *num.* 1. & Filliuc. *tractat.* 27. *cap.* 10. *numero* 228. existimantes, non esse dandas decimas de oleribus minutis, quæ ex hortis colliguntur, non ad lucrum, sed ad vsum proprium, & ad quamdam commoditatem, & voluptatem possidentium.

Sed probabiliùs, Respondeo: Ex vi iuris, etiam deberi. *Prim.* Quia sic habetur in cap. *Ex multiplici, citato*, quatenus præcipit, præter legumina, de minutis aliis, quæ in hortis nascuntur, decimas solucre. *Secundo* Quia de his rebus in veteri testamento, soluebantur decimæ, vt constat ex dictis, *disputat.* 1. *qu.* 9. ergo nunc etiam ex iure Ecclesiastico soluendæ sunt. *Tertio.* Quia licèt singula in his videantur esse parua, aut nullius æstimationis, tamen cumulus omnium magni æstimari debet, & necessarius ad conuenientem sustentationem ministrorum Ecclesiæ: ergo ex vi iuris, de omnibus his minutis oleribus decimari debet. Quid autem sit dicendum, ex vi consuetudinis, infrà *quæst.* 38. constabit. Sic Mantica, *decis.* 341. Abulens. *quæst.* 152. *citat* Azor *q.* 9. *cit.* Moneta, *cap.* 4. *num.* 4. Barbosa, *loc. cit. num.* 4. & 5.

Nota tamen circa nuper dicta id, quod Barbosa, *loc. cit.* ex Moneta, *loc. cit. num.* 11. notat videlicet, quòd in casu, quòd legumina colligantur in parua quantitate, ita vt solùm sufficiant ad quotidianum vsum, tunc ad vsum Rectoris ex illis, decima ita dari posset, vt hodie ex meo horto Curatus sumat quantùm sibi opus est illo die: sin autem in magna quantitate: ita vt aliis vendantur, tunc de his integra decima soluetur: idem dicit dicendum esse de hortis olitoriis, in quibus tantùm herbæ, vt caules, & alia olera crescunt, vescendi gratiâ. Sic notat Barbosa, *loc. cit.* quod repetit, *in cap. Non est, de decim. num.* 5. Et ante illum, Rebuffus, *quæst.* 8. *de decimis, num.* 7. Ita dicens: Quintò de hortis, siue sint olitorij, in quibus herbæ tantùm vescendi gratiâ crescunt, & tunc ad vsum Curati ex illis decima ita dari posset *d. cap. Non est co.* vt hodie in meo horto Curatus sumat quantùm sibi opus est illo die: & sic per singulos parochianos discurret, demum ad primum reuertetur. Iuann. Andr. *in cap. Peruenit eo.* Et debetur decima tam ex primis fructibus, quàm ex secundis: nam si secundo feratur ex fructibus secundis, & tertiis, & quartis, si tot veniant, debentur decimæ, *per text. in cap. Ex parte* 2. *de decim. cap.* 4. qua ex omnibus fructibus, & frugibus. *cap.* 1. *eo.* Huc vsque Rebuffus.

QVÆSTIO XI.

An decima, quæ de oleribus iuxta nuper dicta datur, soluenda sit in speciebus olerum; an verò in pecunia?

REspondeo: Quòd in pecunia. Quia sic habet consuetudo; & sic decisum fuit in Rota, *in vna Pampilonen. Vicariæ* 5. *Iuly* 1593. *coram Gipsio*, vt refert Barbosa in vtroque, *loc. cit.* Secus verò existimo dicendum, loquendo de decima fabarum, cicerum, & huiusmodi leguminum; quia consuetudo, quæ obseruanda est, obtinet, quòd soluatur de his rebus, in speciebus leguminum, vt sæpiùs in eodem Regno Nauarræ vidi.

QVÆSTIO XII.

An etiam ex vi consuetudinis, decimari debeat, de Rapis, caulibus, lactucis, & de aliis minutis oleribus?

NEgat Rebuff. *quæst.* 8. *de decim. numero* 8. his verbis: Licèt de consuetudine ex oleribus non viderim soluere decimam: quia Curati hortum ad vsum illorum habere solent; ex illo ergo olera recipiant; & si nil fuerit in eo horto, imputetur isti negligenti Curato: quia verisimile est, quòd in fundatione beneficij, iste hortus fuit Curato assignatus pro suo vsu, vt Parochiani ampliùs ad olera isti Curato non tenerentur, sed ipse suis manibus sibi pararet. Ita Rebuffus.

Sed distinctiùs loquendo, Respondeo dicendum: quòd, vel Curatus habet hortum assignatum à Parochianis, vt contingit in aliquibus oppidis Regni Nauarræ, vbi non solùm Curato, verùm, & aliis Beneficiatis, suus est hortus designatus; vel non habet. Si habeat, dico quòd nullo modo debeant Parochiani dare decimas de oleribus minutis, propter rationem à Rebuffo assignatam. Si autem non habeat, dico standum esse consuetudini; & vbi viget, soluendas esse, vbi non viget, nullo modo; de facto autem credo, quòd in paucis locis vigeat. Ego sane in nullo vidi, licèt multa viderim loca, & diuersas Prouincias.

QVÆSTIO XIII.

An de rigore iuris, sit soluenda Decima de fœno quod, in fasciculos alligatum, redigitur?

REspondeo, tanquam certum: Soluendam de iure esse. Quia sic habetur expressè in cap. *Peruenit, de Decimis.* Vbi sic dicitur: *Mandamus, quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellere, vt de prouentibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persoluant.* Sic ibi per totum caput. Adde quòd ex iure legis antiquæ, de fœuo etiam soluebatur decima, vt probat Abulens. *in cap.* 23. *Matth. q.* 155. ergo ex iure legis nouæ, Ecclesiæ debet nunc solui. Sic Abulens. *loc. cit.* Azor, *qu.* 9. *cit.* per hæc Verba: vnde ex croco, & fœno decima iure præstatur: vt si fœnum in fasciculos redigatur, ex his decimus debetur. Sic ille. Rebuff. *de decimis, q.* 8 *num.* 9. Moneta, *cap.* 4. *num.* 6 Riccius, 1. *part. collectan. decis.* 192. Suarez, *cap.* 34. *cit. num.* 3 Fagundez, *de precept.* 5. *lib.* 1. *c.* 4. *num.* 4. Trullench, *cap.* 3. *cit. dub.* 2. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 10. *n.* 227. Bassæus, *verb. Decimæ, nu.* 2. Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26 §. 1. *num.* 16. & *in cap.*

cap. Peruenit, cit. num. 5. Graffius, *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 36. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 7. *n.* 1. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *n.* 3.

QVÆSTIO XIV.

An etiam, de pascuis, siue pratis, vel aliis locis herbosis; debeatur, ex iure, decima?

REspondeo, tanquam quid certum: Deberi. Quia sic habetur in iure, cap. *Commissum, de Decimis.* Vbi sic dicitur: *Et sicut etiam de pascuis olim decimæ per soluebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione, persolui.* Sic textus. Ergo ex iure, ex pascuis, aut pratis, aut locis herbosis, vbi pecora pasci, possunt, siue herba possit falce meti, siue solùm in agro depasci, decima soluenda est. Sic Abulens. 155. *cit.* Suarez *num.* 3. *cit.* Fagundez *num.* 4. *cit.* Azor, Palao, Barbosa, Trullench, & alij *loc. cit.* Quamuis ex his Suarez, & Azor, & nonnulli alij, solùm dicant, soluendas esse decimas de pascuis, aut herbis, casu, quo pratum, aut campus ad pastum locetur; aut herba colligatur; & in fasciculos, vel saccos collecta vendatur: non verò casu, quo ex pascuis, aut herbis animalia propria nutriantur. At re vera, in vtroque casu esse decimam, ex pascuis, aut pratis soluendam, verius docent Abulens. *loc. cit. & q.* 168. Rebuffus, *decim. q.* 8. *num.* 22. & post illos, Postius, *tom.* 1. *de manuten. obseru.* 73. *num.* 173. & apud illum, *decis.* 149. *Rota Romana.* Et alij.

QVÆSTIO XV.

An decimæ, quæ antea de pascuis soluebantur Ecclesiæ, debeantur, etiamsi terra fuerint ad culturam redactæ?

REspondeo: Affirmatiuè. Ratio est; Quia re vera manet eadem substantia soli, & fundi: & ideò prædicta mutatio superficialis, non facit quid in præiudicium Ecclesiæ. Sic Postius *tom.* 1. *de manuten. obseruatione* 73. *num.* 164. & penes illum Rota in Hispalensi decimarum de Tablada, coram Vbaldo Seniori, 18. *Iunii* 1612. à quo decisum fuit, quòd beneficiati Ciuitatis Hispalensis, qui accipiebant decimas fructuum animalium pascentium in quadam tenuta dicta, *Tablada*, deberent etiam accipere decimas frumenti & blondæ eiusdem tenutæ ad culturam redactæ, cùm censeantur ista subrogata loco priorum fructuum, qui ab initio percipiebantur. Faciunt pro hac responsione, cap. *Cum. in tua, & cap. Commissum,* citatum, *de decim.* Vbi Butr. Abbas, Rebuff. *de decim. q.* 14. *num.* 18. Didac. *Pract. quæst. c.* 3. *n.* 1. Ancharr. *in cap. Commissum, cit.* Ioann. Bologn. *consil.* 29. *num.* 19. & tenent sæpissimè Rota, vt testatur Vbaldus Senior in vna Romanæ domu. 4. *Decem.* 1619. quam refert Potius, *tom.* 2. *decis.* 149. Sic etiam Barbos. *in d. c. Commissum, n.* 4. & penes illum. Burg. de Pace, *cons.* 50. *num.* 8.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, ex consuetudine introducta, & præscripta, iam non debeat quis decimare de fœno, herbis, & oleo?

AFfirmat, non debere decimare iam, Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 8. *vers. Septimò*, per hæc verba: Septimò, eodem iure defenditur consuetudu, quæ passim in Orbe Christiano viget: vt ex certis fructibus, nulla soluatur decima; nec eius aliqua portio, vtpotè de fœno, de herbis, & oleo: si tamen ex aliis redditibus supersit iusta Sacerdotum sustentatio: ita præter alios, scribunt Paulus Castrensis *consil.* 17. *lib.* 2. Huc vsque Couarruuias. Cui fauet Azor, *quæst.* 9. *cit. in fine*, vbi sic ait: Prædialis quoque ex multis fructibus præsertim minutis, alicubi non soluitur, vt ex herbis, oleribus leguminibus. Quare vbique est gentis, ciuitatis, vel populi consuetudo obseruanda, cùm est vsu ipso legitimè præscripto recepta. Ita ille.

Sed clariùs Respondeo dicendum, quòd certum sit, quòd vbi iam consuetudo non decimandi præscripsit, nullo modo debeat quis de præassignatis rebus decimam dare; eo quòd (vt infrà dicemus) contra ius præualere possit consuetudo. Vbi verò consuetudo non præscripsit, debeat profectò, de dictis rebus decimare; cùm ex rigore iuris teneatur. Et certè loquendo de oleo, nulli potest esse dubium, quin de illo, debeat decimas dare; cùm hoc debeat de rigore iuris, vt suprà, *q.* 31. est habitum, & aliàs in toto Orbe Christiano hæc, & non contraria, sit consuetudo. Vnde pro certo habeo, quòd non *ex oleo*, sed *ex oleribus*, scripserat Couarruuias, & ex errore Typographi, scriptum fuit, *ex oleo.* Addo quòd adhuc loquendo de oleribus, fœno, & herbis, obseruandum sit, & faciendum id quod ex leguminibus, & herbis hortorum, suprà *q* 36. in fine diximus, quod & notat Moneta, *cap.* 4. *n.* 6.

QVÆSTIO XVII.

An de lignis nemorum, ex iure, sit danda Decima?

REspondeo: Esse dandam, ex iure. Quia in cap. *Non est de Decimis*, postquam multa, particulariter enarrantur (vt suprà, *q.* 26. est habitum) expressè dicitur, quod decimæ de omnibus bonis sunt reddendæ, & in cap. *Ex transmissa, eod. tit.* etiam dicitur, quòd de omnibus, quæ fidelis homo licitè acquirit, decimas soluere tenetur: ergo ex rigore iuris, de lignis nemorum, quæ scinduntur, & pretio æstimantur, ac proinde inter bona computantur, decima danda est. Sic Abulens. *q.* 168. *cit. vers. De montibus*, Rebuff. *de decimis, q.* 8. *n.* 26. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 3. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 35. *q.* 9. Vbi sic ait: Item ex lignis syluæ cæduæ, hoc est, ex decem lignorum fascibus, decimus debetur; vel si ligna venduntur, decima pars pretij. Sic ille. Trullench, *n.* 4. *cit.* Filliuc. *n.* 228. Barbosa, *cap.* 26. §. 1. *num.* 15. Vbi aduertit, quòd ex decem lignorum fasciculis, decimus debeat solui Rectori illius Parochiæ, vbi ligna creuerunt. Sic etiam Moneta, *cap* 4. *num.* 13. Ita etiam Graffius, *c.* 27. *n.* 36. Castro Palao, *tract.* 10. *cit. punct.* 6. *num.* 1. dicens sic sentire omnes Doctores. Raphaël de la Torre, *art.* 1. *cit. num.* 4. *in fine.*

QVÆSTIO XVIII.

An ex lino, & canape, danda sit decima, ex iure?

REspondeo: Dandam esse. Quia ex rigore iuris, danda est decima de omnibus fructibus terræ; vt habetur cap. *Nuncios*, & cap. *Ex parte ibi de omnibus prædiorum fructibus*, & in aliis cap. at sic est, quòd linus, & canapis, sunt fructus prædiorũ: ergo. Sic generaliter loquendo, docent omnes Doctores; sed specialiter, & in terminis Rebuff. *de decimis, q.* 8. *num.* 8. & Moneta, *c.* 4. *n.* 8. Quos affert, & sequitur Barbosa,

lib. 3.

lib.3. de iure Eccles. c.26. §.1. n.17. Et in cap. *Nuncios de Decimis, num.6.* Quod certè sic praxis fidelium obseruat.

QVÆSTIO XIX.

An si eadem terra plures fructus in eodem anno ferat, sit, ex iure, de omnibus decima soluenda?

RESpondeo affirmatiuè. Quia sic expresſè habetur in cap. *Ex parte* 21. (non 2. vt leges apud Suarium) *de Decimis*, per hæc verba: *Ex parte Canonicorum Ecclesiæ tuæ, nobis est querela proposita, quòd quidam agricultores, cùm simul, vel diuersis temporibus anni, in eodem horto, vel agro diuerso semina sparserint, non nisi de vnius illorum seminum fructibus decimas illi persoluunt: Et infrà. Mandamus, quatenus si rem noueris taliter se habere, agricultores illos, vt de omnibus prædiorum* (aliàs *prædictorum*) *fructibus, decimas absque diminutione persoluant, Ecclesiastica censura compellas.* Sic textus totius capitis. Et benè. Quia vt scitè Abbas, ibidem, ea ratione, qua soluunt de vno semine, de alio soluere tenentur; quia vna, & eadem res, diuerso iure censeri non debet, cap. *Cognouimus* 12. *q.2.* Sic communis omnium, præcipuè Rebuff. *tract. de Decimis, q.8. n.7.* Moneta, *eod. tract. cap.4. num.12.* Barbosa, *in dicto capite. Ex parte, num.2.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. num.3. in fine.* Molfesius, *tract.6. cap.4. num.52.* Reginald. *lib.19. num.98.* Fagundez, *dicto 1. lib. cap.4. num.4. in fine.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.35. q.12.* Qui addit, & benè, quòd, hoc iure non obstante, introduci consuetudine possit, vt ex primis tantùm fructibus, ex pluribus, quos terra singulis annis affert, decima persoluatur.

QVÆSTIO XX.

An de Aurifodinis, Argentifodinis, lapicidinis, & aliorum metallorum fodinis; sint soluendæ Decimæ, ex rigore iuris?

RESpondeo: Soluendas esse, quando ex illis, lucra, pensiones, aut reditus prouenirent; secus si aliàs. Ratio est. Quia ex iure, de omnibus bonis ac rebus, quas homo licitè acquirere potest, decimas erogare tenetur. cap. *Non est*, & cap. *Ex transmissa de decimis*: ergo de dictis lucris, pensionibus, aut reditibus. Quòd si nulli sunt prouentus, nullæ erunt decimæ. Sic Angelus, *v. Decima num.5.* Syluest. *q.6.* Rosella, *num.5.* Abulens. *in cap.23. Matth. q.168.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. n.3. in fine.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.35. q.9.* Rebuff. *de decimis, q.8. num.23.* Moneta, *cap.4. num.33. & 34.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.4.* Filliuc. *tractat.27. cap.10. num.227.* & Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.1. num.22. & 23* aduertens, quòd ex prædictis rebus decima, non debeat persolui in propria specie, vt ex decem lapidibus, vnus; sed in pecunia, quam ipsis rebus lucratur. Riccius, *part.6. collectan. decis.2392.* Sic omnia à nobis sparsim dicta congeres: Vnde decimæ debentur de omni fructu. Moli. *decis.69.* de prouentibus Molendinorum, fœno, lana, piscationibus, apibus, vino, frumento, oleo, castaneis, nucibus, amigdalis, hordeo, siligine, spelta, leguminibus, canape, lino, animalibus, palea, etiam nullio, caulibus, lupinis, venationibus, croco, lignis, pretio lapidicinarum, argentifodinis, ac metallis, vt latè dixit Franch. Marc. *in decis. Delph.* 531. Puteus, *decis.*100. Cantuccius, *decis. nouiss. Rom.*17. Huc vsque Riccius.

QVÆSTIO XXI.

An ex rigore iuris, soluenda sit decima ex prouentibus molendinorum, siue sint de aqua, siue de vento?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia de vtroque molendino, præcipit ius Canonicum solui decimas. De prouentibus molendini in aqua, in cap. *Peruenit.* & cap. *Pastoralis.* Vbi expresſè decernit Pontifex, quòd de prouentibus molendinorum, decimæ persoluantur. Intelligitur autem, loqui hic Pontificem, de molendinis ad aquas, vt bene probat Abulens. infrà citandus. De prouentibus verò molendini ad ventum, expresſè præcipitur in cap. *Ex transmissa de Decimis*, per hæc verba: *Mandamus quatenus H. militem ad solutionem decimarum de his quæ de molendino ad ventum proueniunt, sine diminutione aliqua compellatis.* Sic textus. Et sic communiter Doctores. Præcipuè Glossa, in cap. *Peruenit, cit. v. Molendinorum.* Abulens. *in cap.23. Matth. q.163.* Suarez, *num.3. cit.* Azor *q.9. cit.* dicens, dandam esse decimam de lucro molendinorum, siue lucrum in frumento, siue in pecunia consistat. Lessius, *lib.2. cap.39. dub.3.* Gutierrez, *practicar. q.18. num.19.* Fagundez, *de 5. præcept. lib.1. cap.4. num.5.* Rebuff. *q.8. num.6.* Moneta, *cap.4. nu.35.* Barbosa, *loc. cit. num.24.* & cap. *Peruenit, de decimis, num.3.* & in cap. *Ex transmissa, num.4.* dicens, soluendam esse hanc decimam, Ecclesiæ, in qua situm est molendinum, Graff. *cap.27. num.36.* Castro Palao, *tom.2. tract.10. punct.7. num.1.* Raphaël de la Torre, *in 2.2. q.87. art.2. num.3.*

QVÆSTIO XXII.

An etiam, ex rigore iuris, soluenda sit decima ex prouentibus molendinorum, quæ tractu hominum, aut bestiarum, mouentur, vt Athaone?

RESpondeo, etiam esse soluendam. Quia quamuis de huiusmodi molendinis nulla fiat mentio in iure, est tamen eadem ratio, ac proinde idem ius. Sic Abulens. *q.163. cit. vers. Aliud est*: per hæc verba: Sunt tamen alia molendina, quæ sine vento, & aquis consistunt, tractu hominum, aut bestiarum mota, aut si per aliquod ingenium moueri possunt, & de his iura non faciunt mentionem, quoniam rara erant à principio, & etiam nunc; & tamen cum ex eis lucrum prouenit, necessarium est, quòd de eis decimæ dentur. Nam ista est causa, ex qua probat Papa, quòd de molendino ad ventum decimæ sunt dandæ; scilicet, quia de omnibus, quæ fidelis homo licitè, acquirere potest, decimæ sunt soluendæ, eodem cap. *Ex transmissa.* Huc vsque Doctissimus vir.

QVÆSTIO XXIII.

An ex iure, soluenda sit decima, ex pensionibus domorum, quæ locantur; & ex prouentibus, qui, ex Clibanis, siue Furnis, proueniunt?

RESpondeo: Affirmatiuè; tum. Quia sic clarè denotatur in cap. *Pastoralis, de decimis.* Tum: quia de omnibus bonis, & rebus licitè acquisitis, tenetur homo persoluere decimas, vt habetur in cap. *Non est*, & in cap. *Ex transmissa, cu. tit.* ergo ex iure, soluenda est decima de pensionibus domorum, & prouentibus furnorum. Sic de vtroque casu loquendo, tenent Suarez *loc. cit. n.3.* & Fagundez, *n.5.* & loquendo

de primo tantùm modo, Azor *q.9.cit.* Sic dicens: Item ex domibus decima præstatur, id est, ex pensione annua, qua domus ipsæ locari solent. Ita ille. Et loquendo de secundo. Sic Barbosa, ait, De furnis quoque decima soluitur, hoc est, de commodo illorum, siue illud in pane, siue in quauis alia re consistat. Rebuff. *d.q.8. num.20.* Moneta *d.cap.4. num.33.* Huc vsque Barbosa *cap.26. cit. §.1. num.21.* Lessius *de iust. lib.2. cap.39. dub.4. num.12.* Castro Palao *tom.1. tract.10. punct.7. num.1.*

QVÆSTIO XXIV.

An ex vi iuris, ex Sacchara debeatur decima?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia ex iure, de omni fructu terræ est decimandum, vt constat ex cap. cit. at sic est, quòd Saccharum est fructus naturalis terræ, ex re elementata proueniens; vt docet Riccius *infrà*, cum communi: ergo. Sic decisum fuit in Rota *in Mediolan. decimarum.8. Februarij* 1610. coram Card. Marquemont, vt refert Farinac. *decis.223.p.1.* Et sic tenent Ferret. *consil.195. num.2.* Pute. *decis.80. lib.1. in correctis.* Riccius *in collectan. decis. part.1. collect.192.* Barbosa *cap.26. cit.§.21, num.9.& in cap. Nuncios de decim. num.5.* Molfes. *tract.10. cap.4. num.23.*& alij.

An verò hæc decima soluenda sit in cannis, an verò in Sacchara, postea confecto manu industriali ex ipsis cannis? Affirmauit communiter Doctores, præcipuè citati, contra quamdam decisionem Mohedani, quòd solui debeat in Sacchara iam confecto. Quod verum puto, nisi alicubi obstet consuetudo contraria.

QVÆSTIO XXV.

An decima, ex fructibus, & prouentibus Molendinorum, Domorum, & Furnorum, soluendæ sint, absque deductione expensarum, quæ factæ sunt in reficiendis Molendinis, Domibus & Furnis?

NEgare videtur Abulens. *in cap.23. Matth. q.163.* loquendo de Molendinis, quia existimat, talem decimam esse personalem.

Sed absolutè Respondeo: Esse soluendas tales Decimas, non deductis priùs expensis in reparandis Molendinis, domibus, & furnis. Quia sic expresè decernitur, in cap. *Pastoralis de decimis.* his verbis. *Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus Decimæ persoluuntur, credimus deducendas expensas de prouentibus Decimandis: quia penes Dominum res permanent restaurata, vt si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur.* Sic textus, & sic ibi Glossa, & omnes Doctores. Legantur mox citandi, præcipuè Lessius, *dub.3. cit. num.16. vers. Secundò debent.*

QVÆSTIO XXVI.

An decimæ ex fructibus prædiorum; soluendæ sint absque aliqua impensarum deductione?

REspondeo: tanquam certum; soluendas esse, absque vlla impensarum deductione. Quia sic habetur expresè in iure, cap. *Non est. cap. Pastoralis,* cap. *Tua nobis.* cap. *Cum homines de decimis.* Et sic tenent omnes Doctores. Glossa, *in cap. cit.* vbi etiam alij Canonistæ. Legistæ etiam *in l. fructus. ff. soluto matr.* Ioan. Garcia *de expens. cap.1. num.17.* Rebuff. *tract. de decimis q.11. à num.3.* Tiraquel. *de tractu lignagier. gloss.1.§.15. à num.10.* Riccius *in collect. decis.2392. p.6.* Cenedo *ad decretal. collect.66.* Barbosa *lib.3. de iure Eccles. cap.26.§.1. num.34. & Collectan. in lib.3. decret. cap. cum, homines, & cap. Tua ij. de decim.* & penes ipsum, vltra citatos, Abbas, Innocen. Collecta. Zabare, Butr. Ioan. Andr. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Henric. Ripa, Alagona, Franc. Marc. Camill. Borrel. Moneta, Menoch. Gam. Valasc. Perez, Zerola, & alij.

Tenent etiam ex Theologis S. Thom. *2.2. q.87. art.2. ad.4.* & ibi, omnes eius expositores Raphaël de la Torre ibi, *art.1. disp.6.* Sotus *lib.9. de iust. art.2. vers. vtrum verò.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.35.* Vasquez *tom. opusc. tract. de benef. cap.1. dub.6.* Lessius *lib.2. de iust. cap.39. dubit.3.* Nauarr. *cap.21. num.31.* Azor *tom.1. lib.7. cap.35. quæst.4.* Valentia *2.2. disp.6. quæst.3. punct.3.* Syluius *2.2. quæst.87. artic.2.* & ibi Aragon. Graff. *part.2. lib.2. cap.27. num.13.* Molfes. *tract.6. cap.4. num.51.* Bonac. *quæst.5. de præc. Eccles. punct.3. num.17.* Reginald. *lib.29. num.101.* Fagundez *de 5. præcept. Eccles. lib.1. cap.4. n.6.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.3.* Castro Palao *tom.2. tract.10. disp. vnica punct.8.* Filliuc. *tract.27. part.2. cap.10. quæst.8.* & alij. Summistæ etiam v. decimæ. Vbi Syluest. *num.15.* Balsæus *num.8.* Iodocus. ver. Decima Villalob. *tract.33. diff.2.* & Rodriguez *in sum. c.87. num.4.* Estque expressus textus *in l.13.* cum quatuor sequent. *tit.20. part.1.* vbi Greg. Lopez. Et etiam Azebedo *in l.2. noua recopil. lib.1. tit.5. num.25.* Et omnes alij Doctores, ita vt, nec vnus (vt ait Tiraquel.) contradicat. Quia ita aperti sunt textus, quòd nullo modo cauillari possunt. Vnde meritò, & iure optimo vt semper S. Inquisitionis Tribunal, nescio, quem nouum Authorem oppositum asserentem prohibuit, eiusque doctrinam vt omnino falsam, & temerariam reiiciendam censuit.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem, ante decimationem tritici, hordei, & aliorum fructuum similium detrahendum sit semen, quod terra mandatum fuit?

AFfirmarunt olim nonnulli, existimantes, quòd semen, & sumptus, qui fiunt in agricultura, essent primitùs deducendi, & de residuo decima persoluenda. Horum machinationem refert Innoc. III. in cap. *Tua nobis,* per hæc verba: *Tua nobis fraternitas intimauit, quod quidam laici decimas Ecclesiis, & Clericis tuis, peruersis machinationibus subtrahere moliuntur. Quidam ex eis, & sumptus, qui fiunt in agricultura, dicunt primitus deducendos, & de residuo impendendam decimam asseuerabant.* Sic ibi textus. Potestque probari hæc pars, Quia semen quod iactum est terræ, iam fuit decimatum: ergo non debet vlterius decimari; alioqui bis decimabitur.

Sed, tanquam certum Respondeo: Nullo modo esse detrahendum priùs semen, & postea de residuo decimandum; sed decimandum esse, ante deductionem seminis. Quia sic expresè deciditur in cap. *Tua nobis, cit. §. verum si & §. Quoniam igitur.* vbi huius decisionis assignatur ratio; videlicet, quia soluuntur decimæ in recognitionem vniuersalis dominij Dei, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo; ergo, cùm eius dominium, excedat omnia alia dominia, & se extendat

tendat ad omnes terræ fructus; æquum est, vt ante omnia alia, soluantur decimæ in recognitionem dicti dominij. Sic omnes Doctores suprà cit, Præcipuè Sotus, per hæc verba: vtrum verò agricola ex aceruo ante decimationem, operas suas, & sumptus, aut saltem semina excipere possit, non video cur dubitetur, neque de hoc ratio permittit consuetudinem valere: ideo id certum est non licere, vt cauetur cap. *Non est.* & cap. *Tua nobis*, & cap. *Pastoralis.* Quoniam existimandum in præsentia est genus quoddam societatis inter hominē, & Deum: Homo enim, semina sua, laborésque, & sumptus ponit: exponítque Deo confisus periculo. Cùm ergo Deus sua benignitate cumulatam frugem conferat, satis est, si homo pro suo periculo, nouem retentis partibus, Decimam Deo reddat. Sic ille. Et benè, excepto eo quod ait. Consuetudinem videlicet contrariam adhuc non valere in hoc casu, de quo infrà. Legantur etiam Suarez, & Fagundez *loc. cit.* Nauarr. *cap. 21. num. 31. vers. Secundò peccat*, & Bertrand. *volum 6. consil. 188. n. 18.* vbi ait, id esse omninò certum. Riccius *collect. 2392. cit.* Ita dicens: Vnde ex decimis soluēdis, nec semen, nec expēsæ, nec sumptus deduci debent, sed integræ soluendæ sunt, nulla sumptuum, aut expensarum ratione habita. Capycius *in decis. Neapol. 23.* Paponus *lib. 1. tit. 11. arresto* 12. Franciſ. March. *in decis. Delph.* 198. Puteus *decis.* 100. Viuian. *decis.* 4. Quod non sequitur in rebus non germinantibus, Puteus *d. decis.* 190. nec in decimis personalibus, in quibus deducuntur expensæ. Viuius *de decis.* 4. Huc vsque Riccius. Barbosa *in c. Tua. 2. de decimis, n. 3.* & penes ipsum, Armul. *ver. decima §. 2.* Moneta *de decimis, c. 6. n. 30.* & alij.

Ad rationem dubitandi, Respondendum est concedendo, quòd semen, quod iactum est terræ, sit iam decimatum, nec debeat vlterius decimari; sed negandum est hoc sequi, si semen quod mandatum est terræ, non extrahatur ex aceruo ante decimationem: quia semen illud non potest iterum decimari, cùm necesse sit, mori, & putrescere, vt fructum afferre possit. Vnde semen iactum, nullo modo extat, quia totus fructus, qui ex illo nascitur nouus est, & de nouo gignitur, estque nouum donum Dei, & ideo totum illum denuò decimari necesse est.

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem, in casu, quo non plures fructus nascantur, quàm fuerit quantitas seminis, possit tunc licitè extrahi, ante decimationem fructuum, semen?

AFfirmandum in hoc casu videtur, Quia iniustum videtur tunc decimam, ante deductionem seminis terræ iacti, imo, & aliarum expensarum, decimas exigere.

Sed, tanquam certum etiàm, Respondeo: Negatiuè. Quia decimæ soluuntur in recognitionem dominij, quod Deus habet super omnes fructus terræ, vt nuper diximus: at sic est, quòd Deus, tam plurium, quàm pauciorum fructuum est Dominus: ergo semper cum eadem proportione de illis decimandum est. Sic sentiunt omnes Doctores. Legantur citati, præcipuè Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 35. n. 2. & 7.* vbi alias rationes ad confirmandam hanc veritatem adducit. Fagundez *lib. 1. cit. cap. 4. num. 8* Rebuff. *q. vltim. num. 22.* Moneta *cap. 8. num. 62.* & Barbosa *§. 1. cit. num. 41.* & in cap. *Tua de decim. n. 8.* Raphaël de la Torre, *disp. 6. citata num. 6.*

Ad rationem dubitandi dicendum est, nullo modo esse, iniustum in euentu rarissimorum fructuum, decimare absque deductione seminis terræ iacti, & aliarum expensarum; tum ob rationem à nobis assignatam: Tum etiam, quia vbertas aliorum annorum, dictam fructuum sterilitatem abundè compensat, vt consta, siquidem quando vberrimi fructus sunt, nouem etiam partes illorum agricolis manent.

QVÆSTIO XXIX.

An decimæ soluendæ sint, priusquam ex fructibus deducantur tributa, & census, aut alia vlla debita?

REspondeo: Tanquam certum. Affirmatiuè. Quia sic decernitur in iure, cap. *Cum homines* cap. *Non est*, cap. *Tua nobis*, & expressiùs in cap. *Cùm non sit de decimis.* vbi sic dicitur: *Statuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis, exactionem tributorum, & censuum, præcedat solutio decimarum; vel saltem hi ad quos census, vel tributa indecimata peruenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de iure debentur.* Sic textus. Et sic omnes Raphaël de la Torre. 2. 2. q. 87. *art. 2. disp. 7.* Suarez *cap. 35. cit. à numero* 10. Lessius *lib. 2. de iust. capite 39. dub. 3. num. 11.* Pereira *de emp. cap. 9. num. 7.* Bonac. *de 5. præcept. Eccl. q. 5. n. 17.* Trullench *lib. 3. in Decalog. capite 3. dub. 3. num. 2.* Barbosa *lib. 3. de iure Ecclesi. vniuerso. capite 26. §. 1. num. 40.* & in cap. *Tua, de decimis, numero 6.* vbi Couarr. *lib. 1. var. cap. 17. num. 13. col. 1.* Sed malè, quia ibi Couarruuias nil ad rem præsentem dicit Molfesius *tract. 6. cap. 4. num. 51.* Palao *punct. 8. cit. num. 1.* & omnes.

QVÆSTIO XXX.

An colonus partiarius, seu mediarius, debeat soluere decimas, ante deductionem expensarum?

REspondeo affirmatiuè. Quia, vt ex dictis constat, semper decimæ prædiales soluendæ sont, ex iure, ex integris fructibus: ergo sic colonus illas debet soluere. Et hoc est verum, siue (vt notat Suarez) priùs ex illis in vnum cumulum congestis, decimæ deducantur, & postea Dominus, & colonus fructus inter se diuidant iuxta conuentionem suam, qui ordo videtur optimus, & iuri consentaneus, quo facto neuter illorum tenebitur ad alteram decimationem pro parte sua: siue priùs inter se diuidant fructus, & postea vnusquisque pro sua parte decimam soluat: nam vtroque modo licitè fieri potest, vt supponitur in cap. *Tua nobis, de dicimis.* Hæc tamen intelligenda sunt de proprio colono: nam si colonus est mercenarius, qui inseruit, in cultura agri pro aliqua parte fructuum, tunc decimandi sunt etiam fructus integri, & postea reddenda sua pars mercenario, pro qua seruiut, qui quidem tunc non tenebitur amplius decimam prædialem soluere; licèt benè decimam personalem, iuxta suprà dicta, nisi vigeat consuetudo in contrarium, cui standum est. Sic omninò Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 19. n. 13.* & latiùs *c. 35. n. 13.* Fagundez *lib. 1. cit. cap. 4. num. 13.* Abulens. *cap. 23. in Matth. q. 204.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 4. art. 2.* Azot *tom. 1. lib. 7. c. 35.* (non 24. vt inuenies citatum apud Barbosam) *q. 4.* Moneta *de decimis cap. 6. à n. 40.* Menochi. Valasc. Surd. quos citat, & sequitur Barbosa *lib. 3. cit. cap. 26 §. 1. num. 39.* & in cap. *Tua 2. de decimis. num. 4.* & in cap. Quæsti sunt. 10. 1. Castro Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 8. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 3 num. 16.* Raphaël de la Torre 2. 2. *q. 87. art. 2. disp. 7. num. 5. & 6.*

nobis, & à nobis recipiatur) quod necessium erat, vt ex vi iuris, ex prædictis bonis deberentur decimæ. Adde; quòd nullo modo erat conueniens, aut decens, pauperibus mendicantibus, seu ex eleemosynis viuentibus, tale, ac tam seuerum onus imponere. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 31. numer. 9.* Vocans contrarium absurdum, Fagundez *lib. 1. de 5. præcepto Eccles. cap. 2. num. 11.* Bonacin. *qu. 5. cit. punct. 3. num. 2.*

QVÆSTIO XIII.

An de pecunia, mercede, aut salario, quæ datur famulis, & famulabus pro seruitio, debeatur, ex vi iuris, Decima?

RESpondeo: Deberi, ex vi iuris. Quia decima debetur ex lucro, industria, aut labore hominum, quæsito: at tale est lucrum mercedis, aut pecuniæ, datæ famulis, & famulabus pro seruitio: ergo. Sic ex cap. *Ad Apostolica, cap. Pastoralis.* & ex Glossa ibidem, docet Nauarr. *cap. 21. numer. 30.* Abulens. *in cap. 23. Matth. quæst. 168. vers. de seruitio.* Fagundez *loc. cit. numer. 10.* Vasquez *tom. opusc. tractat. de benef. cap. 1. dub. 6.* Rodriguez *1. part. summ. cap. mihi 87. num. 2.*

QVÆSTIO XIV.

An ex vi iuris, sint de piscatione, decimæ dandæ?

RESpondeo: Dandas esse, ex vi iuris. Quia ex vi iuris, debentur decimæ ex fructibus, aut prouentibus, qui ex industria, & labore hominum proueniunt: at tales sunt fructus, qui ex piscatione proueniunt: ergo. Sic Abulens. *in cap. 23. Matth. q. 160.* Qui id probat ex cap. *Peruenit. de decimis.* & ex cap. *Pastoralis* eod. tit. Azor *tom. 1. lib. 6. cap. 35. quæst. 9.* & Barbosa. *in cap. Peruenit. cit. num. 4.* vbi sic ait: De piscariis decimæ præstari debent. Cabed. *Lusitan. decis. 54. num. 7. part. 2.* Rebuffus *d. q. 8. num. 10.* Moneta *d. cap. 4. n. 20.* resoluentes decimam soluendam esse illi Ecclesiæ vbi stagnum est. Et quòd de piscibus solui debeat decima censuit Rota *in Vlixbonen. decimarum piscium 23. Ianuarij 1568.* Coram Oradino. Et Abulens. *in Matth. c. 23. q. 160.* vult de piscatione, quæ fit in flumine publico, siue priuato, absque solutione pensionis soluendas esse decimas de lucro piscationis; de piscatione verò, quæ fit in stagno, vel flumine, aut alio loco propter quam soluitur pensio, soluendam esse decimam de prouentibus, per *text. in præsenti.* Sic Barbosa.

QVÆSTIO XV.

An ex rigore iuris, debeatur decima de venatione?

RESpondeo: Tanquam certum, deberi. Quia sic habetur in cap. *Non est, de decimis.* ibi: *De militia, & venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Sic Abulens. *in cap. 23. Matth. q. 162.* Azor *q. 9. cit.* Rebuff. *q. 8. de decim. n. 15.* & penes ipsum, Abbas, & Innocent. *in dicto cap. Non est.* Moneta *c. 4. de decim. n. 19.* & Barbosa, *in d. c. Non est, n. 8.* & omnes.

QVÆSTIO XVI.

An ex iure, debeatur ex aucupio, decima?

RESpondeo: Etiam deberi. Quia ex iure, debetur decima de omni lucro licito, actione humana acquisito. Sic Azor *1. part. lib. 7. c. 35. q. 9. cit.* per hæc verba: Item ex aucupio exoluitur decima: Nam, etsi expressè, nihil sit iure canonico statutum; Iurisconsultus tamen *in l. Item si fundi. §. Sed si in'ula, ff. de vsufructu*, dicit. Aucupiorum vsumfructũ, sicut piscationem, esse fructuarij. Ergo si ex aucupio fructus proueniunt, decima debetur. Sic Azor & infrà: Sic dicit: Sciendum autem est, si pisces, vel volucres, vel feræ capiantur, decimam deberi personalem; quia sunt fructus, qui ex industria, & labore personæ proueniunt: at verò si in loco certo includantur cibi causâ, non voluptatis; Prædialis, siue Mixta decima debetur quia est fructus ex nostris animalibus prouenìens. Sic ille. Moneta, & Barbosa *loc. citatis*, & communis. Et meritò; quia aucupium est venatio quædam: at sic est, quòd ex venatione, de iure soluenda est decima: ergo, & de aucupio. Vnde non ita bene dixit Azorius, nil esse in iure de aucupio statutum.

QVÆSTIO XVII.

An ex vi iuris, debeantur decimæ personales, ex rebus, illicitè, iniustè, & cum obligatione restituendi, acquisitis?

RESpondeo: Tanquam certum; non deberi. Quia solùm ex verè, & iustè acquisitis, industriâ hominum, debentur decimæ, vt clare colligitur ex cap. *Ex transmissa, de decimis.* ibi: *De licitè acquisitis*: ergo non ex rebus illicitè, & iniustè acquisitis, & quæ obnoxiæ sunt restitutioni. Sic omnes Doctores cum D. Thom. *2. 2. q. 87. art. 2.* Canonistæ *tit. de decimis.* & Summistæ *eod. verb.* Vnde ex rebus mobilibus furto, vel rapina, aut ex vsuris habitis; vel ex spoliis iniustis, & iniquis, & denique, ex omnibus illis rebus mobilibus, ex quibus lucrans dominium non acquirit, non debentur decimæ nec Ecclesiæ illas accipere, licitè possunt. Sic D. Thom. *loc. cit.* Syluest. *verbo decima, num. 12. Dicto 3.* Armilla, *num. 5.* Lublinus *n. 11.* Abulens. *in c. 23. Matth. q. 169.* Suarius *lib. 1. de Relig. c. 23. num. 7.* Azor *tom. 1. lib. 7. c. 34. q. 13.* & penes illum, Innocent. & Hostiens. Bonacin. *qu. 5. de præcept. Eccles. punct. 3. num. 2.* Filliuc. *tract. 27. cap. 10. quæst. 4. num. 221.* Fagundez *lib. 1. de 5. præcept. Eccles. cap. 2. à num. 13.* Castro Palao *tom. 2. tractat. 10. punct. 6. num. 5.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 39. dub. 3. n. 13.* & alij.

QVÆSTIO XVIII.

An saltem debeantur, ex iure, decimæ, ex rebus, ex Meretricatu, ex Histrionatu, ex Occisione, & ex similibus, turpiter, & illicitè acquisitis, quæ tamen non sunt obnoxia restitutioni?

NEgatiuam sententiam absolutè tenere Azorium, Reginaldum, & alios communiter, ait Bonac. *nu. 2. cit.* Sed certè id non absolutè docent ij Authores, loquendo præcipuè de quæstu meretricio, vt statim videbimus. Vnde.

Respondeo: Dicendum. Deberi decimas Ecclesiæ, ex rebus prædictis, præcipuè, ex meretricatu acquisitis,

sitis; dummodò non sint obnoxiæ restitutioni (secus si obnoxiæ restitutioni sint) quia prædicta bona, sunt verè accipientium, & non sunt restituenda: ergo comprehenduntur sub generali regula: ergo debētur decimæ ex illis, & ideò Ecclesia illas accipere potest; nisi alioqui detur scandalum, eo quòd illas accipiendo, earum peccatum approbare videatur. Hoc, & non aliud, docet Azor *lib.7.cit.q.13.* (non 3. vt inuenies apud Bonac.) per hæc verba: Decima personalis non debetur, ex iis; quæ sunt domino restituenda. Ex cæteris verò, si fuerint lucra ex peccato notorio parta, vt ex meretricio quæstu; Ecclesia decimam non recipit: quamuis ipsi, qui acquirunt, debeant; à quibus per pœnitentiam veram conuersis, potest Ecclesia recipere decimas prætermissas. Si lucra fuerint ex peccato occulto, quamuis noto Parocho, siue Prælato, Ecclesia recipere potest decimas. Hæc omnia Syluest. *verb. Decima, q.6.* partim ex Hostiensi, Innocentio, & partim ex S.Thom. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. *ad* 2. Huc vsque Axor. Quibus verbis constat, nil aliud docere, quàm Syluester ex S.Thoma docet; ac proinde idem met, quod ipse Bonacina, cùm hos Authores pro se afferat. Sic etiam latè, & optimè, eximius in Sanctitate, & doctrina, Abulens. *quæst.* 169. *cit.* Suarez *cap.* 32. *cit. num.* 9. & 10. Filliuc. Bonacin. Fagundez *loc. cit.* Lublinus *verb. Decima, n.*18. Sic, comprehendens omnia, quæ in titulo quæstionis veniunt, dicens: Quando vsurarij, meretrices, Histriones, & his similes, volūt decimam dare de bonis, quæ sunt obnoxia restitutioni, aut quæ ex notorio peccato, & turpi quæstu venerunt, non debet Ecclesia recipere, ne videatur peccatum approbare. Si verò non sint obnoxia, & ipsi desiderant ad pœnitentiam reuerti: tunc poterit Ecclesia exigere nouas, & repetere neglectas. Syluest. 1. *part. tit. Decima, numer.* 12. Sic Lublinus, & sic etiam Reginaldus *loc. cit. num.* 85. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 6. *n.* 5. & penes ipsum, D.Thom. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. *ad* 1. Valantia *disp.* 6. *qu.* 5. *punct.* 3. *in fine.* Et Rebuff. *de decim. quæst.* 5. *n. mihi* 27. *pag.* 15. Barbosa *in cap. Ex transmissa. n.* 5. Moneta, Tyndar, Petr. Roiz, Perez, Spino, & alij.

Qvæstio XIX.

An non solùm ex iure communi, vt vidimus; sed ex vsu, & consuetudine, debeantur modò decimæ personales?

RESpondeo: Quòd Regulariter loquendo, non debeantur modò decimæ personales, quæ hactenus à nobis explicatæ sunt. Quia quamuis iure communi debeantur; consuetudine tamen, & vsu, tacitaque condonatione Ecclesiæ non soluuntur communiter. Sic communiter D D. Azor *loc. cit.* Sic ait: Etenim decima personalis in desuetudinem iam abiit. Palao *tract.* 10. *cit. punct.* 6. *num.* 10. testificat, decimas personales nullibi ferè esse in vsu. Fagundez *c.* 2. *cit. num.* 3. absolutè affirmans, has personales decimas nullibi solui, & eodem modo id confirmant omnes Authores. Excepto doctissimo Nauarro, qui excipit decimas personales, prouenientes ex seruitio, seu salario famulorum, quæ (inquit) in aliquibus partibus Hispaniæ Ecclesiis soluuntur. Sic enim ait, prædictus Doctor. Sequitur secundò idem dicendum, de personalibus, quod de aliis, videlicet, quòd non debeantur, vbi est consuetudo legitimè præscripta non soluendi eas, qualis est ferè nostra ætate in toto orbe Christiano, excepto salariorum famulorum, & famularum, aliquarum regionum Hispaniæ. Sic illc. *c.* 21. *nu.* 31. & ex illo Rodrig. 1. *p. sum. cap.* 87. *n.* 1. Gutierrez *Canon. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 34. & Rota *in Placentina decimarum de Truxillo* 15. *Nouembris* 1621. Quorum exceptio, haud minimè placet Vasquio, *tom. opus. tract. de benef. cap.* 1. *dub.* 7. vt denotat per hæc verba: Sed consuetudine ferè vbique est obtentum, vt ferè nullæ personales soluantur. Verùm est, in aliquibus Hispaniæ populis, famulos agricolarum decimas soluere, non tantum de frugibus, sed etiam de mercede, quā labore suo obtinent, quod rigidum videtur; cùm tamen negotiatores, mercatores nimium diuites, nihil ex sua industria soluant, sed tamen semper est standum consuetudini. Sic Vasquez Et sic etiam Suarez, cum aliis, *lib.* 1. *cit. c.* 21. *à n.* 1. Valentia *disp.* 6. *q.* 5. *punct.* 3. *in fine.* Sà *verb. Decima, n.* 1. & alij.

Qvæstio XX.

An decimæ personales, soluendæ sint ex lucro; nihil ex illo priùs pro expensis deducendo?

AFfirmandum videtur ex cap. *Non est de dec[illegible]s*: vbi apertè habetur; *Decimas esse soluendas de vino, agro, fructibus, & negotiatione, militia, & venatione*; & subiungitur. *Præcipimus, quatenus antequam deducatis vllas de bonis prædictis expensas, decimas cum integritate persoluatis*: ergo hoc præceptum, tam de decimis prædialibus, quàm de personalibus clarè datur: ergo sicut decimæ prædiales soluuntur de fructibus, non deductis expensis; ita, & decimæ personales, non deductis de lucro expensis, debent solui.

Sed tanquam certum apud omnes, Respondeo: Non esse soluendas ante deductionem expensarum; sed posteà. Quia sic habetur expressè in cap. *Pastoralis, de decimis.* vbi dicitur: *In negotiatione, concessum esse, vt possint expensæ deduci, priusquam decimæ soluantur ex lucro.* Sic ibi. Et quamuis hic textus solùm loquatur de negotiatione, tamē Doctores communiter (quidquid velit Abulens. *qu.* 205. *oppositum.*) id extendunt ad omnes alias decimas personales; vt sunt venatio, piscatio, merces, & aliæ similes, de quibus huc vsque egimus. Et ratio est. Quia decimæ personales præcipiuntur solui solùm de lucro acquisito: at sic est, quòd lucrum solùm est id, quod superest, deductis expensis, vt constat ex ipsamet appellatione lucri: ergo.

Ex hac ratione constat differentiam esse satis claram, inter decimas prædiales, ac personales; ideóque quamuis illæ soluendæ sint, ex vi dicti præcepti, ante deductionem expensarum; non verò istæ. Vnde illa verba. *Antequam deducatis*, quæ facere satis videntur pro opposito, restringenda sunt ad decimas prædiales; ne iura sint contraria. Sic Glossa in capit. *Non est.* & cap. *Pastoralis.* & ibi Innocent. Hostiens. Anton. & Abbas, Rebuff. *tract. de decimis, qu.* 11. *num.* 4. & 6. quos refert, ac sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 2. Albe. Bald. & Ang. *in l. si à Domino, §. vltim. ff. de pet. her.* Tiraquell. *de tractu lignagier, §.* 15. *Glossa* 1. *num.* 14. Bertrand, *tom.* 3. *p.* 2. *consil.* 247. *n.* 1. Barbosa *in cap. Pastoralis, cit.* Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 10. *q.* 5. *n.* 225. Fagundex *lib.* 1. *de* 5. *prac. Eccl. cap.* 2. *num.* 18. & 20. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 6. *num.* 7.

Qvæstio XXI.

Quid sit in his expensis computandum?

RESpondeo: Quòd loquendo de *Negotiatione*, computandæ sunt expensæ factæ in mercibus emendis, quærendis, & vendendis, & in faciendo rē

meliorem, & etiam quæ data sunt mediatoribus, & similibus. Sic Rebuff. Palao, Fagundez, Barbosa, Suarez, & Filliuc. *loc. cit.*

Loquendo verò *de piscatione, & venatione*, deducendæ sunt expensæ, & pecuniæ, factæ in emendis, & reficiendis retibus, & alijs ad piscationem, & venationem destinatis. Sic Fagundez *loc. cit. numero* 20.

Loquendo tandem de *militia, lectura, & aduocatione*; deducendæ sunt priùs pecuniæ, & expensæ factæ in emendis necessarijs ad officia hæc aptè exercenda; veluti militaria instrumenta, ad militiam; libri, ad lecturam; & aduocationem, &c. Sicque dicendum de alijs rebus, de quibus decimæ soluuntur personales. Legatur Barbosa *in cap. Pastoralis. de decimis.*

Qvæstio XXII.

An etiam deduci debeant expensæ, quas negotiator, miles, lector, aduocatus, venator, &c. faciunt, in victu, & vestitu suarum personarum, & seruorum?

Affirmandum videtur. Quia hæc omnia verè sunt necessaria ad præstandum officium, laborem, & opus, ex quo lucrum reportandum est: ergo negotiator, miles, lector, &c. non tenebuntur ad soluendas decimas personales ex toto lucro, stipendio, & salario; sed ex solo residuo, post suorum conuenientem victum, & vestitum. Huic affirmatiuæ parti, tanquam probabili, inclinatur Castro Palao *tract.* 10. *cit. punct.* 6. *num.* 8.

Sed cum distinctione Respondeo: Dicendum: Quòd, aut sumptus, & expensæ, quæ fiunt in alenda persona, & familia, nascuntur ex ipso ministerio, negotiatione, militia, &c. & sunt ita necessarij, vt sine dictis sumptibus, & expensis, tale ministerium, aut negotiatio, aut militia, &c. commodè exerceri non possit; & tunc re vera deducendi sunt sumptus, & expensæ factæ in victu, & vestitu: aut non nascuntur ex ipso ministerio, officio, vel arte; sed aliàs, per se sunt necessariæ ad sustentationem dictarum personarum; & tunc, non sunt deducendæ; quia hæc, re vera non sunt expensæ, quæ propter lucrum faciendum fiant. Sic Suarez *lib.* 1. *cit. c.* 33. *num.* 6. Filliuc. *tr.* 27. *cap.* 10. *num.* 225. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Eccl. cap.* 2. *num.* 20.

Qvæstio XXIII.

An decimæ personales, sint soluendæ, ex vi iuris communis, propriæ parochiæ, in qua quis eodem iure, tenetur audire Missam, & Sacramenta suscipere?

Respondeo: Affirmatiuè. *Primò.* Quia sic habetur expresè in cap. *Ad Apostolica de Decimis*, & in cap. *Significasti, de Parochijs.* & alibi. *Secundò.* Quia decimæ personales dantur in sustentationem eorum, qui nobis spiritualia ministrant: at sic est, quòd ad hoc tenentur Parochi ex officio: ergo illorum Ecclesijs debent solui. Sic omnes Canonistæ in cap. citatis. D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *ad* 1. & ibi omnes Theologi. Legantur Abulens. *in c.* 23. *Matth. qu.* 196. Nauarr. *lib.* 3. *consil.* 1. *de decimis.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1. & 2. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcepto Eccles. cap.* 3. *num.* 1. Bonac. *q.* 5. *de præc. Eccles. punct.* 3. *num.* 1. Qui, ob rationem dictam, docet, scholarem in studio commorantem, debere decimas personales soluere Parochiæ studij. Quod antea, idem docuerunt Federicus de Senis *consil.* 253. & Tuscus *tom.* 2. *concl.* 67. *num.* 1. Quos ipse citat. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 6. *n.* 9. & Barbosa *in cap. Ad Apostolica cit. num.* 1. & 2. & penes ipsum, Abbas, Innocent. Collect. Zabarell. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Rebuff. Moneta, Gutierrez, & alij Canonistæ.

Qvæstio XXIV.

An si quis habeat duo domicilia in diuersis Parochijs; debeantur decimæ personales vtrisque?

Affirmant absolutè Bonacin. *loco cit.* per hæc ferè verba: Qui in duabus Ecclesijs Sacramenta percipit, debet decimas personales diuidere pro rata temporis. Ita Rebuff. *de decimis, quæst.* 6. *num.* 2. Moneta *cap.* 17. *num.* 18. Ita ille.

Sed clariùs Respondeo: Quòd debeantur vtrisque Parochijs, æqualiter: casu, quo quis, in illis æqualia habeat duo domicilia ita, vt in æstate, in vno; & hyeme, in alio resideat: at verò si vnum domicilium habeat principale, & aliud accessorium; tunc Ecclesiæ, vbi est principale debentur decimæ personales. Sic ex Rebuffo *loc. cit.* Suarez *cap.* 21. *cit. n.* 2. Fagundez *loc. cit. num.* 5. & penes illum, Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. Rodriguez *cap.* 87. *concl.* 2. & Sà *ver. Decima, num.* 4. & 8. Barbosa *in cap. Ad Apostolica de decim. num.* 2. Castro Palao, *num.* 9. *cit.* Sic dicens: Si verò plura domicilia, vnum sit principale, aliud quasi accessorium, soluet decimam illi parochiæ, in qua habet principale domicilium. Quapropter semper attendi debet domicilium principale, etiamsi Parochianus toto ferè anno, extra parochiam laboret, & de facto suscipiat Sacramenta; quia illud est per accidens. Sic ille.

Qvæstio XXV.

An qui habet domicilium in vna parochia, sed possessiones in alia; debeat soluere decimas personales Ecclesiæ, vbi habet domicilium?

Respondeo: Affirmatiuè. Quia in Ecclesia vbi habet domicilium, recipit Sacramenta: non in alia, vbi habet possessiones: ergo. Sic Suarez *num.* 2. *cit.* & Fagundez *cap.* 3. *cit. num.* 2. Qui idem dicunt dicendum, de illo, qui non mutat domicilium, est tamen extra suam parochiam per magnam anni partem laborando, negotiando &c. quòd, scilicet, tunc teneatur soluere decimas personales Ecclesiæ, vbi habet domicilium, quia ibi per se recipere tenetur Sacramenta, licèt per accidens contingat alibi ea recipere. Quod optimè, antea docuit Doctiss. Nauarr. *consil. mihi*, 1. *de dicimis, num.* 5. Suar. & Fagund. *consil.* 2. *num.* 3. Basilius, *de Matrim. libro* 5. *cap.* 13. §. 3. *num.* 19. Barbosa *loc. cit.* & alij.

Qvæstio XXVI.

An qui in Ecclesijs Religiosorum Sacramenta recipit; debeat illis, an potiùs Parocho, decimas personales soluere?

Respondeo, Tanquam certum; Debere potiùs Parocho. Quia huic incumbit onus administrandi Sacramenta, propter quod, decimæ soluuntur. Sic Bonac. *punct.* 3. *cit. num.* 1. *vers. Secundo.* Et ratio constat ex nuper dictis.

Alios

Alios casus similes tractat Rebuff. Sed vt benè, Suarez, non oportet in illis immorari, quia, vt diximus, hæ decimæ personales, ferè omninò sunt sublatæ ob consuetudinem; si tamen alicubi soluuntur, semper fit propriæ parochiæ.

DISPVTATIO IV.

De decimis Prædialibus, & de quibus rebus solui debeant.

QVÆSTIO I.

An Decimæ prædiales soluendæ sint nunc de omnibus rebus, de quibus olim in lege veteri, iubebantur solui?

RESPONDEO: Tanquam certum, quòd sic. Quia licèt præceptum illud diuinum, quod fuit in lege veteri, de soluendis decimis prædialibus, non maneat nunc, vt habitum est suprà; tamen solutio decimarum prædialium, est nunc de præcepto Ecclesiæ ad similitudinem solutionis decimarum; quæ erat in lege veteri, vt suprà etiam est habitum; & ita necesse est, vt de omnibus illis rebus, soluantur nunc decimæ prædiales, de quibus in lege veteri iubebantur solui; nempè de omnibus fructibus, & frugibus arborum, & terræ. Sic omnes Doctores docent, ex capite *Nuncios*, ex capit. *Ex parte*, & cap. *Ex transmissa*, & ex aliis *capit. sub tit. de decimis & 16.q.1. & 7.* Legantur D.Thom. 2. 2. *q.*87. *art.*2. & *ibi* Caiet. & alij expositores. Abulens. *in cap.*23. *Matth.quæst.*152. Suarez *tom.*1. *de Relig.lib.*1. *cap.*34. *num.* 1. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcepto. Eccles. cap.* 4. *à num.* 1. Filliuc. *tract.*27. *part.*2. *quæst.*6. *n.* 226. & alij mox citandi, loquendo in particulari, maioris claritatis gratia, de rebus, ex quibus soluendæ sint decimæ prædiales.

QVÆSTIO II.

An de omni grano tritici, hordei, & aliarum messium; soluenda sit, ex iure, decima?

RESpondeo: Tanquam certum; soluendam esse. *Primò*. Quia de his omnibus erat præceptum decimandi in lege veteri, vt colligitur ex Paralip. *cap.*31. *vers.*5. Vbi sic habetur: Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Israël frumenti, vini, & olei; mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus decimas obtulerunt. Sic ibi. (Non sicut refert Rebuff.) ergo cùm ad instar huius præcepti, sit datum præceptum de decimis in lege noua, dicendum est, etiam in illa, de omnibus prædictis decimari debere.

Secundò. Quia sic habetur expresse in cap. *Non est, de decimis*. vbi Celestinus tertius. Sic ait: *Re vera sicut Sancti Patres, in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decima sunt ministris Ecclesiæ tribuenda.* Sic ibi. Et sic omnes Doctores, tam Canonistæ, quàm Theologi, præcipuè D.Thom. 2.2.*q.*87. *art.*2. ibi eius expositores, Rebuff. *de decim.q.*8.*n.*3. Moneta, *cap.*4. *n.*2. Suarez, *tom.*1, *de Relig. lib.*1.*c.*34.*n.*2. Fagundez, *de* 5. *præc. Eccles. lib.*1.*c.*4. *num.*2 Quos citat & sequitur Barbosa, *lib.*3. *de iure vniuerso c.*26.§.1.*num.*2. & in cap. *Non est de Decimis, n.*2. Abulens. *q.*152. R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles. *cit.* Filliuc. *q.*6. *cit. num.*227. Azor, *tom.*1. *lib.*7. *cap.*35. *q.*9. Trullench, *lib.*3. *in Decal.cap.*3.*dub.*2.*n.*4. Bassæus, *v. Decima n.*2. Castro Palao, *tom.*2.*tr.*10. *disp. vnica, punct.*7. *num.*1. & omnes.

QVÆSTIO III.

An etiam ex vi iuris, debeatur decima de palea, integra, vel comminuta, per triturationem?

NEgat ex parte, Speculat. *in tit. de decimis, in fine, vers. Qua lex*, docens, quòd tunc solùm solui debeat decima de palea, quando frumentum soluitur in glebis, & in messe, quia tunc, inquit, palea est in fructu.

Sed absolutè, & sine distinctione; Respondeo: Deberi, ex vi iuris, decimà, de palea, siue integra, siue comminuta sit. *Prim*. Quia decima debetur de omni fructu, vt habetur in cap. *Nuncios*: at sic est, quòd palea, siue integra, siue contrita est fructus, vt constat clarè. *Tum*, ex l. *fin.* §. *si vsufructuarius messem, ff. quemadmodum vsusfruct. amit. ex l. si in fine, C. de seruit. & aqua*, & docet Vincent. de Franchis, *vbi infrà*, ex Floria, *in l. qui scit. ff. de vsur.* & ex Auditore Perusi. *decis.*106.*num.*10. & latius *decis.*14.*num.*9. *Tum etiam*, quia palea nascitur in agro per humanum laborem, ad humanam vtilitatem: ergo ex ea debetur decima ex vi iuris. *Secundo*. Quia, vt bene Abbas, in cap. *Peruenit de decimis, num.*3. & ex illo Suarez, decima debetur ex manipulis segetum, sicut metuntur ex terra, & in rigore, sic deberent fructus decimari (vt tenet Speculator, *tit. de decimis, ad finem*) cùm tota illa materia sit fructus terræ, & ideò iura sæpe, sub nomine segetum, vel messium loquuntur, vt in cap. *Ad Apostolic. de decimis*: ergo quamuis post triturationem decimetur granum, idem ius manet in palea: ergo in rigore iuris de illa debetur etiam decima. Sic Moneta, Suarez, Azor, Fagundez, Bassæus, & Palao, *loc. nuper citatis*. Barbosa, *loc. cit.* & *cap. Nuncios, de decimis, num.*6. Rebuff *tract. de Decimis, quæst.*8. *numero* 3. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *q.*87. *art*, 2. *num.*3. Abulens. *in cap.*23. *Matth. q* 154. Qui quamuis doceat, quòd de facto nulla sit obligatio soluendi decimam de palea. in multis regionibus; eo quòd apud illas præscriptum sit legitimè, ne in talibus regionibus paleæ decimentur; de iure tamen, inquit, quòd debeatur decima de palea integra, aut comminuta per triturationem, ob rationes à nobis assignatas, Vnde, an de facto debeat solui decima de palea, an non; standum est consuetudini regionum, vt docet Riccius, *in collectan. decis.*1.*p. collectan.* 192. Sic dicens: Infertur quartò, quòd si de fœno soluitur, ex capite præcedenti ad textum nostrum, ita, & de palea, nisi obstet consuetudo, vel per priùs non fuerit longissimo tempore soluta, nam, & hæc sunt in fructu de Franch. *dec.*103. Sic ille. Et benè. Poterat tamen citari pro hac parte Aym. *primo volum. consil.*21. & Niger, *in cap. Regni*. Quos pro hac parte citat Vincentius de Franchis. Legatur etiam Gregorius Lopez, *in l.*2. *part.*1. *tit.*20. *verb. De las tierras*. Vbi docet, quòd debeat de palea decimari tamen triturato grano, & ita in horrea Ecclesiæ deferre.

QVÆSTIO IV.

An ex vino, de rigore iuris, debeatur decima?

RESpondeo: Tanquam quid certum, deberi. Quia sic expressè præcipitur in cap. *Non est*, vt habitum

Digitized by Google

tum est, suprà & in cap. *Quicunque 16. q.7.* & cap. *Omnes 19. q.7.* ergo ex iure decima debetur ex vino. Sic Suarez, Filliuc. Axor, Barbosa, Trullench, Fagundex, Bassæus & Raphaël de la Torre. Dixi, *ex rigore iuris*, quia aliud potest consuetudo introducere, aut derogando, aut minuendo decimas cuiuscumque rei. Quâ ratione ait Fagundex, *lib.1. cit. cap.2. num.3.* quòd in Archiepiscopatu Bracharensi, solùm debeatur decima ex vino, quod in torculari, dolisve calcatur, non verò ex vino, quod domi in vase manu premitur, modò id non fiat in fraudem.

Quòd si inquiras, An in vino, an verò in vuis soluenda sit dicta decima? Respondent Molfes. *tract.6. cap.4. num.33.* & penes ipsum, Riccius, & alij. Quòd in vino, quia in hoc inquit consistunt fructus vineæ. Sed nobis dicendum est, standum esse consuetudine locorum; nam in multis Regnis Castellæ, videlicet, & Nauarræ, non vino, sed in vuis soluuntur decimæ. Sic docet Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæst.87. art.2. disp.7. num.8.* his verbis: In aliquibus verò locis in musto, aut in oleo datur decima, non in fructibus sectis.

Qvæstio V.

An etiam, ex oleo, seu oliuis; ex vi iuris, debeatur Decima?

RESpondeo: Tanquam certum, deberi. *Primò.* Quia in dicto cap. *Non est, de decimis*, expressè dicitur, quòd solui debet decima *de fructibus arborum*, vt habitum est, *sup.* & idem præcipitur in cap. *Omnes 19. quæst.7.* ibi: *siue de frugibus, siue de pomis arborum.* Sed oliuæ veri sunt arborum fructus: ergo.

Secundò. Quia in lege veteri dabantur de præcepto, decimæ de area, & torculari, *Numer.18. cap. Vbi per aream,* accipiuntur fruges; per *torcular*, accipitur vinum, & oleum; quia ista, id est, vuæ, & oliuæ torquentur, vt succus, id est vinum, & oleum, exprimantur: ergo etiam in lege gratiæ, de iisdem rebus datur præceptum Ecclesiasticum; patet consequentia ex dictis, *suprà.* Sic communiter Doctores, loquendo generaliter de decimis ex fructibus. Sed loquendo expressè de decima ex oleo, aut oliuis; id docent Abulens. *in cap.23. Math. q.152.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. num.2.* Rebuff. *de decimis, q.8. n.8.* Monera, *cap.4. num.10.* Fagundez, *de præc.5. Eccles. lib.1. cap.4. num.2.* Bassæus, *v. decima, num.2.* Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.1. num.4. & 7.* Vbi expressè docet decimam deberi ex oliuis; nisi aliàs, propter earum exiguitatem per multum temporis spatium decima soluta non fuerit, vt decisum fuit in vna ciuitate, decimarum, *26. Martij* 1618. coram Card. Verospio. Riccius, *1. p. collectan. decis.192.* & penes illum Anocus Robert. *alleg.94.*

Qvæstio VI.

An item, ex Nucibus, Amygdalis, Castaneis, & alijs fructibus arborum; debeatur, ex iure decima?

RESpondeo, Tanquam quid certum, deberi, ex iure. *Primò.* Quia olim in lege veteri soluebantur decimæ de omnibus fructibus arborum, vt constat ex dictis sup. *disp.1. q.8.* ergo etiam in lege gratiæ debent solui.

Secundò. Quia id expressè habetur in iure cap. *decimæ 16. q.1.* cap. *Nuncios*, c. *Cum homines*, & cap. *Non est de decimis*, in quibus præcipitur, vt de omnibus fructibus arborum soluatur decima. Sic omnes Authores. Bertrand. *cons.247. vol.3.* Rebuff. *de decimis q.8. n.5.* Monera, *cap.4. n.5.* Abulens. *q.152. cit.* Barbosa *c.26. cit. §.1. n.6.* Et in cap. *Non est de decimis, num.3.* Suarez, Azor, Filliuc. Fagundex, Trullench, & Bassæus. *loc. cit.* Palao, *punct.7. cit. n.1.* & omnes.

Qvæstio VII.

An ex foliis Mororum sint, ex iure, soluendæ decimæ?

AFfirmant, ex consuetudine saltem, soluendas esse, Seraphin. *decis.827.* & Rot. apud Farinac. *decis.528. numer.3.* Ex illis Barbosa, *§. 1. cit. numer.8. & cap. Nuncios de Decimis, num.4.*

Sed ego absolutè, Respondeo. Quòd non solùm ex consuetudine, vbi viget, sed ex iure, soluendæ sint, ex foliis mororum, decimæ. Quia, ex iure, soluendæ sunt decimæ ex omnibus fructibus arborum, vt constat ex dictis: sed sic est, quòd folia mororum est fructus principalis harum arborum; cùm nascantur in agro per humanum laborem, & assumantur in maiorem vtilitatem humanam, quam ipsimet fructus proprij dictorum mororum: ergo. *Confirmatur.* Quia ideò de palea debetur, ex iure, decima, quia inter fructus computatur ob dictam rationem, vt habitum est, *suprà*: ergo ob eandem rationem, debentur folia mororum computari inter fructus, & consequenter de illis solui decimas. Sic decis. Rot. Romanæ, 416. quam refert Postius, *tom.2. de manuten. pag. mihi* 578. & docent absolutè Barbosa in cap. *Non est de decim. num.3.*

Qvæstio VIII.

An de Blado, fabis, & pisis, & alijs leguminibus debeantur, ex iure, decima?

RESpondeo, tanquam certum: Deberi, ex iure. Quia sic habetur in cap. *Ex multiplici de Decimis*, vbi expressè, *de blado, & vniuersis leguminibus*, esse decimandum, decernitur. Et sic etiam de his decimabatur in lege veteri, vt habitum est suprà, *disp.1. q.9.* ergo ex iure, ex omni genere leguminum debentur decimæ. Sic communis omnium sententia. Hostiens. *in summ. tit. de decimis*, Rebuff. *tract. de decimis, q.8. num.4. & 8.* Abulens. *c.23. in Math. q.152.* Moneta, *cap.4. num.4.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. num.3.* Axor, *tom.1. lib.7. cap.35. q.9.* Filliuc. *tract.27. cap.10. num.227.* Fagundex, *de præc.5. lib.1. cap.4. n.3.* Castro Palao, *tom.2. tr.10. punct.7. n.1.* Raphaël de la Torre, *art.2. cit. num.3.* Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. c.26. §.1. n.5.* Trullench, *lib.3. in Decal. cap.3. dub.2. n.4.* Bassæus, *v. Decima, num.2.* & Graff. *cap.27. cit. num.36.* Nota hîc ex Barbosa, *tract. de Appellatiuis*, 34. quòd *Bladi* appellatione, venit omne illud, quod in terra seritur, etiam semen lini (præter legumina, vt constat ex cap. *Ex multiplici, cit.* ibi: *de blado, & vniuersis leguminibus.*) Sic Bart. *in l. triticum, ff. de verbor. obligationib.* & alij.

Qvæstio IX.

An etiam, ex vi iuris, debeatur decima de Caulibus, lactucis, rapis, pastinacis, & alijs oleribus?

RESpondeo: Deberi, ex vi iuris. Quia in cap. *Non est* expressè præcipitur quòd etiã ex *Hortis* (id est, ex rebus, quæ prouenient ex hortis) soluatur decima.

Rursu

Rursus in cap. *Et multiplici, cit.* præter legumina, adduntur etiam minutæ decimæ, quæ de oleribus debēt necessariò intelligi. Et tandem, quia de huiusmodi oleribus, in lege veteri ex iure, debeantur decimæ, vt sup. *disputat.* 1. *qu.*9. est habitum: ergo & in lege gratiæ ex iure Ecclesiastico, debentur etiam. Sic Hostiens. Rebuff. Abulens. Moneta, Suarez, Graffius, Azor, Filliuc. Fagundez, Barbosa, Bassæus, & Trullench; *loc. cit.* & rursus Barbosa, in cap. *Non est de decim. num.*5.

Qvæstio X.

An etiam, ex vi iuris, debeantur decimæ de Croco, mentha, Anetho, Cymino, & aliis minutis oleribus, quæ in cibum, aut in condimentum, nascuntur in hortis?

NEgant D. Thomas, 2.2.*q.*87.*art.*2. *ad* 3. Sotus, *lib.*9. *de inst. qu.*4. *art.*2. *ad* 3. Palao, *tractat.*10. *cit. punct.*7. *num.*2. & Filliuc. *tractat.*27. *cap.*10. *numero* 228. existimantes, non esse dandas decimas de oleribus minutis, quæ ex hortis colliguntur, non ad lucrum, sed ad vsum proprium, & ad quamdam commoditatem, & voluptatem possidentium.

Sed probabiliùs, Respondeo: Ex vi iuris, etiam deberi. *Prim.* Quia sic habetur in cap. *Ex multiplici, citato*, quatenus præcipit, prætèr legumina, de minutis aliis, quæ in hortis nascuntur, decimas soluere. *Secundo* Quia de his rebus in veteri testamento, soluebantur decimæ, vt constat ex dictis, *disputat.*1. *qu.*9. ergo nunc etiam ex iure Ecclesiastico soluendæ sunt. *Tertio.* Quia licèt singula in his videantur esse parua, aut nullius æstimationis; tamen cumulus omnium magni æstimari debet, & necessarius ad conuenientem sustentationem ministrorum Ecclesiæ: ergo ex vi iuris, de omnibus his minutis oleribus decimari debet. Quid autem sit dicendum, ex vi consuetudinis, infrà *quæst.*38. constabit. Sic Mantica, *decis.* 341. Abulens. *quæst.* 152. *citat* Azor *q.*9. *cit.* Moneta, *cap.*4. *num.* 4. Barbosa, *loc. cit. num.*4. & 5.

Nota tamen circa nuper dicta id, quod Barbosa, *loc. cit.* ex Moneta, *loc. cit. num.* 11. notat videlicet, quòd in casu, quòd legumina colligantur in parua quantitate, ita vt solùm sufficiant ad quotidianum vsum, tunc ad vsum Rectoris ex illis, decima ita dari posset, vt hodie ex meo horto Curatus sumat quantùm sibi opus est illo die: sin autem in magna quantitate: ita vt aliis vendantur, tunc de his integra decima soluetur: idem dicit dicendum esse de hortis olitoriis, in quibus tantùm herbæ, vt caules; & alia olera crescunt, vescendi gratiâ. Sic notat Barbosa, *loc. cit.* quod repetit, *in cap. Non est, de decim. num.*5. Et ante illum, Rebuffus, *quæst.*8. *de decimis*, *num.*7. Ita dicens: Quintò de hortis, siue sint olitorij, in quibus herbæ tantùm vescendi gratiâ crescunt, & tunc ad vsum Curati ex illis decima ita dari posset *d. cap. Non est eo.* vt hodiè in meo horto Curatus sumat quantùm sibi opus est illo die: & sic per singulos parochianos discurret, demum ad primum reuertetur. Ioann. Andr. *in cap. Peruenit eo.* Et debetur decima tam ex primis fructibus, quàm ex secundis: nam si secundo feratur ex fructibus secundis, & tertiis, & quartis, si tot veniant, debentur decimæ, *per text. in cap. Ex parte* 2. *de decim.* quia ex omnibus fructibus, & frugibus. *cap. t. eo.* Huc vsque Rebuffus.

R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

Qvæstio XI.

An decima, quæ de oleribus iuxta nuper dicta datur, soluenda sit in speciebus olerum: an verò in pecunia?

REspondeo: Quòd in pecunia. Quia sic habet consuetudo; & sic decisum fuit in Rota, *in vna Pampilonen. Vicariæ* 5. *July* 1593. *coram Gipsio*, vt refert Barbosa in vtroque, *loc. cit.* Secus verò existimo dicendum, loquendo de decima fabarum, cicerum, & huiusmodi leguminum; quia consuetudo, quæ obseruanda est, obtinet, quòd soluatur de his rebus, in speciebus leguminum, vt sæpiùs in eodem Regno Nauarræ vidi.

Qvæstio XII.

An etiam ex vi consuetudinis, decimari debeat, de Rapis, caulibus, lactucis, & de aliis minutis oleribus?

NEgat Rebuff. *quæst.* 8. *de decim. numero* 8. his verbis: Licèt de consuetudine ex oleribus non viderim soluere decimam: quia Curati hortum ad vsum illorum habere solent; ex illo ergo olera recipiant; & si nil fuerit in eo horto, imputetur isti negligenti Curato: quia verisimile est, quòd in fundatione beneficij, iste hortus fuit Curato assignatus pro suo vsu, vt Parochiani ampliùs ad olera illi Curato non tenerentur, sed ipse suis manibus sibi pararet. Ita Rebuffus.

Sed distinctiùs loquendo, Respondeo dicendum: quòd, vel Curatus habet hortum assignatum à Parochianis, vt contingit in aliquibus oppidis Regni Nauarræ, vbì non solùm Curato, verùm, & aliis Beneficiatis, suus est hortus designatus: vel non habet. Si habeat, dico quòd nullo modo debeant Parochiani dare decimas de oleribus minutis, propter rationem à Rebuffo assignatam. Si autem non habeat, dico standum esse consuetudini; & vbi viget, soluendas esse, vbi non viget, nullo modo; de facto autem credo, quòd in paucis locis vigeat. Ego sane in nullo vidi, licèt multa viderim loca, & diuersas Prouincias.

Qvæstio XIII.

An de rigore iuris, sit soluenda Decima de fœno quod, in fasciculos alligatum, redigitur?

REspondeo, tanquam certum: Soluendam de iure esse. Quia sic habetur expresè in cap. *Peruenit, de Decimis.* Vbi sic dicitur: *Mandamus, quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellere, vt de prouentibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lanâ, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persoluant.* Sic ibi per totum caput. Adde quòd ex iure legis antiquæ, de fœno etiam soluebatur decima, vt probat Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*155. ergo ex iure legis nouæ, Ecclesiæ debet nunc solui. Sic Abulens. *loc. cit.* Azor, *qu.*9. *cit.* per hæc Verba: vnde ex croco, & fœno decima iure præstatur: vt si fœnum in fasciculos redigatur, ex bis decimus debetur. Sic ille. Rebuff. *de decimis, q.* 8 *num.* 9. Moneta, *cap.*4. *num.*6 Riccius, 1. *part. collectan. decis.* 192. Suarez, *cap.*34. *cit. num.*3. Fagundez, *de precept.* 5. *lib.*1. *c.*4. *num.* 4. Trullench, *cap.* 3. *cit. dub.* 2. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 27. *cap.*10. *n.* 227. Bassæus, *verb. Decimæ, nu.*2. Barbosa, *lib.*3. *de iure Eccles. cap.*26 §.1. *num.*16. & in

cap. Peruenit, cit. num. 5. Graffius, *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 36. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *puncl.* 7. *n.* 1. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *n.* 3.

QVÆSTIO XIV.

An etiam, de pascuis, siue pratis, vel aliis locis herbosis, debeatur, ex iure, decima?

RESpondeo, tanquam quid certum: Deberi. Quia sic habetur in iure, cap. *Commissum, de Decimis.* Vbi sic dicitur: *Et sicut etiam de pascuis olim decimæ per soluebantur, ita nunc de eisdem ad singum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione, persolui.* Sic textus. Ergo ex iure, ex pascuis, aut pratis, aut locis herbosis, vbi pecora pasci, possiunt, siue herba possit falce meti, siue solùm in agro depasci, decima soluenda est. Sic Abulens. 155. *cit.* Suarez *num.* 3. *cit.* Fagundez *num.* 4. *cit.* Azor, Palao, Barbosa, Trullench, & alij *loc. cit.* Quamuis ex his Suarez, & Azor, & nonnulli alij, solùm dicant, soluendas esse decimas de pascuis, aut herbis, casu, quo pratum, aut campus ad pastum locetur; aut herba colligatur, & in fasciculos, vel saccos collecta vendatur: non verò casu, quo ex pascuis, aut herbis animalia propria nutriantur. At re vera, in vtroque casu esse decimam, ex pascuis, aut pratis soluendam, verius docent Abulens. *loc. cit. & q.* 168. Rebuffus, *decim. q.* 8. *num.* 22. & post illos, Postius, *tom.* 1. *de manuten. obseru.* 73. *num.* 173. & apud illum, *decis.* 149. *Rota Romana.* Et alij.

QVÆSTIO XV.

An decima, quæ antea de pascuis soluebantur Ecclesiæ, debeantur, etiamsi terra fuerint ad culturam redacta?

REspondeo: Affirmatiuè. Ratio est; Quia re vera manet eadem substantia soli, & fundi: & ideò prædicta mutatio superficialis, non facit quid in præiudicium Ecclesiæ. Sic Postius *tom.* 1. *de manuten. obseruatione* 73. *num.* 164. & penes illum Rota in Hispalensi decimarum de Tablada, coram Vbaldo Seniori, 18. *Iunii* 1612. à quo decisum fuit à quòd beneficiati Ciuitatis Hispalensis, qui accipiebant decimas fructuum animalium pascentium in quadam tenuta dicta, *Tablada*, deberent etiam accipere decimas frumenti & blondæ eiusdem tenutæ ad culturam redactæ, cùm censeantur illa subrogata loco priorum fructuum, qui ab initio percipiebantur. Faciunt pro hac responsione, cap. *Cum. in tua, & cap. Commissum*, citatum, *de decim.* Vbi Butr. Abbas, Rebuff. *de decim. q.* 14. *num.* 18. Didac. *Pract. quæst. c.* 3. *n.* 1. Anchart. *in cap. Commissum, cit.* Ioann. Bologn. *consil.* 29. *num.* 19. & tenent sæpissimè Rota, vt testatur Vbaldus Senior in vna Romanæ domus. 4. *Decem.* 1619. quam refert Potius, *tom.* 2. *decis.* 149. Sic etiam Barbos. *in d. c. Commissum, n.* 4. & penes illum. Burg. de Pace, *consil.* 50. *num.* 8.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, ex consuetudine introducta, & præscripta, iam non debeat quis decimare de fœno, herbis, & oleo?

AFfirmat, non debere decimare iam, Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 8. *vers. septimò*, per hæc verba: Septimò, eodem iure defenditur consuetudo, quæ passim in Orbe Christiano viget: vt ex certis fructibus, nulla soluatur decima; nec eius aliqua portio, vtpotè de fœno, de herbis, & oleo: si tamen ex aliis redditibus superfit iusta Sacerdotum sustentatio: ita præter alios, scribunt Paulus Castrensis *consil.* 17. *lib.* 2. Huc vsque Couarruuias. Cui fauet Azor, *quæst.* 9. *cit. in fine*, vbi sic ait: Prædialis quoque ex multis fructibus præsertim minutis, alicubi non soluitur, vt ex herbis, oleribus leguminibus. Quare vbique est gentis, ciuitatis, vel populi consuetudo obseruanda, cùm est vsu ipso legitimè præscripto recepta. Ita ille.

Sed clarius Respondeo dicendum, quòd certum sit, quòd vbi iam consuetudo non decimandi præscripsit, nullo modo debeat quis de præassignatis rebus decimam dare; eo quòd (vt infrà dicemus) contra ius præualere possit consuetudo. Vbi verò consuetudo non præscripsit, debeat profectò, de dictis rebus decimare; cùm ex rigore iuris teneatur. Et certè loquendo de oleo, nulli potest esse dubium, quin de illo, debeat decimas dare; cùm hoc debeat de rigore iuris, vt suprà, *q.* 31. est habitum, & aliàs in toto Orbe Christiano hæc, & non contraria, sit consuetudo. Vnde pro certo habeo, quòd non *ex oleo*, sed *ex oleribus*, scripserat Couarruuias, & ex errore Typographi, scriptum fuit, *ex oleo*. Addo quòd adhuc loquendo de oleribus, fœno, & herbis, obseruandum sit, & faciendum id quod ex leguminibus, & herbis hortorum, suprà *q* 36. in fine diximus, quod & notat Moneta, *cap.* 4. *n.* 6.

QVÆSTIO XVII.

An de lignis nemorum, ex iure, sit danda Decima?

REspondeo: Esse dandam, ex iure. Quia in cap. *Non est de Decimis*, postquam multa, particulariter enarrantur (vt suprà, *q.* 28. est habitum) expressè dicitur, quòd decimæ de omnibus bonis sint reddendæ, & in cap. *Ex transmissa, cod. tit.* etiam dicitur, quòd de omnibus, quæ fidelis homo licitè acquirit, decimas soluere tenetur: ergo ex rigore iuris, de lignis nemorum, quæ scinduntur, & pretio æstimantur, ac proinde inter bona computantur, decima danda est. Sic Abulens. *q.* 168. *cit. vers. De montibus*, Rebuff. *de decimis, q.* 8. *n.* 26. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 3. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 35. *q.* 9. Vbi sic ait: Item ex lignis syluæ cæduæ, hoc est, ex decem lignorum fasciculis, decimus debetur; vel si ligna venduntur, decima pars pretij. Sic ille. Trullench, *n.* 4. *cit.* Filliuc. *n.* 228. Barbosa, *cap.* 26. §. 1. *num.* 15. Vbi aduertit, quòd ex decem lignorum fasciculis, decimus debeat soli Rectori illius Parochiæ, vbi ligna creuerunt. Sic etiam Moneta, *cap* 4. *num.* 13. Ita etiam Graffius, *c.* 27. *n.* 36. Castro Palao, *tract.* 10. *cit. punct.* 6. *num.* 1. dicens sic sentire omnes Doctores. Raphaël de la Torre, *art.* 1, *cit. num.* 4. *in fine.*

QVÆSTIO XVIII.

An ex lino, & canape, danda sit decima, ex iure?

REspondeo: Dandam esse. Quia ex rigore iuris, danda est decima de omnibus fructibus terræ; vt habetur cap. *Nuncios*, & cap. *Ex parte ibi de omnibus prædiorum fructibus*, & in aliis cap. at sic est, quòd lini, & canapis, sunt fructus prædiorū: ergo. Sic generaliter loquendo, docent omnes Doctores; sed specialiter, & in terminis Rebuff. *de decimis, q.* 8. *num.* 8. & Moneta, *c.* 4. *n.* 8. Quos affert, & sequitur Barbosa, *lib.* 3.

lib.3. de iure Eccles. c.26.§.1. n.17. Et in cap. *Nuncios de Decimis, num.6.* Quod certè sic praxis fidelium obseruat.

QVÆSTIO XIX.

An si eadem terra plures fructus in eodem anno ferat, sit, ex iure, de omnibus decima soluenda?

RESpondeo affirmatiuè. Quia sic expresè habetur in cap. *Ex parte 21.* (non 2. vt leges apud Suarium) *de Decimis*, per hæc verba: *Ex parte Canonicorum Ecclesiæ tuæ, nobis est querela proposita, quòd quidam agricultores, cùm simul, vel diuersis temporibus anni, in eodem horto, vel agro diuerso semina sparserint, non nisi de vnius illorum seminum fructibus decimas illi persoluunt: Et infrà. Mandamus, quatenus si rem noueris taliter se habere, agricultores illos, vt de omnibus prædiorum (aliàs prædictorum) fructibus, decimas absque diminutione persoluant, Ecclesiastica censura compellas.* Sic textus totius capitis. Et benè. Quia vt scitè Abbas, ibidem, ea ratione, qua soluunt de vno semine, de alio soluere tenentur; quia vna, & eadem res, diuerso iure censeri non debet, cap. *Cognouimus 12. q.2.* Sic communis omnium, præcipuè Rebuff. *tract. de Decimis, q.8. n.7.* Moneta, *eod. tract. cap 4. num.12.* Barbosa, *in dicto capite. Ex parte, num.2.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. num.3. in fine.* Molfesius, *tract.6. cap.4. num.52.* Reginald. *lib.19. num.98.* Fagundez, *dicto 1. lib. cap.4. num.4. in fine.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.35. q.12.* Qui addit, & benè, quòd, hoc iure non obstante, introduci consuetudine possit, vt ex primis tantùm fructibus, ex pluribus, quos terra singulis annis affert, decima persoluatur.

QVÆSTIO XX.

An de Aurifodinis, Argentifodinis, lapicidinis, & aliorum metallorum fodinis; sint soluendæ Decimæ, ex rigore iuris?

RESpondeo: Soluendas esse, quando ex illis, lucra, pensiones, aut reditus prouenium; secus si aliàs. Ratio est. Quia ex iure, de omnibus bonis ac rebus, quas homo licitè acquirere potest, decimas erogare tenetur. cap. *Non est*, & cap. *Ex transmissa de decimis*: ergo de dictis lucris, pensionibus, aut reditibus. Quòd si nulli sunt prouentus, nullæ erunt decimæ. Sic Angelus, *v. Decima num.5.* Syluest. *q.6.* Rosella, *num.5.* Abulens. *in cap.23. Matth. q.168.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. n.3. in fine.* Azor, *tom.1. lib.7. cap.35. q.9.* Rebuff. *de decimis, q.8. num.23.* Moneta, *cap.4. num.33. & 34.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.2. num.4.* Fillruc. *tractat.27. cap.10. num.227.* & Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.1. num.22. & 23* aduertens, quòd ex prædictis rebus decima, non debeat persolui in propria specie, vt ex decem lapidibus, vnus; sed in pecunia, quam ipsis rebus lucratur. Riccius, *part.6. collectan. decis.2392.* Sic omnia à nobis sparsim dicta congeres: Vnde decimæ debentur de omni fructu. Moh. *decis.69.* de prouentibus Molendinorum, fœno, lana, piscationibus, apibus, vino, frumento, oleo, castaneis, nucibus, amigdalis, hordeo, siligine, spelta, leguminibus, canape, lino, animalibus, palea, etiam millio, caulibus, lupinis, venationibus, croco, lignis, pretio lapidicinarum, argentifodinis, & metallis, vt latè dixit Franch. Marc. *in decis. Delph. 531.* Puteus, *decis.100.* Cantuccius, *decis. nouiss. Rom.17.* Huc vsque Riccius.

QVÆSTIO XXI.

An ex rigore iuris, soluenda sit decima ex prouentibus molendinorum, siue sint de aqua, siue de vento?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia de vtroque molendino, præcipit ius Canonicum solui decimas. De prouentibus molendini in aqua, in cap. *Peruenit.* & cap. *Pastoralis.* Vbi expresè decernit Pontifex, quòd de prouentibus molendinorum, decimæ persoluantur. Intelligitur autem, loqui hic Pontificem, de molendinis ad aquas, vt bene probat Abulens. infrà citandus. De prouentibus verò molendini ad ventum, expresè præcipitur in cap. *Ex transmissa de Decimis*, per hæc verba: *Mandamus quatenus H. militem absolutionem decimarum de his quæ de molendino ad ventum proueniunt, sine diminutione aliqua compellatis.* Sic textus. Et sic communiter Doctores. Præcipuè Glossa, in cap. *Peruenit, cit. v. Molendinorum.* Abulens. *in cap.23. Matth. q.163.* Suarez, *num.3. cit.* Azor *q.9. cit.* dicens, dandam esse decimam de lucro molendinorum, siue lucrum in frumento, siue in pecunia consistat. Lessius, *lib.2. cap.39. dub.3.* Gutierrez, *practicar. q.18. num.19.* Fagundez, *de 5. præcept. lib.1. cap.4. num.5.* Rebuff. *q.8. num.6.* Moneta, *cap.4. num.35.* Barbosa, *loc. cit. num.24.* & cap. *Peruenit, de decimis, num.3.* & in cap. *Ex transmissa, num.4.* dicens, soluendam esse hanc decimam, Ecclesiæ, in qua situm est molendinum, Gräff. *cap.27. num.36.* Castro Palao, *tom.2. tract.10. punct.7. num.1.* Raphaël de la Torre, *in 2.2. q.87. art.2. num.3.*

QVÆSTIO XXII.

An etiam, ex rigore iuris, soluenda sit decima ex prouentibus molendinorum, quæ tractu hominum, aut bestiarum, mouentur, vt Athaone?

RESpondeo, etiam esse soluendam. Quia quamuis de huiusmodi molendinis nulla fiat mentio in iure, est tamen eadem ratio, ac proinde idem ius. Sic Abulens. *q.163. cit. vers. Aliud est*: per hæc verba: Sunt tamen alia molendina, quæ sine vento, & aquis consistunt, tractu hominum, aut bestiarum mota, aut si per aliquod ingenium moueri possunt, & de his iura non faciunt mentionem, quoniam rara erant à principio, & etiam nunc; & tamen cum ex eis lucrum proueniat, necessarium est, quòd de eis decimæ dentur. Nam ista est causa, ex qua probat Papa, quòd de molendino ad ventum decimæ sunt dandæ; scilicet, quia de omnibus, quæ fidelis homo licitè, acquirere potest, decimæ sunt soluendæ, eodem cap. *Ex transmissa.* Huc vsque Doctissimus vir.

QVÆSTIO XXIII.

An ex iure, soluenda sit decima, ex pensionibus domorum, quæ locantur; & ex prouentibus, qui, ex Clibanis, siue Furnis, proueniunt?

RESpondeo: Affirmatiuè; tum. Quia sic clarè denotatur in cap. *Pastoralis, de decimis.* Tum: quia de omnibus bonis, & rebus licitè acquisitis, tenetur homo persoluere decimas, vt habetur in cap. *Non est*, & in cap. *Ex transmissa, eo. tit.* ergo ex iure, soluenda est decima de pensionibus domorum, & prouentibus furnorum. Sic de vtroque casu loquendo, tenent Suarez *loc. cit. n.3.* & Fagundez, *n.5.* & loquendo

de primo tantùm modo, Azor *q.9.cit.* Sic dicens: Item ex domibus decima præstatur, id est, ex pensione annua, qua domus ipsæ locari solent. Ita ille. Et loquendo de secundo. Sic Barbosa, ait, De furnis quoque decima soluitur, hoc est, de commodo illorum, siue illud in pane, siue in quauis alia re consistat. Rebuff. *d.q.*8. *num.*20. Moneta *d.cap.*4. *num.*33. Huc vsque Barbosa *cap.*26. *cit.* §.1. *num.*21. Lessius *de iust. lib.*2. *cap.*59. *dub.*4. *num.*12. Castro Palao *tom.*1. *tract.*10. *punct.*7. *num.*1.

QVÆSTIO XXIV.

An ex vi iuris, ex Sacchiaro debeatur decima?

RESpondeo: Affirmatiuè. Quia ex iure, de omni fructu terræ est decimandum, vt constat ex cap. cit. at sic est, quòd Saccharum est fructus naturalis terræ, ex re elementata prouenions; vt docet Riccius *infrà*, cum communi: ergo. Sic decisum fuit in Rota *in Mediolan. decimarum.*8. *Februarij* 1610. coram Card. Marquemont, vt refert Farinac. *decis.*223.*p.*1. Et sic tenent Ferret. *consil.*195. *num.*2. Pute. *decis.*80. *lib.*1. *in correctis.* Riccius *in collectan. decis. part.*1. *collect.*192. Barbosa *cap.*26. *cit.*§.21. *num.*9. & *in cap. Nuncios de decim. num.*5. Molfes. *tract.*10. *cap.*4. *num.*23. & alij.

An verò hæc decima soluenda sit in cannis, an verò in Sacchiaro, postea confecto manu industriali ex ipsis cannis? Affirmant communiter Doctores, præcipuè citati, contra quamdam decisionem Mohedani, quòd solui debeat in Sacchiaro iam confecto. Quod verum puto, nisi alicubi obstet consuetudo contraria.

QVÆSTIO XXV.

An decimæ, ex fructibus, & prouentibus Molendinorum, Domorum, & Furnorum, soluendæ sint, absque deductione expensarum, quæ factæ sunt in reficiendis Molendinis, Domibus & Furnis?

NEgare videtur Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*163. loquendo de Molendinis, quia existimat, talem decimam esse personalem.

Sed absolutè Respondeo: Esse soluendas tales Decimas, non deductis priùs expensis in reparandis Molendinis, domibus, & furnis. Quia sic expresè decernitur, in cap. *Pastoralis de decimis.* his verbis. *Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus Decimæ persoluuntur, credimus deducendas expensas de prouentibus Decimandis: quia penes Dominum res permanent restaurata, vt si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur.* Sic textus, & sic ibi Glossa, & omnes Doctores. Legantur mox citandi, præcipuè Lessius, *dub.*3. *cit. num.*16. *vers. Secundò debent.*

QVÆSTIO XXVI.

An decimæ ex fructibus prædiorum; soluendæ sint absque aliqua impensarum deductione?

REspondeo: tanquam certum; soluendas esse, absque vlla impensarum deductione. Quia sic habetur expresè in iure, cap. *Non est. cap. Pastoralis*, cap. *Tua nobis.* cap. *Cum homines de decimis.* Et sic tenent omnes Doctores. Glossa, *in cap. cit.* vbi etiam alij Canonistæ. Legistæ etiam *in l. fructus. ff. soluto matr.* Ioan. Garcia *de expens. cap.*1. *num.*17. Rebuff. *tract. de decimis q.*11. *à num.*3. Tiraquel. *de tractu lignagier. gloss.*1. §.15. *à num.*10. Riccius *in collect. decis.*2392. *p.*6. Cenedo *ad decretal. collect.*66. Barbosa *lib.*3. *de iure Eccles. cap.*26. §.1. *num.*34. & *Collectan. in lib.*3. *decret. cap. cum, homines*, & *cap. Tua. ij. de decim.* & penes ipsum, vltra citatos, Abbas, Innocen. Collecta. Zabare, Butr. Ioan. Andr. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Henric. Ripa, Alagona, Franc. Marc. Camill. Bortel. Moneta, Menoch. Gam. Valasc. Perez, Zerola, & alij.

Tenent etiam ex Theologis S. Thom. 2.2. *q.*87. *art.*2. *ad.*4. & ibi, omnes eius expositores Raphaël de la Torre ibi, *art.*1. *disp.*6. Sotus *lib.*9. *de iust. art.*2. *vers. vtrum verò.* Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *cap.*35. Vasquez *tom. opusc. tract. de benef. cap.*1. *dub.*6. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*39. *dubit.*3. Nauarr. *cap.*21. *num.*31. Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*35. *quæst.*4. Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst.*3. *punct.*3. Syluius 2.2. *quæst.*87. *artic.*2. & ibi Aragon. Graff. *part.*2. *lib.*2. *cap.*27. *num.*13. Molfes. *tract.*6. *cap.*4. *num.*51. Bonac. *quæst.*5. *de præc. Eccles. punct.*3. *num.*17. Reginald. *lib.*29. *num.*101. Fagundez *de* 5. *præcept. Eccles. lib.*1. *cap.*4. *n.*6. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. *dub.*3. Castro Palao *tom.*2. *tract.*10. *disp. vnica punct.*8. Filliuc. *tract.*27. *part.*2. *cap.*10. *quæst.*8. & alij. Summistæ etiam v. decimæ. Vbi Syluest. *num.*15. Bassæus *num.*8. Iodocus. ver. Decima Villalob. *tract.*33. *diff.*2. & Rodriguez *in sum. c.*87. *num.*4. Estque expressus textus *in l.*13. cum quatuor sequent. *tit.*20. *part.*1. vbi Greg. Lopez. Et etiam Azebedo *in l.*2. *noua recopil. lib.*1. *tit.*5. *num.*15. Et omnes alij Doctores, ita vt, nec vnus (vt ait Tiraquel.) contradicat. Quia ita aperti sunt textus, quòd nullo modo cauillari possunt. Vnde meritò, & iure optimo vt semper S. Inquisitionis Tribunal, nescio, quem nouum Authorem oppositum asserentem prohibuit, eiusque doctrinam vt omnino falsam, & temerariam reiiciendam censuit.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem, ante decimationem tritici, hordei, & aliorum fructuum similium: detrahendum sit semen, quod terra mandatum fuit?

AFfirmarunt olim nonnulli, existimantes, quòd semen, & sumptus, qui fiunt in agricultura, essent primitùs deducendi, & de residuo, decima persoluenda. Horum machinationem refert Innoc. III. in cap. *Tua nobis*, per hæc verba: *Tua nobis fraternitas intimauit, quod quidam laici decimas Ecclesiis, & Clericis tuis, peruersis machinationibus subtrahere moliuntur. Quidam ex eis, & sumptus, qui fiunt in agricultura, dicunt primitus deducendos, & de residuo impendendam decimam asseuerabant.* Sic ibi textus. Potestque probari hæc pars, Quia semen quod iactum est terræ, iam fuit decimatum: ergo non debet vlterius decimari; alioqui bis decimabitur.

Sed, tanquam certum Respondeo: Nullo modo esse detrahendum priùs semen, & postea de residuo decimandum; sed decimandum esse, ante deductionem seminis. Quia sic expresè deciditur in cap. *Tua nobis, cit.* §. *verum si* & §. *Quoniam igitur.* vbi huius decisionis assignatur ratio; videlicet, quia soluuntur decimæ in recognitionem vniuersalis dominij Dei, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo; ergo, cùm eius dominium, excedat omnia alia dominia, & se extendat

tendat ad omnes terræ fructus; æquum est, vt ante omnia alia, soluantur decimæ in recognitionem dicti donanij. Sic omnes Doctores suprà cit, Præcipuè Sotus, per hæc verba: vtrum verò agricola ex aceruo ante decimationem, operas suas, & sumptus, aut saltem semina excipere possit, non video cur dubitetur, neque de hoc ratio permittit consuetudinem valere: adeo id certum est non licere, vt cauetur cap. *Non est*, & cap. *Tua nobis*, & cap. *Pastoralis*. Quoniam existimandum in præsentia est genus quoddam societatis inter hominē, & Deum: Homo enim, semina sua, laboresque, & sumptus ponit: exponitque Deo cousilijs periculo. Cùm ergo Deus sua benignitate cumulatam frugem conferat, satis est, si homo pro suo periculo, nouem retentis partibus, Decimam Deo reddat. Sic ille. Et benè, excepto eo quod ait. Consuetudinem videlicet contrariam adhuc non valere in hoc casu, de quo infrà. Legantur etiam Suarez, & Fagundez *loc. cit.* Nauarr. *cap. 21. num. 31. vers. Secundò peccat*, & Bertrand. *volum. 6. consil.* 188. *n.* 18. vbi ait, id esse omninò certum. Riccius *collect.* 2392. *cit.* Ita dicens: Vnde ex decimis soluēdis; nec semen, nec expēsæ, nec sumptus deduci debent, sed integræ soluendæ sunt, nulla sumptuum, aut expensarum ratione habita. Capycius *in decis. Neapol.* 23. Paponus *lib.* 1. *tit.* 11. *arresto* 12. Francis. March. *in decis. Delph.* 198. Puteus *decis.* 100. Viuian. *decis.* 4. Quod non sequitur in rebus non germinantibus, Puteus *d. decis.* 190. nec in decimis personalibus, in quibus deducuntur expensæ. Viuius *de decis.* 4. Huc vsque Riccius. Barbosa *in c. Tua. 2. de decimis, n.* 3. & penes ipsum, Armil. *ver. decima* §. 2. Moneta *de decimis, c.* 6. *n.* 30. & alij.

Ad rationem dubitandi, Respondendum est concedendo, quòd semen, quod iactum est terræ, sit iam decimatum, nec debeat vlterius decimari; sed negandum est hoc sequi, si semen quod mandatum est terræ, non extrahatur ex aceruo antè decimationem: quia semen illud non potest iterum decimari, cùm necesse sit, mori, & putrescere, vt fructum afferre possit. Vnde semen iactum, nullo modo extat, quia totus fructus, qui ex illo nascitur nouus est, & de nouo gignitur, estque nouum donum Dei, & ideo totum illum denuò decimari necesse est.

Qvæstio XXVIII.

An saltem, in casu, quo non plures fructus nascantur, quàm fuerit quantitas seminis, possit tunc licitè extrahi, ante decimationem fructuum, semen?

Affirmandum in hoc casu videtur. Quia iniustum videtur tunc decimam, ante deductionem seminis terræ iacti, imo, & aliarum expensarum, decimas exigere.

Sed, tanquam certum etiàm, Respondeo: Negatiuè. Quia decimæ soluuntur in recognitionem dominij, quod Deus habet super omnes fructus terræ, vt nuper diximus: at sic est, quòd Deus, tam plurium, quàm paucorum fructuum est Dominus: ergo semper cum eadem proportione de illis decimandum est. Sic sentiunt omnes Doctores. Legantur citati, præcipuè Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 35. *n.* 2. & 7. vbi alias rationes ad confirmandam hanc veritatem adducit. Fagundez *lib.* 1. *cit. cap.* 4. *num.* 8 Rebuff. *q. vltim. num.* 22. Moneta *cap.* 8. *num.* 62. & Barbosa §. 1. *cit. num.* 41. & in cap. *Tua de decim. n.* 8. Raphaël de la Torre, *disp.* 6. *citata num.* 6.

Ad rationem dubitandi dicendum est, nullo modo esse, iniustum in euentu rarissimorum fructuum, decimare absque deductione seminis terræ iacti, & aliarum expensarum; tum ob rationem à nobis assignatam: Tum etiam, quia vbertas aliorum annorum, dictam fructuum sterilitatem abundè compensat, vt constat, siquidem quando vberrimi fructus sunt, nouem etiam partes illorum agricolis manent.

Qvæstio XXIX.

An decima soluenda sint, priusquam ex fructibus deducantur tributa, & census, aut alia vlla debita?

Respondeo: Tanquam certum. Affirmatiuè. Quia sic decernitur in iure, cap. *Cum homines* cap. *Non est*, cap. *Tua nobis*, & expressiùs in cap. *Cum non sit de decimis*. vbi sic dicitur: *Statuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis, exactionem tributorum; & censuum, præcedat solutio decimarum; vel saltem hi ad quos census, vel tributa indecimata perueneriut (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de iure debentur*. Sic textus. Et sic omnes Raphaël de la Torre. 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *disp.* 7. Suarez *cap.* 35. *cit. à numero* 10. Lessius *lib.* 2. *de iust. capite* 39. *dub.* 3. *num.* 11. Pereira *de emp. cap.* 9. *num.* 7. Bonac. *de* 5. *præcept. Eccl. q.* 5. *n.* 17. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. capite* 3. *dub.* 3. *num.* 2. Barbosa *lib.* 3. *de iure Ecclesi. vniuerso. capite* 26. §. 1. *num.* 40. & in cap. *Tua, de decimis, numero* 6. vbi Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 13. *col.* 1. Sed malè, quia ibi Couarruuias nil ad rem præsentem dicit Molfesius *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 51. Palao *punct.* 8. *cit. num.* 1. & omnes.

Qvæstio XXX.

An colonus partiarius, seu mediarius, debeat soluere decimas, ante deductionem expensarum?

Respondeo affirmatiuè. Quia, vt ex dictis constat, semper decimæ prædiales soluendæ sunt, ex iure, ex integris fructibus: ergo sic colonus illas debet soluere. Et hoc est verum, siue (vt notat Suarez) priùs ex illis in vnum cumulum congestis, decimæ deducantur, & postea Dominus, & colonus fructus inter se diuidant iuxta conuentionem suam, qui ordo videtur optimus, & iuri consentaneus, quo facto neuter illorum tenebitur ad alteram decimationem pro parte sua: siue priùs inter se diuidant fructus, & postea vnusquisque pro sua parte decimam soluat: nam vtroque modo licitè fieri potest, vt supponitur in cap. *Tua nobis, de decimis*. Hæc tamen intelligenda sunt de proprio colono: nam si colonus est mercenarius, qui inseruit, in cultura agri pro aliqua parte fructuum, tunc decimandi sunt etiam fructus integri, & postea reddenda sua pars mercenario, pro quâ seruiuit, qui quidem tunc non tenebitur amplius decimam prædialem soluere; licèt benè decimam personalem, iuxta suprà dicta, nisi vigeat consuetudo in contrarium, cui standum est. Sic omninò Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 13. & latiùs *c.* 35. *n.* 13. Fagundez *lib.* 1. *cit. cap.* 4. *num.* 13. Abulens. *cap.* 23. *in Matth. q.* 204. Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 4. *art.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 35. (non 24. vt inuenies citatum apud Barbosam) *q.* 4. Moneta *de decimis cap.* 6. *à n.* 40. Menochi. Valasc. Surd. quos citat, & sequitur Barbosa *lib.* 3. *cit. cap.* 26 §. 1. *num.* 39. & in cap. *Tua 2. de decimis. num.* 4. & in cap. Quæsti sunt. 10. 1. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 10. *punct.* 8. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 3 *num.* 16. Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *disp.* 7. *num.* 5. & 6.

Qvæ

QVÆSTIO XXXI.

An possit consuetudine introduci, vt ante decimationem fructuum, deducatur semen terræ mandatum, & alia expensæ?

NEgat Sotus *lib.9. de iust. q.4. art.2.* vt vidimus suprà *quæst.*51. Et ante illum, Bertrandus *vol.6. consil.*188. *num.*6.7.8.15.17. *&* 18. *& vol.7. consil.*84. *num.*1. *&* 3. & penes ipsum: Innoc. & Hostiensis, & Henric. Boyc. docentes, id non posse subsistere, nisi casu, quo subsit priuilegium Papæ, aut compositio facta Superioris auctoritate.

Sed verissimè, Respondeo: Posse. Quia modus decimandi, sine deductione seminis, & aliarum expensarum, est introductus iure Ecclesiastico, vt suprà est habitum: ergo contra illud potest præualere consuetudo. Sic Aragon. 2.2. *q.*87. *art.*2. Suarez *cap.*35. *cit. num.*6. *in fine.* Rodriguez *in summ. cap.*87. *num.*4. Sic dicens: [No pueden los Señores de las eras, sacar antes que se diezmen los gastos, y el trabajo, y lo que se sembro: assi lo tiene Soto, añadiendo, que non valdra costumbre en contrario Emperò, Aragon quanto a esto tiene lo contrario con mucha razon; porque si la costumbre es vastante, para obligar a vno a pagar la vigesima parte, y para librar a otro de pagar la dezima, porque no sera bastante para hazer que el labrador pueda sacar la semilla, y los gastos, y trabajos ant.s que se diezme?] Sic ille, & benè Ortia etiã *in summ. cap.*20. *c.*11. Ita dicens: [El labrador puede sacar la semilla, y gastos, y trabajos, antes que diezme, si ay costumbre, aunque lo contrario tiene Soto *lib.9. q.4. art.2.*] Ita ille.

QVÆSTIO XXXII.

An sit licita consuetudo, in toto ferè orbe Christiano, introducta, qua agricolæ, eleemosynam ex cumulò tritico, ante decimationem elargiuntur?

REspondeo: Licitam, & laudabilem esse. Quia ab immemoriali est introducta, recepta, & tolerata à Prælatis Ecclesiarum. Sic Villalob. *tr.*33. *diff.*2. *num.*7. per hæc verba: [Mas aduiertase, que donde vbiere costumbre legitimamente introduzida, como la ay en muchas partes, de que los Religiosos pidan limosna por las heras, y se les de antes que se mida el mnelo, no ay obligation de diezmar aquello por la costumbre. La qual tiene fundamento, porque aquello es limosna, que lleua Dios en sus ministros; assi los que lo estoruassen pecarian mortalmente, con carga de restitui.] Sic ille. Cuius sententiam approbat Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.3. num.*2. his verbis. Et Villalob. 2. *part. tract.*33. *diff.*2. *num.*5. qui *num.*7. ait, non esse improbandam consuetudinem, quæ in aliquo loco reperitur, qua agricultores in suis areis ante decimationem ex cumulo tritici elargiuntur eleemosynam Religiosis, & peccare id impedientes, cum obligatione restituendi. Quod verum existimo, vbi legitima approbata fuerit. Huc vsque ille. Et meritò quidem hanc sententiam approbat, cùm nostris temporibus in fauorem Religionum illam io iudicio contradictorio, approbauerit Illustriss. Hispaniarum Nuncius. D. ac D. meus Iulius Rospiglosus. Cui resolutioni consonat sententia congregationis Concilij, apud Barbosam. Sic illam referentem: Dubitatum fuit in Sacra Congreg. Concilij in Bonooiens. sub 2. Iulij 1620. An Regulares possent recipere triticum, vuas, ligna, & similia, antequam Parochus receperit suas Primitias; Et respondit, non esse id prohibitum Regularibus. Sic refert ex Leaana *in summ. qq. regul. c.*12. *num.*4. Barbosa *lib.3. cit. cap.*25. *num.*7.

QVÆSTIO XXXIII.

An decimæ prædiales, soluendæ sint statim, ac collecti sunt fructus?

REspondeo: affirmatiuè. Quia sic expressè, habetur in cap. *cùm homines*, de decimis. ibi: *Mandamus, quatenus eos cogatis, vt decimam, statim fructibus collectis, persoluant, atque de subtractis, & retentis dignam satisfactionem exhibere procurent.* Sic textus: ergo ex iure, decimæ prædiales, statim cùm collecti sunt fructibus, solui debeot. Sic D. Thom. 2.2. *qu* 87. *art.*2. Rebuff. *de decim. quæst.*12. *num.*1. *&* 3. Campan. Guid. Pap. Ricc. Moneta, & alij Canonistæ, quos refert, & sequitur Barbosa *lib.3. de iure Eccles. cap.*26. §.2. *num.*21. & in cap. *Cùm homines, de decim. num.*3. & in cap. *Non est. Eod. tit. numer.*10. Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.*37. (non 38. vt inuenies citatum apud Fagundez) *num.*5. & penes illum Glossa, Alens. & Panormitan. Fagundez *de 5. præcep. lib.1. cap.4. n.*11. Layman. *lib.4. tract.6. cap.5. num.*1. Palao *tom.2. tr.*10. *disp. vnica, punct.*8. *numer.*4. Trullench *lib.3. in Decal. cap.3. dub.4. num.*1. Molfes. *tract.6. cap.4. numer.*52. Raphaël de la Torre 2.2. *qu.*87. *art.*2. *disput.*7. *num.*7. Aaor *tom.1. lib.7. cap.* 35. (non 24. vt offendes apud Barbosam) *qu.*16. & alij communiter. Notanter dixi, *ex iure*, esse decimandos fructus, statim ac suot collecti; quia præualere potest consuetudo, vt decimæ prædiales non soluantur, statim, sed certo tempore, vt priùs notauit Moneta *de decim. cap.6. q.2. nu.*15. vt refert Barbosa, *loc. cit.*

QVÆSTIO XXXIV.

An sufficiat decimare fructus statim ac sunt percepti, etiamsi nondum sint perfectè collecti?

NEgandum videtur ex cap. *Cum homines, cit.* cùm expressè ibi dicatur, quòd detur decima fructuum iam collectorum, & ideò ita videtur seotire Graff. *lib.2. cit. c.*27. *n.*12. docens, frumentum esse decimandum, quando separatum est à paleis, iuxta Panormitan. in cap. *Peruenit. de decim.*

Sed Respondeo: Sufficere decimam dare fructuum, statim ac sunt percepti; quamuis noo sint perfectè collecti. Quia sic tenet consuetudo io multis Prouinciis. Et sic habetur *in l. si eius, ff. De rei vendic.* vbi dicitur: *Perceptionem fructus accipere debemus, non si perfectè collecti, sed etiam cœpti, ita percipi, vt terra continere fructus desierit; veluti, si oliua, vel quæ sectæ fuerint, & nondum ab aliquo vinum, vel oleum factum sit, statim ipse fructum accepisse existimandus sit.* Sic ibi. Et sic Aaor, Palao, & Raphaël, *loc. cit.* Rebuff. *q.*12. *n.*2. & Moneta *c.6 q.2. n.*2. quatenus docent sufficere, quòd fructus sint collecti, licèt graoum sit cum palea. Legatur Barbosa *loc. cit.*

QVÆSTIO XXXV.

An peccent mortaliter, qui consuetas decimas, tardiùs quàm par est, persoluunt?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia sic colligitur ex cap. *Cum homines.* citato. Et sic tenet Glossa ibi *ver. Fructibus collectis.* id est, inquiens, quàm citiùs, & competentiùs solui possuot: quia tardiùs dare,

pecca

peccatum est. 16. *quæst.* 1. *decimæ.* & qui non facit statim, in mora intelligitur: Vnde periculum decimarum ad ipsum spectat. *ff. de leg.* 1. *cum res.* §. *vltim.* &c. Sic Glossa. Quæ, quamuis non dicat, esse mortale, sic intelligenda est, vt resoluunt Marches. *de commission. part.* 1. *cap.* 15. *num.* 17. Campan. *de rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 255. Quos citat, & sequitur Barbosa *lib.* 3. *de iure Eccles. vniu. cap.* 16. §. 2. *num.* 22. & in cap. *Cum homines, de decimis, num.* 4. Et innuit Nauarr. *in man. cap.* 21. *n.* 31. *vers. Tertiò peccat.* Legatur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 37.

QVÆSTIO XXXVI.

An etiam peccet mortaliter, qui ex tritico, vino, & aliis fructibus, decimat partem peiorem?

RESpondeo: Tanquam certum; Peccare mortaliter peccato iniustitiæ, & sacrilegij; si id faciat in quantitate notabili. Sic Fagundez *de* 5. *præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. per hæc verba: Inter latrones, & fraudatores decimarum, numerantur illi, qui tempore messis meliores manipulos sibi eligunt, deteriora Parochis: sicut enim non tenentur deligere, meliora, sic nec deteriora, sed tenentur bona fide facere prout res se se offerunt. vt notant Lessius *tom.* 1. *de inst. lib.* 2. *cap.* 39. *de decim. dub.* 3. *num.* 16. & Syluest. *v. Decima num.* 15. §. 3. Ex quo planè sequitur, peccare eos mortaliter, si quantitas notabilis fuerit, & ad mortale attingat, & teneri ad restitutionem, qui prædictos meliores manipulos sibi seligunt, & qui ex deteriori vino decimas soluunt, sibi pretiosius eligendo, & quod diximus de his duabus, de cæteris rebus intelligendum est. Sic ille. Et ante illum, Nauarrus *cap.* 21. *num.* 31. *vers. Secundò peccat.* docens, peccare mortaliter, qui decimat partem peiorem; quia licèt non debeatur optima, debetur tamen, inquit, mediocris. Sic Nauarrus, & penes ipsum, Maior. Sic etiam Bonac. *disp. vltim. de* 5. *Eccles. præcep. q.* 3. *punct.* 3. *num.* 16. Palao *tom.* 2. *tr.* 10. *disp. vnic. punct.* 8. *num.* 2. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 3. *n.* 1. & Abulens. optimè, *in cap.* 23. *Matth. quæst.* 207. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. *disp.* 3. *num.* 2. Addens, quòd in casu, quòd adsit bona fides decimantium, nec intendentium lucrari dando peiora, sed vt obuia fiunt selecta, peiora dantur pro decimis non est cur sollicitus plus nimio sit exactor decimarum. Sic ille. Addo tamen ego ex D. Gregorio relato 16. *quæst.* 7. *Can. Quicumque.* Quòd tunc decimans, postquam recognouit in se, quod fideliter non dedit decimas suas, debet emendare quod minus fecit.

QVÆSTIO XXXVII.

An teneatur quis soluere decimas, quoad vsque à Parocho petantur?

NEgant teneri illas soluere, donec petantur à Parocho, Archidiac. *in cap.* 1. *de decimis in* 6. Rota *in antiquis* 23. Felinus *in capit. Si autem, de rescrip.* Bald. *de præscrip.* 5. *p. q.* 7. *n.* 12. Adrianus *quod l.* 5. *artic.* 2. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 1. *ordinam. col.* 202. Guido Papæ *decis.* 283. & Parisi. *consil.* 13. *num.* 26. Inde addens, quòd si tempore collectionis fructuum, decimæ non petantur à Parocho postea peti non possint. Quòd addinim etiam admittit Faber. *lib.* 1. *tit.* 2. *def.* 66. dicens ob tacitam petitionem, esse decimas tacitè remissas. Imò, & Riccius (posteà sibi contrarius) 1. *part. collect.* 162. *vers. Et si decima* Sed hanc iure verum est nec ab aliis huius sententiæ Authoribus concessum, vt notat Couarruuias, 1. *lib. variar. cap.* 17. *num.* 8. *vers. octauò, ex his.* Citantur etiam pro hac parte D. Anton. 2. *part. tit.* 4. *capit.* 3. §. *vltim.* & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *ad* 5. Quia dicit, non peccare, qui absque obstinatione animi differt soluere decimas, quia non petuntur, paratus reddere si petantur. Tenet etiam expressè hanc sententiam Graffius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 15. Qui etiam citat pro se vltra D. Thomam, & Archidiaconum, Francum, Turrecrematam, & Henric. Quia, inquit, cùm sit præceptum affirmatiuum, & non negatiuum, licèt obliget, non tamen ad semper, sed pro loco, & tempore, id est, cùm necessitas est, & petuntur à ministris. Si verò non est necessitas, nec petantur aliquibus rationalibus de causis, tunc non soluentes non peccant: Ita Graffius.

4 Sed, tanquam certum Respondeo: Teneri quem ex vi iuris communis, soluere sub mortali decimas, etiamsi à Parocho non petantur. *Primò.* Quia sic colligitur ex cap. *Cum homines, de decimis*: vt bene ibi Glossa adducta suprà. *Secundò.* Quia vnusquisque tenetur reddere alteri quod suum est, etiam illo non petente; sed decimæ sunt Ecclesiæ siue Parochi: ergo. Minor probatur; nam dies ipse, siue tempus solutionis pro creditore interpellat. Sic Couarru. *loc. cit.* & penes illum, Abbas, & alij Doctores. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *capit.* 37. *num.* 1. & 2. vbi pro hac parte refert Rotam, & Felinum, quos pro contraria citat Couarruuias, & nos, ex illo, citauimus. Gutierrez *lib.* 2. *Can. qq. cap.* 20. *num.* 43. apud Suarium, & *cap.* 21. *num.* 44. apud Barbosam, Rebuff. *tract. de decimis, q.* 12. *num.* 7. Riccius *part.* 6. *collectan. decis.* 2392. vbi ait; sic tandem tenere Rotam in dicta *decis.* 25. citata pro parte contraria Layman *lib.* 4. *tract.* 6. (non 3. vt inuenies apud Barbosam) *numero* 1. Qui, id, ex illo *exod.* 22. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*; confirmat. Barbosa *l.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 2. *num.* 23. & cap. *Cum homines, de decimis, n.* 8. Trullench *cap.* 3. *cit. dub.* 4. *n.* 4. *in fine & num.* 2. Palao *punct.* 8. *cit. num.* 4. Qui innuit contrarium esse probabile. Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *disp.* 8. *num.* 3. & penes illum, Greg. Lopez *in l.* 2. *tit.* 20. *part.* 1. *in Glossa. De las tierras.* Azebedo *in l.* 4. *tit.* 5. *num.* 2. *lib.* 1. *nouæ collectionis regalis.* Anton. de Padilla *in l. Post mortem n.* 18. & 19. *C. de fideicommisso*, Vincentius, & Anton. de Butrio in cap. *Ex parte de decimis.*

Nec D. Thom. est contra hanc nostram sententiam; nam (vt bene aduertit Suarez) loquitur de locis, vbi per consuetudinem, vel per remissionem Ecclesiæ, abrogatæ sunt decimæ, & ibi ait S. Doctor, non peccare qui non soluunt; quamuis velit esse paratos ad soluendum si petantur.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Parochiani teneantur ex vi iuris communis, decimas tritici, hordei, & aliorum fructuum, in horrea Clericorum deferre?

AFfirmant Glossa cap. *Reuertimini.* 16. *q.* 1. *verb. In horrea, & q.* 7. *cap. decimas in ver. in horreum,* vbi etiam Archidiacon. & Turrecremata. Lancellotus *in l. Cuius, de ann. legat.* Alex. *in l. linam margaritarum, ff. ad l. Falcidiam.* Vincent. de Franch. *decis.* 124. *num.* 1. *fol.* 72. Abbas, *in cap. Peruenit, de decimis, num.* 3. Armilla, *verb. Decima,* §. 2. Graff. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 12. & penes illum, Turrecremata, Gregor. Lopez, *loc. cit.* Perez, etiam, & Azebedo, *in l.* 4. *nouæ Recopil. tit.* 5. Riccius, *in collectan. decis. part.* 6. 2391. & 2392. & tenet ex parte, Couarru.

lib. 1.

lib.1.variar.cap.17. num.8.vers.Octauò, quatenus docet, id esse verum, casu, quo horrea sint publicè deputata, ad quæ decimæ deferantur, vel si non sint publica, leui sumptu, & labore ad horrea Clericorum, vel ad eorum domus possint deferri, non verò aliàs. Vnde malè citatur hic Author à Laymanio pro contraria opinione. Tenent etiam hanc partem Raphaël de la Torre *loc.cit. num.4.* & penes ipsum, Gutierrez, alij Doctores, quos citat, nec reprobat, Molfesios, *tract.6.cap.4. num.50.*

Sed probabiliùs, Respondeo: Nullo modo teneri Parochianos, ex vi iuris communis, ad deferendas debitas decimas, suis sumptibus, etiam leuibus, in horrea Clericorum; etiamsi sint publica. Quia ad id nec vllo iure, nec pacto, obligantur: ergo ex vi iuris, non tenentur Parochiani fructus, aut eorum decimas, ad horrea Clericorum, suis sumptibus deferre. Dixi, *ex vi iuris communis*, quia, si alicubi vigeat consuetudo, vt in Nauarræ Regno, & alibi viget (quidquid sine vllo fundamento, neget Barbosa) vt laici teneantur deferre decimas ad horrea Clericorum, tunc ea omnino seruanda est, vt in hoc optimè cum omnibus, Couarru. *loc.cit.* & habetur expressa lex 4. *noua Recopil. lib. 1. tit.5.* Sic Guido Papæ. *dec.* 283. Adrian. *quodlib.5. art. 1.§.2.* Barbosa, *lib.3. cit. §.2.n.24. & in cap. Reuertimini* 16. *q.1.* Suarez, *lib.1. cit.cap.37.* (non 27. vt inuenies apud Trullench) *n.7. &* 8 & penes ipsum, Rota, *decis.25.* Layman, *lib.4. tract. 6. cap. 5. num.2.* Fagundez, *de 5. precep. lib.1. cap.4.num.12.* & penes ipsum, Rebuff. *de decimis, q.6. num.1.* quatenus affirmat, decimas prædiales soluendas esse in locis, in quibus prædia sita sunt, iuxta *cap. final. de parochiis*, nisi consuetudo percrebuerit in contrarium. Reginald. *lib. 19. num. 99.* Trullench, *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.4. num.2.* & tandem Abulens. *cap. 23. in Matth. qu.206.* Sic quæstionem hanc resoluit optimè: quòd cùm de his nihil determinatum iura statuerint, standum est cõsuetudinibus singularum Ecclesiarum; quia consuetudò in his est lex; cùm non habeatur lex scripta; & ideò siue in agro relinquantur fructus collecti, siue ad domum portari debeant, totum stat in consuetudine regionis. Sic ille & sic tandem resoluunt Paludan. de Cast. *in d.l.lineam.* Hostiens. *in summa de decim. §. fin.q 16.* Vincen. de Franch. *decis. cit. num.3.* & Palao, *tom.2. tract.10. punct.8.num.5.* Addens, sufficere dictæ consuetudini ad stabiliendam legem, quòd decem annis viguerit, eo quòd sit de re, quæ iure non est prohibita. Quod etiam affirmant Lessius, *lib.2. cap. 6. dub. 14. nu.46.* & Suarez, *loc.cit.* & alij.

QVÆSTIO XXXIX.

An Parochiani possint mittere in sua horrea, fructus indecimatos, sine scientia, & consensu Parochorum?

RESpondeo: Non posse ex vi iuris. Quia ex reg. 29. *iuris in 6. Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari*: Sed sic est; quòd delatio fructuum indecimatorum in horrea, tangit etiam Parochos, ad quos decima pertinet: ergo Parochiani non possunt mittere, aut deferre in horrea sua fructus indecimatos, quin priùs Parochos moneant, vt ipsi, vel procuratores eorum, fructuum collectioni, & decimationi assistant; ne vlla fraus in præiudicium illorum committi possit. Si verò Parochi admoniti, & certiores facti, nolint aut negligentes sint, tempore debito accedere ad accipiendum sibi debitas decimas, non tenetur dominus fructuum in area, aut agro expectare: sed potest omnes fructus, ne aliàs amittantur, vel corrumpantur, recondere, excepta decima, si consuetudo est, eam relinquendi in agro. Sic habetur expressè, *in l.2.tit.5. lib. Ordinat.* ibi: [Y por escusar los engaños que podia auer en el diezmar, defendemos firmemente, que de aqui adelante, ninguno sea osado de medir, ni coger su monton de pan, que tuuiere en limpio en la era, sin que primero, tañida la campana tres vezes, para que vengan los terceros, o aquel que debe recaudar los diezmos, &c. *Et paulò infra.* Y si el dicho diezmero, ô arrendador fuere requerido, por el dicho labrador, ô Vicario, y no fuere a ver medir el dicho pan, que el dicho labrador mida su pan delante de tales personas que sean de creer, y por su juramento bagan verdad al dicho arrendador, del pan que se midiere de aquel monton, de que el dicho arrendador; ô diezmero fuere requerido, que fuesse à ver medir el dicho pan. &c.] Sic lex Regia facta à Regibus, D. Alphonso, D. Ioanne Primo, & confirmata, DD. Fernando, & Elisabeta anno 1501.

Et ideo ita docent Rebuff. *de decim. qu.13.num.50.* Vincent. de Franch. *decis.117. num.1. & 2.* & penes ipsum, Specul. Paris. Velasc. & alij. Suarez *cap.37. cit.numer.8.* Couarru. *lib.1. var. cap.17. numer.8.* Gutierr. *lib.2. canon.qq. cap.21. numer.44.* Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26.§.2. numer.21.* Fagundez, *lib.1. de 5.prac. Eccles. cap 6. numero 9.* Layman, *cap.5. cit. num.2. vers. Insuper.* Reginal. *lib.19. numer.99. & 100.* Palao, *tom.2. tract.10. disp. vnic.punct.8.num.5.* Molfesius, *tract. 6. cap.4. numer.50.* Raphael de la Torre, *2.2. quæst.87. artic.2. disputat.8. numer.5.* Trullench, *dub.4. cit. num.3.* & alij.

Notanter dixi, *ex vi iuris*, quia, vt bene Couarru. *loc.cit.vers. Octauò*, consuetudine potest (imo & potuit iam) obtinere contrarium; scilicet, vt laici liberè colligant frumentum, cæterosque fructus; & eos in propria horrea, sine testibus condant, hisque ita conditis, decimas integrè Ministris spiritualium reddant: quod in specie latè probat Aymon Sauilla, *cons.21.* & docet Raphaël de la Torre, *2.2. quæst.87. art.2. disp.8. num.6.* Sic dicens: Item consuetudine introductum est in multis locis, vt laïci liberè colligant frumentum, ac cæteras fruges, & eas in propria horrea, sine testibus condant, & postea decimas ministris sacris reddant: cui consuetudini standum est. Sic ille.

QVÆSTIO XL.

An possit Parochus, ad excludendas fraudes, apponere custodes; aut prohibere, ne fructus ex area, aut agro recondantur, nisi soluta priùs decima; vel quod ipse, aut eius nuntius, sit præsens?

AFfirmant Barbosa, *lib.3. de iure Ecclesiastico vniuerso, cap.26.§.1.num.42. & in cap. Tua. II. de decim.num.7.* citans pro hac sua opinione Couarr. *d.cap.27. num.8.* Valasc. *q.30.num.15. col.2.* Perez, *lib.2.tit.5. lib.1. Ordin.pag.132.* Hieron. de Laurent. Auenion. *decis.54. in fine.* Suarium, *d. lib.1. cap.37. num.7.* Rebuff. *q. 5. num.23.* Cenedum, *collect.66. num.3.* Camil. Borrel. *in summ. omnium decis. tom.1. tit.19. num.8.* & Moneta, *quæst.6. num.4.* Adde, & tu Riccium, *1. part. collect. decis. collectan.* 191. *pag. mihi* 54. & penes ipsum Franch. *in decis.127.* & Ann. *in allegat.94.* & alios statim citandos.

Sed certè ex his Authoribus, quos pro hac parte citat Barbosa, saltem Suarez, & Couarr. solùm affirmant, quòd nos cum communi, quæst. proximè antecedenti,

cedenti, docuimus; nempe, quòd non possint laici frumentum, aliósve fructus, in propria horrea condere; nisi priùs Clerici certiores fiant, vel eorum procuratores assistant, & sint præsentes fructuum collectioni, istasque eorum decimas percipiant, ne fraus vlla à laïcis fieri possit in solutione decimarum. Id, inquam, solùm docent, & non amplius, vt intendit Barbosa. Cenedo etiam, tantùm dicit, quòd de hac quæstione consulantur Vincen. Franch. Guido Papæ, Tiraquel. Perez; Couarru. & alij. Posset tamen citari pro hac parte Graffius, *part. 2. lib. 2. cap. 27. num. 12.* Vbi sic ait: Potest etiam is, cui debetur decima, petere interdici Domino prædij, ne fructus colligat, nisi eo, vel eius nuntio præsente, *C. Quando, & Quibus 4. part. l. 2. lib. 19. &c.* & ratio est, quia habet partem in fructibus, & ex consequenti in fundo, nam fructus sunt pars fundi, *l. fructus, ff. de rei vendic.* Ita tenent Dom. Cardin. Zabarel. *consil. suo* 146. Huc vsque Graff. & post ipsum, Speculator relatus per Glossatorem Salmantium, & Azeuedo, *in lib. 2. Recopil. tit. 5. lib. 1. num.* 16. & alij.

Sed iuxta nuper à nobis dicta, Respondeo dicendum: Optimè posse Curatum, siue Parochum, ex vi iuris communis non consuetudinis, Custodes apponere, vt sint præsentes collectioni, & decimationi fructuum, vt sic nulla fraus, in ipsorum præiudicium, committi possit in decimis. Non verò posse, prohibere suos Parochianos, ne fructus, vllo modo ex area, aut agro recondant, nisi in præsentia ipsiusmet Parochi, aut eius procuratoris, præcipuè vbi viget consuetudo immemorabilis, vt viget in toto Regno Castellæ, Legionis, Nauarræ, & Aragoniæ, colligendi frumentum, & alios fructus, eosque recondendi in propria horrea, sine præsentia Parochi, vel aliorum testium.

Prima pars, huius responsionis constat ex dictis quæst. antecedenti, & omnes Doctores communiter, præcipuè citati ibi, illam docent.

Secunda verò, probatur. *Primò.* Quia ex dicta prohibitione, plura absque dubio, sequerentur incommoda, & damnatam agricolis, quàm fructibus collectis; aut colligendis; siquidem manerent expositi grandini, pluuiis, aut magnis colluuionibus: ergo cum tanto incommodo, & periculo tam manifesto, non esset licita talis prohibitio.

Secundò. Quia contra consuetudinem vniuersalem præscriptam, & acceptatam, nullo modo potest præualere particulare ius, lex, mandatum, aut prohibitio: at sic est, quòd in toto ferè Orbe Christiano, extat, & viget consuetudo colligendi, & recondendi fructus, eosque decimandi, sine præsentia Curati, vel Parochi, aut eius procuratoris: ergo contra hanc vniuersalem, & præscriptam consuetudinem, non potest præualere prohibitio Parochi.

Tertiò. Quia Parochiani agricolæ, verum habent dominium plenum proprietatis omnium fructuum suorum, excepta decima eorum parte, cuius Ecclesia dominium habet, vt suprà est habitum: ergo, sicut Ecclesia de hac parte, veluti de propria, potest disponere, sine consensu Parochianorum, postquàm illam in se recepit; ita eodem modo, imò, & fortiori iure, poterunt Parochiani disponere, sicuti de re propria, & possessâ, de nouem aliis fructuum partibus, sine consensu Parochi.

Quartò. Quia Parochi nullo modo possunt præcipere suis Parochianis, quòd deciment de illis rebus; de quibus etiamsi deberent, secundùm ius, ab immemorabili consuetudine non sunt soliti decimare; vt constat, *ex lib. 6. noua Recopil. lib. 1. tit. 5.* Vbi Azeuedo, *num.* 1. Sic ait: Et ideò nouitas in decimis petendis, & percipiendis permitti non debet, sed præteritam consuetudinem seruandam asserebat Glossa, *in cap. 1. de decimis, lib. 6.* & probat Bal. & eius apostilla, *in lib. 3. C. de seruit. & aqua.* Probantque plures Doctores allegati per Aurnd. in nostri text. propositum *in cap. 1. pratorum, num. 52. vers. Item ista iurisdictio, lib. 1.* Ob idque inquit ipse ibidem, quòd si nouitas fiat in decimis iis percipiendis, potest tunc implorari iurisdictio Regia contra Ecclesiasticos in hoc procedentes, & super eo cognoscentes per viam querelæ, & defensionis, ne nouitas talis fiat, &c. Ita ille, Erantea Riccius, 1. *part. collect.* 192. & apud illum, alij. Nunc ego: ergo multò minùs, præcipere poterunt quòd deciment, nouo ac diuerso modo, quo ab immemorabili soliti sunt decimare: at sic est, quòd ab immemorabili consuetudine, semper laïci collegerunt, & colligunt frumentum, & alios fructus, eosque in proprias domos, & horrea sine præsentia Parochi, aut eius procuratoris; portant, & condunt, & postea de illis integrè decimas Parochis elargiuntur: ergo hanc consuetudinem Parochi immutare non valebunt.

Consunat, & satis, huic nostræ responsioni lex Regia; 5. videlicet *lib. 1. ordinatio. tit. 5.* cuius tenor sic se habet: [Otrosi mandamos, que no se haga pesquisa contra los malos diezmeros, que huuieren de diezmar sus frutos, a pedimiento de los arrendadores, porque nunca se hizo, ni vsò, saluo contra los terceros, si algunas cosas encubrieren de lo que recibieron, ù deuieron recibir de los dichos diezmeros.] Ita lex Regia facta à D. Rege D. Alphonso, Compluti, anno Domini 1348. Sed cur Compluti? Forsan, quia ibi tunc necessaria propter molestias quas exigentes Decimas, sicut, & nunc, soluentibus afferebant.

Quod si hîc inquiras, qualis fuerit ratio decidendæ huius legis? Respondent aliqui, hanc fuisse; nempe; quia nullus immemor animæ suæ præsumitur? neque, quòd ex debitis Deo aliquid subtrahet, aut occultabit. Ita Glossator Salmantinus. Alij respondent, non hanc fuisse rationem, sed sequentem, videlicet, quia cùm ex *lib. 2.* decimas debentes soluere, non possint fructus colligere in absentia collectarij, ipseque collectarius ibidem per se, vel ministros suos possit interesse, mirum non est, quòd decimis solutis, non fiat inquisitio contra decimatores: collectarius verò ipsemet colligit, sine requisitione alterius, & ideò contra eum est inquisitio facienda, quia tempore collectionis non fuit facta, nec fieri potuit. Sic Azeuedo, *in d. l. 5. pag.* 98.

Sed ego nullam ex præassignatis fuisse dicti textus decidendi causam, sed aliam, nimirum, quia de tali inquisitione facienda nullus fuit vsus, colligo clarè ex ipsiusmet verbis legis, hanc tribuentis causam, dicendo: *Porque nunca se hizo, ni vsò.* Hæc dicta sufficiant circa decimas prædiales; nunc transitum ad decimas mixtas faciamus, & inquiramus de illis, de quibus rebus soluendæ sint.

Sit ergo.

* R. P. Leand. in V. Præcept. Eccles.

DISPVTATIO V.

De Decimis mixtis, & de quibus rebus soluenda sint.

QVÆSTIO I.

An de fœtibus Ouium, & Boum, & Caprarum, soluenda sit, ex iure, decima?

NEGAT, loqueodo de fœtibus boum duntaxat, Alphonsus Narbona, *in 3. part. noua Recopil. lib.6. tit. 10. l.9. Glossa 7. num.11.* Vbi ex Fabio Anna, Rebuffo, Franchis, & aliis docet, oullo modo deberi decimas de vitulis suggentibus lac.

Sed, Respondeo: Tanquam certum; Esse ex iure soluendam. *Primò.* Quia de his dabatur decima in veteri testamento, vt coostat ex *c.27. Leuit.* vbi sic habetur: *Boues, & oues, & capra, qua sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino*: ergo de eisdem rebus, nunc in lege noua debet dari decima; patet ex cap. *In aliquibus de decimis*: ibi enim dicitur, quod de illis rebus necessariò decimæ reddi debent, quæ diuina lege dicuntur deberi.

Secundò. Quia id expressè habetur in cap. *Non est, de decimis*, ibi: *De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, &c.* & cap. *Omnes 16.q.7.* Vbi oues, & boues, & capræ in particulari nominantur, his verbis: *Omnes decima terra, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt & illi sanctificantur boues, & oues, & capra, qua sub pastoris virga transeunt: quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* Sic ibi: *Et in l.2. part.1. tit.20.* Ita habetur: [E otrosi de las yeguas è de las vacas, è de las ouejas, è de todus los otros granados de qualquier natura que sean. Ca debem diezmar los fijos, quouieren de todos estos ganados, è los esquilmos que lleuaren dellos: assi como queso, è lana.] Sic lex, ergo ex iure, planum est, quòd de fœtibus ouium, boum, & caprarum soluenda sit decima. Sic tenent omnes DD. Canonistæ, *in cap. cit.* Theologi cum D. Thom. *2. 2. q.87. art. 1.* Legantur Abulens. *in cap. 23. Matth. q. 152.* Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. cap.34. num.4.* Azor, *tom.1. lib.7. c.35. q.9* Fagundez, *de 5. Eccles. prac. lib.1. c.5.* Barbosa *de iure Eccles. vniuerso, cap. 26. §. 1. à num. 10.* Castro Palao, *tom. 2. tract. 10. punct. 8.* & alij infrà citandi.

QVÆSTIO II.

An etiam de pullis Camelorum, Equorum, & Asinorum; sit, ex iure, danda decima?

NEgandum videtur. Quia nec in lege veteri: nec in iure, fit mentio nisi de fœtibus ouium, boum, & caprarum: ergo solùm de illis debetur decima: ergo non de pullis, seu fœtibus Camelorum, &c.

Sed tanquam certum Respoodeo: Dandam etiam esse, de istis, & omnibus aliis animalibus mansuetis, quæ sub custodia manent humana. Quia eadem ratio est de omnibus, ac proinde idem ius. Et quamuis in scriptura non fiat expressa mentio, nisi de ouibus, bobus, & capris, quæ sub virga pastoris transeunt, intelligitur tamen etiam de omnibus aliis animalibus mansuetis, cùm etiam de his omnibus daretur decima. Et certè in cap. *Non est de decimis*, absolutè præcipitur, dari decimas de pecoribus. Et ita docent omnes Doctores, præcipuè Abulens. Suarez, Fagundez, Azor, *loc. cit.*

QVÆSTIO III.

An item, de fœtibus porcorum, ex iure debeatur decima?

NEgandum videtur. Quia in lege veteri non dabatur decima de porcis; eo quòd nō licebat Iudæis manducare de eis, *Leuitic. 11. & Deuter. 14.* ergo neque in lege noua debet de illis decimari; cùm præceptum Ecclesiæ de decimis, datum sit ad instar præcepti diuini legis antiquæ.

Sed certissimè, Respondeo dicendum, quòd verè ex iure debeatur de porcis decima, sicut debetur de ouibus, & bobus, &c. Quia sic colligitur ex cap. *Non est. cit.* Nec obest, quòd in lege veteri non soluebatur decima de porcis; quia ideò fuit, quoniam cùm non liceret Iudæis de illis manducare, non tenebant eos in terra, nisi rarò, & propterea de eis decima non dabatur. Nos verò de porcis iure debemus dare decimas, quia de illis manducamus, & ideò illos alimus, tenemusque in terra. Sic omnino, Abulens. *in cap. 23. Matth. q. 152.*

QVÆSTIO IV.

An de lana pecorum danda sit ex iure decima?

REspondeo, tanquam certum: Quòd sic. Tum, quia de lana dabatur in lege antiqua, decima; vt constat ex illo Deutero. 18. *Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione*: ergo, & in noua. Tum etiam, quia sic expressè præcipitur in iure, capite *Peruenit. de decimis*, ibi: *Vt de prouentibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lana, decimas, Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persoluant.* Sic textus. Et sic omnes Doctores. Stephanus Bertrandus, *tom. 3. part. 2. consil. 247. num. 2.* Innoc. Ioan. Andreas, & Hostiens. apud ipsum Abulens. *in cap. 23. Matth. q. 153.* Sarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 34. n. 4.* Fagundez *de 5. prac. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Barbosa, *l. 3. de iure Eccles. cap. 26. §. 1. num. 12. & in cap. Peruenit, de decim. num. 6.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 2. num. 1.* Palao, *punct. 8. cit. n. 4.* Filliuc. *tract. 27. cap. 10. num. 227.* Bassæus, *v. Decima, num. 2.* Villalob. *tract. 33. diff. 2. n. 2.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 35. quæst. 9.* Graff. *cap. 27. cit. num. 36. & 39.* Molfesius *tract. 6. c. 4. in Summario num. 8.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. qu. 8-. art. 2. num. 3.*

QVÆSTIO V.

An de lacte, & caseo, ex iure, sit danda Decima?

REspondeo certissimè: Esse dandam *Primò*. Quia ex iure, de pecoribus datur decima, vt suprà est habitum: ergo de eorum fructu debet dari: sed sic est, quod fructus pecorum est lac, & caseus, vt habetur, *ff. de vsuris l. in pecudum, & instit. de rerum diuis. §. in pecudum*: ergo etiam de his dabitur decima. *Secundò.* Quia ideo de lana ex iure datur decima, quia est fructus pecudum, vt habet Glossa, in cap. *Peruenit. cit. ver. Lana.* Sed sic est, quòd etiam lac, & caseus, est fructus pecudum, vt est ostensum: ergo de his etiam, ex iuris rigore, est danda; quia vbi eadem est ratio, ibi est idem ius cap. *translato de constitutio.* Sic omnes, Abuleos. *cap. 23. cit. q. 164.* Suarez.

Fagundez, Barbosa, Filliuc. Trullench, Bassæus, Azor, Molfesius, Palao, & Graff. *loc. cit.* Rebuff. *tractat. de decim. quæst. 6. num. 28.* Et alij. Idemque dicendum est de butyro, quod fit de lacte, quia eadem est ratio de butyro, & caseo; cùm vtrumque ex lacte fiat. Legantur Abulens. *q. 165.* & Fagundez, *loc. cit. n. 4.* Raphael de la Torre, *loco citato.*

QVÆSTIO VI.

An ex iure, sit danda decima de adipe, vel sepo; vnde candelæ fiunt?

AFfirmare videtur Villaloh. *tractat. 33. diff. 2. n. 2. cit.*

Sed verissimè, Respondeo: Negatiuè. Quia adeps, vel sepum, non est fructus animalis, sed pars substantiæ eius, & non potest accipi, nisi de animali occiso liquefacta parte corporis eius: sed animal iam fuit decimatum: ergo non debet rursus decimari. Sic Bassæus, *loc. cit.* Molfesius, *in summ. tractat. 6. cap. 4. num. 35.* Abulens. *q. 165. cit.* Qui idem affirmat, & benè, loquendo de butyro, quando, non de lacte, sed de pinguedine animalium, porcorum, scilicet, aut anserum, fit.

QVÆSTIO VII.

An ex iure, etiam ex animalibus domesticis; vt ex gallinis, aut anseribus; pulli, & oua, debeantur decimæ?

REspondeo deberi. Quia hæc omnia, sub minutis decimis, quas soluendas esse expressè significat text. in cap. *Cum in tua de decimis*; comprehenduntur, vt nutant Glossa, *in eod. cap. verb. Minutas.* Sic dicens: Minutæ decimæ, appellantur partus animalium, & de pullis, ouis, & hortis, vt sup. eodem. Ex parte, de quibus etiam loquitur sup. eod. Multiplici. Sic Glossa. Et sic tenent omnes DD. Sed expressè, Suarez, *cap. 34. cit. num. 4.* Filliuc. *tractat. 27. 2. part. cap. 10. num. 127.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 5. dub. 2. num. 4.* Palao, *tractat. 10. cit. punct. 7. n. 1.* & Barbosa, *in d. cap. Cum in tua, num. 6.* & antea Rebuff. *q. 3. de decim. num. 26.* per hæc verba: Quædam sunt maiores decimæ, siue grossæ, quæ ex frumento, & vino soluuntur: minutæ verò, quæ ex hortis, pullis, & ouis, &c. Sic ille.

QVÆSTIO VIII.

An de melle, & cera; ex iure, debeatur decima?

REspondeo: Deberi. Quia sic habetur in capit. *Nuncios de decimis*, ibi: *De apibus, & de omni fructu, decimas soluere Ecclesiastica districtione compellas.* Sic textus. Sicque illum intelligunt, & explicant communiter Authores. Innoc. Ioann. Andr. & alij Canonistæ ibi. Rebuff. *tractat. de decim. q. 8. n. 25.* Moneta, *cap. 4 num. 18.* Barbosa, *lib. 3. de iure Eccles. cap. 26. §. 1. num. 11.* & cap. *Nuncios de decim. num. 2.* Suarez, Filliuc. & Trullench, *loc. citat.* Azor, *tom. 1. lib. 7. capit. 35. q. 9.* optimè Abulens. *in Matth. cap. 23. qu. 167.* Luysius Turrianus *in summ. loc. statim citando.* Palao, *punct. 7. citato, num. 1.* Raphaël de la Torre, *in 2. 2. q. 87. art. 2. num. 3.* & alij. Addit tamen Rebuffus, *loc. cit.* Quòd licèt hoc sit verum de iure; de consuetudine verò, nil de his rebus soluatur.

QVÆSTIO IX.

An etiam, ex ipsismet apibus decima sit danda?

AFfirmant aliqui, quos tacitis nominibus, refert Abulens. *lo. cit.* Quorum sententiam tenere Azorium, ait Barbosa, *loc. cit. §. 1. num. 12.* per hæc verba: De apum examinibus, aluearibúsve soluendam esse decimam, vt habet consuetudo, tenet Azor *d. cap. 35. quæst. 9.* Ita Barbosa; qui clarè tenet etiam hanc sententiam, ibi, necnon, & in cap. *Nuncios, cit. numero 2.* Vbi pro hac parte rursus citat Azorium, *loc. cit.* Rebuffum *de decim. qu. 8. num. 15. & 25.* & Monetam, *cap. 4. num. 18.* Sed certè hic Author, omninò malè citat Rebuffum, & Azorium pro hac parte; cùm omninò oppositum doceant, ac teneant, vt mox videbimus. Meliùs tamen possent citari pro hac opinione, Filliuc. & Trullench, cum *loc. cit.* expressis verbis dicant, quòd, de apibus, & de omni earum fructu solui debeat decima. Et etiam lex 19. *parte 1. tit. 20.* Vbi clarè ait: [Que aun deuen dar diezmos de las colmenas: è esto se entiende tambien de los enxambres, è de los otros esquilmos que elleuan dellas, como de la miel, de la cera.] Ita lex.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse dandam decimam de ipsis apibus. *Primò.* Quia non adest consuetudo: ergo. *Secundò.* Quia decima de apibus ipsis difficilè dari potest; cùm sint fera animalia, & ideò licèt sint in arbore mea, non sunt mea, quousque includantur in aluear io, *instit. de rer. decis. §. Apum.* & non possunt capi animalia hæc, vt decimentur. Decimatio ergo sola est de eorum fructu, hoc est, de cera, & melle. Sic omnino Abulens. *loc. citat.* & penes ipsum, Innoc. & Ioann. Andr. Sic etiam Rebuff. *n. 25. cit.* pro se à Barbosa, per hæc verba: Decimoquintò (*sub intellige, soluuntur decimæ*) de apibus, & fructu earum, videlicet, de cera, & melle, cap. *Nuncios, eod.* non verò de ipsis animalibus, id est, ex decem examinibus apum, vnum non est soluendum, nec ex decem alueis, sed ex fructu earum: licèt de consuetudine nil soluatur, debent tamen apes habentes, in quatuor saltem festis solemnibus vnam candelam vnius libræ soluere Ecclesiæ Parochiali, vel de pecunia, quam ex melle, & cera habuerunt decimam partem. Sic Rebuffus. Malè ergo citat illum Barbosa pro se *num. 25. cit.* Nec pro illo facit, id quod dicit *num. 15.* quia ibi nil contrarium affirmat. Sic rursus tenet Azor loco à Barbosa citato pro contraria sententia, nempe, *q. 9.* Vbi sic ait: Quæres, an de ipsis quoque apum examinibus, sit decima soluenda, ita vt retentis nouem, decimum debeatur; & ex decē apum aluearibus, vnum sit iure præstandum? Respondeo, hac de re nihil esse in iure expressum: consuetudine tamen talis decima non soluitur. Sic ille. Et Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 34. numer. 4.* Luysius Turrianus *in summ. p. 1. c. 138. dub. 5. concl. 2.* Sic inquiens: De apibus quantùm ad ceram, & mel, soluendæ sunt decimæ. Castro Palao, *tom. 2. tract. 10. punct. 7. n. 1.* circa finem. Qui bene pro hac nostra sententia citat Azorium. Vbi suprà, & *cap. 34. num. 4.*

Ad legem autem pro parte contraria adductam, dicendum est, consuetudine contraria esse abrogatam. Quòd si fortè alicubi viget, obseruari omnino debet. Quia vt sæpè diximus: In soluendis decimis maximè debet attendi consuetudo.

QVÆSTIO X.

An de pedibus ouium, boum, & aliorum pecudum sit danda decima?

AFfirmant Azor, *tom.1. lib.7.cap.35.qu.9.* dicens, soluendam esse decimam; Ex animalibus, vt ex gregibus ouium, & armentis boum, & ex fœtibus ipsorum: nec non ex fructibus, quales sunt pelles, lanæ, oua, lac, butyrum. Sic ille. Qui certè inaduertenter inter fructus ouium, & boum, oua numerauit. Quod idem facit, tuendo eamdem sententiam per eademmet verba: Raphael de la Torre *2.2.q.87. art.2.num.3.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse de iure dandam decimam de pellibus ouium, boum, caprarum, aut similium. Quia pelles non sunt fructus animalium, sed pars illorum. Adde, quòd quando oues, aut boues decimantur, cum pellibus decimantur: ergo de pellibus non debentur decimæ; aliàs bis decimarentur. Sic innuit Rebuff. *de decim. cap.6. num.28.* quatenus animalium, solùm triplicem assignat fructum, ex quo solui debeat decima. Primus est, agni, hœdi, vituli, equuli, suculi, & alius fœtus. Secundus consistit, inquit, in lacte. Et tertius, in lana, & pilis. Ecce vbi inter hos fructus, nullo modo numerat pellem: ergo.

QVÆSTIO XI.

An fœtuum, aut filiorum animalium decima soluenda sit, statim post partum?

AFfirmant Rebuff. *de decimis, quæst. 12. num.3.* (non 30. vt inuenies apud Fagundez) & alij penes ipsum, docens, posse decimare animalium fœtus, post nouem dies ab eorum partu: per hæc verba: Vnde suculi, agni, & alij partus animalium, debent ali saltem nouem diebus, vt Doctores asserunt *in cap. cum homines de decim.* Gloss. & Doct. *in l. Stipulatio ista §. inter certum, ff. de verb. obligat. & in cap. reuertimini quæst. 16. p. 13.* Ita ille.

Sed, vt verissimum, Respondeo: Non esse decimandos, quoad vsque fœtus, sine matre viuere possint commodè; & interim ad hunc finem nutriendos esse. Quia aliàs infructuosa esset decimatio, & sic non soluerentur decimæ fideliter, cùm parta sint decimam non præstare, aut præstare eam inutilem *l. fi. C. ad l. Flauian de plagia*, & ibi Glossa. Sic tenet imprimis ipsemet Rebuffus *quæst.6. de decimis, num.30.* (non etiam. 3. & 31. vt addit Barbosa) sic inquiens: Vitulus tamen suculus vel alius fœtus, lactatus esse debet, antequam præstetur, & impinguatus: alioqui commodum non afferret: Et ita præstari debet, vt ad vsum esse, & deinceps viuere sine matre possit. Sic ille, citans pro se Ioann. Andr. Bochicium, Ancharanum: & Oldradum. His addi possunt Barbosa in cap. *Cum homines, de decim. numer.5.* Andr. Hispan. *in regul. decimarum quæst.14. numer.5.* vincen. de Franch. *decis.114.* Riccius *in collectar. decis. 192.* Moneta *de decimis. cap.6. numer.14.* Soar. de Pace *in pract tom.2. fol.25. num.30.* & alij Canonistæ.

Sic etiam ex Theologis Suarez *tom. 1. de Relig. lib.1. capit.37.* (non 27. vt inuenies apud Trullench.) Reginald. *lib.19. num. 98.* Raphaël de la Torre 2.2. *q.87. art.2. disp.7. numer.7.* Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.4.* per hæc verba: Decimæ autem ex animalium fructibus soluendæ sunt tempore illo, in quo animalia, sine matre viuere possunt, & in quo, secundùm rationabilem, & immemorabilem consuetudinem, solui solent: præualet enim maximè consuetudo decennalis soluendi decimam, tam quoad locum, quàm quoad tempus, vt resoluit Riccius *in praxi aurea Resol.241.* Quòd si nulla fuerit consuetudo, standum est prudentum arbitrio, dummodo à iure non exorbitet, simulque Ecclesiæ vtilitati consulatur. Sic Trullench Fagundez *lib.1. cit. cap.5. n.14.* Graffius *lib.2. cap.27. n.25.* & penes ipsum, Hostiens. & Ioann. Andr. Castro Palao *tractat.10. cit. punct.8. num.4. vers. Solum aduerto.* Lessius, *lib.2. cap.39. dub.3.* & Cardinal. Tuschus *tom. 2. verb. Decima concl. 70.* vbi, *num. 1.* docet, quòd vt in hac re æquitas seruetur, nec debet cogi decimas debens soluere, ad differendum, ne subministret expensas, nec ita festinanter, soluat statim, ac nati sunt, vt sit inutilis solutio.

Addit etiam *n.2.* quòd decimum animal natum, siue bonum, siue malum, si potest discerni, venit soluendum, sin minùs mediocre soluatur, vt nec melius nec deterius soluatur. Sic Tuschus, & Rebuff. *q. 6. n.26. & q.11. n.1. & 2.* vbi ait: quòd id quod venit in decimum nouem computatis computari non possit, sed omnino dandum sit, & soluendum: Si verò non appareat quis sit decimus, tunc mediocris est præstandus Azeuedo *in leg.3. l.1. recopil. tit.5. n.1.* & alij.

QVÆSTIO XII.

Quomodo solui debent de fœtibus animalium decima?

REsponden: Quòd solui debent, de decem fœtibus vnus; seu de vno decima pars æstimationis pecuniæ, iuxta consuetudinem loci. v. g. si Parochianus habet viginti hœdos, duos dabit pro decimis; vel hi duo æstimabuntur, & illorum pecunia, pro decimis Parocho soluetur, quod seruatur in multis locis: liberum tamen semper manet Parocho, ex vi iuris, si malit fœtum pro decima recipere, nisi consuetudo in contrarium existat, potest enim consuetudo præualere, vt sæpe diximus, contra ius. Sic omnino Fagundez *lib.1. cit. c.5. n.2.* ex Rebuff. *tract. de decimis q.6. n.31.* & est communis.

QVÆSTIO XIII.

Quo tempore solui debeat decima, de lana, caseo, lacte, & butyro?

REspondeo: solui debere, hoc modo. *De lana*, quando tondentur oues, in fine de decem velleribus, vnum, vel æstimatio illius. *De lacte*, quando emmungitur, de decem cadis, vnus, vel æstimatio illius. *De caseis*, quando fiunt etiam in fine, de decem vnus; & casu, quo non sint decem, sed vnus, aut duo, aut tres, &c. æstimabitur valor illorum, & decima pecuniæ, præstanda erit Parocho. Idemque dicendum de butyro è lacte presso. Quamuis in his omnibus, seruanda sit consuetudo præscripta loci. Sic Suarez, Fagundez *locis citatis.* Raphaël de la Torre *disp.7. cit. num.7.* optimè ante hos, Rebuff. *de decim. quæst.6. num.32. & 33.* Ioann. Andr. Anton. & Andr. Hispan. penes ipsum.

QVÆSTIO XIV.

An decimæ prædiales, soluendæ sint ex iure illi Parochiæ, in cuius districtu sunt prædia?

REspondeo: Tanquam certum; Soluendas esse ex iure Parochiæ, vbi prædia sita sunt; licet ex consuetudine alibi possint. Quia sic habetur in iure,

vt

vt statim constabit. Et ratio est. Quia hæc decima, est onus reale, & non personale, ac proinde sequitur rem, non personam. Sic omnes Canonistæ. Rebuff. *tract. de decim. qu.6. num.1. & 19.* Oldrad. *consil.168.* Ioseph. Ludouicus. *decis. Perusina 72. n.3. & 9.* Camillus Borrellus *in summ. decisionum tit. de decimis. 19. à num.6.* D. Alphons. Narbona *in 3. part. noua recopilat. libro 4. tit.1. l.10. Glossa 2. num.124* Barbosa *lib.3. cit. cap.26. §.1. num.31.32. & 33. & in cap. Cum contingat. de decim. sub n.6.* & pencs ipsum, Abb. Couarru. Perez, Gutierrez, & Rota *decis.178. num.5. part.1. & decis.135.192. n.5. & 247.* Et habetur etiam *in l.2. titul.20. p.1.* Cuius legem meminit Azeuedo *lib.1. noua recopil. tit.2. in l.2. n.3.* Sic etiam Theologi cum D. Thom. *2.2. qu.87. art.3. ad 2.* Abulens. *in cap.23. Matth. qu.196.* Sic dicens: De iure communi pertinent hæ decimæ ad Ecclesiam parochialem in cuius territorio sita sunt prædia. *extra. de parochi. capit. significauit. & extra. de decimis. C. Tua. & C. Cùm contingat. & cap. Cum in tua.* Hoc verum est, nisi aliud obtineat de consuetudine, aut præscriptione, aut priuilegio. De consuetudine, patet; quia si consuetum est, quod homines habitantes in vna Parochia, & habentes prædia in alia, soluant totas decimas Ecclesiæ in cuius Parochia manent, vel partem earum, & non Ecclesiæ in cuius parochia sunt sita, valet consuetudo. *extra. de decimis. cap. Cum sint homines. & cap. Ad Apostolica,* Sic ille: & bene Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.21. à num.3.* Fagundez *de 5. præcept. lib.1. cap.4. n.10.* Lessius *lib.2. de iust. cap.39. dub.3.* Palao *tom.2. tract.10. disp. vnica punct.8. num.6.* Trulleoch *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.5. n.2.*

QVÆSTIO XV.

An consuetudo habens, quòd decimæ prædiales non soluantur Parochiæ, vbi prædia sita sunt; sed Parochiæ illius loci, in quo quis in domo siue propria, siue conductitia, habitat, aut habitabit, etiam per modicum tempus, sit toleranda, & obseruanda?

NEgat Hieronym. Zeuall. *tom.1. communi contra comm. qu.458. à num.21.* vbi de hac consuetudine introducta in sua ciuitate, sic ait. Ex qua verissima resolutione venit reprobanda quædam appellata consuetudo, quam perperam, & iniquè Parochi huius ciuitatis Toleti intendunt habere (quæ potiùs corruptela vocanda est) videlicet, quòd si vicini, & originarij oppidi de Vargas, aut Olias, vel alterius loci vicini huius ciuitatis (qui colligunt fructus in suis locis vbi habitant) se conferant in aliquam domum huius ciuitatis, quòd reputentur statim vicini, & quòd teneantur decimas prædiales soluere illis parochus, sub cuius parochia sita est. Quod est maximum absurdum, & iniqua prætentio, cùm illi non sint vicini, neque originarij huius ciuitatis, & domus in qua habitant non est propria, sed conducta, magis ad illum effectum, vt reputentur vicini, quàm quod verè vicinitatem habeant (prout de iure, & secundùm ordinationes Toleti requiritur) quia sunt aduenæ statim recessuri, absque animo ibi commorandi; sed potiùs fraudandi (cum graui peccato) decimas prædiales proprio suo Parocho pertinentes. Ita ille.

Sed omnino Respondeo: Dicendum. Quòd omnino sit talis consuetudo obseruanda, vbi legitimè præscripta est. Quia consuetudo maximè attendi debet in præstatione decimarum, vt habetur *in cap. Cum sint homines. & cap. Ad Apostolica. de deci.* & cum communi docet ipseme Zeuall. *loc. cit. num.55.* ergo vbi prædicta consuetudo, quæ in ciuitate Toleti vt legitimè introducta, viget, omnino attendi, & obseruari debet. Sic contra Zeuallum sentit suus perdoctus concius Toletanus D. Alphonsus Narbona *loc. citato num.120. pag.408.* vbi, *num.126.* Ita habet: Tamen apud nos consuetudine inductum est, vt, & si in locis conuicinis aliquis, vineas, oliueta, aliaue prædia habeat, nihilominus tamen propter cœptam hic habitationem in domo propria, aut conductitia Toletano Parocho, non vero oppidano, decimas soluere debeant. Quæ consuetudo, cùm legitima sit, omninò obseruari debet: Siquidem consuetudo ea, quæ habet, vt prædiales decimæ debeantur loco habitationis, & domicilij obseruanda sit, quamuis alibi prædia sita reperiantur, vt ex dictis cap. fin. de Parochis docet ibidem, Abbas *num.5.* cui addo textum celebrem *in d. c. Cum sint 18. de decimis,* &c. Sic, & amplius, Doctus Narbona. Quin 128, respondet Zeuallo, habitationem præfatam, licèt modicam, eorum qui ex oppidis circumuicinis ad Toletum veniunt, nullo modo censeri posse fraudulentam, sed potiùs æquam rationi, & consuetudini, & decimarum constitutionibus conuenientem.

QVÆSTIO XVI.

An Decima mixta, seu animalium, debeantur illi Parochiæ, in cuius terminis habitant, pascuntur, & fœtum producant: etiamsi Domini illorum, in alia viuant Parochia?

REspondeo: Tanquam certum: Affirmatiuè. Quia ratio dictat, quòd vbi dicta animalia pascuntur, ac fœtus suos producunt, ibi reddantur decimæ illorum. Sic Rebuff. *tract. de decim. qu.6. num.25.* Barbosa, *in capit. Ad Apostolica, de decim. qu.6. num.5.* Suarez *loc. cit. num.7.* Fagundez *lib.1. cit. cap.5. numero 5.* Trullench, *dub.5. cit. num.3.* Palao *punct.8. cit. num.7.* & alij. Quod intellige, nisi aliàs consuetudo sit contraria, quia hæc semper in hac materia est attendenda. Et in præsenti casu ita sentit Bertrand. *tom.3. part.2. consil.247. num.3.* ita dicens: Et in solutione huius decimæ, id hoc scilicet, cui Ecclesiæ hæc decima solui debeat, an videlicet Ecclesiæ, in qua Sacramenta recipiunt, & diuina officia audiunt domini animalium, anve illi Ecclesiæ in cuius decimaria animalia depascuntur, & nutriuntur attendenda est consuetudo, vt scribit Hostiens. *in d. c. Ad Apostolica,* &c. quæ est optima legum interpres, *cap. Cum dilectus, §. dictus verò, ad fin. de decim.*

QVÆSTIO XVII.

An si dicta animalia, vt oues, v.g. in vna Parochia habitent hyeme, & in alia, æstate, sint inter vtrasque Parochias, æqualiter diuidenda Decimæ?

REspondeo affirmatiuè. Quia huiusmodi decimæ, simpliciter sunt prædiales, vt suprà est ostensum: ergo illarum naturam, & legem sequuntur: ergo illi Parochiæ, vbi hæc animalia pascuntur, debentur decimæ: ergo si dimidio anni in vna Parochia pascantur, & alio dimidio in alia, æqualiter inter ambas erunt diuidendæ decimæ. Sic Glossa *in c. Ad Apostolica, v. Personales.* vbi sic ait: Sed decimæ animalium, an inter personales, an inter prædiales sint, quæritur: & potest dici, quòd inter prædiales. Vbi ergo pascuntur continuò, ibi decimæ solui debent. *arg. sup. eod. commissum, & ff. de serui. rust. prædiorum, pecoris pascendi, C. de verbor. signif. l.2.* Sed quid si per medietatem anni

 anni

anni, in territorio vnius Ecclesiæ; & per aliam medietatem in territorio alterius Ecclesiæ pascuntur? Æquum est, vt diuidantur, *argu. sup. de testi. relatum. in fine, & 1.q.2.cap.2. & vltim. & 12.q.2. vulterana.* Sic Glossa, quàm omnes Canonistæ sequuntur. Præcipuè Bertrand. *loc. cit.* & antea latiùs *tom.4. consil.205. num.1.* & penes ipsum, Hostiens. *in d. cap. Ad Apostolica, & in summ. tit. de decim. §. cui danda. vers. Sed mistæ.* Rebuff. *tract. de decim. q.6. num.25.* Moneta, *de decim. cap.4. num.16.* Greg. Lopez *lib.9. tit.20. p.1.* Perez *ad tit.5. lib.1. Ordinat.* Menoch. *consi.398. num.36. & 40.* Barbosa *lib 3. de iure Eccles. cap.26. §.1. num.38. & in cap. Ad Apostolica, cit. num.5.* & alij Canonistæ. Et ex Theologis D. Thom. *2.2. q.87. art.3. ad 2.* Sotus *lib.9. de iust. q.4. art.3. ad 2.* Angel. *v. decima. n.4. & 8.* Alensis (non Abulensis vt offendes apud Fagundez) *3. part. q.51. memb.4. art.4. in fine,* Suarez, *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. cap.21.* (non 5. vt leges apud Barbosam) *à num.8.* Fagundez *cap.5. cit. num.6.* Trullench *dub.5. cit. num.5.* Palao *loc. cit.* Basilius Pontius *de Matrim. lib.5. cap.13. §.3. num.19.* & alij. Quam doctrinam intellige, nisi aliter appareat de consuetudine; quia hæc est inspicienda, & seruanda, vt docet, ex D. Thoma, Hostiensi, Astensi, Henrico, & aliis Bertrandus *consil.205. cit.*

Qvæstio XVIII.

An etiam diuidendæ sint decimæ inter duas Parochias casu, quo oues, in vna earum pascantur: & in alia; noctu iaceant, & dormiant?

AFfirmant Glossa in cap. *Ad Apostolicæ. verb. Personalis,* nuper citata; vbi, verbis relatis, hæc verba addit: Eodem modo si continuè iaceant hic, & continuè pascantur ibi: *argum. ff. ad num. assumptio.* Idem esset si aliqui iacerent in vna Parochia, & larem haberent in alia, debent diuidere decimas personales, & oblationes. Sic Glossa, quam sequuntur Henric. & Rebuff. *q.6. de decimis n.26.* Sic dicens: Quòd si in vna Parochia pascantur in hyeme, & in æstate in alia: vel in vna pascantur continuò, & in alia iaceant, & dormiant, tunc diuidentur decimæ inter has duas Parochias, vt tenet Glossa plenè *in d. cap. Ad Apostolica,* & Henric. Boihc. *in cap. Peruenit, col.1.* ibidem. Ita Rebuff. Quos omnes refert, & sequitur Suarez *cap.21. cit. num 10.* Barbosa *cap.26. cit. §.1. num.39. & in cap. Ad Apostolica, loc. cit.* Qui citat pro se Monetam *tract. de decim. cap.4. n.16.* Fagundium *de prac.5. Eccles. lib.1. cap.5 num.10.* & Basilium *de Matrim. lib.5. cap.13. §.3. num.23. & 24.* Sed ex his oppositum tenet Fagundez *num.10. cit. in fine.* Affirmant idem Filliuc. *tract.27. part.2. c.9. q.1. num.187.* & Palao, *punct.8. cit. num.8.*

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse, in dicto casu, diuidendas decimas; sed integrè esse reddendas Ecclesiæ prædiali, in qua pascuntur oues. Ratio est. Quia fructus, & fœtus gregis, ex agris proueniunt: ergo illi Ecclesiæ decima gregis soluenda erit, vbi agri, quos depasti sunt greges, siti sunt. Sic D. Thom. *2.2. q.87. art.3. ad 2.* per hæc verba: Pastor autem, qui diuersis temporibus in duabus parochiis gregem pascit, debet proportionaliter vtrique Ecclesiæ decimas soluere. Et quia ex pascuis fructus gregis proueniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quàm illi, in cuius territorio ouile locatur. Sic Sanctus Doctor. Et etiam Alens. & Sotus, *loc. cit.* Fagundez *num.10. cit.* dicens, hanc sententiam esse multò probabiliorem, Trullen. *num.4. cit.* & alij.

Qvæstio XIX.

An si oues, aut boues, per totum annum pascantur in alia Parochia, vbi Dominus illorum domicilium non habet, diuidenda sit ex eorum fœtibus decima?

AFfirmant Doctiss. Nauarr. *consil.1. de decimis, num 10.* & Palao *tom.2. tract.10. disputat. vnica, punct.8. n.9.* asserentes, diuidendam esse dictam decimam, dando, scilicet, saltem aliquam partem Ecclesiæ, aut Parochiæ, in qua dominus habitat & habet domicilium. Quia hæ decimæ, inquiunt, sunt mixtæ, hoc est, partim personales, & partim prædiales; & ideò quatenus personales sunt, debent sequi personam, & parochiam illius; & quatenus sunt prædiales, prædia, & Parochiam illam, in qua pascuntur: in vtrasque ergo Parochias diuidenda est decima. Ita sentire etiam videtur Sà, *v. decima, num.4.* per hæc verba: Decimæ animalium pars debetur Parochiæ propriæ, pars ei vbi pascuntur, nisi aliud sit in more positum.

Sed probabiliùs Respondeo: Non esse diuidendam talem decimam, sed totam deberi Ecclesiæ prædiali, aut Parochiali, in qua oues, aut boues pascuntur per annum totum, ac morantur. Quia probabiliùs est, has decimas, simpliciter censeri prædiales; & ideò totaliter participare debent naturam earum, & consequenter solui Ecclesiæ prædiali. Quòd autem, hæ animalium decimæ dicantur mixtæ; non ideò est, quia partim sunt personales, & partim prædiales, seu reales; sed quia, vt fructus, ac fœtus suos producant, multam requirunt industriam, ac diligentiam Dominorum. Sic Sotus *lib.9. de iust. q.4. art.3. ad 2.* Rebuff. *de decim. q.6. num.25.* Angel. *v. decimæ, num.4. & 8.* Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. c.21. num.8. in fine,* & Fagundez *de 5. precep. Eccles. lib.1. cap.5. n.9.* Qui etiam citat pro hac parte Rodriguez *in summ. capu.87. concl.2.* Sed non benè; nam hic Author oppositum innuit; quamuis in fine addat; consuetudini Prouinciarum esse standum. Sic etiam Basilius *de Matrim. lib.5. cap.13. §.3. num.25.* quem citat, & sequitur Barbosa *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.2. n.40. & in cap. Ad Apostolica, de decim. num.5.* Trullench *lib.3. in Decalog. c.3. dub.5. in fine.* & alij.

Qvæstio XX.

An ex ouibus sit soluenda decima Ecclesiis illarum regionum, per quas, pascendo, transitum faciunt?

REspondeo: Quòd non. *Primò.* Quia sic habet consuetudo introducta in Hispania. *Secundò.* Quia moraliter loquendo, est impossibile rectè indicare, quænam quantitas prædictis Ecclesiis solui debeat: ergo dicendum est, prædictis Ecclesiis, nihil deberi loco decimarum. Sic Nauarr. *lib.3. consil.2. de decim. n.3.* Barbosa *n.42. cit.* Rodriguez *in sum. c.87. n.3. concl.2.* Suarez *c.21. cit. n.9.* & alij.

Qvæstio XXI.

An ex ouium fœtibus, sit diuidenda proportionabiliter decima, inter Parochias, in quibus, per maiorem partem anni in vna, & per minorem in alia, pascuntur oues?

REspondeo affirmatiuè. Quia, vt habitum est, hæ decimæ animalium simpliciter sunt prædiales:

les:ergo quando oues, v.g. aut boues, aluntur in campis, & prædiis alicuius Parochiæ, illi sua pars de fructibus, ac fœtibus pecorum, pro rata temporis, modò sit notabilis, veluti per tres anni menses, soluenda est. Sic D.Thom. *2.2.q.87. artic.3. ad 2.* per hæc verba: Pastor autem, qui diuersis temporibus in duabus Parochiis gregem pascit, debet proportionaliter vtrique Ecclesiæ decimas soluere. Sic Sanctus Doctor. Suarez *cap.21. cit. num.*8. Fagundez *lib.1. cit. cap.5. num.*7. Rebuff. *de decim.q.*8.*num.*11. Ita dicens: Si autem in duabus pascant terris, decimæ diuidentur; & pro rata temporis soluentur, *cap.2. §.finali, de Sepult.* nisi fuerit consuetudo in contrarium; tunc illa consuetudo: vel priuilegium seruandum erit, *cap. Ad Apostolica de decim.* vbi Hostiens. & Bertrand. *consil.*252. *si animalia, in 3. volum.2. editio. cap. ex parte* 1. *eod.* Hæc sunt verba Rebuff. non illa, quæ Fagundez, refert. Citat etiam pro hac parte Fagundez, Emanuëlem Sà, *v. decima, numero* 4. Sed minùs benè; nam non loquitur de præsenti casu; sed de illo, quem proposuimus *q.*18. vt, ex relatis ibi, eiusdem verbis, constat.

QVÆSTIO XXII.

An ex decimis mixtis, seu animalium fructuum, & fœtuum, sint extrahendæ expensæ?

RESpondeo: Quòd non. Sed dandæ integræ, absque vlla deductione expensarum: Ratio est. *Primò.* Quia sic expressè habetur in cap. *Non est, de decimis. Secundò.* Quia hæ decimæ mixtæ, aut animalium, simpliciter sunt prædiales, vt docet Bertrandus *volum.7. consil.*84.*num.*2. ex Glossa *in cap. ad Apostolica, de decimis.* at de his, non deducuntur expensæ, vt habitum est, suprà: ergo. Sic tenent communiter Doctores. Legantur Suarez, *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. cap.*35. Barbosa *lib.3. de iure Eccles. c.26. §.1. à n.*34. Fagundez *de præc.5. lib.1. cap.... n.*15. Abulens. *in cap.23. Matth. quæst.*153. *&* 166. & Bertrand. loco citato.

QVÆSTIO XXIII.

An decimæ ex fructibus Apum, soluendæ sint Ecclesiæ Parochiali, an verò Ecclesiæ prædiali?

AFfirmat: esse soluendas Ecclesiæ parochiali, & non prædiali Abulens. *loc. cit. q.*167. Quia existimat, talem decimam esse personalem; & ideò soluendam esse illi Parochiæ, in qua Dominus apum, habitat, & habet larem.

Sed probabiliùs Respondeo: Esse soluendas Ecclesiæ prædiali, hoc est, Ecclesiæ in cuius territorio sunt apes, earúmque aluearia. Quia probabilius est, tales decimas simpliciter esse prædiales: cùm fructus apum, nempe, cera, & mel, planè proueniant de floribus, & herbis terræ illius, in qua pascuntur, & manent in suis aluearibus apes. Seruanda tamen est cōsuetudo loci. Sic loquendo generaliter, tenet Angel. *v. decima, num.*8. per hæc verba. Mistæ verò debent dari, vbi consuetudo est; vel si non est consuetudo, si pascuntur in vna dentur illi Parochiæ; si verò partim in vna, partim in alia diuidantur. Sic ille. Et in specie loquendo, Fagundez *c.5. cit. n.*13. & Trullench, *dub.5. cit. n.*5. Et ante illos, Rebuff. *q.8. de decim. n.*25. ibi: Et debet solui, vbi apes consistunt, vt est visum Anchar. *in d. c. Peruenit.* &c.

QVÆSTIO XXIV.

An decimæ noualium, pertineant ad Ecclesiam Parochialem, intra cuius terminos, existunt?

REspondeo, affirmatiuè. Quia tales decimæ, verè sunt prædiales; cùm sint decimæ de fructibus denuò productis ab agro, qui nunquam seminatus fuit, nec fructus produxit: ergo. Sic Palao *tom.2. tr.10. disput. vnica, punct.8. num.*12. & Trullench *dub.5. cit. num.*6. Addentes, quòd in casu, quo dictus ager in nullius Ecclesiæ parochialis territorio existat, tunc decimam ad Episcopum pertineat, ex cap. *Quoniam, de decimis.* Sic etiam Barbosa *lib.3. de iure Eccles. cap.* 26.*§.2. num.*20. Sic dicens: Tertiò colligitur, deberi noualia Parochiæ in cuius finibus surgunt: *d. cap. Cùm contingat. & d. cap. Quoniam, de decim.* Quòd si noualia appareant inter duas Parochias, & nesciatur intra quam illarum, quia ignorantur limites, tunc inter illas fiet diuisio, vt voluit Henric. Boich. *in cap. Peruenit. col. de decim.* vel Episcopus, cui voluerit, iudicio suo, concedit, secundum Rebuff. *d. tract. q.*14. *num.5. per d. cap. Quoniam.* vbi habetur, quòd tunc Episcopus, secundùm discretionem à Deo sibi datam, vel alij Ecclesiæ deputare, vel ad opus suum retinere debet. Si verò limites quoquo modo apparent pro modo & portione limitum, cuilibet earum Parochiarum debet assignari, vt disponitur *in d. cap. Quoniam,* vt notauit Rebuff. *d. quæst.14. numerò* 4. Huc vsque Barbosa. Legatur Abulens. *in cap.23. Matth. quæst.*190.

DISPVTATIO VI.

De Personis, quæ ad solutionem Decimarum tenentur.

QVÆSTIO I.

An omnes homines baptizati teneantur, ex vi iuris communis, ad decimas omnes soluendas?

RESPONDEO: Tanquam certum; teneri, nisi aliàs exempti sint. Quia sic habetur in iure. In capite. *Ex transmissa, de decim.* Vbi ita dicitur. *Quia fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur,* & in cap. *A nobis, eod. tit.* per hæc verba: *Cùm igitur quilibet decimas soluere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus,* &c. Item, in cap. *Tua nos, & cap. In aliquibus, eod. tit.* & optima *l.2. tit.20. part.1. & l.2. nouæ Recopil. lib.1. tit.5.* ergo ex iure, omnes fideles baptizati (aliàs non specialiter exempti) ad soluendas decimas tenentur. Sic tenent omnes Theologi, & Canonistæ. D.Thom. *2.2. quæst.87. art.1. &* 4. & ibi omnes eius expositores. Præcipuè Raphaël de la Torre *q.87. art.*4. in eius expositione, *n.*3. Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. c.16. num.*1. Abulens. *in cap.23. Matth. q.*191. Azor *tom.1. lib.7. cap.*35. (non 24. vt leges apud Barbosam) *q.*1. Fagundez *de 5. præcepto Eccles. lib.2. cap.1. nu.*1. Rebuff. *tract. de decim. quæst.*5. Lessius *lib.1. de iust. c.39. dub.5. num.*22. Reginald. *lib.19. num.*87. Moneta *de decimis, cap.*5. Trullench. *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.10. num.*1. Barbosa *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.3 num.1. & cap. Ex transmissa,*

de decimis, num.2. Bonacin. *disput. vltim. de præcept. Eccles.q.5.puncti.3. à num.1.* Bassæus *verb. Decima n.4.* Layman *lib.4.tract.6.cap.3.à num.1.* Filliuc. *tract.27. p.2.cap.8.num.160.* Villalob. *in summ. tract.33. diff.4. num.1.* & Molsesius *tract.6. cap.4. num.36.* & Castro Palao *tom.2. tract.10. disp.vnica, puncti.11. num.1.* & communis omnium.

QVÆSTIO II.

An Hæretici baptizati, teneantur etiam præcepto soluendi decimas?

Respondeo tanquam certum: Teneri. Quia ratione characteris, & baptismi, obligantur præceptis Ecclesiæ. Sic Syluest. *verb. Decima, n.13.* (non 11. vt inuenies, apud Fagundez) Rebuff. *de decim. qu.5. num.5.* Suarez *cap.16. cit.num.3.* Azor *cap.35. cit.q.1.* Fagundez *cap.1. cit.num.3.* Lessius *num.2.cit.* Filliuc. *cap.8. cit.q.1.num.162.* Raphaël de la Torre, *artic.4. cit. numero 3. vers. Sed quid de Hæreticis baptizatis?* & omnes.

QVÆSTIO III.

An Iudæi, Sarraceni, Turcæ, & alij Infideles, qui nunquam fuerint baptizati, teneantur decimas personales soluere Ecclesiæ?

Affirmant Glossa, in cap. *Quanto, sub figuratione casus, in fine, de vsuris, & in cap. Decimæ 16.q.1.* Ancharran. *in cap. De terris, tit. de decimis, sub num.1.* & ibi Abbas, *num.6.* & Rebuff. *tract. de decimis, q.5. num.11.* & alij, quos citat Abulens. *in cap.23. Matth. q.195.* docentes, teneri ad soluendas decimas personales.

Sed probabiliùs longè Respondeo: Non teneri. Quia decimæ personales dantur Ecclesiæ ob administrationem Sacramentorum, & aliarum rerum spiritualium, vt sup. *disp.3.quæst.23.* est habitum, & constat, *ex cap. Nouum, de decimis, & cap. significauit, de Parochis*: at sic est, quòd Iudæi, Turcæ, & alij Infideles, non recipiunt Ecclesiæ Sacramenta, nec audiunt diuina, &c. nec Sacerdotes quidpiam spirituale eis ministrant: ergo est causa, vt decimas personales eis soluant. Sic Glossa, *verb. Persoluendas, in cap. De terris, de decimis*, ibi: Quia non sunt de corpore Ecclesiæ; vnde personales decimas non persoluunt. Vbi etiam Butr. *sub num.2.* Innoc. Alanus, & Bernard. quos pro hac parte refert Abulens. *loc. cit. vers. Dicendum.* D.Thom. *2.2.q.87. art.1. & 4.* Sotus, *lib.9. de iust.* (non 6. vt leges in Barbosa) *q.4. art.4.* Syluest. *verb. Decima, num.13.* Suarez, *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. cap.16. num.4.* Azor, *tom.1. lib.7. c.35.* (non 24. vt offendes in Barbosa) *quæst.3.* Moneta *de decim. cap.5.num.38.* Lambert & Carar. quos citat, & sequitur Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §.3. numero 3. & cap. De terris, de decim. num.4.* Fagundez, *de 5.præcept. Eccles. lib.2. capit.1. num.13.* Filliucius, *tractat.27. 2.part. cap.8. quæstion.1. numero 164.* Lessius, *lib.2. de iustit. capit.39. dubit.5. numero 2.* Trullench, *lib.3. in Decalog. capit.3. dubit.10. numero 1.* Layman *lib.4. tract.6. cap.3. num.1. vers. Corollarium 1.* Molsesius, *tract.6. cap.4. num.37.* Raphaël de la Torre, *2.2. quæst.87. art.4. disputat.1. numero 1. & 2.* & communis.

QVÆSTIO IV.

An saltem, prædicti Infideles non baptizati, teneantur soluere Ecclesiæ decimas personales; licèt non ex vi præcepti decimarum, ex vi necessariæ compensationis?

Affirmant Bernard. apud Abulensem, *q.195. cit.* & Abbas, *in cap. de terris, de decimis, num.6.* & Glossa, *verb. Prætextu verò, in cap. Tua nobis, de decimis.* Quos, ex parte, sequitur Abulens. *loc. cit.* & meo videri, Barbosa, *lib.3. cit. cap.26. §.3. num.3.* Qui pro hac etiam parte citat Sotum, *lib.9. de Iust. q.4. art.4. col.3.* ad finem. Sed malè, vt infrà. Docent enim hi Authores, quòd licèt dicti infideles non teneantur ad decimas personales soluendas, ex vi præcepti decimarum, formaliter loquendo; teneantur tamen illas soluere, per modum compensationis, aut satisfactionis illius interesse, quod Ecclesia parochialis esset perceptura ab alio Christiano, qui poterat in tali Parochia habitare.

Sed probabiliùs longè multò, Respondeo: Nec ob titulum dictum compensationis, seu satisfactionis, teneri prædictos ad soluendas decimas personales. *Primò.* Quia aliàs, etiam posset Ecclesia Parochialis prætendere per modum compensationis, aliquod interesse à quocumque nobili fideli, non laborante, aut industriam non exercente; præterea, quòd si nobiles ibi non habitarent, possent in illis domibus habitare artifices, ex quibus posset Parochialis, decimas personales recipere: at hoc nullus dixit: ergo neque aliud dici debet. *Secundò.* Quia Ecclesia nullum ius habet in eos, qui foris, extra suum gremium sunt; iuxta illud Pauli, *ad Cor.5. De ijs qui foris sunt, nihil ad nos* ergo, &c. Sic tenet expressè Sotus, loco, pro parte contraria, à Barbosa citato: dicens, opinionem Abbatis, nulla probabilitate fulciri; per hæc verba: At verò, siue textus consulas, siue diuinum ius, siue naturalem rationem, nulla probabilitate, vt cùm venia tanti Doctoris dixerim, huiusmodi opinio fulcitur. Sic Sotus. Et sic Suarez cum illo, dicto *cap.16. num.5.* dicens, opinionem Abbatis, nec verisimilem sibi videri. Fagundez, *loc. cit. num.14.* Azor, *cap.35. cit. q.3.* Raphaël de la Torre, *loc. cit. num.2. vers. Sententia tamen.* Et alij.

QVÆSTIO V.

An Iudæi, Turcæ, & alij infideles, qui nunquam fuerunt baptizati, teneantur soluere decimas prædiales, saltem illarum possessionum, quas ipsi in terris Christianorum, titulo emptionis, vel alio, compararunt?

Respondeo, Tanquam certum: Teneri. Quia sic habetur expressè in cap. *De terris, de decimis*, per hæc verba: *De terris, quas Iudæi colunt, tua prudentiæ respondemus, vt eos ad decimas persoluendas, vel possessiones penitus renunciandas, cum omni districtione compellas: ne fortè occasione illa, Ecclesiæ valeant suo iure fraudari.* Sic textus. Quæ verba solùm verificantur de possessionibus, quas Iudæi in Prouinciis Christianorum acquisierunt. Vt clariùs exprimit text. in cap. *Quanto de vsuris*, his verbis: *Hac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos, ad satisfaciendum Ecclesiis, pro decimis, & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueuerant, antequam ad Iudæos quocumque titulo deuenissent: vt sic Ecclesiæ conseruentur indemnes.* Sic textus. Ex quibus, sic formatur ratio pro veritate hac probanda. Nam Ecclesia non debet fraudari suo iure

quæsito

quæsito in prædio, propter infidelitatem acquirentis: at re vera defraudatur, si decimæ prædiales in hoc casu à Iudæis, aut ab aliis infidelibus non solvantur: ergo. Sic Abulens. *in cap.* 23. *Matth. q.* 195. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 6. Vasquez, *opusc. de benefic. c.* 1. *dub.* 9. Azor, *cap.* 35. *cit. q.* 1. Lessius, *lib.* 2. *de Iust. cap.* 39. *dub.* 5. *num.* 22. Molfesius, *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 37. Raphaël de la Torre, *loc. cit. num.* 3. Rebuff. *quæst.* 5. *de decim. num.* 11. Barbosa, *cap.* 26. *cit. §.* 3. *num.* 4. *& in cap. De terris citato, num.* 1. *&* 2. & penes illum, Abb. Innocen. Collect. Zabarell. Ioann. Andr. Imola, Anania, Hostiens. & alij Canonistæ, & omnes, præcipuè statim citandi pro vtraque sententia, sequenti quæstione referenda. Estque expressa lex Regia, 1. *part. tit.* 20. *l.* 6. Vbi Gregor. Lopez, *in Glossa. verb. Los Iudios, e los Moros.*

Quæstio VI.

An etiam dicti infideles teneantur persoluere decimas prædiales, de possessionibus, quas ipsi infideles, in suis prouinciis habent, & possident?

Affirmant etiam de his possessionibus, teneri Iudæos, & alios infideles, dare decimas. Panormitan. in cit. cap. *de terris, sub num.* 5. Syluest. *verb. Decima, num.* 13. *quæst.* 7. Oldradus *consil.* 91. Mantuan. *consil.* 188. Rebuff. *de decim. quæst.* 5. *num.* 12. Lessius, *num.* 22. *cit.* & alij. Quorum præcipuum fundamentum est; quia hoc onus est impositum agris, & prædiis, non personis; & res transit cum suo onere; & sic per accidens est, quòd huiusmodi agri, & prædia possideantur à fidelibus: vel infidelibus; à baptizatis, vel non baptizatis; aut quòd antea fuerint dicta prædia Christianorum, vel non.

Sed probabilius longè, Respondeo: Non teneri soluere decimas prædiales de illis prædiis aut possessionibus, quas Iudæi, & cæteri infideles in suis prouinciis habent, & nunquam fuerunt Ecclesiæ, aut Christianorum. Quia Ecclesia nunquam habuit acquisitum ius exigendi decimas prædiales de possessionibus, & prædiis, quæ non fuerunt Ecclesiæ, aut Christianorum, vt constat: ergo in ipsis infidelibus cessat ratio, propter quam debitum decimarum constituitur ab Ecclesia, per capita quæstione antecedenti relata: ergo non tenentur illas persoluere, Sic Sotus, *lib.* 9. *de iust. q.* 4. *art.* 4. (censens contrariam sententiam improbabilem.) & Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cit. cap.* 16. *à num.* 5. Quos citat, & sequitur Fagundez, *lib.* 2. *cit. cap.* 1. *à n.* 6. *vsque ad vndecimum.* Quibus addi possunt Abulens. *quæst.* 195. *citata.* Barbosa, *lib.* 3. *de iure Ecclef. cap.* 26. *§.* 3. *num.* 5. *& in cap. De terris de decim. num.* 2. Vbi malè citat pro hac parte Rebuffum, *quæstion.* 5. *numero* 11. nam ibi loquitur de casu habito quæstione præcedenti; *& numero* 12. vbi de hac quæstione agit, opponitur cum Oldrado, Mantuano, & Alfonso de Monatal. sentit. Vasquez, *tom. opuscul. tractat. de benef. capite* 1. *dubit.* 9. Filliucius *tractat.* 27. 2. *part. cap.* 8. *quæst.* 2. *numero* 264. *vers. Secundò.* Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dubit.* 10. *numero* 1. dicens, hanc sententiam esse probabiliorem, Machado, 1. *part. sum. l.* 2. *part.* 4. *tractat.* 10. *docum.* 2. *numero* 2. Molfesius, *in sum. tractat.* 6. *capite* 4. *numero* 37. & Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 4. *disp.* 1. *num.* 5.

Quæstio VII.

An Cathecumeni ad decimas soluendas teneantur?

Respondeo: Non teneri. Quia donec homines recipiunt baptismum, non subduntur præceptis Ecclesiæ, vt sæpè diximus. Sic communiter Doctores, præcipuè Suarez, *loc. cit. num.* 3. & Fagundez, *num.* 1. *&* 2. Qui addunt, id esse intelligendum loquendo de Cathecumenis filiis infidelium, quia sua sponte, ad Ecclesiam veniunt: nam filij Christianorum, ex vi originis subduntur Ecclesiæ præceptis, propter Characterem patrum, & per voluntatem, seu obligationem eorum; & ideò si contingat eos habere dominia rerum, ac fructuum antequam Baptismum suscipiant, ad solutionem decimarum tenentur, & tanquam baptizati censentur. Sic etiam Syluest. *verb. Decima num.* 13. Lessius, *cap.* 39. *cit. nu.* 22. Filliuc. *cap.* 8. *cit. q.* 1. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 11. *num.* 1. Raphaël de la Torre, 2. 2 *q.* 87. *art.* 4. *in exposit. num.* 3.

Quæstio VIII.

An Ecclesia possit exigere à Iudæis, & ab aliis infidelibus, aliquod tributum, ad sustentandos Prædicatores Euangelij, qui illos doceant, & in fide illuminent?

Negat Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 4. *disp.* 2. *num.* 2. Quia (inquit) infideles nequeunt compelli ad susceptionem fidei, imo neque, vt illam audiant: ergo nequit Ecclesia tributa eis imponere, ad sustentandos Ministros Euangelicos, vt eis annuncient Christianam fidem.

Sed longè multò probabilius, Respondeo: Posse, non per modum solutionis decimarum; cùm hoc præceptum sit merè Ecclesiasticum, ad quod non tenentur; cùm extra Ecclesiam sint, vt nuper est habitum: sed per modum præcepti naturalis, obligando eos ad præstandam necessariam sustentationem ipsis Prædicatoribus. Quia multò longè probabilius est, Imo, & mihi certum, quòd possint infideles cogi à Sommo Pontifice, sicuti de facto coguntur Romæ, ad audiendam fidem per fidei Prædicatores: ergo etiam possunt cogi ad alendos huiusmodi Prædicatores. Sic Suarez, *loc. cit. num.* 12. Fagundez, *cap.* 1. *cit. num.* 19. Trullench, *loc. cit.* Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 11. *num.* 1.

Quæstio IX.

An reges, & Principes, ad solutionem decimarum teneantur?

Respondeo absolutè: Teneri. *Tum*, quia præceptum, est vniuersale, & comprehendit omnes, aliàs non exemptos. *Tum etiam*, quia etiam Reges sunt subditi Ecclesiæ Pastoribus, ab eisque recipiunt Sacramenta: ergo illis debent persoluere decimas, cùm ob id ab Ecclesia institutæ sint. Sic Rebuff. *qu.* 5. *de decim. num.* 26. *& quæst.* 8. *num.* 27. Moneta *de decimis, cap.* 5. *num.* 26. Barbosa, *loc. cit. numero* 2. Filliuc. *cap.* 8. *cit. quæst.* 1. *num.* 161. Estque expressa lex Regia, 1. *part. tit.* 20. *l.* 2. Ita dicens: [Tenudos son todos los homes del mundo, de dar diezmos à Dios, è mayormente los Christianos, porque ellos tienen la ley verdadera, è son mas allegados à Dios, que todas las otras gentes. E por ende no se pueden excusar los Emperadores, ni los Reyes, nin ningun otro

otro home poderoso, de qualquier manera que sea, que lo no den: ca quanto mas poderosos, è mas honrados fueren, mas tenudos son de lo dar, conociendo que la honra, è el poder que han, todo les viene de Dios.] Sic lex. Et ibi Gregor. Lopez, & sic fuisse iudicatum de possessionibus Delphini, asserit Guido Papa, *in decis. Delphin. quæst.* 166. Et sic docent omnes.

QVÆSTIO X.

An summ. Pontifex teneatur soluere decimas personales?

AFfirmat Rebuff. *de decimis, qu.* 5. *num.* 26. *pagin. mihi* 16. & penes ipsum, Andreas Hispan. *in sua regula* 10. *q.* 11.

Sed nihilominus, tanquam certum, Respondeo: Non teneri. Quia nullum habet superiorem, cui subiicere se possit, adhuc propter receptionem Sacramentorum, cùm ipse omnibus potestatem, & iurisdictionem tribuat. Sic omnes. Abulens. *in capit.* 23. *Matth. quæst.* 193. *vers. Alij dicunt.* Suarez, *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 1. *c.* 17. *num.* 8. & 9. Fagundez, *de* 5. *præcept. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11. Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 8. *qu.* 5. *num.* 171. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 10. *num.* 5. Raphaël de la Torre, 2. 2. *q.* 87. *art.* 4. *disp.* 6. *num.* 4.

QVÆSTIO XI.

An saltem, teneatur Summus Pontifex, ad soluendas decimas prædiales?

NEgat Abul. *q.* 193. *cit.* per hæc verba: De prædialibus oportet dici, quòd tenetur ad illas de prædiis prophanis, si essent decimæ de iure diuino, sicut plurimi Iuristarum tenent, cùm etiam Papa subditus sit iuri diuino. Et tamen cùm sint decimæ nunc non de iure diuino, sed de iure canonico, vt ostensum est suprà; & Papa sit conditor Canonis, quia non potest ligari lege sua, neque lege prædecessorum suorum: quia par in parem non habet imperium, & ita de rigore iuris non tenebitur ad aliquas decimas soluendas, sed de æquitate solùm, in quantùm lex iusta est, & debet quis pati legem, quam tulerit, *extra de præbend. cap. pro illorum.* Et Imperatores dixerunt: *Licèt legibus subiecti non simus, legibus tamen viuimus.* Huc vsque Abulens.

Sed verissimè Respondeo: Teneri Papam, ad soluendas decimas prædiales; ex illis tamen duntaxat terris, possessionibus, ac prædiis, quæ possidet, titulo patrimonij temporalis, aut emptionis, permutationis, donationis, hæreditationis, aut successionis, sanguinis. Ratio est. Quia post Parochiarum diuisionem, prædia vnicuique Ecclesiæ assignata, habent annexum, tanquam onus reale, debitum decimarum respectu talis, vel talis Ecclesiæ: ergo si Papa temporali titulo acquirat, vel possideat illas terras, & possessiones, vt proprias, acquirere debet illas cum suo onere, ergo tenetur ex illis soluere decimas illis Ecclesiis, quibus antea soluebantur; quia res cum suo onere transit. Quapropter si Cardinalis aliquis antequam eligeretur in Pontificem haberet prædia patrimonialia, vel alio modo propria, ratione quorum deberet alicui Ecclesiæ decimas, easdem ex eisdem, eidémque Ecclesiæ debebit postea, etiam electus Pontifex: eademque ratio est, licèt iam factus Pontifex, tales possessiones, vel prædia acquirat. Et quamuis Papa sit supremus Legislator, ac dispensator decimarum, & iurium earum, non tamen est Dominus, & ideò non potest arbitrio suo illas vsurpare. Ex quo patet ad fundamentum Abulensis. Sic omnino Suarez, *cap.* 17. *citat. num.* 10. Syluest. *verb. Decima, numero* 13. Rebuff. *tract. de decim. q.* 5. *num.* 26. & Andr. Hispanus, *sua regula* 10. *q.* 11. Fagundez, *cap.* 2. *cit. num.* 11. Filliuc. *q.* 5. *cit. num.* 172. Qui bene aduertit, contrarium esse dicendum, loquendo de prædiis, ac possessionibus pertinentibus ad Papam, quatenus Papa est; quia ex iis, cùm sint de patrimonio Petri, & Ecclesiæ, non debent solui decimæ; Trullench, *loc. cit.* & Raphaël de la Torre, *loc. cit. num.* 5.

QVÆSTIO XII.

An Summ. Pontifex possit secum dispensare in dicta obligatione decimarum prædialium?

REspondeo tanquam certum: Posse, existente iusta, & rationabili causa. Quia, vt supremus dispensator decimarum, potest cum aliis dispensare in obligatione decimarum: ergo à fortiori secum. Dixi autem, *existente iusta & rationabili causa*; quia si absque illa dispensaret, peccaret quidem mortaliter, & dispensatio esset nulla. Nam, vt nuper diximus, quamuis Pontifex sit supremus dispensator decimarum, & iurium earum, non tamen ipse, sed Christus Dominus, est absolutus Dominus illarum, & ideò non potest arbitrio suo illa vsurpare. Sic optimè Doctiss. Nauarr. *tract. de spoliis Cleric.* §. 2. (non *cap.* 12. vt leges apud Trullench) *num.* 2. Suarez. *num.* 10. *cit.* Fagundez, *loc. cit. num.* 12. & Trullench, *num.* 5. *cit.* Filliuc. *num.* 171. Raphaël de la Torre, *loc. cit. num.* 5. *in fine.*

QVÆSTIO XIII.

An Summ. Pontifex possit, vrgente aliqua graui causa, exigere decimas de ipsis decimis, ab Episcopis, Pastoribus, & Clericis?

NEgat apud Rebuffum, Panormitanus, *in cap.* 2. *in fine de decimis.*

Sed Respondeo tanquam certum: Posse. Quia Pontifex, est Pastor vniuersalis omnium fidelium, & supremus administrator omnium bonorum Ecclesiasticorum: ergo, quando bonum commune Ecclesiæ id ex se postulat, potest ad hunc finem, ex bonis Ecclesiasticis partem aliquam applicare; etiam reclamantibus Episcopis, & cæteris Ecclesiasticis. Sic tenet communis doctrina, vsu receptissimo comprobata, vt ostendit D. Frater Prudentius de Sandoual Episcopus (vtinam, Archiepiscopus, vt vocat Fagundez) nostræ Pampelonensis Ecclesiæ, in Chronico Caroli V. *lib.* 3. §. 18. *fol.* 9. Sic igitur, D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *num.* 4. *ad* 3. ibi: Vnde nunc eadem ratione, tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret; Naturalis enim ratio dictat, quòd illis, qui habent curam animarum, de communi multitudinis statu prouideatur, vnde possint exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Sic S. Doctor, Sotus, *lib.* 9. *de iust. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. *argum.* Lessius, *lib.* 2. *de iustit. cap.* 39. *dubit.* 5. *num.* 28. Fagundez, *cap.* 2. *cit. num.* 13. & penes ipsum, Abbas, & Ioann. Andr. Trullench, *num.* 5. *citato*, Abulens. *in cap.* 23. *Matth. q.* 192. *vers. Sed dicetur.* Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 4. *disp.* 6. *num.* 10. Rebuffus *de decim. q.* 3. *à num.* 3. & communis.

QVÆ

QVÆSTIO XIV.

An Episcopi teneantur ad soluendas decimas personales?

RESpondeo tanquam certum: Non teneri, ex vi iuris communis. Quia inprimis non tenentur has decimas soluere Parochis; cùm hi sint inferiores ipsismet Episcopis. Nec rursus tenentur illas soluere aliis Episcopis, aut Archiepiscopis; cùm in iure talis obligatio non extet; & meritò, cùm Episcopi, non sint Parochi, aut Pastores aliorum Episcoporum. Nec tandem tenentur dictas decimas soluere Summo Pontifici; quia, licèt, attento iure naturali, & diuino; possit Pontifex ad sui, suæque familiæ sustentationem exigere ab Episcopis decimas personales, & aliquam quotam suorum redditiuum Ecclesiasticorum; de facto tamen, iure communi Ecclesiastico, non est vsus hac potestate, quia sibi prouiderunt Pontifices de annuatis, dispensationibus, & aliis iustis modis, & ideò non exigunt decimas. Sic D. Thom. *artic.* 4. *citat.* & ibi omnes Thomistæ, præcipuè Raphaël, *loc. cit. n.*8. Abulens. *q.* 193. *cit.* Suarez, *cap.* 17. *cit. n.*11. & 12. Fagundez, *c.* 2. *cit. n.*14. & 15. Trullench, *dub.* 10. *cit. n.*5. *in fine.*

QVÆSTIO XV.

An Episcopi teneantur ad soluendas decimas prædiales, de bonis, ac possessionibus, vel prædiis, sæculari, aut patrimoniali titulo possessis, & acquisitis?

NEgant aliqui, quos, tacitis nominibus, refert Abulens. *in cap.* 23. *Matth. q.* 193. his verbis. Si autem sint prædia prufana, dicunt aliqui, quòd non tenetur dare decimas, quia confunderetur actio, scilicet, quia idem esset dans, & accipiens, *ff. de solutionib. leg. Stichum, §. Additio.* Neque potest quis sibi ipsi obligari, *ff. ad Velleian, l. tutor.* Et hanc opinionem amplectuntur multi Episcopi nostri temporis nullas decimas de prædiis profanis suis soluentes. Huc vsque ille.

Sed tanquam certum, Respondeo: Teneri: *Primò.* Quia de dictis possessionibus ac prædiis profanis, seu titulo sæculari acquisitos, & possessis, tenetur Pontifex decimare, vt suprà, *q.*11. est habitum: ergo à fortiori tenebitur Episcopus; cùm de vtrisque eadem sit ratio.

Secundò. Quia aliàs facilè posset Ecclesia Parochialis fraudari iure suo, vt si Episcopus emeret maiorem partem prædiorum alicuius Parochiæ, & de illis non solueret decimas: ergo dicendum est teneri illos ad decimas prædiales, de dictis terris profanis, aut acquisitis titulo patrimoniali, empoonis, aut donationis, &c. cùm res cum suo onere transeat. Secus, dicendum est, de prædiis, ac possessionibus, quæ pertinent ad dignitatem Episcopalem; quia de his non sint soluendæ decimæ; vt constat ex dictis, *quæst.*11. Sic sententia communis. Abulens. *loc. cit.* Suarez, *tom.*1. *de Relig. tract.*2. *lib.*1. *c.* 17. *à num.* 13. & penes illum Rebuff. *q.*5. *num.*3. & 4. Innoc. Card. & alij Canonistæ. Fagundez, *de* 5. *præcept. Eccles. lib.*2. *cap.*2. *num.* 16. Filliuc. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 174. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 10. *num.* 6. Gutierrez, *lib.*2. *Can. qq. cap.* 21. *n.* 2. Quem citat, & sequitur Barbosa, *lib.*3. *de iure Eccles. c.*26. *§.* 3. *n.* 10. Raphaël de la Torre, 2.2. *q.*87. *art.*4. *disp.* 6. *num.*8.

QVÆSTIO XVI.

An Clerici Curati, veluti Abbates, Priores, & alij Parochi; teneantur soluere decimas personales?

REspondeo: Non teneri. Quia decimæ personales fundantur in receptione Sacramentorum ab aliquo Pastore: ac sic est, quòd Parochi, licèt recipiant Sacramenta ab aliis, non recipiuntilla, tanquam subditi, sed tanquam cooperatores illorum: ergo. Sic Sot. *loc. cit. art.*4. Rebuff. *de decim. q.*5. *num.*9. Quos refert, & sequitur Suarez optimè, & latè id probans, *quæst.* 17. *cit. à num.*18. Couarruu. 1. *var. cap.* 17. Gutierrez, *lib.*1. *qq. Can. cap.* 21. *à num.* 52. & Panormit. *in cap.*, *Nouum genus, de decimis, n.* 4. Quos citat, & sequitur Fagundez, *cap.*2. *cit. num.*7. Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.* 192. *vers. Secundò.* Vbi optimè id probat. Filliuc. *tract.*27. *parte* 2. *cap.*8. *num.* 176. Raphaël, *loc. cit. n.*9.

QVÆSTIO XVII.

An Clerici Curati, siue Parochi, teneantur, ex vi iuris, ad persoluendas decimas Episcopis de fructibus beneficiorum suorum?

AFfirmant teneri, ex vi iuris noo consuetudinis, Host. *in summ. tit. de decim. §. A quibus*, & alij, quos suppressis nominibus, refert Abulens. vbi infrà. Eò quòd in veteri testamento Leuitæ soluebant decimam de decimis, aut de fructibus earum Summo Sacerdoti, vt habetur, *Num.* 18. & à nobis ostensum est suprà, *disp.* 1. *q.*4. at sic est, quòd Episcopus est, vt Summus Sacerdos Clericorum: ergo ei debent Clerici Curati de fructu suarum decimarum, aut beneficiorum, persoluere decimas.

Sed, tanquam certum Respondeo: Non teneri vllo modo, hoc est, neque ex vi iuris, neque ex vi consuetudinis. *Non ex vi iuris. Tum*, quia nullo modo est expressum in iure, quòd Clerici teneantur dare decimam Episcopis de fructibus beneficiorum suorum; imo potiùs oppositum videtur decerni in iure, cap. *Nouum genus*, vt bene aduertit Abulens. *in c.* 23. *Matth. quæst.* 192. *vers. Sexto. Tum etiam*, quia eadem ratione teneretur Episcopus dare decimas de omnibus fructibus sui Episcopatus, Archiepiscopo, vel Papæ; cùm ita se habeat ad illum, sicut Curatus ad Episcopum: at hoc non est verum, vt ostensum est suprà: ergo.

Nec *ex vi consuetudinis*, tenentur Curati ad tales decimas Episcopis præstandas; cùm potius consuetudo generalis Ecclesiæ oppositum teneat, vt concedit Hostiens. *loc. citat.* Quæ consuetudo sufficeret ad tollendum in totum ius positiuum, si quod daretur disponens de decimis soluendis à Curatis, vt constat, *ex cap. Leges, distinction.* 4. Sic omnino Abulens. *loc. cit.* Qui ad fundamentum contrarium bene respondet, dicendo; quòd licèt decimæ nostræ sint ad similitudinem decimarum veteris testamenti; tamen non pendent ex veteri testamento, sed ex statuto Ecclesiæ, quæ tamen non statuit dari decimas Episcopis, aut Papæ; & ideò non tenentur Curati illas præstare de fructibus beneficiorum suorum. Lege alias solutiones, si placet, apud ipsum Abulensem.

QVÆ

QVÆSTIO XVIII.

An saltem, dicti Curati, vel Parochi, teneantur, ex vi iuris communis, ad præstandas decimas prædiales de fructibus prædiorum, possessionum, &c. quæ titulo sæculari acquirunt, vel acquisierunt?

AFfirmant, teneri, ex prædiis titulo sæculari acquisitis; dummodo talia prædia sita sint, extra propriam parochiam, Fagundez *de præcepto* 5. *Eccl. lib.* 2. *cap.* 2. *n.*8. qui citat pro se D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.*4. *ad* 1. Suarez, Couarruu. Rebuff. & Gutier. Quibus addi potest Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. *dub.*10. *num.*4. Vbi sic ait: Sequitur secundò, Parochum de iure communi, teneri ad decimas prædiales, ex his prædiis, quę titulo sæculari acquirit; quia onus reale transit cum ipsa re. Hoc autem intellige, si prædia sita sint extra parochiam, in qua sunt Parochi; nam si sint intra suam parochiam, decimæ ad ipsum spectant, debitum autem iustitiæ, est ad aliud, non verò ad se ipsum. Fagundez, *d. cap.* 2. *num.*8. ex S. Thoma, 2. 2. *q.* 87. *art.*4. *ad* 1. Suarez, *c.*17. *n.*16. & 18. Huc vsque Trullench.

Sed absolutè, Respondeo dicendum, quòd teneantur persoluere decimàs de dictis prædiis, titulo sæculari acquisitis, non solùm casu, quo talia prædia sita sint extra propriam Parochiam: Sed etiam casu, quo dicta prædia sita sint intra propriam Parochiam.

Primam partem, huius responsionis concedunt Fagundez, & Trullench, & benè illam probant: quia si prædicta prædia, titulo sæculari acquisita, habent hoc reale onus soluendi decimas annexum, necesse est, vt transeat ad ipsos Curatos, & Parochos illa possidentes, onus ipsum.

Secunda verò pars responsionis, quæ procedit contra prædictos Authores, optimè probat Abulens. q. 192. *cit.* per hæc verba: Sed dicet aliquis quòd non teneatur soluere decimam, quando præfata prædia sunt in Parochia, in qua ipse est beneficiatus, quia sibi ipsi soluere videretur, & per hoc confunditur actio, quando idem est, qui debet, & cui debetur. Dicendum, quòd non est verum; quia non sibi soli debet, sed toti communitati beneficiatorum illius Ecclesiæ, quæ secundùm positiones diuidunt decimas, ideò soluere tenetur. Sed quid si solus sit ibi beneficiatus, an teneatur præstare decimas? Dicendum quòd sic: quia licèt solus sit, non solus percipit decimas, sed & habet Episcopus suam canonicam portionem; habet etiam Ecclesia pro fabrica, ideò semper tenetur de prædiis talibus decimas soluere. Huc vsque doctissimus vir.

Eandemque partem docet etiam Suarez citatus à Fagundio, & Trullench, pro sua, & contraria parte; nam *num.*17. eiusdem *c.*17. hæc profert verba: Dices: In Ecclesia parochiali decimæ soluuntur ipsi Parocho: ergo si Parochus illius Ecclesiæ tales decimas debet, sibi debet; quod repugnat, vt suprà argumentabamur. Respondetur primò, licèt antecedens esset verum, nihilominus debere in hac persona distingui rationem debitoris, & eius, cui debetur: & verum semper esset, quòd decima illius prædij, non competit huic personæ, quatenus Dominus temporalis illius prædij est, sed quatenus tale beneficium habet. Secundò verò dicitur, antecedens esse falsum in rigore, quia decimæ non Parocho propriè, sed Clero, seu Ministris huius Ecclesiæ debentur, ex quibus pars aliqua ad Parochum pertinere solet, vt magis sequenti cap. explicabimus. Et hoc significauit D. Thomas in ratione, quam subdidit, dicens; quia aliud est habere aliquid vt proprium; aliud vt commune. Decima ergo ex tali prædio, non potest vsurpari à Parocho tanquam propria, sed debet illam exhibere suæ Ecclesiæ, vt communem, etiamsi posteà, ex ipsa tanquam beneficiatus participare debeat. Vnde longè diuerso modo, & distincto onere possidebit illos fructus, vt proprios, ratione temporalis dominij, vel vt receptos, ratione sui beneficij, vt constat. Huc vsque Doctiss. Suarez. Ex quo, & ad fundamentum contrarium constat, & quàm malè citentur pro opposita parte, non solùm ipsemet Suarez, verùm, & Angelicus Doctor. Et ideò hanc nostram sententiam, quoad vtramque partem (vltra hos duos præclarissimos Doctores) tenet Barbosa *lib.* 3. *de iure Ecclesiæ capite* 26. §. 3. *num.* 10. & innuunt Filliuc. & Raphaël de la Torre *loc. citat.* quatenus, sine vlla exceptione, docent; teneri Parochum ad soluendas decimas de prædiis, titulo sæculari acquisitis. Qui bene addunt, secus dicendum esse, loquendo de prædiis, quæ titulo Ecclesiastico possidet, & sunt applicata sibi specialiter, ad se, & ministros Ecclesiæ alendos, quia de his tenetur soluere decimas, cùm omnes redditus eorum illi debeantur, ratione proprij laboris, & ministerij. In quo addito, omnes conueniunt, præcipuè Suarez, Abulens. *loc. cit.* Fagundez *loc. cit. num.* 9. & Trullench, *n.*4. *cit.*

QVÆSTIO XIX.

An Curatus, Rector, vel Parochus, teneatur soluere decimas de prædiis, aut aliis possessionibus, à Papa, aut Episcopo sibi assignatis, pro sua sustentatione?

REspondeo: Non teneri, saltem ex vi iuris communis, siue illa prædia colat proprijs expensis; siue aliis elocet colenda. Quia illa possidet in hoc casu, titulo Ecclesiastico, & spirituali non temporali, & sæculari; Dixi autem *ex vi iuris*; quia ex consuetudine, aliud esse poterit. Sic Glossa *in Clem. Religiosi, de Decimis.* Rebuff. *q.* 5. *n.*6. & Mendosius quos citat, & sequitur Fagundez *loc. cit. n.* 10. Trullench etiam *num.*4. *cit.* in fine.

QVÆSTIO XX.

An Clerici simplices teneantur ex iure communi, ad solutionem decimarum ex fructibus suorum beneficiorum, aut decimis, quas ipsi ratione beneficiorum, percipiunt?

AFfirmant Authores illi, qui à nobis relati *q.* 17. teneri, ex vi iuris communis, licèt ex consuetudinis, iam ad id non teneantur.

Sed tanquam certum Respondeo: Quòd non solùm non teneantur ad decimandum de dictis fructibus, aut decimis, ex vi consuetudinis; verumetiam; nec vi iuris. Quia expressè oppositum est expressum in iure, cap. *Nouum genus, de decimis.* vbi apertè decernitur, Clericos non debere soluere decimam Clericis de fructibus suorum beneficiorum, aut de decimis, quas ipsi percipiunt. Sic enim ait textus, qui est Paschalis. ij. *Nouum genus exactionis est, vt Clerici à Clericis decimas exigant, cùm nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Leuitæ à Leuitis decimas accepisse leguntur.* Sic textus. Sicque illum explicant S. Thom. 2. 2. *quæst.*87. *art.* 4. Sotus *lib.*9. *de iust. q.*4. *artic.* 4. Rebuff. *de decim. quæst.* 5. *numero* 6. Moneta *capite* 5. *quæst.* 1. *numero* 8. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.*35. *q.* 5. Fagundez *cap.* 2. *cit. num.* 1. & Barbosa *lib.* 3. *de*

iure

iure Eccles. cap.26. §.3. *num.*8. contra alios, aliter dictum textum explicantes. Quòd, & repetit *in cap. Nouum genus de decim. num.*2.

Ratio autem pro conclusione sit. Quia ex bonis, quæ à Clericis, titulo spirituali, possidentur, non debentur decimæ, vt sæpè diximus: Sed fructus, & decimæ, quæ possidentur à Clericis ratione officij clericalis,& ratione beneficij, possidentur titulo Ecclesiastico, & spirituali: ergo. Sic præter citatos Authores, tenent Abulens. *quæst.*192. *cit.* Alens.3. *part. quæst.*51. *memb.*7. *art.*2. Suarez *tom.*5. *de Relig. tr.*2. *lib.*1. *cap.*17. *num.*13. Filliuc. *tractat.*27. *citat. capit.*8. *quæstion.*8. *numero* 178. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*39. *dub.*5. *num.*23. Layman *lib.*4. *tractat.*6. *cap.*3. *num.*3. Vasquez *in opusc. tract. de benef. capit.*1. *quæst. vnica dub.*8. Trullench *lib.*3. *in Decalog. capit.*3. *dubit.*10. *num.*2. Palao *tom.*1. *tract.*10. *disp. vnica punct.*11. *n.*3. & 4. Bonac. *disp. vltim. de precept. Eccles. q.*5. *punct.*3. *num.*4. Bassæus *v. Decima num.*5. & Raphaël de la Torre 2.2. *q.*87. *art.*4. *disp.*6. *num.*13.

Qvæstio XXI.

An saltem, teneantur Clerici soluere decimas ex fructibus prædiorum, & aliarum possessionum quas sæculari iure, ac titulo; putà hæreditario, emptionis, donationis, vel alio quouis titulo, compararunt?

Respondeo tanquam certum teneri. *Primò.* Quia sic habetur in iure, *cap. Nouum genus. cit.* ibi: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas ei debent.* Quæ verba esse intelligenda de huiusmodi fructibus, de quibus inquirit quæstio, affirmant Sotus, Couarruuias, Moneta, Azor, Barbosa, & Riccius, infrà citandi. *Secundò.* Quia prædicta prædia, possessiones,& alia bona, antequam essent Clericorum, erant oneri decimarum subiecta: ergo transierunt ad Clericos cum ipso onere, quia res cum suo onere transit. Sic Glossa *in cap. laicus*, 16. *quæstion.*1. & *in cap. Nouum, cit. verb. Clericis*, S. Thom. 2.2. *qu.*87. *artic.*4. Sotus, Suarez,& Alens. suprà citat. Aragon 2.2. *qu.*87. *art.*4. Couarruuias *lib.*1. *var. cap.*17. *num.*8. *vers. Primum hinc constat.* Azor *qu.*5. *cit.* Moneta *cap.*5. *cit. num.*3. Ric. *in praxi rerum fori Eccles. decis.*605. *aliàs* 429. Molfesius *tract.*6. *cap.*4. *num.*38. Castro Palao *tom.*2. *tract.*10. *punct.*11. *num.*3. Raphaël de la Torre 2.2. *q.*87. *art.*4. *disp.*6. *n.*11. Barbosa *loc. cit.* Fagund. *n.*2. & alij omnes suprà citati. Qui idem docent, ac dicunt de patrimonio, ex cuius titulo quis fuit ordinatus, de quo infrà.

Qvæstio XXII.

An si huiusmodi prædia, ac possessiones, titulo sæculari à Clericis possessa, sint sita intra territorium Ecclesiæ, cui inseruiunt, teneantur tunc Clerici, ex dictis prædijs, ac bonis, soluere decimas?

Negant, Alens. 3. *part. q.*51. *m.*7. *art.*2. quem citat, & sequitur Angelus *ver. decima num.*7. Syluest. *verb. eod. num.*13. *qu.*7. & Sà, *num.*2. vbi sic ait: *Decimas non debet Clericus, ex fructibus Ecclesiæ, nec ex patrimonio si Ecclesiæ seruiat, cui debentur decimæ: standum tamen consuetudini præscriptæ in ijs, & similibus.* Ita Sà & Lessius *de iust. lib.*2. *cap.*39. *dub.*5. *n.*23. Quorum sententia approbat Barbosa *in c. Nouum genus*, citatum, *num.*2.

Sed, probabiliùs longè Respondeo: Teneri etiam tunc. Quia etiam in eo casu, possident Clerici dicta prædia, & possessiones, &c. titulo sæculari; sed bona, quæ titulo sæculari sunt possessa, per se sunt affecta onere decimarum; ergo cum hoc onere transeunt ad quoscumque, siue Clericos, siue laïcos transeant. Sic docent expressè Glossa *in cap. Nouum, de decim.* D. Th. 2.2. *q.*87. *art.*4. & ibi Aragon. Sotus *lib.*9. *de iust. q.*4. *art.*4. Couarruu. *lib.*1. *var. c.*18. *n.*8. Gutierrez *lib.*1. *qq. Can. cap.*21 *num.*52. Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*39. *dub.*5. (non 51. vt leges apud Fagundez) *num.*23. Suarez *tom.*1. *de Relig. tract.*2. *lib.*1. *capit.*57. *num.*22. Filliuc. *tract.*27. *cit. c.*8. *num.*178. Fagundez, *de præcepto* 5. *Eccles. lib.*2. *cap.*2. *num.*4. Trullench *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. *dub.*10. *num.* 2. Barbosa *lib.*3. *de iure Eccles cap.*26. §.3. *num.*10. & in cap. *Nouum genus, cit. n.*2. *vers. Per contrarium.* Castro Palao *tom.*2. *tract.*10. *punct.*11. *num.*4. *vers. Vnde fit.* Raphaël *loc. cit. num.*12. & alij.

Qvæstio XXIII.

An Clericus teneatur soluere decimas de fructibus prædij possessionis, aut terræ, ad cuius titulum fuit ordinatus?

Negat ex Glossa *in capit. Tuis, de præbend.* Riccius *part.*7. *collect. decis. collectan. mihi* 2628. *pag.*60. per hæc verba: Glossa hæc dicit, quòd de bonis patrimonialibus, ad quorum titulum fuit quis ordinatus, non soluitur de cæteris rebus Ecclesiæ. Ratio autem est, nam huiusmodi bona dicuntur quædam spirituales mercedes, & præmia pro seruitiis Ecclesiæ exhibendis. Sayr. *decis.*12. *de censib.* Amplia, quòd de his, neque soluitur collecta, Guid. Papa *decis.* 283. Antonin. *variar. Resol. lib.*1. *casu* 88. vbi fatetur sic fuisse decisum negotio maturè discusso in nostro Regno Neap. & latè diximus *decis. Curia Archiep.* 292. *part.*2. Sic ille.

Affirmant tamen è contrà teneri soluere; nisi aliàs deseruiat Clericus Ecclesiæ, cui tales debentur decimæ, Authores nuper pro prima sententia adducti, præcipuè Sà, & Angelus *loc. cit.* dicentes, teneri dare decimas Clericos, de rebus patrimonij sui, nisi deseruiant illi Ecclesiæ, cui debentur.

Sed, iuxta nuper dicta, probabiliùs longè Respondeo: Teneri quidem soluere decimas de fructibus sui patrimonij; eoam casu, quo deseruiat Ecclesiæ, cui tales decimæ debentur. *Primò.* Quia tale patrimonium possidetur titulo sæculari. *Secundò.* Quia Ecclesia non debet defraudari re sibi debita, ob susceptionem ordinum: ergo ex fructibus illius debentur decimæ. Sic Barbosa *loc. citat.* & penes ipsum, Riccius *in praxi rerum fori Eccles. decis.*605. *in* 1. *edit. aliàs Resol.*429. *in* 2. *edit.* Sed certè hic Author oppositum dicit loco à nobis citato, vt vidimus. Tenent etiam Fagundez, Trullench, Suarez, *loc. cit.* Bonacin. *disput. vltim. de præceptis Eccles. q. vltim. punct.*7. & penes ipsum, Molfes. Moneta, Cœpolla, & alij.

Qvæstio XXIV.

An Clerici simplices, teneantur, ex vi iuris communis, ad decimas personales?

Affirmant absolutè Couarruu. *lib.*1. *var. cap.*17. *n.*8. *vers. Primum hinc constat*, existimans, Clericos, etiam simplices, ex vi iuris communis, teneri ad decimas omnes personales; per hæc verba: Primùm hinc constat, consuetudine induci posse, vt Clerici à personalibus decimis sint immunes, licèt iure

canonico, etiamsi sint Ecclesiarum rectores, eas soluere teneantur text. à quibusdam ita intellectus, in capit. *Nouum genus*, *de decimis*. Vbi Abbas post Innoc. quem sequuntur Card. conf. 90. Host. Abbas, & alij communiter, &c. Ita Couarru. Vnde malè illum citat Fagundez *cap. 2. cit. n. 6.* dicens, Doctissimum Couarruuiam sentire, ac docere, Clericos simplices, iure communi esse exemptos a decimis personalibus; oppositum namque asserere, ex verbis ipsius relatis, manifestum fit. Affirmant etiam Raphaël *disp. 6. cit. num. 11.* & alij penes ipsum.

Sed clariùs ego, cum distinctione Respondeo: Dicendum; teneri quidem Clericos simplices, ex vi iuris communis, ad soluendas decimas personales, de actione lucratiua corporali; non verò de actione lucratiua spirituali. Sic communiter Doctores, qui id colligunt ex cap. *Nouum genus*, *cit.* In cuius posteriori parte dicitur. Clericos, qui ab alijs Clericis recipiunt Sacramenta, decimis esse obnoxios: Sed sic est, quòd Clerici simplices tenentur de iure, recipere Sacramenta pœnitentiæ, & extremæ vnctionis à suis Parochis: ergo, & tenentur illis eas decimas personales persoluere, quæ ab alijs sæcularibus illis dantur pro receptione horum Sacramentorum, (hoc est, non ratione rei possessæ, sed ratione operis, & laboris, in eorum commodum impensi) de his bonis, quæ titulo sæculari, & artificio corporali, lucrantur: non verò de illis bonis, quæ titulo, & actione spirituali, pro Missarum cantu, pro defunctis tumulandis, acquiruntur. Sic Canonistæ communiter *in d. cap. Nouum genus*. Hostiensi. Anton. Abbas, Henric. Card. Couarru. Gutierr. & Rebuff. Et etiam Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 87. *art. 4.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 4. art. 4.* Quos omnes refert, & sequitur Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 17. n. 21.* Quibus addi possunt Moneta *de decim. cap. 5. num. 4.* Fagundez *de 5. præcepto Eccles. lib. 2. cap. 2. num. 5. & 6.* (non 2. vt inuenies apud Barbosam) Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 1. num. 2.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 10. num. 8.* Filliuc. *tract. 27. 2. part. capit. 8* (non 7. vt leges apud Trullench) *quæst. 4. num. 170.* vbi sic ait: Dico quartò. Clericos non debere decimas personales, ex lucris spirituali ministerio acquisitis: ex lucris autem temporali titulo quæsitis, iure communi obligantur: Et si de consuetudine, licitè excusentur. Sic ille, & Barbosa *§. 3. cit. num. 11.* & alij Aduertendum ergo est, quòd alicubi non viget consuetudo, non soluendi decimas personales, ibi obligabitur, communiter: vbi autem viget, non.

Qvæstio XXV.

An Pauperes, communi, ac tolerabili paupertate laborantes, teneantur ad soluendas decimas?

Respondeo tanquam certum: Teneri saltem si solutis decimis, ad congruam sustentationem personæ, & familiæ, necessaria habeant. *Primò.* Quia decima soluitur quasi debitum, *cap. Parochianos, de decim.* Sed in ratione debiti, non habetur ratio paupertatis, nisi post cessionem bonorum; vt habetur *toto tit. ff. de cessio. bonor. & in cap. Odoardus, de solut.* ergo. *Secundò.* Quia pauperes, non eximuntur à tributis Regijs soluendis: ergo neque eximi debent à solutione decimarum. Sic tenent omnes Doctores, S. Thom. 2. 2. *q. 87. art. 4.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 4. art. 4.* Sylueſt. *v. decima, num. 10.* Alex. Alens. *3. part. quæst. 51. Mem. 7. art. 1.* & ex illo Angel. *v. decima, n. 7.* Rebuff. *tract. de decim. q. 5. n. 14.* Moneta *c. 5. n. 28.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 16. num. 15. & 26.* Fagundez *de 5. precept. Eccles. lib. 2. cap. 3.* Filliuc. *tract. 27. 2. part. c. 8. quæst. 5. n. 166.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 10. num. 9.* Layman *lib. 4. tract. 6. c. 3. num. 3. vers. Restat quæst.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. quæst 87. art. 2. disp. 3. num. 1.* Barbosa *lib. 3. de iure Eccles. cap. 26. §. 3. num. 2.* & alij, tam Theologi, quàm Canonistæ omnes. Riccius *collectan. 391. part. 6.* Sic dicens: Vnde nemo à solutione decimarum exemptionem prætendere potest. Paponus *lib. 1. tit. 12. arresto 2.* Guido Pap. *in decis. 266.* Et sic paupertas à decimarum solutione non excusat, nisi sit extrema mendicitas, quia tunc Clerici ob tantam inopiam ipsis pauperibus succurrere debent. Franc. Marc. *in decis. Delph. 198.* Sic Riccius, & alij.

Qvæstio XXVI.

An saltem pauperes, qui extrema, vel quasi extrema necessitate, laborant; à solutione decimarum eximantur?

Respondeo Tanquam certum, Eximi. Quia cùm in hac necessitate communia sint omnia, non tenentur pauperes cum illa, soluere decimas. Sic docent omnes, vt testatur Machado *lib. 2. part. 4. tr. 11. docum. 4.* per hæc verba: [Se ha de aduertir, que todos conuienen, y enseñan por regla general, que quãdo la necessidad, que padeciere alguno fuere extrema, ô quasi extrema, para sustentar su persona ô familia, pueda entonces licitamente retener los diezmos, y no pagarlos, porque en semejante ocasion el mismo derecho, *cap. sicut q. 47. dist. 1. 2. ff. ad l. Rod. de iactu*, nos franquea todos los bienes por comunes:] Sic Machado, Et ante ipsum Fagundez *cap. 3. cit. num. 2.* Suarez *c. 16. num. 17.* Filliuc *quæst. cit. num. 166.* Castro Palao *tom. 2. tract. 10. disput. vnica punct. 11. num. 2.* Trullench *num. 9. cit.* Rebuff. *num. 14. citato.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. quæst. 87. art. 4. disput. 3. num. 2.* & alij.

Qvæstio XXVII.

An pauperes, qui, ob extremam, vel quasi extremam necessitatem, quam habebant, decimas Ecclesiæ non præstiterunt; teneantur postea, si ad pinguiorem fortunam deuenerint, illas reddere, ac restituere?

Affirmant Rebuff. *tract. de decim. q. 5. num. 14.* Fagundez *de 5. præcepto lib. 2. cap. 3. num. 2.* & latius *in 7. præceptum. Decal. lib. 7. c. 26. n. 7.* Trullench, & Machado *loc. cit.* Quia probabilius, saltem, existimant, quod accepta, & consumpta in extrema necessitate, sint postea restituenda; redeunte meliori fortuna; ergo, & pauperes, qui in extrema necessitate consumpsere decimas, debent illas restituere, si ad meliorem fortunam redeant. Consequentia est euidens. Antecedens verò latè probat Fagundez *c. 26. cit. à num. 5.* & ante illum, quamplurimi Authores, quos ibi ipse citat, nempe Ioan. de Medina *C. de Rest. q. 5.* Nauarr. *in Man. cap. 17. num. 61. & in Apolog. de reddit. Eccles. monit. 4. quæst. 2.* Tolet. *lib. 5. cap. 24. num. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 16. dubit. 1. num. 8.* Bellarm. *tom. 3. lib. 3. de bonis operibus cap. 8.* Vasquez *opusc. de eleemosyna c. 1. dub. 6.* & Malder. *tract. 4. c. 7. dub. 1.* Quibus addi possunt Couarru. *in Reg. Peccatum, part. 2. §. 1. num. 4.* Adrian. *in 4. de restit. §. Quia dictum* & alij.

Sed probabiliùs Respondeo: Nõ teneri. Quia probabilius est, quòd ille, qui, in casu necessitatis extremæ, accepit

accepit alienum, & illud consumpsit; posteà, etiam redeunte meliori fortuna, non teneatur aliquid restituere: ergo à fortiori idem in nostro casu est dicendum. Consequentia est euidens. Antecedens verò, probatur. *Primò*, ratione. Quia qui in extrema necessitate aliquid accepit, & consumpsit, nec tenetur restituere ratione acceptationis, quæ iusta fuit; nec ratione rei acceptæ, quæ consumpta iam est, vt supponimus, & consumpta tunc, non vt res aliena, sed vt propria, cùm in extrema necessitate, omnia sint communia: ergo ex nullo capite tenetur ad restitutionem. *Secundò*. etiam authoritate, quia illud docent, apud ipsummet Fagundez grauissimi Doctores, nempe Sotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. §. Ad argumenta* Salon *2.2. q. 66. art. 7. concl. 1. controu. 1.* Aragon. *2.2. quæst. 32. art. 5.* Azor *tom. 2. lib. 12. cap. 8. quæst. 7. & cap. 9. quæst. 1.* Sotus *lib. 4. de iust. qu. 7. art. 1. ad 4.* Sayrus, *lib. 10. tract. 5. cap. 6. num. 12. & 14.* Suarez *in materia de Charit. disp. 7. sect. 5.* & Sylnest. *verb. Restitutio. 5. nu. 4.* His addi possunt Ægid. *disp. 27. dub. 10. num. 166.* Castro Palao *tom. 1 tract. 6. disp. 2. punct. 10. num. 3.* Hurtad. de Mendoza. *in 2.2. disp. 159. §. 63.* & alij quos citat, & sequitur Diana *par. 5. tract. 8. Res. 8. & 9.* Bonacina etiam *disp. 3. de Charit. q. 4. punct. 6. num. 16.* & alij plures.

Sed, loquendo de casu nostræ quæstionis in specie, nostram sententiam docent Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. c. 16. num. 17.* Filliuc. *tract. 27. 2. part. cap. 8. quæsit. 3. n. 166.* Layman *lib. 4 tract. 6. cap. 3. nu. 6. vers. Id vero discrimen.* Palao *tom. 2. tract. 10. disput. vnica, punct. 11. n. 2.* Raphaël de la Torre *in 2.2. q. 87. art. 5. disp. 3. num. 3.* vbi ait, oppositum, esse apertè falsum.

QVÆSTIO XXVIII.

An non solùm pauperes, qui sunt in extrema, vel quasi extrema necessitate; sed etiam illi, qui sunt in graui necessitate, hoc est, qui non habent necessaria ad suam, & suorum congruam sustentationem, eximantur à solutione decimarum?

NEgant Panormitan & Ioann. Andr. *in cap. Cum homines, n. 5.* Rebuff. *de decimis, q. 5. n. 14.* & alij, quos citat, & sequi videtur (saltem in summario capitis) Fagundez *de 5. præc. lib. 2. c. 3. n. 1.* Machado *l. 2. p. 4. tr. 11. docum. 4. n. 3.* Riccius *p. 6. collect. decis. 2391.* vt vidimus nuper *q. 25.* & alij.

Sed æquè probabiliter, respondeo: Etiam illos pauperes, qui sunt in graui necessitate, excusari, & eximi à solutione decimarum, donec ad meliorem fortunam venerint. *Primò*. Quia solutio debiti ex iusto titulo contracti, optimè differri potest, ob grauem necessitatem, aut inopiam debitoris; sicut etiam illi, qui rem alienam possidet, & non potest reddere statim, sine magna iactura personæ, vel status, potest differre redditionem illius: ergo idem dicendum est, in debito decimarum.

Secundò. Quia credibile non est, piam Matrem Ecclesiam velle cum tanto rigore obligare pauperes ad soluendas decimas, vt etiam ex rebus sibi moraliter necessariis, illas soluere teneantur, & posteà mendicatò illas postulare: nam priùs tenetur quisque se alere, quàm alium.

Tertiò. Quia ipsimet Parochi sunt obligati ad subueniendum Parochianis suis tanta necessitate pressis: ergo rationabiliter non possent Parochi iniquo animo ferre, quòd Parochiani, ante retineant, quod ipsis tribuendum, ac concedendum esset. Sic Suarez *capite 16. citat. numero 16. & 18.* cuius sententiam non audet reprobare Fagundez; imò potiùs illi satis fauet, cùm argumentis contrariæ sententiæ respondeat. Vnde in re eam amplecti videtur. Filliuc. *cap. 8. cit. num. 166.* Layman *cap. 3. cit. num. 6.* Et anteà Molendus, antiquissimus, & doctissimus Canonista, quem pro hac parte, citat, & sequi videtur Innoc. III. *in cap. licet de censibus.* Sic etiam Castro Palao *tom. 2. tract. 10 punct. 11. n. 2.* & Trullench *cap. 3. cit. dub. 10. num 9. vers. verisimile tamen.* Quamuis in fine addat, hanc opinionem, perquam rarissimè, & maxima circunspectione, & cum sapientum consilio esse practicandam, propter periculum abusus, & quòd omnes se fingerent pauperes, cum maxima iactura Ecclesiarum. Sic ille, & benè. Facit etiam pro hac parte, id quod ex Anton. de But. & Dom. Abbate, docet Decius, *in cap. Ex Epistola, de probationib. num. 216.* nempe, quòd Decimæ non sint exigendæ à pauperibus, sed remitti debeant. Sed sic est, quòd etiam illi, qui sunt in graui necessitate, sunt vel pauperes, vt constat: ergo.

QVÆSTIO XXIX.

An in prædicto casu, in quo huiusmodi pauperes, propter grauem inopiam, & necessitatem, non soluunt decimas; teneantur, si ad meliorem fortunam deueniant, integrè illas reddere, & restituere?

NEgatiuam partem esse probabilem clarè innuit Filliuc. *num. 166. cit.* dum contrariam affirmatiuam, solùm probabilem vocat, his verbis: Et licèt verisimile sit, eos, qui non habent necessaria ad congruam sustentationem, non obligari ad soluendas decimas cum tanto rigore, vt ex antiquo Canonista moderatur hanc obligationem Suarez *loc. cit. num. 16. & 17.* tamen si posteà ad pinguiorem fortunam venerit, probabile est teneri, ad eas integrè restituendas, & interim necessitatem suam comprobet Ecclesiæ pastoribus. Ita ille. Ex cuius verbis clarè constat sentire hunc Authorem, negatiuam partem esse probabilem.

Sed tanquam certum omninò Respondeo: Teneri ad restitutionem, redeunte meliori fortuna. Quia licèt in extrema necessitate omnia sint communia, & fiant veluti propria; & ideò, quæ in illa sunt accepta, & consumpta, innoxia sint restitutione, adhuc redeunte bona fortuna; non verò sic, in necessitate graui; quia in illa, non fiunt omnia communia, & propria; & ideò quæ in tali necessitate quæ sunt alterius, consumuntur, cùm consumantur, vt res alienæ semper manent restitutioni obnoxia, & obligata. Sic vt certum docent Suarez, *num. 18. vers. In hoc vero casu,* Trullench, *num. 9. cit.* Layman *loc. cit. num. 6.* Sic dicens: Id verò discrimen est, inter inopiam grauem, & extremam, quòd qui extremam patitur, obligatione omninò liberatur: qui verò grauem tantùm, non simpliciter, sed donec opulentior factus fuerit. Sic ille. Et sic omnes Doctores vtriusque sententiæ *q. 28.* citati: Sed præcipuè, & à fortiori, primæ.

QVÆSTIO XXX.

An Religiosi, & Clerici in communi viuentes, ex antiquissimo iure, exempti fuerint à decimis illorum prædiorum, ac terrarum, quas ipsimet ad sui sustentationem colebant?

REspondeo: exemptos fuisse à decimis prædialibus, illarum terrarum, quas ipsi suis expensis, vel

manibus propriis colebant; siue dictæ terræ fuissent propriæ eorum, siue conductæ. Quia sic habetur in cap. *Decimas 16.q.1. & cap. ex multiplici, de decimis:* vbi Adrianus II (vel, vt alij volunt, IV.) dicit, se concessisse hoc priuilegium Cisterciensibus, ibi: *Idem Abbas à nobis priuilegium obtinuit, vt de laboribus, quos proprijs manibus, aut sumptibus excolunt, nulli decimas soluere teneantur.* Et eiusdem priuilegij meminit Alexan. III. *in cap. Ex parte 10. de decimis*; dicitque priùs fuisse concessum à prædecessoribus suis (nempe à Paschalio, & Gregorio *16. quæst. 1. cap. Decimas, & 12. q. 1. cap. Quia tua.* vt tenet Glossa *in cap. Ex parte cit. verb. Prædecessores.*) ferè omnibus Religiosis, & posteà ab Hadriano prædecessore suo solis fratribus Cisterciensis ordinis, & Templariis, & Hospitalariis idem priuilegium concessit. Cæteris verò Religiosis; *vt de nonalibus suis quæ proprijs manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persoluant.* Igitur ex priuilegio antiquissimo, iure communi inserto, Monachi, aut Religiosi, aut Clerici in communi viuentes, exempti erant; non solùm à decimis personalibus, vt constat *ex cap. Decimas, 16. quæst. 1.* & omnes fatentur; verumetiam à decimis prædialibus earum terrarum, quas ipsi proprijs manibus, aut expensis colebant, siue propriæ fuerint dictæ terræ, siue conductæ. Sic tenent Gloss. *in capit. Decimas, cit. verb. Nutrimenti*, & ibi Turrecrem. Rebuff. *tract. de decimis, quæst. 5. num. 7. & 15.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 18. num. 3. & 5.* Quos refert, & sequitur Fagundez *de præc. 5. Eccles. lib. 2. cap. 3. & à n. 7. vsque ad 9.* vbi, dictum priuilegium, cum præcitatis Authoribus ad hospitalia pauperum, & leprosorum communiter in Hospitali viuentes extendit. Legantur Gutierrez *lib. 1. Canon. q. cap. 21. n. 136.* Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 12.* & Raphaël de la Torre *2. 2. q. 87. circa omnes articulos, disp. 1. n. 3. pag. 574.* Barbosa *in c. ex parte, de decim.* & alij penes ipsum.

QVÆSTIO XXI.

An ex iure moderniori, teneantur iam prædicti Monachi, aut Clerici in communi viuentes, soluere decimas de prædiis, etiam illis, quæ propriis manibus, aut expensis colunt?

RESpondeo: Ex iure moderniori teneri ad soluendas decimas de omnibus prædiis, ac terris alienis, quas propriis expensis colunt; ac etiam de propriis terris post Concilium Lateranense acquisitis. Sic enim præfatum priuilegium datum ab Alexandro III. & ab aliis Pontificibus, Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis relatum in antecedenti quæstione, coarctauit Innocentius III (non I. vt bis repetitum apud Fagundez inuenies) cum Concilio Lateranensi, *in cap. Nuper, de decimis*, ibi: *Ne occasione priuilegiorum suorum, Ecclesiæ vlterius prægrauentur; decernimus, vt de alienis terris, & à modo acquirendis, etiamsi eas proprijs manibus, aut sumptibus excolant, decimas persoluant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur: nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus priuilegijs, extendi volumus, & mandamus,* &c. Sic text. Per illum ergo, non solùm Cistercienses, Templarij, & Hospitalarij, sed etiam alij Regulares tenentur ad soluendas decimas de prædiis, ac terris acquisitis post Concilium Lateranense, si antea de illis decimæ soluebantur, etiamsi eas manibus proprijs colant: nisi aliàs aliquo nouo priuilegio (de quo infià) compositione, transactione, aut præscriptione, sint exempti. Sic omnes. Rebuff. *tract. de decim. q. 5. n. 7. & 29. & q. 14. num. 30. & 42.* Suarez *loc. cit. n. 5.* Gutierrez *lib. 1. qq. Can. c. 21. n. 136.* Fagundez *c. 3. cit. n. 10.* Lessius *lib. 2. c. 39. dub. 5. n. 23.* Trullench *lib. 3. in decal. c. 3. dub. 10. n. 7.* Barbosa *lib. 3. de iure Eccles. c. 26. §. 3. n. 10. & in c. Ex parte 1. n. 3.* Palao *punct. 12. citato n. 2.* Moneta *de decim. cap. 5. num. 11.* & alij communiter.

QVÆSTIO XXXII.

An Regulares, per priuilegium iure scriptum,* In c. Ex parte 1. de decimis, *eximantur nunc, post Concil. Lateranense, à solutione decimarum, de animalibus, quæ ipsi nutriunt?

NEgandum videtur. Eo, quòd dictum caput *Ex parte*; per caput, *Nuper, de decim.* videatur reuocatum.

Sed, Respondeo absolutè dicendum: Quòd eximantur. Quia id expresse Religiosis conceditur, *in d. cap. Ex parte*, vbi: *Et de nutrimentis animalium suorum, de hortis suis decimas non persoluant.* Et etiam, *in l. Regia 4. tit. 20. part. 1.* ibi: [Que todas las Religiones, qualesquier que sean, no deben pagar diezmos, ni de sus huertas, ni de los granados que crian.] Sic ibi. Et sic Petr. Gregor. *Syntagm. iuris, p. 1. lib. 2. c. 24. n. 7. & cap. 21. num. 10.* & Barbosa, *lib. 3. de iure Eccles. cap. 26. §. 3. n. 46.* Qui addit, hoc procedere de animalibus tantùm, quę deseruiunt pro vsu Monasterij, vt declarat expresse Abbas, *ibi. n. 3.* Ioan. de Anania, *n. 2.* Anchar *etiam. n. 2.* Rebuff. *d. q. 14. circa finem.* Moneta, *de decim. cap. 5. num. 17.* & etiam de animalibus, quæ ipsi Religiosi nutriunt suis sumptibus; non autem de illis, quæ dant aliis nutrienda, & tenenda. *Clem. 1.* vbi Glossa *verb. Animalibus, & verb. Teneri. de decim.* Abbas, *in d. cap. Ex parte in fine* & ibi Anchar. *num. 2.* Henric. Boich. *num. 2.* Butr. *in 3. notab.* Rebuff. *d. q. 14. num. 57.* Vbi dicit, quòd si dentur aliis tenenda, & custodienda, requiritur, quòd vesperi reducantur ad Monasterium; quod etiam tenet Moneta, *d. cap. 5. num. 14.* Rota *in Conchen. decimarum 23. Iunij 1614.* vbi ait dispositionem *dicti capitis Ex parte*, non esse reuocatum, *per d. cap. Nuper. de decim.* quoad hanc partem: quia ille textus loquitur de decimis prædialibus, & non gregum, circa quos nihil innouauit, vt expresse sensit Butr. *in d. cap. Ex parte*, propè finem. Huc vsque Barbosa. Sed an benè id limitet ad animalia, quæ solùm deseruiunt pro vsu Monasterij, infrà videbimus, *q. 50.* Ex iure ergo, exempti sunt Religiosi, etiam nunc, à solutione decimarum de animalibus, quæ ipsi nutriunt: quia illud cap. *Ex parte.* quantùm ad hanc partem, non est reuocatum, per caput *Nuper.* Ex quo constat ad rationem dubitandi. Quid autem dicendum, loquendo de priuilegiis de nouo Religiosis concessis, ex infrà dicendis patebit.

QVÆSTIO XXXIII.

An Sum. Pontifex possit eximere aliquos à solutione omnium decimarum?

RESpondeo Tanquam certum: Posse. Quia constat de facto multos exemisse, priuilegiis particularibus; vt patet per multa cap. Iuris, per cap. *A nobis, per c. Suggestum, per cap. Ex parte, per c. Ad audientiam, & per cap. Nuper, de decimis.* Vbi Pontifices saltem ex magna parte, aliquos à solutione decimarum exemerunt, & denotant, posse illos omnino à tali onere eximere. Deinde id amplius constat, ex quamplurimis priuilegiis Regularibus concessis,

de

de quibus infrà. Et tandem ex priuilegio concesso à Sum. Pontificibus, Regi Catholico pro Regnis Granatæ,& Valentiæ: ergo potestatem habent Summi Pontifices, ad eximendos aliquos à solutione decimarum. Sic docent omnes Canonistæ, in cap. *A nobis,cit.* Decius, *consil.*113. *num.*2. Stephanus Bertrandus, latè id probans, *volum.*6.*consil.*15. per totum,& penes ipsum. Hostiens. Ioan. Andr. Abbas, Henriq. Boich. Alez. de Imo. Angelus,& alij. Sic item, Riccius, *part.*6.*collect. decis.*1391. & penes ipsum Faber, *tit.*3. *decis.*1. Oldrad. *decis.*113. Reusner. *decis.*2.*lib.*4. Sic deinde Couarru. *lib.*1. *var. cap.*17.*num.*9. Gutterez, *lib.*2. *Can. qq. c.*21. *num.*26.*&* 130. Suarez, *lib.*1. *cit. cap.*18. *num.*— Lessius, *lib.*2. *de inst. cap.*39. *dub.*5. Fagundez, *de prac.*5. *Eccles. lib.*2. *cap.*4. *n.*1. Rodriguez, *tom.*2. *qq. Regul. q.*44. *art.* 4. Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.*26. *§.* 3. *num.* 12. *&* 13. *& in cap. Ex parte* 1. *de decim. num.*3. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.*3. *dub.*11. *num.*2. Molfesius, *tract.*6. *cap.*4. *nu.*42. *&* 43. & omnes.

Quæstio XXXVI.

An Religiosi, virtute suorum priuilegiorum, nunc de facto sint exempti à solutione decimarum prædiorum suorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus, colunt?

Respondeo: Esse exemptos. Quia omnes ferè Religiosi, per specialia priuilegia, à Sum. Pontificibus obtinuerunt exemptionem à solutione decimarum, prædiorum suorum, quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt, vt de multis referunt Miranda, *in Man. tom.*2. *q* 49. *art.*12. & ex illo Barb. vbi infrà, præcipuè, de priuilegiis concessis, Monachis Congregationis S. Bened. Vallisoleti à Clem. VII. anno 1530. Cistercienfibus à Sixto IV. Carthusianis, à Martino V. *anno* 1420. Fratribus B. Mariæ de Mercede, à Gregorio XI. *anno* 1373. (Quæ priuilegia nouissimè concessa fuerunt nostro Cœlesti Ordini Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum à bonæ Mem. Vrbano VIII. Quinto Kalen. Aprilis anno Domini 1634. Pontif. sui, anno vndecimo, de quo infrà.) Sic Barbosa *de iure Eccles. loc. cit. à num* 11. *& in cap. Ex parte, cit. num* 3. Vbi ait, sic decisum fuisse à Rota, *in Pampilonen. decimarum* 18. *Decembris* 1615. coram D. Coccino, præsertim propter priuilegia Sixti IV. ibi: *Singulares personas dicti Ordinis* (nempe, Cistercienfium) *præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante, & post Concilium, quàm de cætero habendis, quæ propriis sumptibus excolent.* Referunt hæc priuilegia Manuel Rodrig. *in Collectan. Bullarum Apostolic. pro Regularibus, Bulla* 5. *Martini V.* Regnat. Cophin. *de Sacra Politia, lib.*3. *tit.*2. *num.*8. Ioan. à Cruce, *in Epitome priuileg. lib.* 2. *cap.*9. *dub.* 4. Raphaël de la Torre, 2.2. *quæst.*87. *circa omnes art. disp.* 1. *num.*5. *pag.*575. Vbi addit idem priuilegium concessum fuisse à Mattino V. Monasterio Sanctæ Mariæ de Guadalupe ex Ordine D. Hieronymi, & à Pio V. Monasterio S. Laurentij vulgò, *del Escurial.* In quibus, omnia bona mobilia,& immobilia, annuos redditus, collata, seu conferenda, empta, seu emenda à solutione decimarum eximunt, etiam facta mentione capituli *Nuper.* Aduertit etiam idem Raphaël, ibi, & bene, quòd præfata, & similia priuilegia concessa vni Monasterio, de facto communicari omnibus aliis, quibus in specie concessa non sunt; quod bene etiam probat Rodriguez, *tom.*1. *qq. regul. qu.*45. *art.*9.

Quæstio XXXV.

An item, Religiosi, virtute suorum priuilegiorum, sint exempti à solutione decimarum, de omnibus prædiis, & possessionibus, etiam ab aliis conductis?

Respondeo, Esse exemptos Religiosos, qui hanc exemptionem à Sum. Pontificibus obtinuerunt, vt sunt Fratres de Guadalupe, & alij, qui idem, aut simile priuilegium consecuti sunt. Sic tenet expressè Ioan. à Cruce, *dub.*4. *cit. concl.*2. de quo latiùs infrà, *quæst.*49.

Quæstio XXXVI.

An item, Religiosi, virtute suorum Priuilegiorum, sint nunc omnino exempti à solutione omnium decimarum, prædiorum, terrarum, possessionum hortorum, etiamsi aliàs essent debitæ Papæ?

Negare videtur Riccius, 4. *part. collect. decision. collect.*1136. per hæc verba: Infertur secundò, quòd priuilegium de non soluendis decimis, intelligitur de extraordinariis, non autem de ordinariis; cùm istæ debeantur de iure diuino. Put. *decis.*65. *lib.*3. Ita Riccius.

Sed tanquam certum, Respondeo: Esse exemptos quamplurimos Religiosos ab omnibus decimis, tam ordinariis, quàm extraordinariis soluendis. Quia cùm hæc non debentur de iure diuino, vt sup. est habitum, optimè possunt Pontifices, de illis non soluendis priuilegium concedere: sicut de facto de nullis decimis soluendis, concesserunt Patribus Societatis Iesu, Summi Pontifices Paul. III. Pius IV. & Gregor. XIII. expressè derogando, *cap. Nuper de decimis.* Ipsi ergo Patres Societatis, & qui illorum gaudent priuilegiis, sicuti nostri Religiosi Discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum gaudent quia omnino eadem, & omnia priuilegia Societatis Iesu speciatim, & expressim nobis concessit, & indulsit Vrbanus VIII. *anno* 1634. nullo modo tenentur soluere decimas de eorum dominibus, prædiis, terris, possessionibus, hortis, ac aliis rebus, & bonis ab eis possessis, & possidendis, quamuis decimæ illorum summo Pontifici debeantur. Sic Fagundez, *lib.*2. *cit. cap.*4. *num.*1. *&* 2. Ioann. à Cruce, *in Epitome priuileg. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. *conc.* 3. Trullench, *lib.*3. *in Decalog. cap.*3. *dub.*11. *n.*3. Henriquez, *lib.*7. *de Indulg. cap.*27. Rodrig. *tom.*2. *qq. Regul. q.*44. *art.*4. *&* 5. *& tom.*3. *q.*74. *art.*16. Miranda, *in Man. Prælator. tom.*2. *q.*49. *art.*12. Villalob. *tom.* 2. *tract.*33. *diff.*4. *n.*5. Raphael de la Torre, *disp.* 1. *cit. n.* 7. *&* 8. *pag.*575. & alij.

Quæstio XXXVII.

An saltem prædicti Religiosi teneantur soluere decimas, de prædiis, terris, agris, aut possessionibus, quas aliis colendas tradunt?

Affirmant Trullench, *loc. cit. num.*3. & Barbosa, *lib.*3. *de iure Eccles. cap.*26. *§.*3. *num.*40. Qui, & refert pro se Suarium *de Religion. tom.*1. *tract.*1. *c.*19. *n.*12. Azorium, *p.*1. *lib.*7. *cap.*27. *q.*7. & Tamburinum, *de iure Abbatum, tom.*1. *disp.*15. *q.* 18. *sub n.*5. & probat hoc modo: Quia priuilegia exemptionis à solutione decimarum, sunt personalia, non autem realia, & ideò non transeunt ad Colonos, arrendatarios seu emptores prædiorum, aut fructuum, vt non

ſemel cenſuit Rota, & ſignanter, *deciſ.*23. *part.*2. *diuerſ.* & coram Seraph. *deciſ.*827. *num.*2. & in Placentina decimarum, 17. *Decemb.* 1584. coram Card. Blancheto, & in Pampilon. decimarum. 15. *Decemb.* 1615. coram Reuer. Domino Coccino Decano & in Leodin. decimarum, 20. *Decemb.* 1628. coram Card. Virili. Huc vſque Barboſa, ibi. Et poſtea repetens eadem verba in cap. *Licet, de decim. num.*1. & 2. citans pro ſe vltra citatos Doctores, Abbatem Antiq. Innocent. Collect. Zabarell. Ioan. Andr. Butr. Imolam, & alios Canoniſtas.

Sed, Reſpondeo: Dicendum. Quòd nullo modo teneantur ſoluere. *Primò.* Quia prædia, ſeu terræ, tum eodem priuilegio tranſeunt ad Colonos. *Secundò.* (Et eſt explicatio primi.) Quia huiuſmodi priuilegium exemptionis decimarum non eſt conceſſum perſonis Religioſorum, vt putat Barboſa: Sed terris ac prædiis religionum, vt conſtat, ex litera priuilegiorum: ergo ad quoſcumque Colonos hæc prædia, ac terræ tranſmiſſa fuerint, ſemper ſuæ exemptionis priuilegio tranſmittentur. Sic ſentit Gloſſa *in Clemen. Religioſi de decim. verb. Excolendas.* vbi ſic ait: *Puto. ſi eximuntur terræ priuilegiatorum, quòd ipſorum Coloni ab hoc onere colentes illas priuilegio participant.* Sic. Gloſſa. & Mendoſius, *tract. de priuileg. ad inſtar. Gloſſ.*15. *num.*4. Quos citat, & ſequitur Fagundez, *de* 5. *præc. Eccleſ. lib.*2. *c.*4. *num.* 1. Ioan. de Cruce, *cap.*9. *cit. dub.*4. *concl.*4. Sic dicens: Religioſi non tenentur decimare, etiam de terris, & poſſeſſionibus, aliis ad colendum traditis: imo ipſi poſſunt percipere Decimas, quas Coloni tenentur aliis ſoluere, etiamſi alij in poſſeſſione, vel quaſi, eas à Colonis exigendi fuerint. Ita conceſſit Ciſtercienſibus Bonif. VIII Bulla 10. & Ioann. XXII. Cartuſienſibus; vt habetur, in compendio Ciſter. *v. Decima*, §.4. Et idem Bonif. VIII. præcipit. Prælatis Eccleſiæ, vt cum cenſuris inhibeant ſuis ſubditis, ne à fratribus Hoſpitalis Sancti Ioannis decimas exigere præſumant de noualibus, vel aliis terris, quas ſuis ſumptibus, vel per ſuos arrendatarios, vel cultores ad tempus, & non in perpetuum excoli faciunt; vel de animalium nutrimentis, vel aliorum, à ſuis terris naſcentium, vel de hortis, virgultis, & piſcationibus, non obſtante longa præſcriptione, ſeu potiùs violentia, ſuprà dictis ex actione, eiſdem fratribus irrogata. Ita in Compend. Mend. *tit. decimæ*, §.17. & Emanuel Rodrig. *in qq. regul. tom.*2. *quæſt.* 44. *art.*4. Item Clem. VII. Bulla 10. concedit Ordini Militiæ Sancti Iacobi maius priuilegium circa hoc. Huc vſque, Cruz. Addens, ſic ſentire peritiſſimos Iuriſtas, & vt mihi videtur Riccius, *part.* 6. *collect. deciſ.* 2392. quatenus hæc ait: Si eſſet priuilegium, quòd de talibus territoriis non fiat ſolutio decimarum, quia eſt priuilegium reſpiciens territoria, illo gaudebunt etiam Coloni partiarij: ſecus ſi priuilegium reſpiceret perſonas priuilegiatas, quia tunc Coloni tenerentur ſoluere, vt voluit Rota, *in antiq. deciſ.* 876. Biſignet. *dec.*1. *tit. de decim.* Puteus, *deciſ.*522. d. Laurent. *in deciſione Auenionenſ.*77. Sic ille. Et ſic etiam ex Theologis Raphaël de la Torre, *q.* 87. *cit. diſp.*6. & etiam Villalob. *diff.*4. *cit. num.*5. per hæc verba: [Y concluye el Padre Miranda, que comunmente hablando, todos los Religioſos el dia de oy tienen priuilegios para no pagar diezmos. Y no obſta contra eſto vna declaracion de Cardenales, que trae Marcilla; porque eſſa ſe ha de entender de derecho comun. De ſuerte, qué ni los Religioſos, ni los que arriendan ſus campos, eſtan obligados a pagar los diezmos al Parroco. Y dize Henriquez que aſſi ſe juzgò el año de 83. en Salamanca: y tambien ſe iuzgò en Baeça, y en Murcia. Y dà la razon, diziendo, que eſte priuilegio de los diezmos, no es perſonal, ſino real, y aſſi paſſa con la miſma coſa.] Sic ille.

Nec eadem eſt ratio de emptoribus prædiorum à Religioſis; illi namque tenentur ad decimas illorum prædiorum, ſoluendas, cùm illa per alienationem, non maneant priuilegiata, vt infrà, *quæſt.*55. dicemus.

Nec, contra noſtram reſolutionem, ſunt Suarez, Azor, & alij, citati pro prima ſententia, à Barboſa; quia illi loquuntur de ſolis priuilegiis iure communi inſertis, de quibus loquendo, certum eſt, Colonos non eximi ab onere decimarum, cùm illa priuilegia, expreſsè concedantur Religioſis, ſub illa conditione, vt propriis laboribus, hoc eſt, manibus, & expenſis prædia colant; vnde ſi per Colonos id faciant, tenentur ipſi Religioſi ſoluere decimas de fructibus, quos ipſi percipiunt, vt habetur expreſsè, in cap. *licet de decimis*, & etiam ipſi Coloni de illa parte fructuum, qua fruuntur iuxta, *c. A nobis, & c. Tua. eo tit.* Hoc enim vt dixi, eſt verum attentis priuilegiis, iure communi inſertis; non verò ſi attendamus ad alia ſpecialia, poſteà Religionibus conceſſa, in quibus, vt vidimus, eximuntur à ſolutione decimarum de ſuis prædiis ac terris, etiamſi per Colonos ea excolant. Et id fortè ſolùm voluit Barboſa. Sicuti deciſiones Rotæ ab eo relatæ id ſolùm ſenſere. Legatur. Suarez, *loc. cit. à num.*13. & me citato, Diana *part.*10. *tract.*12. *Reſol.*51. & alij plures, quos ipſe citat.

QVÆSTIO XLI.

An huiuſmodi priuilegium exemptionis ab onere decimarum ſpeciatim conceſſum fuerit olim terris, prædiis, ac poſſeſſionibus noſtri Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis?

RESpondeo affirmatiuè. Nam imprimis Innoc. III. Pontifex maximus, qui primo ſui Pontificatus anno noſtram propriam Regulam, & Religionem approbauit, eamdem ex parte ab onere decimarum benignè liberauit per ſuam Bullam expeditam, anno 10. ſui Pontificatus, *V. Cal. Iulij.* Vbi ſic habetur: Sanè noualium veſtrorum quæ propriis manibus, aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis animalium veſtrorum, hortorum, vel pomorum fructibus, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat. Sic Pontifex, vt referunt Fratrer Bernardinus à S. Antonio in Epitome noſtri Ordinis, *lib.*1. *cap.*3. & Cherubinus in compendio Bullarum.

Verum eſt, quòd poſt datum hoc priuilegium, fuit celebratum Concilium Lateranenſe ab ipſomet Innoc. III. *anno Domini* 1215. & ſui Pontificatus *anno* 18. vbi, vt habetur *in c. Nuper de decimis*, quoad aliquam partem reuocatum fuit cum reuocatione generali, ſimilium priuilegiorum. Sed poſt dictum Concilium, idem priuilegium, conceſſit noſtro Ordini Innoc. IV. *anno Domini* 1247. (vt refert dictus Bernardinus, *lib.* 3. *Epit. c.*1. §. 3.) per quod Pontifex nos liberauit à decima, & centeſima, quæ pro ſubſidio terræ Sanctæ, & Imperij Romani colligebatur. Idem conceſſit Sixtus IV. *anno* 1472. *idibus Aprilis*, *Pontificatus ſui anno* 1. vt refert idem Bernardinus, *c.*1. *cit.* §.19. quamuis id concedat hic Pontifex, cum moderatione Concilij Lateranenſis. Rurſus, Greg. XIII. *anno* 1575. *die* 18. *Nouembris*, & Sixtus V. *ann* 1586. *die* 8. *Maij*, confirmarunt omnia priuilegia noſtri Ordinis, etiam ab Innocent. III. conceſſa, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam generalis Concilij Lateranenſis, vbi (vt vidimus) habitum

fuit

fuit id, quod decernitur, *in cap. Nuper de decimis*: ergo ex vi doctorum priuilegiorum exempta manet nostra Religio ab onere decimarum.

QVÆSTIO XLII.

An etiam, nouissimè concessum fuerit nobis dictum priuilegium non decimandi?

RESpondeo affirmatiuè. Nam id concessit nobis Vrbanus VIII. per specialem Bullam expeditam *anno Domini* 1634. *Quinto Cal. Aprilis, anno* 11. *sui Pontificatus*. In qua expresse, speciatim, & nominatim concedit nobis omnia priuilegia cæterarum omnium Religionum, præcipuè Societatis Iesu: at sic est, quòd hæc Illustrissima Religio habet priuilegium non soluendi decimas, cum derogatione *Capitis Nuper, de decimis*, vt suprà, *qu.* 36. est ostensum: ergo illud & nos expressè habemus. Quòd autem id nobis concessit prædicto modo Vrbanus VIII. constat ex verbis Bullæ, ibi: * Ex voto Congregationis ven. rabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum Congregationi Fratrum Discalceatorum prædicti Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illa comprehensis, necnon Ministro Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, ac Procuratoribus Generalibus. Visitatori, Consultoribus, Assessori, Ministrisque Prouincialibus, & Conuentualibus, aliisque cuiuscumque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in ea professis, * Fratribus pro tempore ad captiuos redimendos transmissis * & Capitulis Generalibus, personis Regularibus, Nouitiis, Conuersis, Donatis, Oblatis, Ministris, Famulis, cunctisque tam officiariis, quàm domesticis, & eorum Domibus inseruientibus & cæteris primò dictæ Cōgregationis, ac Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusuis aliis personis, ac Christi fidelibus illorum Ecclesias, seu Capellas pro tempore visitantibus, * vt omnibus, & singulis priuilegiis, libertatibus * immunitatibus, exemptionibus præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, fauoribus indulgentiis, aliisque prærogatiuis, & gratiis vniuersis, & singulis tam spiritualibus, quàm temporalibus, singulis Domibus, Conuentibus, & aliis Regularibus locis, ac personis, tam Canonicorum, quàm Clericorum Regularium vbiuis existentium institutis, & non solùm Ordinibus Monasticis, Regularibus * Mendicantium, & non Mendicantium, tam pro redimendis captiuis, quàm aliàs quomodolibet Ordini SS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, illiusque Domibus, Conuentibus, & Fratribus, necnon Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum * ac etiam omnibus, & quibuscumque Congregationibus Regularibus, & præcipuè * Clericorum Regularium infirmis ministrantium * & Canonicorum Congregationis Sanctissimi Saluatoris Lateranensis, Sancti Saluatoris de Bononia, ac etiam Sancti Rufi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Culimbriæ, Clericorum Regularium de Somascha, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum Piarum, ipsisque Monasticis Congregationibus * etiam Casinien. aliisque Monachis, & Monasteriis Sancti Benedicti, Sancti Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conuentui Beatæ Mariæ de Gaudalupe, necnon Societati IESV, ipsisque Carthusiens. * Præmonstraten. & reformatorum Cistercien. Seruitarum, Oliuetanorum Ordinibus, aliisque Familiis, & Societatibus Regularibus, Militiis, Hospitalibus quibuslibet, & Piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, necnon eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de latere Legatos, & quosuis Sedis prædictæ Nuncios * vel etiam tam Apostolica prædicta, quàm Oordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus respectiuè, aut aliàs quomodolibet * sub quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, tam per modum Communicationis, & ampliationis, quàm simplicis, & indiuiduæ, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis * & quibus illi tam in vita, quàm in mortis articulo etiam circa peccatorum remissiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes * aut aliàs quomodolibet de iure, vsu, aut priuilegio, vel consuetudine, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum * quamuis illa sint specialì nota digna difficiliusque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt * non solùm per participationem, communicationem illorum, extensionem, & illorum instar * sed speciatim, & nominatim, pariformiter, & æquè principaliter, in omnibus, & per omnia absque vlla prorsus differentia, perinde ac si illa primo dictæ Congregationi, illiusque Capitulis Generalibus, Ministróque Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis præfatis specialiter, expressè, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & indiuiduæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in vsu, ac non reuocata, nec sub aliqua reuocatione comprehensa, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. * Sic Pontifex.

Ergo clarè constat, nunc ex concessione nouissima dicti Vrbani VIII. eademmet priuilegia quæ Societas IESV habet, & nos habere. Sed quia de hac materia, latè, & perdoctè scripsit, ex nostra Religione, Religiosissimus, paritérque Doctissimus, & in rebus præcipuè moralibus, vndequaque versatissimus, Ludouicus à Conceptione in nostro Complutensi Collegio dignissimo Lectore, ideò de illa nolo longiorem quæstionem texere; ad illum vos remittendo, vbi non solùm de hac materia, sed de pluribus aliis, multa, & quam perdoctè tractata videbitis.

QVÆSTIO XLIII.

An etiam, omnes Moniales, exempta omnino sint à solutione Decimarum; sicuti sunt Religiosi?

RESpondeo: Esse exemptas. Quia id concessit Monialibus Sanctæ Claræ Bonif. VIII. *Bulla* 3. vt refert Ioann. à Cruce, *dub.* 4. *cit. conclus.* 4. necnon, & Leo. X. *Bulla* 23. Clement. VIII. & Paul. III. & Sixtus IV. vt referunt Emanuël Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 44. *art.* 5. & *tom.* 3. *qu.* 34. *art.* 15. Miranda, *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 49. *art.* 13. Hieron. Rodrig. *in Comp. quæst. Regul. Resol.* 50. *numer.* 4. Portel. *in dubiis Regul. v. decimæ, num.* 3. Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. *§.* 1. *num.* 36. & *in cap. Ex part.* 1. *sub numer.* 5. Vbi ait, sic, loquendo de dictis Monialibus S. Claræ, decisum

 fuisse

fuisse à Rota, *in Conchen. exemptionis decimarum*, 30. *Ianuarij* 1589. & ab eadem Rota canonizatum, *in ead. causa* 12. *Maij* 1623. Coram Buratto. Et Villalobos, *tract.* 33. *cit. diff.* 4. *num.* 5. *ibi*: [Y lo mismo se ha de dezir de las tiercras de las Monjas (*es à saber, que estan essemptàs de diezmos*) porque tambien tienen priuilegios, como consta del compendio, y lo aduierte Portel. Y esto està en vso en algunos Conuentos, como en santa Clara de Pontauedra en el Reyno de Galicia.] Sic ille. Quamuis Portel. *loc. cit.* dicat, in Portugallia praxim esse in contrarium pro decimis soluendis, à Monialibus de possessionibus à Colonis conductis. Legantur Barbosa, Man. Rodrig. Villalob. *loc. cit.* & Raphaël de là Torre, 2.2. *q.* 87. *in principio, num.* 9.

QVÆSTIO XLIV.

An Pontifex possit etiam eximere populum aliquem à solutione Decimarum?

RESpondeo, tanquam certum: Posse, dummodo ex aliis bonis Ecclesiasticis; vel collationibus, quibus decimæ compensentur, Parocho, & Clericis, sit prouisum. Quia in hoc casu, nullo modo offenditur Parochi, & aliorum ministrorum congrua, quæ est de iure diuino, sustentatio: ergo optimè potest Summ. Pontifex eximere populum à decimarum solutione, manente Parochi, & aliorum ministrorum, sufficienti sustentatione. Sic Couaruu. *libro* 1. *var. cap.* 17. *num.* 9. Gutierrez, *lib.* 2. *Can. qq. cap.* 21. *num.* 29. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *qu.* 6. quos citat, & sequitur Barbosa, *lib.* 3. *citat. cap.* 26. (non 17. vt leges apud Trullench) §. 3. *cit. nu.* 12. & 13. Lessius, *lib.* 2. *de iust. cap.* 39. *dubit.* 5. *num.* 25. Trullench, *lib.* 2. *in Decalogum, cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 5. Fagundez, *de* 5. *precept. Eccles. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 5.

QVÆSTIO XLV.

An in priuilegiis eximentibus à decimarum solutione, sit simpliciter necessaria expressa derogatio, cap. Nuper, de Decimis?

REspondeo affirmatiuè. Quia dictum cap. *Nuper*: est Concilij generalis Lateranensis, & ideò censeri debet, habere clausulam derogatoriam, ad futuras dispositiones: ergo, vt vim habeant priuilegia, post illud caput concessa, necessaria erit expressa illius derogatio. Sic Marchesl. *de Commission. part.* 2. *pag.* 596. *num.* 1. & 2. *vltim. impress.* Campan. *in diuers. iuris Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 154. Rota, *decis.* 122. & *seq. part.* 1. *diuers.* Et in Orlien. *decimarum*, 21. *Maij* 1586. & 9. *Iunij*, eiusdem anni, coram Orano, & coram Caualer. inter eius impressas, *decis.* 229. *num.* 3. in qua fuit decisum exemptionem à decimis non suffragari, nisi in specie derogetur dictum caput *Nuper*. & coram Card. Pamphilio Iun. *in Viterbien. decimarum*, 25. *Iunij* 1618. Et coram Buratt. *decision.* 704. *numero* 2. Vbi latè, & eleganter, Ferentil. *in annotat. num.* 13. Quos omnes Authores, & Rotales decis. refert, ac sequitur Barbosa, §. 3. *citat. num.* 37. 38. & 41.

QVÆSTIO XLVI.

An quando Papa communicat priuilegia alicuius Religionis, in quibus extat expressa exemptio à solutione decimarum, alteri Religioni; censeatur etiam communicasse exemptionem à solutione decimarum, si de hac exemptione non fiat specialis mentio?

NEgat Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 3. *num.* 41. per hæc verba: Aduertendum quoque est tertiò, Papam communicando priuilegia alicuius Religionis, in quibus adest expressa mentio (*lege Exemptio*) à solutione decimarum, alteri Religioni, non censeri etiam communicasse exemptionem à solutione decimarum, nisi de hac exemptione fiat specialis mentio, cùm difficulter concedatur, vt per Butr. *cons.* 19. *num.* 9 Bald. *in l. fistulas*, §. *frumenta*, *ff. de contrah. empt.* Cremen. *sing.* 108. Felin. *in cap. Sedes, num.* 3. *de rescript.* Pute. *decis.* 65. *lib.* 3. Seraphin. *decis.* 591. *num.* 2. Caualer. *decis.* 247. *num.* 10. Rota, *in Valentinu decimarum*, 28. *Nouemb.* 1603. coram Cardin. Lancelloto Iun. & *in Corduben. decimarum*, 13. *Maij* 1613. coram bonæ mem. Patriarcha Manzanedo. *Et in Conchen. decimarum*, 12. *Maij* 1623. coram bonæ mem. Buratto, *inter eius impress. decis.* 704. Quod quidem procedit; etiamsi Papa in dicta communicatione priuilegiorum fecerit mentionem de decimis: quia si non apparet de expressa mente concedentis, verbum *Decima*, referri potest ad decimas extraordinarias, quæ imponuntur ab homine; non autem ad ordinarias, & prædiales, quæ sint debitæ iure diuino. Huc vsque Barbosa (quem citat, & sequitur Trullench, *loc. cit.*) Quod iterum repetit, *in cap. Nuper, de decim. num.* 4. addens sic iterum decisum fuisse à Rota in causa Mediolanen. decimarum 10. *Aprilis*, 1606. Coram D Coccino, Decano. Huic opinioni adhæret Diana *p.* 10. *tr.* 12. *Resol.* 49. & Merolla apud ipsum.

Affirmant verò, è contrà alij: existimantes, sufficere simplicem communicationem priuilegiorum, in quibus continetur, & adest, exemptio à solutione decimarum, vt Religio, cui dicta priuilegia communicantur, censeatur esse ab onere decimarum etiam exempta. Quia sicut sufficit illa communicatio, vt Religio, cui communicantur priuilegia alterius Religionis, gaudeat aliis exemptionibus, gratiis, & fauoribus, contentis in dictis priuilegiis communicatis; etiam debet sufficere ad hoc vt gaudeat hac gratia exemptionis à solutione decimarum, vtpotè, cum aliis contenta. Ita Cruz, *in Epitome priuileg. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. *per totum.* Raphaël de la Torre, *loc. cit. disp.* 1. *num.* 5. quibus adde Lezanam & Hieronymum Garcias apud Dianam *vbi suprà.*

Sed ego clariùs, cum distinctione Respondeo: Dicendum. Quòd duplici via possunt communicari à Pontificibus priuilegia alicuius Religionis, alteri. Vno modo, per modum simplicis communicationis, per clausulas generales, & communes: Alio modo, per modum concessionis eorumdem priuilegiorum, specificè, & spiritualiter, hoc est, per clausulas specificas, & particulares, veluti nobis communicauit omnia priuilegia ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, Canonicorum, & Clericorum Regularium, Societatis Iesu, & aliarum omnium Congregationum, & Religionum, Vrbanus VIII. vt ostensum est suprà, *quæst.* 42. Si ergo, primo modo communicat Pontifex priuilegia alicuius Religionis, in quibus adsit exemptio à decimarum solutione, alteri Religioni, dicendū est, non censeri communicasse exem-

ptionem

ptionem à solutione decimarum; nisi de hac exemptione fiat specialis mentio: quia cùm id sit difficilis concessionis, non venit in generali concessione. Et in hac consideratione, habet verum, quod docent Authores primæ sententiæ, & decisiones Rotales. Si autem, secundo modo, communicat Papa priuilegia, in quibus continetur exemptio ab onere decimarum, dicendum est, etiam censeri communicasse exemptionem ab onere decimarum, quamuis de hac exemptione, specialis mentio non fiat: cùm specificè, & indiuidualiter, ac nominatim, per modum concessionis, eadem priuilegia, in quibus talis exemptio à solutione decimarum continebatur, concessa fuerint. In quo sensu, ad minùs, verissimum est, quod Authores secundæ sententiæ affirmant.

Nec contra nostram responsionem, obstat quid, fundamentum contrariorum, videlicet, quòd debeat fieri de hac exemptione specialis mentio, cùm difficulter concedatur. Nam Respondetur primò. Quòd hoc habet verum quando communicatio priuilegiorum, in quibus continetur exemptio à solutione decimarum fit per clausulas generales, & commnues, non verò quando fit per clausulas speciales, & particulares, cùm hæ aliquid speciale, & particulare debeant operari. *Secundò*. Respondeo. Quòd dicta doctrina subsistat, si aliàs, (præter exemptionem datam) in breui communicationis, non dicatur, quòd communicantur omnia priuilegia, etiam illa, quæ sunt speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, &c. vt in breui nobis concesso dicitur, vt suprà q. 42. vidimus.

Qvæstio XLVII.

An priuilegium concessum de non soluendis decimis ex propriis prædiis, extendatur ad noualia, quæ post concessum priuilegium, orta, & culta fuerint?

Negant Rebuff. *tract. de decim. qu.* 14. *num.* 3. 29. & 30. vbi refert Anchar. *in cap. ex parte*. Fortu. Garsias *in l. Gallus, §. Et quid si tantum, col. 6. ff. de liber. & posthu.* Collect. in c. conting. Anton. Butr. *in c. Tua in* 1. *col. vlt. eo probat.* & Sosyn. *consil.* 297. *viso priuilegio*. Hos sequuntur Gutierrez *lib.* 2. *qq. Can. cap.* 21. (non 2. vt leges apud Barbosam) *num.* 130. Moneta *de decim. c.* 4. *n.* 67. Hieron. Rodriguez *in compen. qq. Regul. R. sol.* 50. *n.* 6. Couar. *lib.* 1. *var. c.* 17. *n.* 13. Barbosa *lib.* 3. *de iure Eccles. c.* 26. §. 3. *n.* 14. & Trullench *lib* 3. *in Decal. c.* 3. *dub.* 11. *n.* 4.

Sed probabiliùs Respondeo: Extendi. *Primò*. Quia sic colligitur, ex c. *Ad audientiam de decimis*, & cap. *Suggestum, eod.* vt probat Suarez infrà. *Secundò*. Quia, priuilegium concessum de non soluendis decimis ex propriis prædiis, est absolutum, & illimitatum: ergo comprehendit omnes terras, ac prædia propria: at sic est, quòd noualia, etiam post priuilegium datum, culta, sint propria prædia; vt supponimus: ergo. *Tertiò*. Quia priuilegium datum de non soluendis decimis de propriis laboribus factis, extenditur ad noualia, quæ propriis manibus, & laboribus fiunt, ac rumpuntur, vt concedunt, ex contrariis, Rebuff. *num.* 28. Gutierrez *num.* 131. Moneta, *num.* 68. & Barbosa, *n.* 14. *cit.* ergo etiam priuilegium datum de non soluendis decimis de prædiis propriis, extendi debet ad noualia. Nec differentia, quam inter hæc, contrarij assignant, negando consequentiam, est alicuius momenti, vt demonstrant Suarez. Sic ipse *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 5. & 6. Filliuc. *tract.* 27. *cit. c.* 8. *q.* 11. *n.* 183.

Qvæstio XLVIII.

An etiam dictum priuilegium Regularium, de non soluendis decimis ex prædiis propriis: *extendatur ad prædia, quæ de nouo acquirunt, de quibus, ante acquisitionem, decimæ Ecclesiis soluebantur?*

Negat, extendi tale priuilegium ad prædia acquirenda; ideóque limitandum esse tantùm ad acquisita tempore priuilegij. Oldradus *cons.* 168. Quem pro hac parte refert Suarez *loc. cit. num.* 7. Cui ego addo Rebuffum *de decimis, q.* 13. *num.* 114. Sic dicentem: Vltimò, priuilegium concessum Religiosis, super decimis non extenditur ad decimas, in quarum perceptionis possessione erat Ecclesia Parochialis, vel alia, vt consuluit Oldrad. *cons.* 168. *Quæstio est vtrum*. Quia in dubio, priuilegium debet intelligi sine tertij præiudicio, cap. *Quamuis, de rescript. in* 6. Ita ille, ibi, & *quæst.* 14. *num.* 56. Huic sententiæ adhæret Barbosa in cap. *Nuper, de decimis, num.* 1. citans pro illa Abbatem, Innoc. Collectar. Zabarellam, Imolam, & alios.

Sed longè multò probabiliùs Respondeo: Extendi dictum priuilegium ad prædia acquirenda. Quia priuilegium Pontificis concessum Religiosis, de non soluendis decimis de prædiis, ac terris propriis, est concessum illimitatè, & sine vlla exceptione: ergo intelligendum est, tam de terris, ac prædiis illius temporis, quàm de futuris, vt expressè colligitur, *ex cap. Quia circa de priuilegiis, in* 6. vbi interrogatus Pontifex, an priuilegium Monachis concessum de retinendis decimis, extendatur ad possessiones acquirendas, respondet affirmando: *Quia* (inquit) *indefinitè concedendo, intellexisse videtur, non solùm de decimis illius temporis, sed futuris*. Vnde hic non datur dubium de priuilegio, vt voluit Rebuffus; nec fit præiudicium tertio; sed fauor, & gratia Religiosis. Sic Suarez *loc. cit. num.* 7. dicens, nostram responsionem esse omninò veram, Filliuc. *loc. cit. num.* 184. Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnic. punct.* 12. *num.* 6. & penes ipsum, Azor *lib.* 7. *q.* 6. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. Ioann. à Cruce *in Epitome de statu Religionis, lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. *concl.* 2. Sic etiam tenet, & latè hanc partem probat contra Oldra. Bertrandus *volum.* 6. *consil.* 15. *à num.* 5. Quia, inquit, priuilegia proprio motu Principum concessa, non sunt strictè, sed largè interpretanda, & sic obseruanda omninò prout sonant, vt notant Ioann. Andr. & Abbas, *in cap.* 2. *de priuileg.* at sic est, quod priuilegium de non soluendis decimis concessum Regularibus fuit datum à Pontificibus motu proprio, vt constat in priuilegio concesso fratribus minoribus à Sixto IV. &c. ergo.

Qvæstio XLIX.

An huiusmodi priuilegium Regularium, de non soluendis decimis, *extendatur ad prædia conducta, quæ ipsi Religiosi suis manibus, vel sumptibus, colunt?*

Negant extendi ad hæc, Rebuff. *de decim. qu.* 14. *num.* 52. Suarez *capit.* 19. *cit. num.* 8. & Filliuc. *num.* 184 *cit.* Ita dicens: Ex his tamen, si prædia conducta sint, vel accepta in Emphyteusim, etiamsi Religiosi colant propriis laboribus, tenentur ad decimas. Ita ille. Palao *punct.* 12. *cit. num.* 8. & 9. & Barbosa *cap.* 26. *cit.* §. 3. *n.* 20. & in cap *Dilecti, de decim. num.* 1. & 2. & penes ipsum, Abbas, Innocent. Collectar.

lectar. Zabarell Butr. Ioan. Andr. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Moneta. Campanil. & alij.

Sed probabiliùs, distinctione vtendo, sic Respondeo, quòd loquendo de priuilegio, in iure communi inserto; nullo modo extendatur ad prædia conducta; quamuis Religiosi ea colant propriis laboribus, & sumptibus. Vnde ex vi iuris; de illis tenentur ad soluendas decimas. Quia ita declarauit Alexand III. in cap. *dilecto de decimis*, & sumitur etiam ex cap. *Ex parte, eod. tit.* Et in hoc sensu, bene loquuntur Authores primæ sententiæ. Loquendo vero, de priuilegiis quæ, extra corpus iuris habent Religiosi, dicendum est, quòd extendantur ad prædia etiam conducta, & multo magis, ad bona Emphyteutica, & ideò nec de illis debent soluere decimas. Sic Ioann. de Cruce *in Epitome de statu Relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. concl. 2.* per hæc verba: Religiosi non tenentur decimas soluere de suis bonis mobilibus, & immobilibus, possessionibus, & prædiis, præsentibus, & futuris, etiam ab aliis conductis, dum tamen illa, suis manibus, vel sumptibus excolantur, aut pro sua sustentatione excoli faciant. Nec tenentur decimare de pratis, herbis, pascuis, nutrimentis animalium ac pastorum eorumdem. Ita concessit Fratribus de Guadalupe. Greg. XI. Martin. V. & Paul. III. *anno* 1535. vt habetur in Compend. D. Hieron. *tit. de decim. exemptio. §. 12. 15. & 16.* Sic ille, & Fagundez *de quinto præcept. Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 1.* post Ioann. Azorium. Qui absolutè hanc nostram sententiam sequitur, *tom. 1. lib. 7. q. 6. c. 3.* Raphaël de la Torre *2. 2. q. 87. disp. 7. pag. 580.* & nouissimè Postius *d. manuten. obseru. 73. n. 167.* & penes ipsum, Durand. *decis. 215. n. 7. & 9.*

QVÆSTIO L.

An dictum priuilegium Religiosis concessum, de non soluendis decimis; *extendatur ad hortos, quos colunt, & olera vendunt?*

NEgat Rebuff. *tract. de Decim. quæst. 14. num 58.* per hæc verba: Idem dicimus de hortis, quos colerent, & olera venderent, nempe, tunc decimas de illis soluere tenentur. Panormit. *in d. cap. Ex part. 1.* Quia ille textus, intelligi debet de hortis, quos ad vsum proprium faciunt: Secus, si ad venditionem; quia non debet nagotiari, nec ista exercere sæcularia *cap. 2. ne Clerici, vel Mona. capit. Dilecti, de decim.* Idem, si hos hortos, aliis excolendos darent, vt nos ibi, aliàs possent Ecclesias parochiales priuare decimis, faciendo hortos plures, quod non est admittendum, vt Doctores scribunt, vbi suprà. Ita Rebuffus. Quem vnà cum Abbate *loc. cit.* Ioanne de Anan. & Anchar. citat, & sequitur Barbosa *lib. 3. de iure Eccl. c. 26. §. 3. num. 17.* addens, sic decisum fuisse à Rota in Cordubeu. Decimarum, 22. *May*, 1617. Coram Patriarcha Manzanedo. Addo, & ego, & in alia Carthaginen. decimarum 29. *Ianuarij* 1607. Coram Peña vbi *num. 2.* pro hac parte citantur etiam Abbas, Anchar. Ioann. de Anan. & Rebuff.

Sed claritatis gratià, distinctione vtendo, Respondeo: Dicendo; quod in hac re, aut possumus loqui de priuilegio cõcesso Religiosis, inserto in iure communi, cap. *Ex parte, de decimis*; aut de priuilegio, illis de nouo concesso, post dictum caput *Ex parte.* Imo, & post cap. *Nuper.* habitum in Concilio Lateranensi, celebrato sub Innoc. III. anno Domini 1215. Si loquamur ergo de priuilegio in iure inserto; licèt probabile videatur, non extendi ad hortos, quos Religiosi colunt, & olera eorum vẽdunt; propter rationes traditas ab Authoribus primæ sententiæ; nihilominus mihi probabilius longè videtur, quòd extendatur. Quia in cap. *Ex parte*, absolutè, & absque vlla distinctione, conceditur Religiosis exemptio decimarum, *de hortis suis*: ergo, siue olera eorum pro vsu Monasteriorum deseruiant; siue vendantur ad eorum sustentationem, non tenebuntur de hortis suis, decimas soluere; patet consequentia, quia non desinunt horti esse sui, ex eo quòd olera eorum vendantur.

Nec obstat, si dicas, hoc priuilegium esse reuocatum per cap. *Nuper 34. de decimis.* Nam hoc non est verum. Quia, sicut per huiusmodi caput, non est reuocatum caput *Ex parte 10. de decimis*, quoad illam partem, quæ agebat de decimis animalium, vt concedunt Authores primæ sententiæ, & habitum est suprà. *quæst. 32.* Ita etiam non est reuocatum quoad illam partem, quæ de exemptione decimarum ab hortis tractat; quod constat sanè, cum ex tribus rebus, de quibus eximebantur Religiosi, per illud caput. *Ex parte*, decimas soluere; nempe, de noualibus suis, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis; solùm reuocentur prædia, seu noualia; non verò greges, & horti, de quibus nihil innouauit. De hortum ergo fructibus, nullo modo soluendæ sunt decimæ, siue solùm ad vsum Monasteriorum deseruiant, siue ad emenda, pro eorum sustentatione, necessaria vendantur; adhuc stando in iure communi. Et iuxta hanc doctrinam corrigendi sunt Doctores idem sentientes de decimis animalium, quæ Religiosi nutriunt; nam quidquid illi dicant, de omnibus loquendo, sunt exempti Religiosi; siue illa sint pro vsu Monasterij solum; siue pro emendis necessariis vendantur.

Si verò loquamur, de aliis priuilegiis, quæ non sunt inserta in corpore iuris, sed post illa, quæ in eo inserta sunt, Religiosis concessi; mihi certum videtur, huiusmodi priuilegia de non soluendis decimis, extendi ad hortos, quos ipsi colunt etiamsi olera eorum vendant.

Primò. Quia multa sunt priuilegia indulta Regularibus, in quibus eximuntur à solutione decimarum de hortis, & arboribus, vt concessere Paulus III. Pius IV. & Greg. XIII. Societati Iesu, & aliis Religiosis, & Monachis, alij Pontifices: at id indultum fuit absolutum, & absque vlla limitatione, & cum reuocatione capitis. *Nuper, de decimis.* ergo absolutè, & sine limitatione intelligendum est: ergo adhuc casu, quo olera hortorum vendantur, non tenentur de illis decimas soluere.

Secundò. Quia eodem tenore verborum eximuntur Religiosi à solutione decimarum de prædiis, terris, agris, & aliis possessionibus; ac eximuntur à solutione decimarum de hortis suis: vt patet consideranti priuilegia, tam inserta in corpore iuris, quam extra illud concessa: Sed sic est, quòd dicti Religiosi, in omnium opinione, eximuntur à solutione decimarum de fructibus prædiorum, terrarum &c. etiamsi ex iis aliqui, aut omnes; vendantur: ergo idem dicendum est de fructibus, & oleribus hortorum: cùm non solùm sit eadem ratio, verumetiam, idem ius.

Tertiò. Quia Religiosi, virtute suorum priuilegiorum, non tenentur soluere decimas de terris, agris, aut prædiis, quæ aliis excolenda tradunt; vt habitum est suprà *q. 40.* ergo nec de fructibus hortorum, quos aliis excolendos præstant, cùm eadem sit vtriusque ratio: ergo nec de suorum hortorum fructibus, & oleribus, quæ aliis vendunt; cùm hoc minus sit, quàm hortos suos excolendos aliis dare.

Nec obstant quid argumenta pro contrariis adducta. Nam ad primum dicendum est, quòd licèt negotiatio strictè, & propriè sumpta, sit prohibita Clericis, ac Religiosis, non tamen negotiatio, qua quis

emit

emit necessaria, & vendit superflua, quia hæc est naturalis, & necessaria, vt docet D. Thom. 2.2.q.77. *art.*4. & cum eo omnes Theologi. Imò, & ius hanc negotiationem Religiosis,& Clericis concedit clarè, *in cap.*1. *& c. Clericus* 1. *& dist.*91. vbi; Clericus victum, & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura absque officij sui duntaxat detrimento paret. Et D. Hieron. relatus in cap. *Nunquam, de consecr. dist.*5. exemplo Apostolorum consulit Monachos hortos colere ad comparandum cibum. Vnde expresè id docent communiter Theologi. Dicastil. *tom.*2.*de iust. & iure lib.*2.*tract.*9. *disp.*1. *dub.*4. *&* 5. Lugo *tom.*2. *de iust. disp.*26.*sect.*3. *à num.*27. vbi expresè docet; non esse prohibitum Clericis; aut Religiosis fructus suorum agrorum vendere; sicut nec est illis prohibitum, vendere Lac, Lanam, & fœtus suorum Gregum. Bauny *de Sacram. tract.*11. *q.*15. vbi de Abbatibus, *pag. mihi* 588. & alij. Ex quo constat, manem esse limitationem Abbatis & aliorum.

Ad secundum: Dicendum, quòd dictum priuilegium extendatur ad proprios hortos, siue suis manibus Religiosi illos colant, siue proprijs expensis (non ad hortos quos conducerent) vt docent Authores citati. Non tamen ex hoc sequitur posse priuare Parochias decimis necessarijs, vt ex dicendis *quæst.*51. constabit.

QVÆSTIO LI.

An huiusmodi priuilegia non soluendi decimas, amittantur, casu, quo incipiant esse enormiter læsiua Ecclesiæ vel personæ, ad quas, secluso priuilegio, tales decimæ pertinerent?

Respondeo tanquam certum; Amitti. Quia sic habetur *in cap. Suggestum, & cap. Dilecti, de decim.* & ibi Glossa, verb. *Enormiter*, citans etiam text. *in cap. Quid per nouale, de verb. signif.* Et ratio est clara, quia non est intentio concedentis priuilegium, ita grauare Ecclesiam, vt dicitur *in d. cap. Suggestum*, grauarent autem quando Religiosi haberent omnes ferè possessiones vnius Parochiæ. Sic tenent omnes Doctores. Rebuffus *tract. de decim. quæst.*14. *num.*55. Menoch. *conf.*156. *num.*9. *vol.*2. Rota *in specie* de priuileg. Cisterciensium, in Pampiloncn. decimarum, 6. *Aprilis* 1615. Quos citat, & sequitur Barbosa *lib.*3. *de iure Eccles. cap.*26. §.3. *num.*44. & in cap. *Dilecti, cit. num.*3. *&* 4. Quibus addi possunt, Alens. Sotus, & Couarr. Quos affert, & sequitur Suarez *tom.*1. *de Relig. tract.*2. *lib.*1. *cap.*20. *num.*1. Filliuc. *tract.*27. *citat. cap.*8. *q.*10. *num.*185. Trullench. *lib.*3. *in Decalog. c.*3. *dub.*11. *num.*4. Castro Palao *tom.*2. *tract.*10. *punct.*13. *num.*1. & penes ipsum, Abbas, & Felinus. Et est communis omnium.

QVÆSTIO LII.

An in dicto casu, quo priuilegium cedat in enormem læsionem Ecclesiæ, amittant illud Religiosi, ipso iure; an verò sit necessaria declaratio Superioris?

Respondeo cum distinctione, dicendum, quòd vel enormitas læsionis est clara, & euidens; vel est dubia, & ambigua. Si clara, dicendum est, quòd Religiosi, aut alius priuilegiatus, eo ipso amittat priuilegium in conscientia, & iustitia. Ratio est; quia illud priuilegium fuit datum, donec enormiter lædat: ergo dato termino, & cœpta læsione enormi, statim priuilegium cessat; ergo non poterit priuilegiatus illo in conscientia vti. Licèt in foro exteriori non possit Ecclesia cogere Religiosos ad decimas soluendas, propria authoritate; sed per Superiorem legitimum, aut iudicem competentem. Sic tenent Abbas, & Ioann. Andr. *in cap. Suggestum*. Felin. *in cap. Cum accessissent, de constitution.* & Glossa *in cap. Rescripta* 25. *q.*2. *v. Quod non lædat.* Suarez, Palao & Filliuc. *loc. cit.* Quamuis hîc, inaduertenter dixerit, quòd Ecclesia non posset, in dicto casu, cogere *in foro interiori*; Religiosum ad soluendas decimas, nisi Authoritate Superioris. Debebat enim dicere, *in foro exteriori*; vt dixit Suarez, cuius doctrinam hîc, & ferè semper, per resumptam, tradit, & tenet.

Si verò, enormitas læsionis, non est clara, sed dubia; tunc dicendum: quòd priuilegiatus, nullo modo amittat priuilegium eo ipso; debeat tamen recurrere ad Pontificem, tanquam ad priuilegij Authorem, vt declaret, an priuilegium enormiter lædat, vel non. Sic Barbosa, *loc. cit. num.*45. & in cap. *Dilecti, cit. num.*4. ibi: Quando autem dicatur priuilegium enormiter lædere spectat ad declarationem Papæ. Abbas *in cap. Suggestum, num.*4. *hoc tit.* nisi alteri, veluti iudicio Rotæ Papa commiserit, vt euenit *in d. causa Pampilonen.* Sic Barbosa & Filliuc. *loc. cit.* Abbas *in d. cap. Suggestum, num.*4. Suarez *loc. cit. num.*2. & Castro Palao *num.*1. *cit.* Qui *num.*2. addit, quòd in hoc casu, in quo est dubium de læsione, expediat compositionem facere, ob vitandas lites.

QVÆSTIO LIII.

An hoc priuilegium non soluendi decimas etiam per vsum soluendi illas, amittant Religiosi?

Respondeo: Amittere. Quia qui per aliquod temporis spatium, contra indulta priuilegia, soluerunt decimas, eis renunciasse censentur: at sic est, quòd per renunciationem amittitur priuilegium: ergo. Sic in specie traditur *in cap. Si de terra* 6. *& cap. Accedentibus* 15. *de priuileg.* Verum est, quòd ad hoc, vt Religiosi amittant, hac via, priuilegium non soluendi decimas, requiritur, quòd, non obstante illo priuilegio, illas soluerint per spatium, non solùm trigința annorum, vt olim sufficiebat, c. *Si terra, cit.* Sed per spatium quadraginta annorum, vt posteà inductum fuit, per *d. caput. Accedentibus, de priuileg. & per caput. Illud, de Præscript.* Quod ius nunc obseruari debet, nisi ipsi Religiosi adhuc amplum aliud habeant priuilegium, vt statim dicam. Si omnes Doctores, præcipuè Glossa & Panormit. *in d. cap.* Quos citat, & sequitur Suarez *cap.*20. *cit. n.*3. *&* 4. Filliuc. *q.*10. *cit. num.*185. Rebuff. *q.*14. *de decim. num.*54. & Alex. Alens. quem citat, & sequitur Angel. *v. Decimæ, num.*7. Syluest. *v. Decimæ, quæst.*7. *num.*13. & alij. Sed aduertendum est, quòd spatium temporis assignatum, quod diximus sufficiens ad hoc, vt Religiosi amittant priuilegium non soluendi decimas, est de iure, nam ex priuilegio maius tempus requiritur nempe, spatium centum annorum. Sic sentit Villalob. & alij cùm ipso, vt fatetur per hæc verba: [Y a se de aduertir, que los priuilegios de los Religiosos no se pierden por no vsar dellos, sino es por tiempo de cien años, por vn priuilegio que concedio Eugenio IV. a los Religiosos de S. Pablo extra muros de Roma, que refiere el P. Fray Man. Rodriguez in Bullar. *pag.*203. *& tom.*3. *qq. reg. q.*81. *art* 5. por el qual lo tiene el mismo. P. Fr. Iuan de la Cruz *in Epit. lib.*2, *cap.*3. *dub* 2. *&* 1. Portel *v. priuileg. n.*58. Porque dize, que no se prescribe contra los bienes de los Religiosos,

giosos, sino en el dicho tiempo, y los priuilegios son bienes de la Religion. Huc vsque Villalob. *tract. 33. de decim. diff. 4. num. 8.*

Nota tamen hîc, cum Palao *punct. 13. cit. num. 3.* quòd sit probabile, non posse renunciatione amitti dictum priuilegium non decimandi, præcipuè si priuilegium Religioni concessum sit, & à priuata domo renuncietur. Quia sicut nullus Clericus priuilegio fori renunciare potest, quia in fauorem clericalis status constitutum est: Ita non videtur posse Religionem huic priuilegio renunciare. Et esto Religio, cui datum est priuilegium, posset: priuata verò domus, aut Prælatus nullo modo poterit, ob rationem suprà dictam. Ex qua doctrina sit tacitam renunciationem nullo modo præsumi sufficientem ad derogationem priuilegij, nisi quæ sufficeret, vt Ecclesia aduersùs Religionem præscriberet. Non enim alio modo potest amittere priuilegium. Sic Palao. Legatur.

QVÆSTIO LIV.

An etiam, dictum priuilegium non soluendi decimas deperdant Religiosi, per conuentionem seu compositionem?

Respondeo: Etiam per hunc modum, priuilegium deperdere. Id enim constat *ex cap. Suggestum, & cap. Dilecti, de decimis.* In quibus textibus, hæc pactio, seu compositio consolidatur, & approbatur. Deinde quia huiusmodi compositio, potest esse rationabilis, & vtilis vtrique parti: ergo per illam optimè poterit tolli; ac deperdi priuilegium. Sic docent Alensis quem citat, & sequitur Angel. *num. 7. cit.* Syluest. *num. 13.* Rebuff. *de decim. q. 14. n. 53.* vbi ad id probandum citat textum *in cap. Ex multiplici, de decim.* Suar. *c. 20. cit. num. 5.* Filliuc. *num. 185. cit.* & alij. De quo latiùs infrà agemus.

QVÆSTIO LV.

An item dicti Religiosi deperdant priuilegium non soluendi decimas, per alienationem, aut venditionem prædiorum, & agrorum suorum, in personas non priuilegiatas?

Respondeo: Etiam deperdere, & amittere, non simpliciter, sed solùm, quoad ipsa prædia, quæ venduntur, vel alienantur quæ quidem, post alienationem, aut venditionem, ad soluendas decimas remanent obligata. Ratio est. Quia eo ipso, quod prædia desinunt esse sub dominio Religionis, desinunt esse exempta ab onere decimarum; vt constat ex tenore verborum, quo dictum priuilegium datur: & etiam, ex eo quòd fauor ille totus fit Religioni, & intuitu eius; non ad commodum alterius, cui tale priuilegium concessum non est; nec posset Religio cum ipsis met prædiis, etiam exemptionem transferre, vt optimè probat Suar. *c. 20. cit. n. 6.* Sic ille, ibi, & Filliuc. *loc. cit.* & communiter omnes; præcipuè, & à fortiori, Barbosa, & alij citati *quæst. 40.* pro sententia prima.

QVÆSTIO LVI.

An possint Episcopi, aut Archiepiscopi, de iure concedere alicui exemptionem à decimarum solutione?

Respondeo, tanquam certum: Non posse. Quia decimæ fuerunt assignatæ, à Papa singulis Ecclesiis *cap. 1. 13. quæst. 1.* & in Concil. Cabilonensi fuit statutum: ne Ecclesiæ antiquitus constitutæ suis decimis priuarentur, *cap. Ecclesia, & sequent. 16. quæst. 1.* Sed sic est, quod Episcopus non potest contra Concilium dispensare, aut aliquid statuere, vt habet Glossa in verb. *In ætate*, in cap. *Cum dilectus, de electione:* ergo. Sic Rebuff. *quæst. 5. de decim. num. 28. & 32.* Fagundez *de precept. 5. lib. 2. cap. 4. numero 6.* Barbosa *de iure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 49. & de officio, & potest. Episcopi, part. 2. allegat. 33. num. 25.* & penes ipsum alij.

Addit tamen Barbosa *§. 3. cit.* Quòd benè possit Episcopus remittere decimas, maximè suæ mensæ debitas, ex iusta causa; vt constat, *Ex cap. Quia circa 22. de priuilegiis.* Et etiam, decimas, quas nunquam possedit post earum recuperationem, vel illas ad opus suum retinere, vel alteri Ecclesiæ concedere, *capite Quoniam, de decim.* Rota, *in Sabinen. decimarum, 1. Iulij, 1609.* Sic ille, *n. 50. & sequent.*

DISPVTATIO VII.

De vi, & efficacia, quam Consuetudo, Præscriptio, Compositio, & Transactio, in decimas habeant.

QVÆSTIO I.

An Consuetudo possit habere vim, & efficaciam ad hoc, vt non soluantur Decimæ, nisi tempore mortis?

Respondeo tanquam certum: Posse. Quia consuetudo (quæ non est aliud, quàm vsus communis, seu à communitate factus & prolongatus, eo tempore, quo iura ad stabiliendam consuetudinem requirunt) habet vim liberandi aliquem ab omni onere decimarum, infrà: ergo à fortiori habebit vim ad hoc, vt non soluat, nisi tali, vel tali tempore, etiam mortis. Sic Rebuffus, *de decim. qu. 3. num. 52.* per hæc verba: Valet consuetudo super decima, tempore certo exoluenda, fortè in mortis articulo, vt apud Venetos de personalibus est consuetum: vt per Doctores *in cap. Ad Apostolica, de decim.* Anchar. *in cap. In aliquibus, in fine.* Sic ille. Et ex illo Fagundez *de quinto præcepto Eccles. lib. 3. c. 1. num. 22.* Azor *tom. 1. lib 7. cap. 37. q. 2. vers. Ex his etiam.* Legatur Palao, *tom. 2. tract. 10. disp. vnica, punct. 4.*

QVÆSTIO II.

An Consuetudo possit efficere; vt loco decimæ soluatur duodecima, vigesima, vel trigesima pars?

Negant, Glossa, & Innocent. (apud Couarrun. vbi infrà) in cap. *In aliquibus 32. de decim.* & apud Rebuffum, Hostiens. *in d. cap. & in sua summ. quæst. 7. §. finali*, & Bohei existimantes, nullam consuetudinem efficere posse (nisi ea sit à Pontifice approbata) vt non soluatur integra decima. His accessit Didacus Perez *in l. 1. tit. 5. lib. 1. Ordin.* vt refert Soarez, necnon Archid. Card. Paulus Parisius, & Felin. apud Azorium, Bertrandus, etiam *vol. 7. consil. 84.* dicens, hanc partem securiorem esse, & in illa, potius esse credendum Canonistis, quàm Theologis.

Sed tanquam mihi certum Respondeo : Posse, *Primò*. Quia consuetudo, efficere potest ; vt quis à solutione totius decimæ eximatur, vt infrà : ergo à fortiori, quòd eximatur à solutione cuiusdam partis. *Secundò*. Quia quota decimarum, est de iure solùm positiuo : ergo contra illam, optimè præscribi potest, ita vt loco decimæ prædialis ; soluatur vigesima, aut trigesima. Sic Rebuff. *q. 13. de decimis, n. 46. & 57.* Vbi ait, sic fuisse iudicatum in suo senatu, pro Domino de Merleto, vt non teneretur, nisi ad soluendam, quam ipse, & sui prædecessores exoluerant. Sic etiam Dom. Paul. Paris. *consil. 25. num. 21. volum. 4.* Couarruu. *lib. 1. var. cap. 17. num. 8. vers. Sexto pariter.* Guido Papæ, *decis. 284.* dicens, quòd Gratianopoli, sola vigesimâ pars, pro decima, exoluatur. Additque hanc esse generalem consuetudinem in patria Delphinali, & ita vidisse iudicari in Curia magnifici Delphinalis Parlamenti. Sic etiam Riccius, *part. 7. collectan. 1953. pagin. mihi 201.* secutus Glossam, *in cap. In quibusdam, de decim.* illamque declarat, dicens, procedere, in casu, quo per tantum tempus, quantum ad inducendum in censu consuetudinem exigitur, parochianos vniformiter soluisse probetur : quia si difformiter, puta vno anno plus, & altero minus solutum fuerit ; vel vnus parochianorum plus, & alter minus soluerit aliud dicendum esset, vt decisum refert Addit. ad Papon. *tit. 12. arrest. 3. lib. 1.* Sic deinde. Gutierrez *lib. 2. can. qq. cap. 20. num 31.* Sot. *lib. 9. de iust. q. 4. art. 4. ad 4.* Aragon. *2. 2. q. 87. art. 1. ad 5.* Abulens. *q. 185. in cap. 23. Matth.* Meocha. *lib. 2. controu. Illustr. cap. 89. num. 8.* Quos omnes citat, & sequitur Suarez, *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 12. n. 5. 7. 15. & 16.* Nauarr. *in Man. cap. 21. num. 30. & lib. 3. consil. 2. de decim. edit. 2.* Lessius, *lib. 2. de iustit. cap. 39. dub. 5. num. 26.* Molina, *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 75.* Valent. *tom. 3. disput. 6. q. 5. punct. 2. in fine.* Layman, *lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 9.* Bonac. *disp. vlt. de praecept. Eccles. q. 5. punct. 5. num. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 37. quæst. 2. ver. attamen & vers. Ex his multa.* ibi : Valet etiam consuetudo, vbi non integra decima soluitur, sed minor, nempe vigesima, trigesima, & quinquagesima. Fagundez ; *de 5. præcepto, lib. 3. c. 1. n. 24. & 25.* Trullench, *lib. 3. in Decal. cap. 3. dub. 11. num. 10.* Bassæus, *verb. Decima, n. 4.* Vasquez, *tract. de Benef. c. 1. §. vnico, dub. 2. n. 16.* Machado, *lib. 2. summ. p. 4. tr. 11. docum. 2. num. 2. vers. La tercera opinion*, & alij Theologi, quibus etiam in hac parte, potiùs credendi sunt (quidquid Bertrandus dixerit) quàm Canonistis. Præsertim cùm hanc nostram sententiam multi, & doctissimi Canonistæ sequantur, oppositum verò, nonnulli. Quibus nullus Theologus adhæsit.

Qvæstio III.

An Consuetudo possit efficere ; vt ex certis fructibus nulla decima persoluatur?

NEgabunt illi Canonistæ, qui senserunt, decimam iure diuino deberi, quos retulimus sup. *disp. 2. q. 6.*

Sed tanquam certum, Respondeo: Posse; si aliàs ex aliis redditibus supersit congrua Ministrorum sustentatio. Ratio est, quia in hoc casu, solùm est de iure humano, decimare, ex dictis fructibus : ergo optimè potest consuetudo præualere contra illud. Sic Rebuff. *q. 13. de decim. n. 31.* (non 46. vt leges in Barbosa) vbi sic ait : Consuetudo non soluendi decimas minutas valet, quia sicut de minimis non curat prætor, *l. scio, ff. de in integrum restitut.* Sic non congruit honestati Ministrorum Dei de huiuscemodi minutis perquirere, vt scribit B. Thomas *in 2. 2. quæst. 87. art. 2. R. Leand. in V. Precept. Eccles.* &c. Sic ille. Couarru. *lib. 1. cap. 17. n. 8. vers. Septimò.* Vbi affirmat valere consuetudinem, vt de fœno, herbis, & oleo, non soluatur, vbi talis consuetudo viget. Quod idem docent Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 37. q. 2.* (non 9. vt offendes apud Barbosam) sic dicens : Hinc etiam existit, vt si ex quibusdam fructibus, & bonis, non soleat decima solui, ea minimè debeatur : in multis enim locis non solet ex minoris rebus, vt ex fœno, herbis, oleribus, & aliis fructibus plerisque. Sic ille. Moneta *de decim. c. 5. 1. 93. & 94.* Barb. *lib. 3. de iure Eccles. c. 26. §. 3. n. 65. & 66. & in cap. In aliquibus, de decim. n. 5.* Riccius, *p. 6. collect. decis. 2391. in fine.* Sic dicens : Ad materiam, aduertas autem, attenta consuetudine, quod de aliquibus rebus non soluatur decima ; purâ de lana, caseo, vel aliis fructibus, ipsa probata pluries, decisum refert Ruesner, *dec. 22.* Sic ille, quod antea etiam docuerat, *1. p. collect. 192. vers. Et nunn possit obtinere.*

Qvæstio IV.

An consuetudo possit efficere, vt nulla soluatur decima, de lana, caseo, ouis, aut etiam, de fœtibus animalium.

REspondeo iuxta dicta : Posse ; ob eandem rationem ; nuper à nobis traditam. Sic expressè Rebuff. *loc. cit. num. 51.* Vbi verbis relatis quæst. antecedenti, hæc verba addit : Ideò Collect. *in cap. 1. eod.* dicit, quòd Cancellaria Romana, non daret literas super solutione primitiarum, vel decimarum, quæ non proueniant ex possessionibus, sicut sunt decimæ caseorum, ouorum, vel etiam animalium : Vnde à Senatu non fuerunt compulsi homines de Alignaco soluere decimam de lana, eo quòd eam nunquam soluerant. Et ideò hæ decimæ fructuum minutorum nunquam exactæ non repetentur, nec cogentur solui an futurum, vt sæpiùs fuit in hoc senatu iudicatum, &c. Sic ille. Et debent tenere alij Doctores, nuper pro nostra sententia adducti. Et sic tenet expressè Fagundez, *lib. 3. cit. c. 1. n. 20.*

Qvæstio V.

An consuetudo possit efficere, vt ex eodem prædio, vna Ecclesia decimas maiores percipiat, & alia Ecclesia, minores?

REspondeo : Posse. Quia consuetudo potest minuere decimas, vt ex dictis constat : ergo potest efficere, quòd vna Ecclesia minores decimas recipiat, quàm alia. Sic Hostiens. *in cap. Cum tua, de decimis.* Quem ibi omnes Doctores sequuntur, vt testatur Barbosa, *§. 3. cit. n. 67.* adducens ad id confirmandum duas decisiones Rotæ, videlicet, *in Conchien. decimarum 1. Iulij 1591. & in Nouarien. decimarum, 26. Februarij 1631.* Quam doctrinam iterum docet, *in cap. In aliquibus, de decimis, num. 5.*

Qvæstio VI.

An consuetudo possit eximere aliquos à solutione omnium decimarum prædialium?

NEgant communiter Iuris Canonici Interpretes ; eo quòd existiment, decimas prædiales deberi iure diuino, contra quod consuetudo præualere non potest : Et ideò ita docent Hostiens. *in capit. in aliquibus, de decimis*, Rochus Curtius, *in capit. vltim. de consuetud.* Turrecremata, *in capite. Reuertimini, 26. quæst. 1. art. 7. num. 12.* Paulus Parisius *consil. 25.*

lib.4.col.2. Felin. *in cap. Causam quæ, de præscriptio.* Franc. Balb. *de præscript. 5. p. princip.q.7.* Vincent. & Panormit. *in cap. In aliquibus, citat. num. 7.* Fulgosi. *consil. 166.col. 2.* Socinus, *consil.297. col.3. lib.2.* Baldus, *in l. competit. C. de præscriptio. trig. anno.* Quos omnes pro hac parte citat Couarruu.*lib.1.var.cap.17. num. 8. vers. Sextò ab eadem.* His addi possunt Anch. *consil. 196. magnifice, quæst.1.* Bertrand.*consil.14. viso processu, col. 1.volum.1.* Card. *in cap. vlt. de Parochus,* Barbatius, *consil. 35. vers. Sapientes, col. 6. vol. 2.* Carolus Ruynus, *cons. 142. vol.5. vers. Clarum est.* Quos citat, & sequitur Rebuff. *de decim. q. 13. n.40. & 55.* Molfesius, *tract.6. cap. 4. num.45.*

Sed tanquam mihi certum, Respondeo: Posse consuetudinem eximere aliquos à solutione omnium decimarum prædialium, dummodo ex aliis sumptibus, aut redditibus, aut peosionibus, congrua remaneat sustentatio Parocho, & aliis Ecclesiæ Ministris, *Primò.* Quia, hac congrua sustentatione illis manente, solùm remanet obligatio iuris humani ad soluendas decimas, etiam prædiales, vt suprà ostensum est: at sic est, quòd contra hoc ius, potest præualere consuetudo; vt constat, *ex cap. vlt. de consuetudine:* ergo.

Secundò. Quia quidquid lex, aut Legislator efficere potest, potest efficere consuetudo, cùm hæc vim legis habeat, iuxta *l. 2. C. quæ sit longa consuetudo, & cap. consuetud. dist.1.* Sed sic est quòd Pontifex potest per legem particularem, eximere aliquos à solutione omnium decimarum prædialium, vt constat: ergo idem poterit consuetudo.

Tertiò. Quia de facto in multis prouinciis Christianorum, vt in Italia, Græcia, & in aliquibus Prouinciis Hispaniæ non soluuntur decimæ, nec olim soluebantur: ergo dicendum nobis est, quia id consuetudine fuit præscriptum, licitè fieri, vbi id consuetudo est, ne cogamur dicere temerè cum Anton. Butrio, *in cap. Parochianos, de decim.* quòd omnes, qui non soluunt damnentur. Sic tenent communiter Doctores Glossa, *verb. Præsumpta in cap. Quia cognouimus. 10.q.3.* & Glossa, *vlt. in cap. In quibusdam, §. finali de decim.* Sot. *lib.9. de iust.q.4. art. 1. col. antepenult.* Couarru. *lib.1.variar.cap.17. num. 8.* Gutierrez, *lib. 2. Canon. cap. 21. num. 31.* Rebuff *de decim.q.13. num. 46.* Moneta eo. *tract. cap. 5. q. 1. num. 89.* Seraphin. *decis. 1204.* Rota, *in Nouarien. decimarum 26. Februarij 1631.* Ludou. Miranda, *in Man. Prælatorum, tom. 2.q.49. art.5.* & Cabed. *Lusitan.decis. 205. num. 2.part. 1.* Quos omnes citat pro hac parte Barbosa, *§. 3. cit. num.64. & in cap. in aliquibus, de decim. num.6.* Sed ex his Doctoribus, Rebuff. oppositum sentit loquendo de exemptione omnium decimarum introducta per consuetudinem; de qua hîc est quæstio; nam *num. 40.* à nobis citata pro opposita parte sic ait: Consuetudo quantumcumque longa nullas soluendi decimas, non excusat à peccato nec valet; tum quòd sit contra ius naturale, contra quod non valet consuetudo. Panormi. & Curt. *in cap. fin. de consuetud.* Tum quia naturalia sont immutabilia, *§. Sed naturalia instit. de iure natur.* Tum etiam quia contra ius diuinum, &c. Sic ibi Rebuff. Oppositum ergo expressè docet. Nec *num. 46.* in quo citatur à Barbosa contrarium docet, quia ibi solùm loquitur de consuetudine non soluendi integras decimas, quam excusare dicit; quia non est, inquit, contra ius naturæ, nec diuinum: quia soluendo quidquam pro decima, impletur præceptum Dei de soluendo. Ita ille, ibi. Dictis Authoribus, addi adhùc possunt, Suarez, *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 12. à num.7. & cap.30. num.6.* Nauarr. *in Man. cap. 21. num. 30.* Azor, *tom. 1, lib. 7. c. 37. q.2.* Bonacio *q.5. cit. punct. 5. n. 6. & 7.* Faguodez, *de præcepto 5. Eccles. lib. 3. c. 1. n. 24. & 25.* Vasquez, *in opusc. tract. de benef. cap.1.§. vnico, dub. 2.* Palao, *tom. 2. tract.10. disp. vnica, punct. 4. à n. 1.* Trullench, *lib.3. in Decal. cap.3. dub. 11. n. 7.* Layman, *lib. 4. tract. 6. c. 6. n. 9.* Lessius, *lib.2.c.39. dub 5. n. 25.* Machado, *in summ. lib. 2. part. 4. tract. 11. docum. 2.* Iodochus, *verb. Decima, n.8 vers. Tertiò.* Filliuc. *tract. 27. p. 2 cap.7. q.8. num. 152.* Qui benè notat (quod etiam alij faciunt) nunquam posse ita præscribi contra Ecclesiam hoc ius non decimandi, vt priuetur Ecclesia potestate ad imponendam decimam de nouo, etiam vbi nunquam soluta fuit, si iudicauerit expedire. Legatur Suarez, *loc. cit. n. 10. & 11.*

QVÆSTIO XVII.

An vt consuetudo possit eximere aliquos à solutione omnium decimarum prædialium, requiratur, & sufficiat, quòd sit præscripta per spatium quadraginta annorum?

NEgant Socinus, *consil. 297. lib. 2.* Fulgosius, *consil. 166.* Balbo. *de præscription. 5. part. principa. q. 7.* & Rebuff. *quæst. 13. de decim. num. 53.* existimantes, quòd ad hoc, vt consuetudo prædicta non decimandi sit, & censeatur legitimè præscripta, & habeat vim eximendi communitatem à solutione decimarum prædialium, requiratur ita diuturnum tempus, cuius initij nulla sit memoria, in contrarium. Huic sententiæ adhæret satis Riccius, *in collectan. decis. 2392.* & penes illum, Verall. quatenus docet, quòd consuetudo percipiendi decimas sufficiat esse probata spatio septuaginta annorum: ergo idem spatium requiret consuetudo, vt quem à decimis eximat, cùm contrariorum eadem sit ratio.

Sed, tanquam mihi certum ferè, Respondeo: Sufficere, & requiri tempus quadraginta annorum, vt dicta consuetudo censeatur legitimè præscripta, & introducta, & vt habeat vim, & efficaciam eximendi à solutione decimarum populum, v. g. qui illam per spatium quadraginta annorum Parocho non soluerit. Sic sumitur, *ex cap. vltimo, de consuetud.* adiuncta Glossa, *verb. Legitime præscripta.* & ratio est. Quia frequens, & diuturnus vsus communitatis, habet vim introducendi legem, & consequenter, aliam abrogare, si legitimo, & diuturno tempore duret: Sed tempus quadraginta annorum, est satis diuturnum: ergo. Sic Paris. *consil. 15. num. 6. & 27.* Couarru. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 7. 8. & 10.* Gutierrez, *can. quæst. lib. 2. cap. 20. num. 65. & 66.* Suarez, *lib. 1. cit. cap. 13. num. 1. & 7.* Vbi ait, omnes Doctores hoc præsignatum tempus ad minùs requirere. Vasquez, *tract. de benef. cap. 1. cit. dub. 5.* Bonacina, *punct. 5. cit. num. 7.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 7. q. 8. num. 154.* Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 11. num. 7. & 9.* Barbosa, *§. 3. cit. num. 68.* Molfesios, *tractat. 6. cap. 4. numero 45.* & penes ipsum, D. Thom. *q. 87. art. 1. ad 5.* Sotus, Caiet. Nauarrus, Syluester, & Reginaldus.

QVÆSTIO VIII.

An consuetudine possit introduci, vt decimæ, quæ vni Parochiæ olim soluebantur, alteri adscribantur, & soluantur modò?

REspondeo: Posse. Quia Papa per legem aliquam aut priuilegium potest efficere, vt ex prædiis existentibus in vna Parochia, soluātur decimæ alteri Parochiæ: ergo idem poterit efficere consuetudo, cùm vim legis habeat. Sic sumitur, ex c. *Cum sint homines,*

&

& ex cap. *Ad Apostolica, de decimis.* Et tenent Couarruu. *cap.* 17. *num.* 8. *vers. Tertio deducitur.* & *n.* 7. *vers. Quintò.* Perez, *lib.* 1. *post princ. v. Huiusmodi autem decima, tit.* 3. *libro* 1. *Ord. pag.* 116. Fagundez, *dicto prae.* 5. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. (non 4. vt citat Barbosa) Gutierrez, *pract. ear. lib.* 1. *quaest.* 17. *num.* 2. & 5. & Rebuff. *quaest.* 13. *de decim. n.* 47. Vbi sic ait: Consuetudo transferendi decimas praediales valet. Vnde sustinetur consuetudo, vt Curatus vnius Parochiae, in alia percipiat decimas, &c. Fallit tamen (inquit *in num.* 48.) quando percepisset decimas limitibus adhaerentes, istae enim praescribi non valent, nec confuetudo super his tenet, Glossa, & Doctores, *in cap. final. de Parnor.* & in cap. *Cum sint homines, de decim.* quia limites praescribi non possunt, ne fines confundantur. cap. *Quicumque, & cap. licet* 16. *quaest.* 3. & *cap. Super eo de Paroch.* Sic ille Moneta, *capit.* 5. *de decim. num.* 97. & 98. Quos omnes citat, & sequitur Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 3. *n.* 68. Quibus addi possunt Suarez, *lib.* 1. *cit. capit.* 12. *num.* 15. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *q.* 2. *vers. Ex his etiam*, & rursus Rebuff. *q. cit. n.* 60.

QVAESTIO IX.

An vt vna Parochia contra alteram, in perceptione decimarum, praescribat; sit necessaria consuetudo quadraginta annorum?

NEgant Panormit. in cap. *Cum sint homines, de decimis.* Syluest. *verb. consuetudo, n.* 6. *dicto.* 1. Couarruu. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 8. *vers. Quartò fortiori ratione.* Moneta, *cap.* 5. *de decimis, num.* 101. Gutierr. *d. cap.* 21. *num.* 58. & Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 3. *num.* 68. & *in cap. In aliquibus, de decim. num.* 6. Vbi citat pro hac parte, vltra Couarruuiam, & Monetam citatos, Abbatem, Rebuffum, Achil. & Putc. Et id esse probabile dicunt Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 11. *n.* 7. *in fine*, & Palao, *punct.* 4. *cit. num.* 6. Quia existimant, quòd ad dictam praescriptionem sufficiat consuetudo decennalis.

Fundamentum eorum est; quia quando consuetudo non est contra ius aliquod, sed praeter illud, legitimè, & sufficienter decennio inducitur, vt habent Glossa, *v. Consuetudo, in cap. vlt. de consuet. in* 6. Panorm. *in cap. Certificari, de sepult.* Curtius, *in cap. vltim. de consuet. in* 2. *requisito consuetudinis, quaest.* 3. Innoc. Hostiens. & alij ibi. Bartol. Felin. Oldral. & alij penes Couarruu. *locacit.* Sed sic est, quòd nullum est ius, quod expressè prohibeat, decimas praediales solui alteri Parochiae, in cuius territorio praedia non sunt, vt aperte colligitur, ex cap. *Ad Apostolica*, ibi: *Tu eligas in hoc, quod per consuetudinem diù obtentam ibidem noueris obseruatum:* ergo consuetudo decennio introducta sufficiens est, ad efficiendum, vt omissa vna Parochia, in qua sunt praedia, soluantur decimae alteri, in qua non sunt.

Sed probabilius Respondeo: Necessariam esse consuetudinem quadraginta annorum, vt possit efficere, & tribuere ius alteri Ecclesiae, ad hoc vt decimas, aliàs alteri Ecclesiae debitas eo quòd essent praediorum in suo territorio existentium, percipiat. Quia probabilius est, quòd consuetudo, qua praescribitur contra illam Parochiam, & Ecclesiam, intra cuius territorium praedia sita sunt, non est consuetudo praeter ius: vt Doctores primae sententiae volunt; sed expressè, contra ius introducta, vt patet ex Glossa, *in cap. fin. de consuet.* Glossa, *in cap. Cum sint homines de decim. verb. Ad consuetudinem*, ibi: *Per quam iuri communi praeiudicatur.* Et in cap. *Ad Apostolica, verb. Consuetudo.* ibi: *Ius commune in promptu est,*

quod illi Ecclesiae debent dari decimae in cuius territorio sunt praedia. Et ex cap. *Cum in tua, de decim.* Ex quibus iuribus constat, repugnare ius commune, & prohibere, ne decimae soluantur alijs Parochijs praeter illas, intra quarum territoria sunt praedia: tunc sic; sed sic est, quòd ad hoc, vt consuetudo, quae est contra ios, legitimè sit introducta, & inducta, requiritur tempus quadraginta annorum, & non sufficit decennium, vt ipsimet Authores primae sententiae praecipuè, Rebuff. Couarr. Moneta, & alij docent: ergo. Sic Suarez, *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 7. vbi *n.* 8. addit; se non videre, quomodo sententiam Panormitani, & aliorum possit defendi, nisi in eo casu, in quo dubium esset de ipsomet praedio ad quam illarum Ecclesiarum pertineret, tunc enim ipsummet ius commune esset dubium pro vtraque Ecclesia, & ibi posset decennalis praescriptio deseruire. Et in eo casu videntur apertè loqui Couarruu. & Gutierrez. Nam Couarruuias, paulo superiùs, *num.* 7. oblicùm sentit in casu proprio, quem tractamus. Sic Suarez. Et sic ex illo Faguodez, *de Praecept.* 5. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 10. & 11. Trullench, *dub.* 11. *cit. num.* 7. (Quitamen malè citat Barbosam, pro hac parte) Castro Palao *punct.* 4. *citato, num.* 6. Citatque pro hac parte Couarruuiam, *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 8. §. 10. cum Felino, Anton. & alijs. Lessius, *lib.* 2. *de iust. cap.* 39. *dub.* 5. *num.* 26. & communis.

QVAESTIO X.

An illa Parochia, quae per quadraginta, ad minùs, annos, percepit decimas ex praedijs sitis in territorio alterius Parochiae; si ibi fiant, & aperiantur noualia, & seminentur, habeat ius ad exigendas ex dictis noualibus, decimas?

REspondeo cum distinctione, dicendo quòd vel illa Parochia habebat possessionem exigendi, & percipiendi decimas ex agris incultis nempe, ex herba, pastu, vel lignis; aut nullam habebat possessionem exigendi ex illis, decimas aliquas: si habebat possessionem, dicendum est, quòd ex vi consuetudinis iam ligitimè introductae, habet ius exigendi decimas ex dictis noualibus, hoc est, de agris de nouo cultis quia iam habebat possessionẽ, & vsum recipiendi, de dictis agris, decimas, licèt aliorum, seu diuersorũ fructuum, quod sufficit; nam varietas in fructibus, vel decimis, nil obstat ad praescriptionem. Si verò Parochia nullam habebat possessionem recipiẽdi ex incultis agris decimas, tunc dicendum est, quòd nullo modo habeat ius ad exigendas, & percipiendas decimas ex noualibus, aut ex agris de nouo cultis. Ratio est. Quia praescriptio supponit possessionem, iuxta illud pronuntiatum Iuristarum; *tantum praescriptum, quantum possessum:* ergo si Parochia, quae praescripsit decimas praediales, ex agris cultis, nunquam possedit terras silvestres, & incultas, nec ab eis percepit vllas decimas, nullo modo potuit praescribere decimam, quae postea de nouo debetur de nouis fructibus, aut ex terris de nouo seminatis, aut plantatis. Has ergo percipiet decimas illa Parochia in cuius territorio noualia facta sunt. Sic colligitur clarè ex iure, cap. *Quoniam*, & cap. *Contingat de decim.* cap. *Dubium, de privil.* Et docent communiter Doctores Rebuff. *tract. de decim. q.* 14. *à n.* 9. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *n.* 13. Gutierrez, *lib.* 1. *Can. qq. c.* 21. *à n.* 78. Quos citat, & sequitur Suarez, *lib.* 1. *cit. c.* 22. *n.* 9. & 10. Fagundez, *c.* 1. *cit. n.* 14. & 13. & alij, de quo ampliùs infrà.

QVÆSTIO XI.

An vt consuetudo possit eximere aliquam communitatem, aut oppidum, à solutione decimarum mixtarum; requiratur, vt sit etiam introducta per quadraginta annorum spatium?

RESpondeo: Requiri. Quia hæ decimæ inter prædiales numerantur; ergo illas, quoad fieri potest, imitari debent: at sic est, quòd, vt legitimè introducta sit consuetudo, non soluendi decimas prædiales, est necessarium tempus quadraginta annorum: ergo idem tempus erit necessarium; vt consuetudo non soluendi decimas mixtas sit legitimè inducta. Sic Suarez *cap. 22. citat. num. 11.* & ex illo, Fagundez, *d.cap. 1. num. 15.* Qui bene addunt; quòd quia in his decimis mixtis, non est tam expressum ius requirens, ad præscriptionem quadraginta annos, sicut requirit in prædialibus, admitti facilius possit, sufficere in mixtis consuetudinem decem annorum ad præscribendum.

QVÆSTIO XII.

An consuetudo possit efficere, vt nulla soluatur decima personalis?

NEgant, qui affirmant, decimas personales, esse de iure diuino & naturali, contra quod ius, consuetudo præualere non potest. Ita quidem Canonistæ, inter quos est Rebuff. *de decim. quæst. 13. num. 43.* & etiam Henricus, in cap. *Peruenit de decim.* Addunt tamen hi, & alij Doctores, quòd hoc non obstante, possit consuetudo efficere, vt non soluatur integra decima personalis, sed aliqua pars, v.g. vigesima, vel trigesima pars illarum: quia quantùm ad quantitatem, consuetudo non soluendi, generalis est; cui standum est inquiunt, in hac parte, alioqui omnes ferè animæ damnarentur.

Sed absolutè omnino, Respondeo, dicendum: Posse consuetudinem efficere, vt nullæ omnino decimæ personales soluantur, ac proinde à fortiori, quòd solùm soluatur aliqua pars illarum, v.g. vigesima, aut trigesima, loco decimæ. Probatur. *Primò.* Quia Papa potest eximere quoscumque voluerit, per suam legem, aut priuilegium speciale ab omni onere decimarum personalium; sicut potest ab onere prædialium, vt suprà diximus: ergo idem potest efficere consuetudo, cùm vim legis habeat. *Secundò.* Quia de facto, ferè in omnibus Christiani Orbis prouinciis, nullæ soluuntur decimæ personales; eo quòd, hac exemptione earum non obstante, maneat ex aliis redditibus, congrua ministrorum sustentatio: ergo dicendum est optimè posse consuetudinem, exemptionem, quam prædiximus, efficere; nec temerè cum Britrio, cogamur dicere, quòd omnes damnentur, non soluendo. Saluari ergo poterunt etiam non soluendo personales decimas, si consuetudine quadraginta annorum introducta, eis non persoluant. Sic tenent communiter. Tam Theologi, quàm Canonistæ. Turrecrem. *in cap. Reuertimini 16. quæst. 1. art. 7. num. 11.* Parisi. *conf. 25. col. 1. vol. 4.* Viui. Neapol. *decis. 4. numero 46.* Couarruu. *lib. 1. var. cap. 17. numero 8.* (non 18. vt leges apud Fagundez) *verf. Quinto hinc.* Moneta, *de decimis, cap. 5. num. 92.* Quos omnes refert Barbosa, *§. 3. cit. num. 70.* Quibus addi possunt, Hostiens. & alij in cap. *In aliquibus de decim.* Cuttius, *in Rubr. & cap. vlt. de consuet.* Felinus *in cap. Causam quæ de præscript.* Franc. Balb. *de præscript. 5. p. initio q. 7.* & Suarez, *lib. 1. cit. cap. 12.* (non 30. vt citat Fagundez) *à num. 6.* Quos citat & sequitur Fagundez, *de 5. præc. Eccles. lib. 3. cap. 1. num. 29.* Sic etiam Archidiac. *in cap. Quicumque, 1. in 16. q. 7.* & alij Theologi, apud Rebuffum, *loc. cit.* Zerola, *in praxi Episc. 1. p. verb. Decimæ, §. ad septimum.* Vbi affirmat se vidisse, Neapoli, & Surrenti, & in toto Ducatu Amalfitano, nullatenus solui decimas, nec personales, nec prædiales, nec mixtas.

QVÆSTIO XIII.

An in soluendis quibuscumque decimis, considerari debeat consuetudo?

REspondeo affirmatiuè. Quia in hac decimarum materia, cùm præualere consuetudo, contra ius Canonicum possit, attendi maximè debet, vt habetur, *in cap. In aliquibus, de decim.* & sic docent communiter DD. Rebuff. *quæst. 8. de decim.* Vincent. de Franc. *decis. 103. num. 4. fol. 61. col. 4.* Zerola, *loc. cit.* Suarez, *lib. 1. cit. cap. 12. 21. & 30.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 37. quæst. 2.* Barbosa, *§. 3. cit. num. 71.* & alij penes ipsos.

QVÆSTIO XIV.

An in solutione decimarum, attendenda sit magis consuetudo loci particularis, vbi sit dicta solutio, quàm consuetudo Diœcesis, si in illa adsit diuersa?

REspondeo, quòd attendenda magis sit consuetudo loci particularis, quàm Diœcesis; & ideò secundùm illam, persolui debeat decima. Ratio est. Quia consuetudo specialis, præferenda est generali. Sic Rota, *in Tuder. decimarum 19. Nouemb. 1591. & in Ciuitat. decimarum, 18. Martij, & 18. Iunij 1596. in Calaguritana decimarum, 19. Martij, 1610. & Hispalens. decimarum, 18. Iulij 1612.* Quas omnes decisiones refert, ac sequitur Barbosa, *§. 3. cit. n. 72.* Sic etiam Fagundez, *lib. 3. cap. 1. num. 20.* Et ante illos, in simili, Riccius, *1. part. collectan. 192.* per hæc verba: Sed an hæc decima Zuccari possit solui de prima decoctione, cum diminutione, stante sic consuetudine aliorum, quorum regimini locus debendæ decimæ est subiectus? Negatiuè; sed ex integro est soluenda, & illa consuetudo tanquam iuri contraria, non extenditur de vno loco ad alium. Ita id Mohed. *decis. 3.* Sic Riccius.

QVÆSTIO XV.

An consuetudo possit legitimè inducere; vt in vna Parochia, non soluantur decimæ, casu, quo in aliis circumuicinis soluantur?

NEgarunt in facti contingentia, nonnulli Iuristæ; siquidem, vt refert Fagundez, *loc. cit.* in Senatu Bracharensi iudicatum fuit, anno 1619. talem consuetudinem, non habuisse vim, & efficaciam ad id legitimè introducendum; ac proinde Patres illius Senatus obligarunt parochianos vnius Parochiæ ad soluendam decimam de ouis, de nucibus, & de aliis fructibus minimis, iuxta consuetudinem, quam, in illis soluendis, habebat aliæ circumuicinæ Parochiæ.

Sed absolutè Respondeo: Posse. Quia consuetudo vnius loci, non extenditur ad alium locum; ergo nec cõsuetudo vnius Parochiæ, ad aliam Parochiam: ergo optimè potest introduci, quòd in vna Parochia non soluantur aliquæ decimæ; etiamsi in aliis suis circum

circumuicinis soluantur: Sicut, è contrà, quòd in illa vnica Parochia soluantur aliquæ decimæ; & non soluantur in aliis Parochiis vicinis. Sic tenet Fagundez, *num.20.cit.* secutus Oldradum, *consil.249.ad* 1. & Ancharranum, *consil.* 143. Qui etiam ad factum Senatus respondet; ideò illos Patres obligasse dictos Parochianos ad soluendas decimas; quia iudicarunt, talem consuetudinem non esse legitimè introductam; non quia non posset aliàs legitimè, quod nos firmamus, inducere. Ego cum ipso addo, quòd in his sicut in aliis, oportet Iudices habere propitios, ac fauorabiles. Lege Barbosam; *loc.cit.* Vbi alia ad id concernentia inuenies. Nos ad agendum de Præscriptione decimatum gradum faciamus.

QVÆSTIO XVI.

Quid sit Præscriptio: & in quo à Consuetudine differat?

AD primum Respondeo: Dicendum, quòd Præscriptio in præsenti, sic definiri potest *est dominij acquisitio; vel alterius iuris, siue realis, siue personalis peremptio per continuationem temporis definiti.* Sic definit Præscriptionem, Lessius *lib.2.de iust. cap.6.dub.1:* Versu. *Si tertio modo.* Fagundez *de 5. præcept. Ecclef. lib.3. .1. num.2.* Castro Palao *tom.2.tract.10.disp.unica, punct.5.num.1.* Ex Modestin. Iurisconsulto *l. 3.ff. de vsucapion.*

Ad secundum quæsitum, omissis aliis differentiis, quas in assignandis inter consuetudinem, & præscriptionem, laborant Iurisperiti, cum Glossa in cap. *vlt. de consuetud.& in cap.vltim.*18 *q.2.* Couarruu. *in Regula Possessor.2.p.c.3.n.2* & alij, quos citat Suarez *lib.1. cit.c.13.à n.4.* Respondeo breuiter cum Azorio *tom.1. lib.7.cap.37.q.4.* Quòd præscriptio, & consuetudo in hoc solo discrepant; quòd, per consuetudinem, ius, & dominium communitati acquiritur: per præscriptionem verò, ius, & dominium acquiritur priuatis, non communitati. Legantur Suarez *loc.cit.* & Lessius *cap.6.cit. dub. 2.* vbi ad præscriptionem, ex communi omnium doctrina, quatuor conditiones necessarias assignat, videlicet, possessionem; titulum probabiliter præsumptum; bonam fidem; & continuationem possessionis cum bona fide per tempus lege præscriptum. Sic ille. Legantur Molina *tom. 1.de iust. à disp.*62. Palao *tom.2.tract.10.punct. 5.* & alij penes ipsos.

QVÆSTIO XVII.

An præscriptio efficere possit, vt quis, & toto, aut saltem ex parte, ab onere decimarum, præsertim prædialium, eximatur?

NEgant, posse id præscriptionem efficere qui negant consuetudinem posse facere, vt communitas, seu populus ab onere decimarum, præsertim ex toto, eximatur, quos suprà *q.6.* retulimus, & expresè id negat Rebuffus, *quæst.13.num.55.* docens, nullum Clericum, vel laïcum posse præscribere libertatem nullas soluendi decimas, etiamsi per centum, imo per mille annos; eas non soluerit. Ita etiam Riccius, *p.4. collectan. decis.* 993. Loquendo de præscriptione decimarum in totum, & penes illum, Balb. *decis.* 29. Verùm certè, contrarium absolutè docent posteà, Riccius, vt statim videmus.

Sed consequenter ad suprà *quæst.6.* dicta, Respondeo: Dicendum, quòd optimè possit præscriptio efficere aliquem exemptum ab omni onere soluendi decimas. Ratio est. Quia id potest efficere consuetudo respectu communitatis cuiuslibet: ergo idem poterit efficere præscriptio respectu cuiuscumque priuati; patet consequentia, quia consuetudo, & præscriptio, pares sunt in potestate, & authoritate. Sic docent communiter omnes Theologi, præsertim citati suprà *q.6.* Inter quos legatur Azor *loc. cit.* Sic etiam ex Canonistis Riccius *in collectan. decis. 1. part. coll ect. 192. vers. Quæro num decima,* Ita dicens: Quæro num decimæ possint præscribi à laïco. Negatiuè Verall. *in dec.*241.*p* 4. verum si opponantur possessæ tanto tempore, quòd in contrarium non extet memoria, bene possunt à laïco retineri; vt decidit Capel. Tolos. *in decis.*539. Sic ille ibi.

QVÆSTIO XVIII.

An vt præscriptio possit eximere aliquem à decimarum solutione, sufficiat, quòd per tempus quadraginta annorum exemptus ille fuerit ab onere soluendi decimas?

AFfirmandum videtur. Quia, vt consuetudo eximere possit communitatem aliquam ab onere decimarum, sufficit quod sit præscripta, per spatium quadraginta annorum, vt supra *q.7.* cum communi, diximus: ergo eadem ratione dicendum est, quòd idem temporis spatium sufficiat ad hoc, vt præscriptio legitimè introducta sit, & consequenter, vt sufficiens sit ad eximendum priuatum ab onere soluendi decimas. Ita sentiunt aliqui Doctores, quos citant Couarru. *lib.5. variar. Resol. cap.* 17, *n.*10. Vasquez, & Suarez, *vbi infrà.*

Alij verò absolutè docent, ad obtinendam prædictam decimarum præscriptionem, per quam quis fiat immunis à solutione decimarum, necessarium esse spatium centum annorum. Ita Molfesius *tract. 6. c.4. num.46.* ibi: Tutior, tamen opinio est, vt requiratur præscriptio immemorabilis, nempe, centenaria. Ita ille. Et Riccius *collect.993.cit.* ibi Amplia, vt etiam à laicis præscribi possint, idem Guid. Pap. *decis.* 184. Mohed. *decis.*205. Franc. Marc. *dec.*17. Quia ipsi post Concilium Lateran. sunt capaces decimarum ex priuilegio Apostolico. Veral. *decis.* 241. *p.* 2. verùm debent probare illas exegisse à tempore immemorabili cum allegatione tituli, &c. Ita Riccius.

Sed mediam viam sectando cum distinctione, Respondeo: Dicendum, quò, vel præscriptor habet possessionem non soluendi decimas, sine vllo titulo: vel habet possessionem non soluendi decimas, habendo ad hoc, verum titulum: si habet possessionem non decimandi, sine titulo; dicendum est, quòd tunc non sufficiat consuetudo non decimãdi per spatium quadraginta annorum; sed requiratur tanti temporis consuetudo, vt illius initij nulla sit memoria. Si verò præscriptor habeat consuetudinem non decimandi, cum titulo, tunc sufficeret habere illam per spatium quadraginta annorum. Sic colligitur *ex cap.1. de præscriptio. num.6.* & tenent communiter Doctores, Couarruu. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8. verb. Decimobus omnibus,* vbi ait, in iure esse probabilissimam sententiam, quòd ad efficiendam præscriptionem in decimis, requirantur, vel quadraginta anni, probato titulo, vel tempus, cuius initium nulla hominum memoria teneat. Vasquez *tract. de benefic. cap. 1. §. vnico. dub.3.* Suarez *tomo 1. de Relig. tract.2. lib. 1. cap.*13. *n.*2. 3. & 8. Lessius *lib. 2. de iust. cap.* 39. *dubit. 5. num. 25. & 26* Bonac. *disp. 5. de præcept. Ecclesiæ, q.5. punct. 5. n.* 6. vbi ait. Ad præscribendum aliquid contra Ecclesiam, in iis, quæ simul sunt contra iùs commune, requiri spatium quadraginta annorum cum titulo, aut saltem tempus immemoriale sine titulo: posito enim

tempore immemoriali præsumitur bona fides, & titulus; quod scilicet, maiores obtinuerunt priuilegium exemptionis, aut alia ratione onus soluendi decimas compensauerint. Sic ille. Reginald. *libro 19. sect. 3. num. 97.* Gutierrez *lib. 2. Can. cap. 22. num. 65.* Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 5. num. 2.* Trullench *lib. 3. in Decalog. cap. 3. dub. 11. num. 6.* Rebuff. *quæst. 13. de decimis num. 53.* Quatenus idem tempus in consuetudine exigit, & expressius *q. 14. n. 17.* Molina *tract. 2. de iust. disp. 75.* & alij communiter.

Ad rationem dubitandi facilè respondetur, negando consequentiam, & paritatem. Quia consuetudo, ideò potest eximere communitatem ab onere decimarum, si inducta sit spatio quadraginta annorum, quia vsus frequens est diuturnus communitatis habet vim introducendi legem, & contrariam abrogandi: ergo cùm ad abrogandam legem Ecclesiasticam sufficiat consuetudo quadraginta annorum: hinc est, quòd consuetudo inducta per dictum tempus, abrogare possit legem soluendi decimas, respectu dictæ communitatis: Præscriptio verò, cùm non respiciat communitatem, sed priuatam personam, & hæc non possit liberari à iugo decimarum, per solam vim consuetudinis strictè sumptæ, sed necesse sit vt liberetur, quòd hoc fiat per præscriptionem, cum omnibus conditionibus, quæ illam comitantur, hinc est, quòd præscriptio nullo modo possit eximere quem ab onere decimarum, eodem temporis spatio, quo consuetudo potest. Legantur Suarez, & Lessius *loc. cit.*

QVÆSTIO XIX.

An qui præscripsit decimam vini: si postea vinea fiat terra arabilis, debeat etiam percipere decimam de fructu terræ, eodem modo, quo percipiebat illam de fructu vineæ?

NEgat Rebuff. *q. 14. de decim. num. 61.* Quia (inquit) in hoc casu, non præscripsit decimam terræ fundi; sed solùm vineæ. Citat Rebuff. pro se Anton. *in cap. Commissum.* Horum sententiam secutus est Fagundez *de 5. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 1. num. 27.* per hæc verba: Si aliquis præscripsit decimam vini, ita vt pro ista quota, solueret vigesimam, aut duodecimam, & posteà terra fieret arabilis extincta vinea, tenetur soluere de decem vnum, non de viginti, aut de duodecim, quia non præscriptum fuit in isto fructu, & nouitate vini quod requiritur. Ita Rebuff. *tr. de decim. disp. 13. in lege q. 13. num. 61.* Butrius in cap. *Commissum de decim.* & Panorm. *ibi n. 2.* & Doctores passim in cap. *Audistis, de Præscriptio.*

Sed mihi probabilius Respondeo: Eodem modo debere percipere decimam de fructu terræ, seu fundi; sicut percipiebat illam de fructu vineæ. Quia præscriptio, per se primò est fundi, secundariò, seu ex consequenti, fructuum, quos reportat, per accidens ergo ad præscriptionem erit, quòd fructus varientur. Sic dicendum consequenter videtur, iuxta doctrinam, *quæst. 10.* quam ipsemet Fagundez secutus fuit. Et vt mihi videtur, illam expressis ferè verbis, docet Suarez loco ibi citato; nempe *lib. 1. cap. 22. num. 9. & 10.* vbi hæc habet verba; Nec varietas in fructibus, seu decimis obstat; quia præscriptio, per se primò est realis, circa terram, iam, seu fundum, & ideò, quidquid fructificet, præscribenti fructificat, quoad decimam. Sicut, si in eodem prædio culto ab antiquo in seminatione grani, & ita præscripto, postea plantetur vinea, etiam extenditur præscriptio ad decimam vini, quia illa varietas accidentalis est, & per se attenditur præscriptio terræ. vt à paritate rationis probatur apertè ex cap. *Commissum. de decim.* ubi: *Et sicut de pascuis olim decimæ persoluebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolui*: vt ibi notat Glossa *v. Pascua*, Huc vsque Suarez. Ex verbis cuius apertè constat nostram docere conclusionem; quod etiam debebat facere Fagundez, si consequenter ad ea, quæ docuit eodem *cap. cit. num. 12. & 13.* vellet loqui. Imo, & Rebuff. nam ipsemet *quæst. 14. num. 14.* docet, quòd siquis præscripserit decimas frumenti in tali Parochia si seminetur ibi milium, aut crocus, vel aliud, is habebit decimas illorum, quæ de nouo ibi seruntur; alioqui esset in potestate serentis priuare decimis aliquem, contra regulam, *id quod nostrum est, sine facto nostro à nobis auelli non potest. ff. de reg. iur.* Ita ille. Ergo idem debebat asserere in casu nostræ quæstionis; cùm eadem met ratio sit in vtroque, & idem inconueniens ex opposito sequatur.

Rursus idem met Rebuff. *num. 18.* apertè, & expressè docet, quòd, qui præscripsit decimas in vno prædio, in quo satum fuit frumentum, si ibi seminetur auena, vel milium; tunc is, qui in illo fundo præscripsit decimas frumenti, habebit, & decimam milij, vel alterius rei, ne res diuerso iure censeatur. cap. *Cum in tua. de decim. & l. cum, qui. ff. de vsucapio. cap. cognouimus 12. q. 2.* Anchar. in cap. *Cum contingat. in fine.* Quia in dubio decimæ, præscriptio est realis censenda, idest, terram concernens, non speciem fructuum perceptorum, teste Anchar. in d. cap. *Cum in tua*: hæc docet Rebuffus. Ergo propter hanc eandem rationem, idem debebat firmare in casu, quo vinea fiat terra arabilis; & nunc diuersus fructus colligatur, ac olim. Hanc eandem sententiam docet nouissimè Postius *de manuten. obseruat. 73. à num. 56.* Sic dicens: Et existens in quasi possessione decimandi fructus vnius fundi, ex quo solùm frumentum antea colligebatur, dicitur etiam in quasi possessione decimandi milij, & alios fructus, qui postea loco frumenti sati fuerint. Giouagn. *consil. 28. n. 7. lib. 2.* Rota diuers. *decis. 174. n. 10. par. 1. & decis. 805. n. 4. part. 4.* Nec illi in aliquo præiudicatum intelligitur per mutationem seminis, seu modi colendi. Rot. recen. *d. dec. 402. n. 3. part. 2.* Huc vsque Postius.

QVÆSTIO XX.

An qui præscripsit decimas in sola vna parte fundi, eo quòd in eo sola illa coleretur, si postea aliæ partes eiusdem fundi colantur, de his etiam debeat habere decimas?

REspondeo affirmatiuè. Ratio est. Quia præscriptio cadit in fundum, qui simpliciter censetur vnus, eo quòd certis terminis claudatur, & tanquam vnus, & indiuisibilis possidetur: ergo licèt antea non coleretur in omnibus partibus suis, si postea omnes colantur, ad omnes extenditur præscriptio. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. tractat. 2. lib. 1. cap. 22. num. 10.* ex Rebuffo. *q. 14. de decim. num. 20.* Qui, & citat Panormitan. *consil. 71.* & Brunum *in tractat. de augmento, consil. 17.* & limitat nostram conclusionem, *num. 21.* ad casum solum, quo fundus, vel prædium appareat esse vnum, vel per emptionem, quia vno pretio emptum, vel per limites, vel ob clausuram. Sed hæc sua limitatio, potiùs est declaratio suæ, & nostræ sententiæ. Sic enim intelligitur. Et tenet sic Postius *obseru. 73. cit. num. 160.* vbi verba relata, quæst. antecedenti, sic sequitur: Vt etiam quasi possessio decimandi in vno territorio, seu in vno fundo extenditur etiam ad decimas noualium postea ruptorum. Passer. *consil. 16. num. 21.* Gratian. *discept. forens. c. 113. num. 27.* Giouagn.

*conf.*18. *num.*7.*&* 8.*lib.*2. Seraph.*dec.*18.Quia ex possessione partis ab vniuersitate subiecta dicitur acquisitum totum. Gratian. *d.cap.*113. *num.* 27. *&* *num.*2. Quod tamen videtur intelligendum procedere respectu illorum agrorum tantùm,quorum aliqua pars antea manebat inculta, nam si postea etiam pars inculta redigatur ad culturam,quasi possessio decimandi extenditur etiam ad illam: secus verò dicendum videtur quoad agros separatos, qui anteà penitus fuerunt inculti: & nunc primò præciduntur; nam quasi possessio decimandi ad illos non extenditur: Posset. *d.consil.*16.*num.* 21. Giouagn. *d. consil.*28.*n.*9.*& lib.*2. Gratian. *d. cap.*425.*num.*14.*& sequent.* &c. Sic Postius ibi,& clarè colligitur ex doctrina ab ipsomet *ea. obseruat. à num.*71. tradita. Legatur.

Qvæstio XXI.

An qui præscripsit decimas maiores minutas videatur etiam præscripsisse?

Respondeo: Præscripsisse minutas, casu,quo hæ incessent maioribus initio inchoatæ præscriptionis. cus si posteà. Ratio primi est, quia decimæ minutæ, sunt accessoriæ, vt constat ex cap. *Cum in tua. de decim.* Sed præscriptio facta de principali trahitur ad accessorium, vt habetur *in l. si in aliena.* §. 1. *ff. de vsucap. & l. cas.C. de vsu*: ergo, qui præscripsit decimas maiores, seu principales, consequenter censendus est, & præscripsisse minutas, tanquam accessorias. Ratio vero secundi, ex dicta ratione constat; quia si minutæ decimæ non incœant maioribus initio inchoatæ præscriptionis, nullo modo poterant præscribi; cùm impossibile sit præscribi, quod non possidetur. Accepit ad hoc text. singularis *in l. qui fundum* §.1 *ff. de vsucap.* Secundum Rom. *singul.*577. *vbi habes regulam,* & Fely *in cap.* *Auditis*, *de præscriptio.* Sic Rebuff. *tract. de Decim.qu.*14. *num.*23.*&* 24. Qui *num.* 25. Secus dicendum putat, in casu, quo minutæ decimæ fuerunt vtri solutæ, & maiores alteri: nam tunc, qui maiores præscripsit, non habebit minutas, vt habetur expressè in d. capit. *Cum in tua.*

Qvæstio. XXII.

An possit laicus ius percipiendi decimas præscribere; ita vt sibi ab aliis soluantur?

Respondeo,tanquam certum: Non posse. *Primò.* Quia decimæ sunt à Deo Sacerdotibus, & Clericis datæ cap. *Quamuis de decim.* Et simul in diuisione Ecclesiarum fuerunt Curatis assignatæ *cap.*1. 13. *quæst.*1. *Secundò.* Quia ius exigendi decimas est merè spirituale,vt suprà est habitum; sed sæculares sunt incapaces huius muneris, de iure naturali: ergo ipsis competere non possunt, etiamsi per longissimam consuetudinem eas perceperint. Sic Rebuffus *q.*13. *num.* 64. & penes ipsum, Cardin. *consil.* 88. *vers. Consultus. col.* 2. & Parisius *consil.*101. (*num.*18. vt leges apud Fagundez.) *versu, bona num.*17. *vol.*1. Quibus addi possunt Felin. in cap. *Causam, quæ. de præscript. num.*3. Bald. Imola, & Dominicus in cap. 1. *de decim.* §. *Sacr.* Syluest. *verb. Decima q.* 10. *dict.*10.2. Quos refert, & sequitur Suarez *lib.*1.*cit.cap.*27.(*onn* 17. vt inuenies apud Barbosam) *num.*3.*&* 4. *cap.*30. *num.*7. Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*36. *quæst.*11. (*num* 10. vt leges apud Fagundez) *&* *Quæ decreta.* Couar. *lib.*1. *var. cap.*17. *n.*6. *vers. Quartò.* & penes ipsum Franciscus Balbo *de præscriptio.* 1. *part. principal. quæst.*7. Sic etiam Parif. *decis.*106. *nu.*8. *&* 9. Gutierrez *prac-ticar. lib.*1. *qu.*15. *à num.*2. Fagundez *lib.*3. *cit. cap.*1. *num.*30. Barbosa *lib* 3. *de iure Eccles.cap.* 26.§.2.*n.*49. & alij quamplures, penes ipsum. Molfesius *tract.* 6. *cap.*4. *num.*55. vbi sic ait: Duo considerantur in decimis, nempe ius illud spirituale; & fructus qui percipiuntur ex decimis Respectu iuris spiritualis, laici sunt incapaces decimarum; quia hoc ius solum competit Ministris Ecclesiæ ratione rerum spiritualium, quas Populo administrant, & sic laïci incapaces sunt huius iuris; &c.

Qvæstio XXIII.

An laici possint præscribere decimas, (hoc est fructus decimarum) & ius exigendi illas, casu quo per tempus immemoriale, cum fama priuilegij à Pontifice dati, eas perceperint?

Respondeo, tanquam certum: Posse decimas seu fructus decimarum,præscribere, recipere,ac retinere; dummodo eas possederint tanto tempore, cuius initij memoria non sit; & probetur fama priuilegij, concessi, aut à Papa, aut ab Episcopo,ante Concilium Lateranense. Ratio est. Quia optimè possunt laïci, concessione Pontificis, titulo temporali, acquirere, ac possidere decimas, & ius exigendi illas, vt omnes fatentur: ergo, si ipsi ostendant, quòd per tempus immemoriale, decimas possederint, & quòd annorum interuallo, nemo ipsis quæstionem mouit, & aliàs probent famam (saltem) priuilegij, præsumendum est, iustum titulum habuisse eorum possessionem, ac proinde iustè, & licitè posse, recipere, ac retinere dictas decimas. Sic communiter Doctores, Rebuff. *qu.* 13. *num.*69. & penes ipsum, Abbas, & Imola, Felinus, Cardin. Bald. Domin. Syluest. *loc. cit.* Suarez, *cap.*27.*cit. num.*3. *&* 4. Couarruu. *capit.*17.*cit. num.*5.*vers. Sed si dubitetur.* & Fagundez *loc. cit. n.*31 *&* 32. Molfesius *loc. cit. num.* 56. & alij plures, quos refert, ac sequitur Barbosa §. 2.*cit. n.*32. vbi *nu.*43. sic concludit. Vnde accedente fama priuilegij, seu feudi obtenti ante Concil. Lateranen. immemoriali præscriptione allegata, laïcum titum esse, tenuit latè Rota *decis.*215. *per tot. part.*2. *decis.* Et in Pampil. decimarum, 8. *Martij.* 1613. Coram R.D. meo Coccino Decano, & alij, vt per addit. ad Monetam, *de decim. cap.*5. *num.*118. *in vltim. edit.* vbi eum eadem Rota in Valentia decimarum. 21. *Iunij.* 1613. Coram Card. Caualerio, *inter eius impressas*, *decis.* 258. *num.*3. & in Toletana decimarum, 4. *Decembris*, 1615. coram bonæ mem. Dunozetto, subdit, solam immemorialem præscriptionem suffragari personæ Ecclesiasticæ ad acquirendum ius decimandi. Sic Barbosa.

Qvæstio XXIV.

An clerici, vel Religiosi, possint præscribere decimas, si præscribant Parochiani?

Respondeo, certissimè: Posse. Quia, acquisito principali, acquiritur accessorium,vt suprà q.21. est ostensum: ergo acquisita per præscriptionem parochia, consequenter debent præscribi decimæ illius, quæ sunt quid accessorium. Sic tenent communiter omnes. Syluest. *verb. Præscriptio.*2. *num.*4. ex cap. *Ad aures, de præscrip.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. tractat.* 2. *lib.* 1. *cap.*30. *numero* 1. 2. *&* 7. Fagundez *de* 4. *præcepto Eccle. lib.* 3. *cap.*1. *num.*34. & alij.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXV.

An etiam, absque parochia, aut eius præscriptione, possint dicti Clerici, vel Religiosi, decimas præscribere?

NEgat, Fagundez *loc. cit. num.* 35. Qui citat pro se Turrecrematam, *in cap. finali.* 1. *qu.* 16. *cap.* 1. Suarium *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *de diuino cultu, cap.* 10. *num.* 8. Rebuffum *tract. de decim. qu.* 13. *num.* 63. Panormitanum. *in cap. Suggestum. de præscrip. notab.* 1. & Glossam *in cap. De quarta, & cap. penult. eodem tit.* Sed ex his, non bene citat Rebuffum, & Turrecrematam, vt constabit infrà. Meliùs posset citare D. Antoninum *part.* 2. *tit.* 4. *cap.* 3. §. 5. *vers. Et nota, quod Episcopus,* quem ipsemet Rebuffus, pro hac parte, loco citato, citat.

Fundamentum eorum est; *Primò* text. in cap. *Peruenit. de decim.* In quo claré dicitur; quòd absque Parochia, nequeunt decimas obtineri. *Secundò.* Quia per actionem iniustam, nullo modo potest præscribi: Sed sic est, quod est iniustitia clara, vt commodum decimarum acquiratur, sine onere administrandi Sacramenta, quod est onus Parochi, aut Parochiæ curam habentis: ergo præscriptio decimarum non potest acquiri à Clericis, aut Religiosis, quin acquiratur Parochia, & onera illius; nisi alias accedat priuilegium, aut donatio facta à Summo Pontifice.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse præscribere, absque Parochia *Primò.* Quia priuilegium, & præscriptio æquiparantur, & habent eamdem efficaciam, & vim, vt est text. *in cap. Super quibusdam. vers. Præterea. de verb. significat.* vbi Glossa *verb. Non extat memoria* & text. *in cap. Accedentibus. de excessibus Prælator.* ibi Glossa, *verb. Legitima.* at sic est, quòd mediante priuilegio, possunt Religiosi, vel Clerici, decimas acquirere, & præscribere, absque Parochia vt expressè, concedunt Authores primæ sententiæ, necnon Couarruu. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 13. & Gutierrez *consil.* 5. *num.* 2. & 17. & probat textum cap. *Tua de decim.* & fatentur omnes in cap. *Causam, quæ de præscript.* ergo.

Secundò. Quia nulla datur prohibitio particularis, qua decimæ præscribi, sine Parochia, prohibeantur: ergo absque illa, possunt præscribi, & acquiri (accedentibus necessariis aliis ad præscriptionem conditionibus) à Religiosis, vel Clericis; cùm in se capacitatem habeant ad illas præscribendas. Sic tenet imprimis Rebuff. *eodem n.* 63. quem pro se, illum citat Fagundius, vt dicunt hæc eiusdem Rebuffi verba. Etiam dicit ibi Floren. quòd Clerici vel Religiosi, qui non habent Parochiam, decimas præscribere non possunt, per cap. *Placuit,* 2. *& seq.* 16. *q.* 6. Et notant Doct. *in cap. De quarta, de præscript.* Glos. & Doct. in cap. *penul. eo.* Panorm. *in cap. Suggestum.* 1. Nota. eo. Illa tamen iura, hoc non dicunt, sed prohibent Monachis iura parochialia vsurpare. Si tamen decimas, longissimo tempore, ad præscriptionem habili, possederint, præscribere illas possunt, vt superiùs dixi, per cap. *Cum in tua. eod.* Verum est, quod de iure communi, decimas petere sine Parochia, non possunt, sed post præscriptionem sic: quia illas non petunt, tanquam sint eis debitæ à iure communi; sed quia præscriptæ sunt, quod est notandum pro Religiosis. Idem tenet Ioann. de Turrecrem. *inc. fin. in* 1. *q.* 16. facit cap. *Qui.* 2. 10. *quæst.* 1. *& cap. Dudum. de priuileg.* Huc vsque Rebuffus. Ex quo claré constat, nec illum, nec Turrecrematam, sententiam Fagundij secutos fuisse; sed nostram. Sic cum illis tenent etiam Barbosa §. 2. *cit. n.* 48. *vers. contrariam tamen.* vbi pro hac parte citat Glossam *verb. componendum in cap. Nuper. de decim.* & ibi Abbatem *numer.* 5. Couarruu. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 8. *vers. Tertiò.* Gutierrez *lib.* 2. *Canon. cap.* 21. *num.* 60. Monetam *tract. de decim. cap.* 5. *num.* 107. & Rotam in Florentina Parochialis, 22. *Maij,* 1630.

Sed ex his Authoribus, quos pro nostra, & sua sententia citat amicus, & doctus Barbosa, Glossa imprimis oppositam sententiam firmare videtur, ait enim expressè; quòd Cistercienses, & alij Monachi, qui non habent populum, non possint præscribere decimas, nisi interueniente aliquo titulo, quem ostendere deberent, si vellent allegare præscriptionem. Quia (inquit Glossa) in personis, quæ de iure communi decimas possidere non possunt, necessarius est titulus. Sententia ergo Glossæ, in nullo differt à sententia Suarij, & aliorum; nam cùm titulo posse Monachos decimas præscribere, ingenuè fatentur. Rursus malè citat Barbosa, Couarruuiam, quia hic Author, loco pro nobis citato, nihil habet ad propositam quæstionem, vt constabit legenti omnia illius §. verba, quæ sunt hæc: Tertiò deducitur, iure optimo procedere consuetudinem, ex qua decimæ vni Ecclesiæ debitæ iure communi, alteri Ecclesiæ soluantur. cap. *Ad Apostolica, cap. Cum contingat. cap. Quoniam. de decim.* Idem probatur alibi sæpissimè; dum scriptum est, consuetudinem in decimis soluendis considerandam esse, atque ibi hoc tradunt Abbas, & alij, Cardin. *consi.* 88. Hæc Couarruuias, ibi. Vbi claré vides, nil ad propositam quæstionem attingere.

Ad fundamenta autem oppositæ, dicendum est; *Ad primum,* quòd ille textus, solùm prohibet Monachis iura Parochialia vsurpare; non tamen negat, quòd possidentes illa, tempore longo, & ad præscribendum habili, possint, mediante illo, dicta iura Parochialia acquirere, vt aduertunt Rebuff. Gutierrez, & Barbosa, *locis cit.*

Ad secundum, data maiori, ad minorem dicendum est, quòd nullo modo sit in iustitia, acquiri commodum decimarum; sine onere ministrandi Sacramenta; dummodo id fiat, mediante præscriptione, & manente aliàs congrua sustentatione Parochi; sicut non esset iniustitia, acquirere, aut habere decimas cuiusuis Parochiæ, mediante concessione priuilegij specialis, vt concedunt contrarij. Legatur Barbosa *loco cit.* vbi latiùs agit de hoc puncto.

QVÆSTIO XXVI.

Quid sit compositio, & transactio, quibus etiam, ab onere Decimarum quis eximi potest?

REspondeo: Quòd Compositio, nihil aliud sit quàm, *gratuita quædam conuentio.* Transactio verò, *pactio quædam de re dubia, & lite incerta, aliquo dato, vel retento.* Huiusmodi definitiones habentur *ex l. prima, ff. de transactio. & C. eod. cap. super eo.* Sic Rebuff. *tract. de Decim. q.* 13. *n.* 14. Et ex eo, Fagundez *de quinto præcepto Ecclesiæ, lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. Notantes quòd in iure, sæpius vnum pro alio capiatur, nempe, compositio pro transactione; & transactio pro compositione, vt constat, ex cap. *veniens, de transactionibus.* vbi etiam Hostiensis *in summa.*

QVÆSTIO XXVII.

An compositio super decimis, sit valida?

REspondeo, tanquam quid certum: Esse validam, concurrentibus quibusdam conditionibus, infrà adducendis. Sic enim apertè colligitur ex cap. *Ex multiplici, de decimis,* & ex cap. 2. *de transactionibus,*

&

& ex cap. *Dilecti, in fine ee. tit.* vbi Pontifex ait: *Soluatur, vel cum ipsis amicabiliter componatur.* Ergo Pontifex apertè approbat compositionem: ergo compositio super decimis, non solùm valida est, sed & licita, si ad illam efficiendam conditiones necessariæ concurrant. Sic Rebuff. *quæst.* 13. *cit. num.* 16. & 26. & omnes Doctores, præcipuè Fagundez, Trullench *locis citandis*. Palao *tom.* 2. *tractat.* 10. *punct.* 5. *num.* 4. Barbosa *in cap. Ex multiplici. cit. num.* 2. & *de officio, & potestate Parochi part.* 3. *cap.* 28. §. 4. *n.* 23. & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An valeat compositio facta inter personas Ecclesiasticas, nomine suarum Ecclesiarum; nempe, vt decima vni Curato debita, alteri in posterum soluantur?

Respondeo, tanquam quid certum; Valere; dummodo causæ cognitio, & consensus Superioris interueniat: secus aliàs. Quòd valeat, constat; quia decimæ absolutè sunt assignatæ à Deo in congruam sustentationem Sacerdotum Curatorum in communi; non in fauorem huius, vel illius Curati in particulari: ergo non refert quis ipsorum illas habeat, vel quæ Ecclesia; si interueniat cognitio causæ, authoritas Superioris, & remaneat etiam ex illis; vel ex aliis rebus per viam compensationis, sufficiens sustentatio Curato.

Quòd verò, ad valorem huiusmodi compositionis, sit necessarium, quòd interueniat cognitio causæ facta à Superiori; constat etiam; quia illa compositio, est veluti quædam alienatio rerum Ecclesiarum: at sic est, quòd in alienationibus rerum Ecclesiarum, debet præmitti causæ cognitio, & inquisitio, ad videndum, an tales alienationes expediant, vt patet ex cap. *fine exceptione*, 12. *qu.* 2. & ex Glossa *in c.* 1. *de rebus Eccles. non alienan. in* 6. ergo etiam in prædicta compositione super decimis, necessaria erit cognitio causæ, seu compositionis, vt sic per illam examinet Superior, an talis compositio expediat Curato, aut eius Ecclesiæ.

Quòd tandem etiam requiratur consensus superioris, ad valorem talis compositionis; constat, *ex cap. Placuit.* 12. *qu.* 2. & *ex cap. Cum Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis* & ex infrà dicendis. Sic docent Rebuff. *tractat. de decim. qu.* 13. *à num.* 16. *vsque* 22. Moneta, *de decim. cap.* 5. *qu.* 7. *num.* 126. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. (non 26. vt leges in Barbosa) *q.* 5. Bonac. *disp. vltim. de præc. Eccles. q.* 5. (non 4. vt leges in Barbosa) *punct.* 5. *num.* 3. Fagundez, *de* 5. *præc. Eccles. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. 3. & 4. Ruin. Cap. Marc. Anton. Genuens. Franc. Leon. Beller, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 4. *num.* 14. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 12. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. tractat.* 2. *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 15. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 5. *num.* 4. & alij.

QVÆSTIO XXIX.

An vt validæ sint hæ compositiones factæ inter personas Ecclesiasticas; vt scilicet, vel de rebus minutis nulla soluatur decima: *vel,* vt non soluatur integra decima de vino, oleo, frumento, &c. Sed loco decimæ soluatur vigesima, aut trigesima; *requiratur consensus & approbatio Papæ?*

Affirmant Bertrandus, *consil.* 14. *vers. viso processu, in fine, volum.* 1. *in* 1. *editione, & consil.* 115. *vers. Illud est.* Cuius sententia probari potest, ex cap. *Veniens*, 8. *de transactionib.* quatenus videtur exigere consensum, & authoritatem Apostolicam. Illique, nonnihil fauet Bonacina, *loc. cit. num.* 3. docens absolutè, & sine distinctione vlla, quòd ad hoc, vt per compositionem auferatur obligatio soluendi decimas in futurum, requiratur necessariò consensus Papæ, & non sufficiat Episcopi. Si enim hic Author velit, quòd nullo modo possit fieri compositio valida, taliter vt quis ab omni debito decimarum eximatur, absque eo, quòd ad illam efficiendam interueniat consensus Pontificis; benè hoc dicit; si verò velit, quòd nec possit fieri compositio minuendo decimas, absque eademmet Pontificia authoritate, id est incidere in sententiam Betrandi, quam, iam cum communi, impugnamus.

Respondeo: ergo dicendum tanquam certum; Non requiri necessariò consensum, & approbationem Papæ; sed sufficere consensum Episcopi, vt dictæ compositiones, non solùm validæ, verùm, licitæ sint, & fiant. Sic habetur expressè in cap. *Statuimus, de transactionib.* Vbi Alexand. III. Sic dicit: *Statuimus, vt si super decimis inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat.* Sic Pontifex & sic Glossa ibi, *verb. Personam Ecclesiasticam.* Panormitan. *in capite Dilecti, de decim.* Rebuff. *q.* 13. *num.* 26. (non 16. vt habet Fagundez) Suarez, *lib.* 1. *cit. cap.* 12. *num.* 15. Fagundez, *lib.* 3. *cit. cap.* 2. *n.* 9. Barbosa, *cap.* 26. §. 4. *n.* 14. Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dubit.* 11. *n.* 12. & 14. Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 5. *n.* 4.

Ad fundamentum contrarium, desumptum ex cap. *Veniens*; vel responderi potest cum Rebuffo: Quòd in illo capite agebatur de compositione cum Laicis facta (non cum Clericis) ad quam necessarius est consensus Papæ, vt infrà. Vel dici potest, cum Barbosa; quòd in illo capite, agebatur de magno præiudicio, nempe de soluenda tertia parte decimæ; vel quia nulla causa interuenerat vtilitatis, necessitatis, vel alia similis; vel quia hæc erat propriè transactio, illa verò, de qua in cap. *Statuimus*, 2. *de transact.* quod contrarium videtur, compositio erat, &c. Sic ille ex Moneta, *cap.* 5. *cit. q.* 7. *n.* 137.

QVÆSTIO XXV.

An vt prædicta compositio, inter personas Ecclesiasticas sit valida, sufficiat etiam consensus Vicarij Generalis Episcopi, vel Archiepiscopi?

Negat sufficere Aufrer. (relatus à Rebuffo) *decis.* 97. *& sequent.*

Sed probabiliùs longè, Respondeo, sufficere. Sic Fagund. *c.* 2. *cit. num.* 5. Ita dicens, & probans hanc responsionem: Rebuffus tamen allegatus prædicto *num.* 23. affirmat valere, & ait, se ita vidisse seruare; tum propter Episcopi sententiam; tum quia Vicarius generalis, nomine Episcopi hoc facit; & quia habet iurisdictionem ad id faciendum: solent enim Vicarij generales habere generalem potestatem Episcoporum, nisi eis ab Episcopis restringatur, vt constat, *ex cap. finali de officio Vicarij in* 6. & *in cap.* 2. *de transactionibus*, dicitur de consensu Episcopi, vel Archidiaconi. Huc vsque ex Rebuff. Fagundius. Et benè, excepta hac vltima probatione, *ex cap.* 2. *de transactione*, nam in illo non legitur; *de consensu Episcopi, vel Archidiaconi*: *sed de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi*: vt videri potest in textu, quem ad vnguem, totum retuli, quæstione antecedenti. Vnde malè transcripsit

Digitized by Google

transcripsit ex textu dicta verba Rebuffus, & malè etiam Fagundez. Tenent etiam haoc nostram conclusionem, vltra hos duos Authores, Barbosa, §. 4. *cit. num.* 26. Trullench, *dub.* 11. *cit. num.* 12. & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An sufficiat item, ad valorem dictarum compositionum; quòd fiant, cum solo consensu Parochi, & Abbatis, seu Prioris?

RESpondeo: Nullo modo sufficere; sed necessario requiri consensum, & approbationem Episcopi; vt tales compositiones validæ in perpetuum, remaneant. *Primò.* Quia sic colligitur ex cap. *Placuit.* 12. q. 2. *ex cap. Abbatibus, ibidem, & ex cap. Cum Apostolica, de his quæ fiunt à Prel.* Vbi dicitur, non requiri Capituli consensum, sed Episcopi tantùm: licèt in vera alienatione, etiam requiratur Capituli consensus, vt constat, *ex cap. Sine exceptione,* 12. q. 2. *Secundò.* Quia decimæ, sunt cibus, & alimenta Clericorum; sed sic est, quòd de alimentis futuris, non potest transigi, sine iudice, *l. Cum hi. ff. de transact.* ergo nec de decimis: tunc vlterius; sed sic est, quòd Episcopi præsentia, & consensus, habetur loco iudicis: ergo necessariò requiritur eius consensus ad valorem (saltem perpetuum) dictarum compositionum. Sic Rebuff. q. 13. *num.* 22. & penes illum, ni fallor, Ancharr. *cap. Cum homines, col.* 2. *de transact.* Fagundez, *cap.* 2. *cit. num.* 3. & penes illum, Panormitan. *in c.* 2. *de transact.* Barbosa, §. 4. *cit. num.* 25. Trullench, *n.* 12. *cit.* & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An saltem, si fiat compositio prædicta, inter solos Parochos, absque consensu Episcopi; valeat, si non in perpetuum, per vitam ad minus, componentium?

RESpondeo: Valere; licèt solùm per vitam componentium. Ratio est. Quia ea compositio censetur, in dicto casu, personalis, & non realis; vnde licèt valeat sine assensu Episcopi, non tamen potest excedere vitam componentium; quia Parochus, qui illam fecit, non potest præiudicare Parochiæ, aut successoribus suis. Sic colligitur, ex cap. *Veniens,* & ex cap. *De cætero, de transact.* Et docent Abbas. in cap. *Cum homines de decim. num.* 4. Rebuff. q. 13. *de decim. num.* 25. Fagondez, *d. cap.* 2. *num.* 6. Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *quæst.* 5. Barbosa, §. 4. *cit. n.* 26. & penes ipsum, Duen. *Reg.* 127. *in fine.* Bonacos, *tom.* 1. *communium, opin. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 12. *pag.* 186. D. Barbosa, *in l. si filiumfam. § fin. num.* 20. *ff. soluto matrim.* Rota, *in Mediolan. decimarum* 10. *Aprilis* 1606. & *deci.* 585. *in* 3. *p. recent.* Et in Augustana decimarum, 28. *Martij* 1631. His addi possunt Azor, *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 37. *q.* 5. *vers. Quæstio,* & alij.

QVÆSTIO XXXIII.

An curatus, non solùm validè, sed etiam licitè, possit facere compositionem, tam cum Ecclesiasticis personis, quàm cum Laicis, absque consensu Episcopi, super decimis prateritis?

RESpondeo, certissimè posse. Quia decimæ prætetitæ, sunt fructus iam facti, & pertinentes ad Curam facientem compositionem: ergo sicut potest illos cuicumque remittere, vel donare, etiam poterit de illis, adhuc cum Laicis, compositionem facere. Sic Barbosa, *lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 26. §. 4. *num.* 27. Qui citat pro hac parte, Glossam, *in cap. Vt super. de rebus Eccles. non alien.* Rebuffum, *dicta q.* 3. *num.* 25. & 33. & *in tract. exceptio, num.* 217. Fagundium, *d. c.* 2. *num.* 7. & Monetam, *de decim. cap.* 5. *num.* 128. Et certè benè citat hos Authores, excepto Rebusso in tract. *except. num.* 217. nam hic tractatus (apud me saltem) noo excedit numerum sexagesimum octauum. Tenent etiam hanc nostram sententiam, Decius, *in cap. Venerabilis, de confirmat. vtili in* 4. *notabili.* Abbas, *in cap. Cum homines, de decim. num.* 4. & penes ipsum, Felinus, & alij, Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cit. cap.* 38. (non 28. vt leges in Bonacina) *num.* 6. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 33. Bonac. *q.* 5. *cit. punct.* 5. *num.* 3. Caiet. *in* 2. 2. *q.* 43. *art.* 8. Trullench, *dub.* 11. *cit. num.* 13.

QVÆSTIO XXXIV.

An compositio facta inter Curatum, & Laicos, de non soluenda aliqua, vel nulla decima, sit valida, si accedat consensus, & authoritas Papæ?

NEgant Rebuff. *de decim. qu.* 13. *num.* 27. & 29. & alij quidam Canonistæ, qui existimarunt, decimam iuris diuini esse, & ideò non posse Papam illud tollere.

Sed tanquam certum, Respondeo: Esse validam talem compositionem, accedente Papæ consensu. Quia certum est, decimam esse iuris Canonici, non diuini; ergo illud optimè potest Papa tollere, & abrogare; ergo, & à fortiori, quòd prædicta compositio rata, & valida existat. Sic tenent communiter omnes Theologi, & Canonistæ, quos suprà, *disp.* 2. *q.* 6. citauimus, & expressè id affirmant Azor, *q.* 5. *cit. vers. Deinde,* Palao, *tom.* 2. *tractat.* 10. *disp. vnica, punct.* 5. *num.* 4. & 5. Trullench, *dub.* 11. *cit. nu.* 12. & alij.

QVÆSTIO XXXV.

An vt præfata compositio facta inter Curatum, & Laicos, de non soluenda aliqua decima, sit valida, etiam sufficiat consensus Episcopi, vel Archiepiscopi?

AFfirmant Decius, apud Rebuffum, *loc. cit. n.* 29. Et affirmare videtur, ex Castro Palau, Trullench, *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 12. per hæc verba. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 5. *num.* 4. & 5. Vbi docet; quando compositio inter Clericos, & Laicos facienda est in perpetuum, vel ad longum tempus de decimis futuris, requiri authoritatem Pontificis, si fiat talis transactio, taliter quòd aliquis ab omni debito decimarum eximatur. Posse tamen fieri authoritate Episcopi, quando agitur de diminutione decimarum, hoc est; vt non soluatur ex his rebus, in hac mensura, & in hoc loco; vt habet expressè Glossa, cum Hostiensi, *in c. statuimus,* 2. *de transactien. v. Personam Ecclesiasticam.* Et ita videtur sentire Suarez, *lib.* 1. *c.* 12. *num.* 15. Huc vsque Trullench.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Non sufficere, ad validandam talem compositionem consensum Episcopi; sed requiri necessariò consensum Papæ. Sic communiter omnes. Præcipuè Rebuff. *num.* 29. *cit.* Vbi sic, probans hanc nostram responsionem, ait: Secus si componeretur, vt non præstaretur integra decima, vel de aliquibus rebus tantùm, hoc enim ratum est, si Papa approbet, diuersum est de consensu Episcopi;

Episcopi; quia nullus extra Papam, Laïcum à decimis eximere potest; nec quantitatem decimæ diminuere, text. *in cap. Venerabilis, de Confirmat. vtili.* Vbi Panormitan. Facit, *cap. A nobis, eod.* & Bertrand. *d. consil.* 114. *& consil.* 116. *in* 1. *volum.* Et compositio est quædam exceptio, ideo, sine Papæ approbatione facta, non valet, Glossa, & Doctores, *in cap. a. de transact.* Sic Rebuff. Sic etiam Azor, *cap.* 37. *cit. q.* 5. *vers. Deinde.* Vbi ita dicit: valet itidem Compositio vt Laïcus non soluat integram decimam, sed minorem, vtpotè vigesimam, trigesimam, &c. At non sufficit in hoc sola Episcopi authoritas, nisi Romani Pontificis consensus accedat. Nam cùm decima, ex toto, vel ex parte, remittitur, ius commune relaxatur, quod præcipit integram decimam solui, vt supra iùs ostendi. Valet item compositio, vt Laïcus non soluat decimam ex certis quibusdam fructibus, aut bonis; modò fiat authoritate Romani Pontificis: siquidem hæc etiam in parte ius commune remittitur. Sic Azor. Et sic etiam Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 10. *disp. vnica, punct.* 5. *nu.* 4. & alij.

Qvæstio XXXVI.

An saltem, authoritate Episcopi, possit validè fieri Compositio cum Laïcis; super tempus, & locum, & personas, quibus soluendæ sint decimæ?

Respondeo, tanquam quid certum; Posse. Quia per huiusmodi compositionem non remittitur ius commune. Sic Rebuff. *n.* 29. *cit.* Ita dicens: Sed authoritate Episcopi potest cõpositio fieri super tempore, videlicet, quo tempore solui debeat; & super loco, an deferenda sit domum, vel in campo soluenda, & quibus personis soluenda sit. Probanit in dicto c. *Venerabilis.* Vbi Glossa, Innoc. Sic ille. Quod idem docet Azor, *loc. cit.* per hæc verba: Rata nihilominus, & firma est Compositio, quæ fit auctoritate Episcopi, vt decima soluatur quidem Clericis, vel Ecclesijs integra, sed certo loco, & tempore, nimirum in area, vel agro, vel domo; Item vt post certos dies à collectis fructibus; tum etiam ne soluatur decima, antequam petatur à Clericis. Insuper, vt non soluatur decima, nisi ad finem vitæ. Sic Azor. Tenent etiam Fagundez, *d. c.* 2. *num.* 14. & Trullench, *dub.* 11. *cit. n.* 15. Qui addunt ex Rebuffo, idem dicendum, in casu, quo ius Ecclesiæ dubium esset, vtpotè, quia ageretur de priuilegio Papæ Laïco concesso; tunc etiam auctoritate Episcopi valebit compositio, cum causæ cognitione, an id expediat Ecclesiæ. Sic ex Rebuffo, *num.* 30. addunt Fagundez, & Trullench. Quamuis ex his, Fagundez solùm dicat, quòd in dicto casu, *forte valeret compositio.* Sed immeritò hoc sub dubio relinquit; cùm id, vt certum affirmet Rebuffus, ex quo, tale additum scripsit. Sic etiam Barbosa, §. 4. *cit. n.* 24. *in fine.*

Qvæstio XXXVII.

An valeat compositio facta de consensu Papæ vt Laïci nomine proprio, & per se habeant ius percipiendi in perpetuum decimas alicuius Parochiæ?

Respondeo, tanquam certum; Nullo modo valere. *Primò.* Quia decimæ Clericis relictæ sunt, vt suprà est ostensum. *Secundò.* Quia Laïci per se sunt incapaces iuris spiritualis, aut spiritualium rerum, quales sunt decimæ, vt suprà *q.* 22. est ostensum: ergo illas, in perpetuum saltem non valent percipere per se, nec possidere, quia aliàs ius spirituale apud Ecclesiam inutiliter remaneret; nam sicut corpus sine anima viuere non potest, ita nec ministri Ecclesiæ sine temporalibus, Cap. *Si quis obiecerit,* 1. *q.* 3. Ergo compositio dicta, cum Laïcis facta, etiam de Papæ consensu, non valebit. Sic S. Thom. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. Abbas, *in cap. Quamuis, de decim.* Rebuff. *q.* 13. *de decim. n.* 28. Suarez, *tom.* 1. *de R lig. tr.* 2. *l.* 1. *cap.* 25. *n.* 5. Fagundez, *de* 5. *præc. Eccles. lib.* 5. *c.* 2. *n.* 10. Trullench, *l.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 16. & omnes.

Addunt tamen, quòd ex accidenti, & ex causa pia aut ex alia iusta, optimè possit Laïcus percipere ad tempus fructus decimarum, non proprio titulo, sed nomine Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ personæ, ad quas pertinet ius primarium percipiendi decimas, & tunc optimè, validè, & licitè poterit ipse Laïcus compositionem facere de decimis pro illo tempore, & modo quo possunt illas percipere, Legantur Suarez, & Fagundez, *locis citatis.*

Qvæstio XXXVIII.

An qui, compositione validè facta, se iuuare velit, teneatur illam seruare?

Respondeo: Quòd sic. Ita docet Rebuff. *qu.* 13. *de decim. num.* 31. per hæc verba: Si compositio facta sit etiam de auctoritate Superioris, si is, qui allegat compositionem, vult ea se iuuare, oportet quòd probet, se compositionem seruasse: aliàs, si non seruata fuerit, non poterit se illa iuuare *per l. Cum proponas, C. de pactis, cap. Peruenit. in* 2. *de interimendo.* Et si decimæ fuerint solutæ contra Compositionem, illi videtur renunciatum, argum. *cap. Cum accessissent, in fine; de Constitution.* Sic consuluit Bertrand. *consil.* 6. *vidi casum, col.* 2. *in* 3. *volum.* ex 1. *editione.* Huc vsque Rebuff.

Qvæstio XXXIX.

An transactio super decimas facta, valeat?

Negandum videtur. Quia Decimæ dicuntur spirituales, vt habet Glossa, *In summa* 1. *q.* 1. *& in cap. literas, de restit. spoliat.* Et etiam Panormitan. Iason, & alij, quos refert Rebuff. *q.* 13. *num.* 38. Sed sic est, quòd non potest fieri transactio super rebus spiritualibus, aut sacris, & religiosis: ergo non potest fieri super decimis. Minor, in qua potest esse difficultas probatur, *ex cap. Super eo.* 7. *de transactio.* sic dicente: Tale damus responsum, quòd transigi super re sacra, & religiosa (*aliàs, litigiosa, sed non bene*) non potest. Etenim res sacræ, vt possideantur aliquo dato, vel retento, siue promisso, speciem eredimus habere (*quod verbum omisit Fagundez*) Simoniæ. Aliàs si grans, & amicabiliter se litigantes componant; sacris Canonibus nequaquam dicimus obuiare. Sic textus. Vbi Glossa, *in sum. & in v. r. Super re sacra,* ait; ex illo euidenter constare; quòd de re sacra, siue spirituali, transactio interuenire non possit.

Sed, tanquam certum, sic sub distinctione, Respondeo dicendum. Quòd decimæ sumi possunt dupliciter: nempe, vel pro ipso iure accipiendi fructus decimarum; vel, pro ipsa perceptione fructuum, qui decimarum nomine capiuntur. Cuius diuisionis meminit, D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. Si priori modo sumantur decimæ, nullo modo potest fieri super eis transactio; quia illud ius, est quid spirituale; si verò sumantur secundo modo, optimè potest fieri transactio super decimis, eò quòd perceptio fructuum decimarum, sit res temporalis, cùm in rebus temporalibus consistat. Sic Rebuff. Panorm. Fagund. Barbos.

bof.& alij. Vnde ad rationem dubitandi respondeo, quòd ille textus, non loquitur de decimis, vt sunt fructus temporales; sed de quibusdam, qui contendebant super Ecclesiastico beneficio, vt constat ex principio ipsiusmet textus, sic dicentis: *Super eo, quod quæsiisti, vtrum de Ecclesiastico Beneficio, in litigium deducto, possit fieri transactio, &c.* Sic ibi. Ergo nullo modo est contra textum asserere, posse dari transactionem super decimis, sumptis ad minus, pro fructibus temporalibus.

QVÆSTIO XL.

An valeat transactio super decimis præteritis, etiam facta sine consensu Episcopi?

RESpondeo: Valere. Etiamsi pro decimis prædictis detur, aut promittatur aliqua pecunia, vel aliquod aliud temporale. Ratio est, Quia fructus decimæ reputantur res temporales; & ideò, & illas conducere possunt Laici, vt constat, *ex cap. vestra, de loca.* & capi possunt in causa executionis, etiam sine consensu Episcopi; vt constat, *ex capite, vt super, de reb. Eccles. non alien.* ergo potest quilibet Curatus, non solùm cum personis Ecclesiasticis, verùmetiam cum Laïcis contractum transactionis celebrare, sicut potest prædictos decimæ fructus in totum dare, vendere, aut remittere. Sic docent Abbas, *in cap. Cum homines de decim. num.4.* Rebuff. q.14. num. 33. Fagundez, *lib.3. cit. cap.2. num.17.* & alij.

QVÆSTIO XLI.

An valeat cõtractus transactionis super decimis futuris inter personas Ecclesiasticas factus?

NEgat absolutè Riccius *p.7. coll.2992.* Ex Glossa *in c. Ex multiplici, de decim. v. Quamdiu vixeret.* Sed clariùs, iuxta suprà dicta, Respondeo: Valere quidem talem contractum; in perpetuum scilicet, si fiat cum Papæ, vel Episcopi consensu. & competetur Ecclesia in alijs rebus: pro vita verò solùm Rectoris, vel Curati transigentis, si fiat absque consensu Papæ, vel Episcopi. Sic Rebuff. *q.13. num.36.* Fagundez, *num.18.* Addens, quòd in dictis casibus, nequeat Curatus transigens à præfato transactionis contractu resilire, nisi lædatur grauiter Ecclesia, quæ tunc ita lædi censeretur, quando Curato non manerent fructus decimæ, ex quibus competenter posset viuere. Consonat huic doctrinæ id quod addit Riccius, *loc.cit.* nempe, quòd, adhuc pendente vita, possint ipsimet transigentes, vel alio contractu, decimas remittentes, ab ea remissione, saltem per restitutionem in integrum recedere. Legantur quæ dicta sunt de compositione decimarum: quia omnia de illa dicta, intelligenda etiam veniunt de transactione, cum pro eodem in præsentiarum vsurpentur.

DISPVTATIO VIII.

De Ecclesijs, & Personis; quibus Decimæ soluendæ sunt.

QVÆSTIO I.

An ius percipiendi decimas ad solos Clericos, spectet?

RESPONDEO: tanquam certum, ex sæpius dictis: Ad solos Clericos, & non ad Laïcos, spectare. Quia ius percipiendi decimas est spirituale; cuius est incapax Laicus. Quapropter ad earum, ex iure, perceptionem omnino quiritur Clericatus, seu tonsura. Sic omnes Doctores docent, *ex cap.1 & sequent. & cap. Non est, de decimis, & cap. Quamuis, eo. & cap. Decimas 19. qu.1.* Vbi Paschalis Papa sic ait: *Decimas à populo Sacerdotibus, ac Leuitis esse reddendas, diuinæ legis sanxit authoritas.* Legantur Rebuff. *de decim. qu.11.7. à num.1.* Suarez, *tom.1. de Relig. tract. 2. lib.1. cap.28. num.6.* Barbosa, *lib.3. de iure Eccles. cap.26. §. 2. à num.1.* & alij penes ipsos. Quod ergo in hac disputatione quærendum est, quibus Clericis, vel Ecclesijs, sint de iure soluendæ decimæ, earumque fructus. Sit ergo,

QVÆSTIO II.

An nunc, de iure communi, solis Parochis soluendi sint Decimæ fructus?

RESpondeo tanquam certum: Quòd sic. Primò, quia ius percipiendi decimas, earumque fructus, ad solos Parochos competit; cùm istis solum competat ex officio, ad populi, soluentis decimas salutem spiritualem attendere, spiritualia illis ministrando: at sic est, quòd perceptio ipsa fructuum, attento iure communi, solùm spectat ad illum, qui ius percipiendi habet, vt docet Iurisconsult. *in l. vsufructu legato 7. in princip. ff. de vsufructu.* ergo, attento iure communi, solis Parochis soluendæ sunt decimæ, earumque fructus. Sic docent omnes Doctores, *ex c.1. & cap. statuimus, 16.q.1. c. Ecclesias, 13. qu.1. c. Pastoralis de his, quæ fiunt à Prælato, & ex c. Cum contingat, de decimis:* præcipuè Abbas, *ibi n.7.* S.Th.2.2.q.87.*art.3.* Syluest. *v. Decima, n.14.* Rebuff. *q.7.* (non 4. vt leges apud Barbosam) Couarru. *l.1. var. c.17. n.7.* & alij quamplures quos refert, & sequitur Barbosa, *§. 2. cu. n.7.* Quibus ex modernioribus addi possunt Fagundez, *de quinto prac. Eccles. lib.3. cap.4. n.1.* Trullench, *lib.3 in Decal. c.3. dub.8. n.3.*

QVÆSTIO III.

An etiam, Episcopis solui debeant, ex iure, saltem in aliquibus casibus, Decimæ?

RESpondeo tanquam certum: Deberi, in sequentibus. *Primus est*; quando decimæ sunt debitæ Ecclesiæ Cathedrali; quia huiusmodi Ecclesiæ, Episcopus dicitur, ac est immediatè Parochus. Sic docent ex cap. *Cum contingat. de decim.* Abbas, *n.7.* Rebuff. *q.7. n.7.* Moneta, *c.7. n.7.* & Barbosa, *§.2. cit. n.13.* Azor, *tom.1. lib.7. c.36. q.9.* Quamuis addat, quòd in casu, quo alius Sacerdos esset illius Ecclesiæ Curatus; tunc non Episcopo, sed Curato deberentur decimæ, Quod additum priùs docuit Rebuff. *loc.cit.*

Secundus casus est, quando prædia, ex quibus soluendæ sunt decimæ, non sunt sita in alicuius certa, & determinata Parochia, quia tunc dicta prædia, censenda sunt manere in Parochia, & ideò decimæ illorum, ad Episcopum, tanquam ad proprium Parochum, pertinere est dicendum ex cap. *Quoniam de decim. & c. Decimas 16.q.7.* ibi: *Has decimas sub manu Episcopi fore censemus, vt ille qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat.* Sic Rebuff. *q.7. cit. num.8.* Azor, *tom.1. lib.7. c.36.* (non 25. vt leges in Barbosa) *qu.9.* Moneta, *c.7. num.9.* Rota, *in Pacen. decimarum, delli Hebrero, 9. Iunij 1603. & 21. Iunij 1604. Et in Placentina decimarum personalium, de Trugillo 18. Martij 1618. & in Cochen. decimarum del Infantado, 18. Decembris.* Quos Authores, & alios, vnà cum his decisionibus, refert, & sequitur Barbosa, *§. 2. cit. n.14.* Trullench, *lib.3. cit. c.3. dub.7. n.8.* & alij.

Tertius

Tertius casus est, quando Parochiæ in Diœcesi non sunt distinctæ; quia tunc tota Diœcesis est Parochia Episcopi, ac proinde illi, tanquam proprio Parocho debentur decimæ. Sic ex *cap. Omnes Basilicæ*, 16. q. 7. (non 6. vt leges in Azorio) docent Rebuff. *q. 7. cit. n. 9.* Azor. *loc. cit.* Moneta, *c. 7. n. 10.* Rota, *decis. 109. n. 5. p. 2. diuers.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa, *loc. cit. n. 15.* Addit tamen Rebuff. & benè, quòd hodie communiter videmus Parochias esse, in Diœcesibus, distinctas.

Quartus est, quando consuetudo haberet, vt decimæ ad Episcopum spectarent. Sic Glossa in cap. *Dudum, de decim. verb. De iure commun.* Rebuff. *n. 10.* Qui benè notat, hodie contra Episcopos militare consuetudinem, eo quòd Episcopatus non sint tenues in fructu.

Quintus casus est, quando decimæ sunt Ecclesiæ Cathedrali donatæ; aut alio modo debitæ; tunc enim Episcopatus de iure communi est in illis fundatus, ex cap. *Dudum, cit.* licèt inter fratres, hoc est, Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, diuidi debeat, ex cap. *vlt. de off. Cust.* Sic Rebuff. *n. 13.* & Azor, *q. 9. cit.*

QVÆSTIO IV.

An debeant solui decimæ Parochis, qui opibus, & rebus temporariis abundant?

NEgarunt aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Abul. *in c. 23. Matth. q. 174.* Quorum fundamentum fuit, Quia olim Leuitis, & Sacerdotibus concessit Deus decimas, quia non reliquit eis aliquam partem possessionis in terra, *Num. 18. & Deutero. 18.* ergo Parochis, qui nunc diuitiis abundant, non licebit decimas recipere, ac proinde nullus tenebitur illas eis soluere. Hanc sententiam esse probabilem insinuat Rebuff. *de decim. q. 13. n. 6.* dum contrarium verius esse dicat. Sed immeritò, vude,

Tanquam certum, Respondeo: Debere solui. Quia decimæ non dantur, aut soluuntur Ecclesiis, intuitu personarum, sed intuitu Dei, & causa diuini ministerij, quod Parochi præstant c. *Decimæ*, 16. q. 1. & *ibi* Glossa, *verb. Tributa*, & colligitur ex Leuit. 27. & *n. 18.* at sic est, quòd propter diuitias nemo potest suo iure priuari, aut spoliari, vt ex *cap. 1. in 14. n. 1.* docet Ioan. Andr. & alij, *in Rubr. de decim.* alioqui Regi diuiti, aut Principi opulento, non teneretur quis tributa dare; nec creditori copioso debita, quod est absurdum. Sic & probans latè, Abul. *loc. cit.* qui & respondet ad fundamentum oppositæ sententiæ, negando, quòd paupertas Leuitarum, aut Sacerdotum fuerit præcipua causa, propter quam eis darentur decimæ; sed solùm aliqualis; nam præcipua causa fuit ministerium diuinum; & ideò sine in veteri, sine in nouo Testamento, haberent ministri diuitias, erant eis decimæ dandæ. Sic etiam Rebuff. *q. 7. de decim. n. 14.* & latissimè, *q. 13. à n. 1. vsque ad 15.* Suarez, *tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 1. c. 29. n. 5.* Castro, *v. Decima*, & Turrecremata, *lib. 4. sum. p. 2. c. 37.* Qui referunt damnum fuisse errorem Pseudoapostolorum, negantium decimas danda esse Clericis, qui non profiterentur Euangelicam paupertatem. Fagund. *in quinto prac. lib. 3. c. 4. n. 1.* Azor, *tom. 1. lib. 7. c. 36. q. 9.* Filliuc. *tr. 27. p. 2. c. 9. num. 209.* Trullench, *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 8. n. 6.* & omnes.

QVÆSTIO V.

An decimæ dandæ sint malis Parochis, & beneficiatis?

NEgauit Vuicleph, vt vidimus suprà *disp. 2. q. 1.* dum existimauit liberum esse fidelibus, negare decimas malis Sacerdotibus. Sed eius error damnatus fuit in Concilio Constantiensi *sess. 45.* vt loco citato, diximus. Quapropter,

Tanquam certissimum Respondeo: Esse dandas. Quia sic expresse habetur, & præcipitur in cap. *Tua nobis, de decimis.* ibi: *Prætextu vero nequitiæ Clericorum, nequeunt eas, hoc est, decimas) nisi quibus ex mandato diuino, debentur, pro suo arbitrio erogare: Cum nulli sit licitum, aliena cuique concedere, præter Domini voluntatem.* Sic text. Idem etiam habetur in cap. *Quid dicam. 14. q. 4. & c. Forte qu. 5.* Et ratio est. Quia decimæ non dantur, propter bonitatem vitæ; sed, propter seruitium, & ministerium: ergo si Parochi aut alij Beneficiati, seruiant, & ministrent, vt debent, malitia illorum non liberabit alios à debito soluendi decimas. Sic tenent omnes Doctores. Abulens. *loc. cit. q. 175.* Alens. *q. 51. memb 6. art. 3.* Rebuff. *q. 7. cit. n. 15. & q. 13. n. 9.* Suarez, Filliuc. Fagundez, Azor, & Trullench, *loc. cit.*

QVÆSTIO VI.

An etiam debeant dari decimæ Parochis, si ibi in malos vsus illas conuertant?

REspondeo: Etiam debere dari. *Primò.* Ob tractationem. *Secundò.* Quia iustum est, vt illi consequantur stipendia, qui pro tempore suum commodare repertuntur obsequium *cap. Charitatem. 12. q. 2.* & qui altari seruit, de altari viuere debet, cap. *Cum secundum, de præbend.* ergo si prædicti suis Ecclesiis inseruiant, & ministrent, de stipendiis sui ministerij sustentari possint, ac per consequens, licitè decimas recipere. Quòd si ipsi illis abutuntur, iudicium sibi manducare, & bibere prædicit eis Hieron. *in c. Clericos, 1. q. 2.* Sic Alens. *in Rubr. de decim. vers. Circa tertium.* Rebuff. *q. 7. n. 16. & q. 13. n. 11.* Fagundez *cap. 4. cit. n. 2.* & omnes.

QVÆSTIO VII.

An etiam Canonicis, & dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum, necnon & aliis Clericis habentibus Beneficia, debeant dari decimæ?

REspondeo, tanquam certum: Etiam debere istis omnibus decimas dari. Quia hi omnes habent proprium ius supra decimas correspondentes suo Beneficio. Nam sicut post diuisionem Parochiarum vnusquisque Parochus habet ius in Parochiam suam, ita etiam postquam Ecclesia diuisit redditus vniuscuiusque Parochiæ in plura Beneficia, vnicuique Beneficiato, per se, & directè competit ius ad portionem decimarum suo Beneficio correspondentem. *Præterea*, loquendo specialiter de Canonicis, id constat expresse *ex cap. Ex parte 2. de decim.* Ex quo, etiam de aliis idem probari potest, propter similitudinem rationis. Sic docent omnes Doctores. Legantur S. Thom. 2. 2. *q. 87. art. 3.* Suarez *lib. 1. cit. cap. 29. num. 3.* Filliuc. *tract. 27. cit. cap. 9. num. 209.* Lessius *lib. 2.* (non 1. vt leges apud Trullench) *cap. 39. dub. 4.* Trullench *dub. 8. cit. num. 5.* Palao *tom. 2. tract. 10. disput. vnica, punct. 10. num. 1.* & alij. Ex quibus, Suarez, Filliuc. & Palao, affirmant, non solùm ex religione, verumetiam ex iustitia, decimas præfatis Canonicis; ac Beneficiatis deberi: alij verò id non concedunt, sed dicunt, quòd exceptis Parochis; aliis non ex iustitia, sed solùm ex Religione, charitate, & præcepto Ecclesiæ; debeantur decimæ.

QVÆSTIO VIII.

An item, simplicibus Clericis, nullumque habentibus Ecclesiasticum Beneficium, debeantur decima?

RESpondeo, tanquam certum: Quòd nullo modo. Quia licèt capaces sint, ex vi suę ordinationis, ad habendas, & recipiendas, decimas non tamen habent de facto proprium ius ad illas vsque dum Beneficium aliquod obtineant: & ideò ante obtentionem illius, nequaquam illis sunt decimæ debitæ. Sic omnes. Suarea *d.c.29.n.6.* Filliuc. *n.*210 Ric. *in praxi aurea, Res.*160. Trull. *n.*7 Palao *tom.2.tract.*1 *n.punct.*10. *n.*2. & alij.

QVÆSTIO IX.

An Religiosis debeant dari decima ex iure communi?

RESpondeo, tanquam certum: Quòd non. Quia de iure communi solùm debentur decimæ Ecclesiis sæcularibus, non Religiosis. Sic habetur in cap. *Cum in tua de decim. cap. Significauit, de Paroch.* Et colligitur etiam ex cap. *Alia causa, cap. Placuit,* 2. *cap. Peruenit.* 16. *q.*1. & Ratio est. Quia Religiosi, non sunt obligati ratione sui status, ad seruiendum populo in spiritualibus: ergo neque populus ad eos ex iustitia alendos. Sic omnes, S. Thom. 2. 2. *q.*87. *art.*3. *ad* 3. & *ibi* omnes Theologi. Alens. 3. *p. q.*51. *num.*6. *art.*2. Abulens. *in cap.*23. *Matth. q.*189. Suarez *c.*29. *cit. n.*7. Filliuc. *n.*211. Trullench, *n.*8 Palao *loc. cit. n.*2. Canonistæ omnes *in cap. penult. de decim.*

QVÆSTIO X.

An saltem Religiosis, habentibus aliquod Beneficium Parochiale; vel priuilegium recipiendi, ex aliquibus locis, decimas; debeant necessariò decima conferri, & dari?

RESpondeo, tanquam certum: Deberi. De primo, constat. Quia per Beneficium Parochiale confertur Religiosis onus ministrandi populo in spiritualibus: ergo, & confertur etiam eis ius ad exigendum, ad suam sustentationem, decimas.

De secundo, etiam patet. Quia Pontifex potest concedere priuilegium Religiosis, vt in Parochiis quarumdam Ecclesiarum decimas aliquas percipiant vt constat ex facto, cap. *Cum in tua de decim.* ergo tunc, licèt non ex iure communi, ex priuilegio ad minùs, eis decimas competent. Addo item, quòd etiam dari possint decimæ Religiosis, tanquam pauperibus, ex charitate, ab his, quibus ipsæ decimæ proprio iure competunt, vel potestatem habent illas dispensandi, vt constat ex cap. *Quoniam quidquid.* 16. *qu.*1. Sic D. Thom. & Alens. & Abulens. *loc. cit.* Suarea *d. cap.*29. *n.*9. *&* 10. Filliuc. *num.*211. *cit.* Trullench, *n.* 9. & communis omnium.

QVÆSTIO XI.

An Laïci possint habere ius ad decimas?

RESpondeo, tanquam certum: non posse. Quia laïci sunt incapaces iuris spiritualis, quale est ius ad decimas; vt constat ex sæpè repetitis. Sic habetur, in cap. *Ad hæc de decimis*, & tenent omnes Doctores, cum D. Thom. 2. 2. *qu.*87. *art.*3. Quod latè probat Suarea *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *cit. cap.*29. Legatur *quæst.*22. *disp.*7.

QVÆSTIO XII.

An saltem possint laïci fructus decimarum percipere?

RESpondeo: Posse. Quia, qui habet ius proprium, & primarium decimarum, optimè potest laico, & si non ipsum ius primarium ad decimas, aliud ius secundarium tribuere; hoc est, ius ad recipiendos fructus ipsos decimarum, & hoc quidem, tribus modis, videlicet, locatione, venditione, & donatione. Hoc autem ius, planè est distinctum à primario illo, quod quidem est spirituale, & semper remanet penes Ecclesiam, aut Clericum habentem illud; hoc autem, cùm oriatur ex humano contractu, non est spirituale, & ideò optimè potest laïco competere, & ab ipso, vt suprà est habitum, præscribi. Sic omnes Doctores. Latè Suarez, *cap.*29. *cit. à num.*9. Fagundez *lib.*5. *cit. cap.*2. *num.*11. Trullench, *num.*14. Palao *tom.*2. *tract.*10. *punct.*9. *num.*3. Filliuc. *tract.*27. *c.*9. *n.*197. Legantur *dicta q.*23. *disp.*5.

QVÆSTIO XIII.

An laïci possint, per locationem ad breue tempus acquirere ius secundarium percipiendi fructus decimarum?

RESpondeo, tanquam certum: Posse. Quia quicumque habens Ecclesiasticum Beneficium, ratione cuius decimas habet, potest sua authoritate, & voluntate eas locare ad breue tempus, & pro illo dare facultatem conductori ad exigendas illas, vt expresse habetur in cap. *Vestra* 2. (non 1. vt citat Filliuc.) *d. locato, & conducto*: ibi: *Diœcesanorum Episcoporum statuto contrario non obstante, vestrarum decimarum prouentus, illis liberè locare potestis, cum quibus Ecclesia vestra conditionem poteritis facere meliorem: Ita tamen, quòd huiusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi.* Sic textus: ergo quisque sæcularis potest, ad breue tempus, conducere dictas decimas à quocumque Ecclesiastico, habente Beneficium, ratione cuius habet ius primarium ad illas. Sic omnes Doctores, præcipuè Suarea, Filliuc. & Fagundez *locis citatis.*

QVÆSTIO XIV.

An valida sit locatio decimarum, si fiat ad quinquennium, vel quadriennium?

RESpondeo: Non esse validam. Quia licèt hoc videatur, & reputetur breue tempus, attento iure communi; cùm iuxta illud tempus breue reputetur, quod est infrà decennium; vt de septennio habetur *in cap. vnic. Ne Prælati Vices suas*, & docent Glossa, & alij Doctores *in Clem.*1. *de Rebus Eccles. non alien.* Tamen, attento iure nouiori, non est reputandum breue tempus in præsentiarum: Eo quòd Paulus II. (non Pius II. vt scripsere Suarea, & Palao) *in Extrauaganti Ambitiosè, de Reb. Eccl. non alien.* hoc tempus contraxit ad triennium, & irritauit omnem locationem, aut venditionem longioris temporis. Quæ constitutio seruanda est, si iam non fuerit contraria consuetudine abrogata; vt putant Rochus Curtius, *in c. vlt. de consuet.* & Syluest. *verb. Alienatio*, §.14. apud Couarruuiam *lib.*2. *var. c.*16. *n.*6 *vers. Quartò.* Qui de hoc manet dubius: ait enim; Apud Hispanos dubium est, an ei constitutioni sit derogatum, vidi etenim sæpè eam adduci, & tractari in aliquot controuersiis, & quandoque admissam, quandoque neglectam fuisse, proinde iudicis examinationi hoc dimittimus. Sic ille. Qui tenet etiam nostram Resolutionem, *n.*4. Quam amplectuntur etiam Suarez, Fagundez, & Filliuc. *loc. cit.*

QVÆSTIO XV.

An saltem valida sit locatio Decimarum, si fiat ad sexennium, vel nouennium : cum hac clausula, vt finito triennio censeatur noua, & distincta locatio ?

AFfirmat Baldus *in capitulo primo §. Si libellario. Quibus modis feudum amittatur, & in l. 1. Voluntas C. de fideicommissis.* Quia (inquit) etsi locatio ab initio fiat ad plures annos, cùm tamen verè distinctæ sint locationes, per tempora à iure permissa, nulla locatio ex his iuri contraria est.

Sed omnino Respondeo : Dicendum, talem locationem non esse validam. Quia sic expressè colligitur ex eleganti tex. *in Authent. de non alienandis §. Quod autem dictum est. vers. Nec illud. collect. 2.* vbi habetur; quòd si res alienari prohibita, vel concedi ad longum tempus, concedatur ad nouem annos, cum pacto de renouando ad alios nouem annos, aut cum expressa renouatione (non, *renunciatione*, vt malè transcripsit, ex Couarruuia Fagundez) ad alios annos iure permissos : finita prima locatione, tale machinamentum non teneat ; nec ea locatio valeat, vltra tempus à iure permissum. Sic omnino Couarru. *c. 16. cit. r. 4. vers. Primi, contingere.* Qui ait, quod id ipsum, in specie firmant Cinus, Albericus, Card. Anchar. Lapus, Iason, Alexan. & alij, & ideo nullo modo esse admittendas conuentiones istas, quæ manifestè fiunt in fraudem legis : Sat enim erit (addit idem Couart.) locationem ita conuentam validam esse in tempore iure permisso: quoad reliquum autem omnino retractabitur: & infirma locatio censebitur. Sic etiam docent Vallascus, *de iure emphyteutico, q. 29. num. 25.* Quem simul cum Couarru. & alijs citat, & sequitur Fagundez *lib. 3. cit. cap. 2. num. 11.*

QVÆSTIO XVI.

Quibus pœnis, & malis subijciantur homines non soluentes decimas ?

REspondeo : Quòd permultis. Nam *primò* non soluentes decimas, semper erunt pauperes. Habetur *in c. Reuertimini. 16. q. 1.* ibi : *Ideo in penuria eritis, & soluentes erunt diuites.* Facit etiam *c. Maiores 16. q. 7.* ibi *Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Et Malach. 3. Dominus dicit : Quia *mihi non reddidistis decimas, & Primitias, idcirco in fame, & penuria vos maledicti estis.* Facit tex. *in c. Admonemus, 16. q. 2.*

Secundò. Propter non solutionem decimarum immittit Deus siccitates, infirmitates, & mortalitates. Siccitates, iuxta illud Paralipom. *2. c. 6. Si clauso cœlo pluuia non fluxerit propter peccata populi*, &c. Infirmitates, & mortalitates ; iuxta textum, *in c. Dec. q. 1.*

Tertiò. Qui non soluit decimas, ad decimam reuocabitur, tex. *in c. Decima. cit. Tantum decima dabitur tibi ex semine tuo, quod multiplicaretur à Deo vel Dæmonibus sociaberis, qui sunt decima pars Angelorum.*

Quartò. Qui non soluit decimam Deo, impijs militibus dabit, iuxta illud Augustini, relatum *in c. Decima. cit.* ibi : *Inde videmus armigeros spoliare rusticos, & alios, quos non spoliarent, si iustas decimas, & integras soluissent.*

Quintò. Qui decimam non soluit, res alienas rapit. Quia retinere iniustè, idem est, ac rapere. Iuxta tex. *in c. Sæpe de restit. spoliat.* Quia quod ad te non pertinet, scire debes ad alium spectare. *l. fi. C. Vi de vi.*

Sextò. Qui non dat decimam, sacrilegium committit, & æternæ damnationis periculum incurrit, iuxta tex. *in c. decimas, 1. 16. q. 7. cap. fin. 16. q. 1. & cap. Quisquis 17. q. 4.*

Septimò. Qui non decimat, tantorum homicidio- *R. Leand. in V. Præcept. Eccles.*

rum est reus, quanti pauperes, in locis, vbi ipse habitat, fame mortui fuerint. Quia rem à Deo pauperibus delegatam suis vsibus reseruauit. *c. Decimæ, cit. & c. Qui Christi, 12. q. 2.* Legantur Rebuff. *de decim. q. vltima, per totam.* Angel, *verb. Decima, in fine.* Andr. Hispan. *de regul. decim. q. 9.* Turrecremata, *in c. Decimæ. 16. q. 1.* Caiet. *in summ. verb. Decima,* Graffius *p. 2. decis. aureat. lib. 2. cap. 27. n. 21.*

QVÆSTIO XVII.

Quibus bonis, decimas diligenter soluentes remunerentur ?

REspondeo : Quòd permultis quoque. Nam *imprimis.* Qui decimas integras diligenter tribuit, remuneratur à Deo abundantia fructuum iuxta illud 2. *Paralipom. 31. vers. 8. Cumque ingressi fuissent Ezechias, & Principes eius, viderunt aceruos, & benedixerunt Domino, ac populo Israel. Interrogauitque Ezechias Sacerdotes, & Leuitas, Cur ita iacerent acerui. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens : Ex quo cœperunt offerri, primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quòd benedixerit Dominus populo suo : Reliquiarum Copia est ista, quam cernis.* Sic ibi. Quod clarius, nil ibi.

Secundò. Qui diligenter decimat, consequitur sanitatem corporis, & animæ, tex. *in c. Decima 16. q. 1.* ibi : *Etiam sanitatem corporis, & animæ consequeris.*

Tertiò. Qui decimas soluit, consequitur indulgentiam peccatorum, & cœlestia regna, tex. *in d. c. Decima.*

Quartò. Qui decimas dat, erit benedictus à Domino, vt habetur Malach. *c. 3.* ibi : *Et effundam benedictionem meam vsque ad abundantiam, &c. & in d. cap. Decimæ.* ibi : *Cum enim decimas dando terrena, & cœlestia possis præmia promereri, quare pro auaritia, duplici benedictionis fraudaris ?* &c. Benedictio igitur huiusmodi consistit, in abundantia fructuum, sanitate corporis, vita tranquilla, & longa, generatione prospera, & longæua, ac demum in paradisi gloria, quibus omnibus bonis fruetur, qui decimas promptè soluit. Sic optimè Rebuff. *q. vlt. de decimis.* Andr. Hispan. Turrecrem. & Graffis *loc. cit.* Guido Pap. *decis. 166.* Matth. de Afflict. *in Constit. Neapolit. lib. 1. Rubr. 7. de decim. q. 6.* Riccius *p. 6. collectan. 2393.*

DISPVTATIO IX.

De Primitiarum solutione.

QVÆSTIO I.

Quid nomine Primitiarum, in præsentiarum veniat ?

RESPONDEO : Quòd licèt nomine Primitiarum multa, & varia intelligi possint. Nam ab Etymologia vocabuli incipientes, sciendum est, quòd Primitiæ, à primitate dictæ sunt. Primitas autem attēditur dupliciter: Primò, ratione temporis, in qua attentione Christus dicitur Primitiæ dormientium. 1. *Corinth.* 15. Eo quòd priusquā omnes alij, ad vitam immortalem resurrexit Et Apostoli, dicuntur Primitiæ spiritus ad *Rom.* 8. Quia priusquam alij Christiani, ad Christum Dominum venere, & Spiritus Sancti gratiā accepere. Secundò attenditur primitas, ratione dignitatis, & valoris. Et in hac attentione, res optimæ, præstantiores, seu selectæ, dicuntur Primitiæ, quamuis alias res non præcedant tempore.

Deinde. In iure Canonico, nomen Primitiarum, dupliciter etiam sumitur, & accipitur. Primò, lato modo. Secundò, stricto. Nomine ergo Primitiarum lato modo accepto, intelliguntur non solùm primi fructus ex terra, eo anno suscepti; sed etiam fructus terræ præcipui, selectiores, & præstantiores: stricto verò, proprio, & in rigore, intelliguntur duntaxat, primi fructus agrorum, & arborum, qui Deo offeruntur. Et in hac consideratione veniunt Primitiæ tractandæ in hoc tractatu, sicut tractarunt omnes Canonistæ, toto Titulo de decimis. Inter quos Abbas, Innocent. Collect. Zabarell Ioan. Andr. Imola, & alij, Boër. *decis.* 136. Perez *ad tit.* 5. *lib.* 3. *Ordinat.* Barbosa *lib.* 3. *de iure Eccles. c.* 25. *& in lib.* 3. *decret. de decim.* & alij penes ipsum.

Sic etiam S. Thom. 2. 2. *q* 86. *art.* 4. & cum eo omnes Theologi, Raphaël de la Torre ibid. *art.* 4. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *à n.* 39. Azor. 1. *p. in moral. lib.* 7. *cap.* 27. Fagundez *de* 5. *præc. Eccles. lib.* 4. *c.* 1. Castro Palao *tom.* 2. *tr.* 10. *punct.* 16. & alij quamplures infra citandi. Legatur inter alios, Abulens. *in cap.* 23. *Matth. à q.* 209.

Quæstio II.

An ante legem scriptam, fuerit præceptum diuinum naturale, soluendi Primitias?

Affirmarunt, licèt non clarè, apud Couarruuiam, & Suarium, Innocent. *in c. vlt. de Parochiis.* Hostiens. *in sum. tit. de decim.* §. 7. & Panorm *in c. In aliquibus, de decimis.* Andr. Hispan. *trac. de decim. q.* 8. & Rebuffus, *tract. de decim. q.* 1. *n.* 21.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Nullo modo fuisse præceptum propriè, & in rigore sumptum offerendi Deo primitias ante legem scriptam. *Primò.* Quia id non inuenitur expressum in Scriptura. *Secundò* quia (vt sup. *disp.* 1. *q.* 2. est habitum) ante legem scriptam non fuit latum præceptum decimandi: ergo nec de primitiis soluendis. Sic docent communiter omnes Theologi, & Canonistæ, S. Thom. 2. 2. *q.* 86. *art.* 4. & ibi Raphaël de la Torre, *eo. art.* 4. *num.* 1. ibi: Nam hæ magis propriè, & strictè primitiæ appellantur: quas esse, in vsu ante legem latam, in lege scilicet naturæ, non inuenio expressum in Sacra Scriptura: quamuis quidam oblationes Cain, & Abel contendant esse Primitias; quia de primogenitis, & optimis terræ frugibus. Existimo autem non esse ita appellandas, &c. Sic ille. Suarez *c.* 8. *cit. n.* 4. diens, contrariam sententiam non esse probabilem Lessius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 6. *num.* 5: & alij.

Quæstio III.

An in lege veteri fuerit latum præceptum diuinum, de Primitiis Deo offerendis?

Negatiuam partem haud obscurè docere videtur Barbosa *lib.* 3. *de iure Eccles. vniuersæ c.* 25. quatenus docet, quòd Primitiæ ex sua origine vid. antur esse de consilio, non de præcepto. Ait namque ita, *loc. cit. n.* 4. Quamuis videatur primitias ex sua origine esse voluntarias, non necessarias, & sic de consilio, non de præcepto. Deus enim illas non vult, nisi sponte oblatas, vt legitur Exodi *cap.* 25. vbi Dominus loquens Moysi dixit: *Loquere filiis Israel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas.* Huc vsque Barbosa. Qui tamen *n.* 5. *&* 6. addit, quòd Primitiæ, non solùm de iure diuino; (sicut Decimæ) verumetiam de iure naturæ, dictantis, vt benefacienti facere debeamus, solui debeant. Quod additum nullo modo principali dicto cohæret. Igitur ad quæstionem propositam.

Respondeo: Tanquam omnino certum: fuisse in lege veteri latum præceptum de primitiis Deo offerendis; & sic in illa non de consilio, sed de necessitate diuini præcepti, necessariò fuisse debitas, & soluendas. Probatur clarè ex Scriptura Sacra Exodi 22. (non 20. vt inuenies apud Barbosam) *ver.* 29. *Decimas tuas, & primitias tuas, non tardabis reddere, & c.* 23. *vers.* 19. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Leuit.* 2. *vers.* 14. *& c.* 23. *vers.* 10. *Num.* 18. *vers.* 8. 13. 19. 26. 28. *Deuteron.* 12. *vers.* 6. *Et offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum. Et c.* 26. *vers.* 2. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo,* &c. Et in c. 3. Malachiæ, vehementer conqueritur Deus de Iudæorum populo, eo quòd primitias non soluerint. Ergo clarè, & euidenter constat in lege veteri de necessitate diuini præcepti soluendas esse primitias.

Nec obstat locus Exodi 25. quem contra hanc partem opponit nobis Barbosa. *Primò.* Quia vt bene Azor, & Cornelius, vbi infrà, ibi, Primitiarum nomine, non veniunt intelligendæ propriè Primitiæ, de quibus datum fuit præceptum; sed ea, quæ populus offerebat ad Tabernaculi fabricam, & ornatū, vt postea ipsemet Barbosa *lib.* 3. *cit. cap.* 26. *n.* 13. fatetur. *Secundò.* Quia illa verba: *ab homine, qui offert vltroneus*, explicari possunt circa quantitatem primitiarum, eo quòd de hac non erat aliquid taxatum, sed arbitrio soluentium erat relictum. *Tertiò.* Quia loco dictorum verborum: *Qui offert vltroneus*, Hebr. habet: *Quem spontaneum, & liberalem fecerit cor suum.* Ex quo abundè satisfit fundamento Barbosæ. Ideoque hanc nostram sententiam tenent omnes Theologi, & Canonistæ. Legantur D. August. *lib. q. Num. qu.* 32. D. Th. *art. cit.* & ibi omnes Theol. Raphaël de la Torre ibi *n.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Cornelius super locis Sacræ Scripturæ citatis. Fagundez *de* 5. *præcepto Eccles. c.* 1. *n.* 1. Azor 1. *p. instit. moral. lib.* 7. *c. mihi* 27. (non 78 vt inuenies apud Fagundez) *q.* 3. Beia 1. *p. casu* 52. Trulleneh *lib.* 3. *in Deca. c.* 3. *dub.* 12. *n.* 2. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 10. *punct.* 16. *num.* 1.

Quæstio IV.

An non solùm de omni frumento, vino, oleo, &c. verumetiam, de omnibus arborum fructibus, debeantur Primitiæ in lege veteri?

Negat Abul. *in c.* 23. *Matth. q.* 121. existimans, ex quadam traditione Rabbinorum ductus, quòd nomine Primitiarum, non fuerint comprehensi in lege veteri fructus arborum; Vnde ex fructibus arborum non tenebantur Iudæi Primitias soluere.

Sed, vt certum ferè Respondeo: Quòd non solùm de frumento, vino, oleo, &c. Verumetiam de arborum fructibus deberentur Primitiæ in lege veteri. De primis, clarè constat ex Scriptura *Num.* 15. *vers.* 20. *Sicut de areis primitias separatis.* Quæ verba. Sic explicat Cornelius, sub *areis*, intellige, & torcularia. Sicut enim ex area primitias messis, ita ex vinea, vel torculari, primitias vindemiæ, & vuarum in exitu anni, putà in festo Tabernaculorum Deo offerre debebant. Rursus. 2. *Paralip.* 31. *Num.* 18. 12. ibi: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.*

De secundis, etiam clarè ex Scripturæ locis allegatis, in quibus dicitur. *Primitias frugum terræ tuæ Offeres,* colligitur. Nam clarè constat, nomine frugum (seu fructuum, vt Vatab. vertit) in omni proprietate, fructus arborum comprehendi: ergo. Sic docent D. Aug. *q.* 32. *in Num.* ibi: *vel de arbore, vel de vite.* Rebuff. *q.* 1. *de decim. n.* 18. *in fine.* Suarez *c.* 8. *cit. n.* 10. Lessius *l.* 2. *de inst. cap.* 39. *dub.* 6. *num.* 30.

QVÆSTIO V.

An etiam de pecoribus deberent solui Primitiæ in lege veteri?

RESpondeo, tanquam certum: etiam debere solui: Sic colligitur, aut, vt meliùs dicam, clarè habetur in Ezechiele c.45. ibi: Et arietem vnum, de grege ducentorum, de his, quæ nutriunt Israel in Sacrificium, &c. Sic D. Aug. *q.32. in Num.* Suarez, *lib.1. cit. cap.8. n.11.* Raphaël de la Torre *2.2. q.86. art.4. n.2.* Rebuff. *de decim. q.1. n.17.*

QVÆSTIO VI.

An quota, seu quantitas Primitiarum, fuerit olim taxata, aut determinata?

RESpondeo: Nullo modo fuisse determinatam, sed arbitrio offerentium commissam, vsque ad tempus Ezechielis Prophetæ. Nam vsque ad id tempus, consuetudine receptum erat, ex fructibus terræ, ad summum daretur Quadragesima pars suorum fructuum, vltra decimam; & ad minùs sexagesima; vel inter hæc duo extrema, pro voluntate offerentium, vt notat D. Hieronym. in Ezechiel. *loc. cit.* Qui Propheta propter auaritiam Sacerdotum, & duram exactionem determinauit quantitatem offerendam in primitiis quod in Pentateucho fuerat prætermissum, his verbis: *Hæ sunt primitiæ, quas tolletis, sextam partem Ephi de coro hordei. Mensura quoque olei, batus olei decima pars cori est, & decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum.* Et loquendo de primitiis pecorum subdit Propheta: *Et arietem vnum de grege ducentorum, quæ nutrit Israël.* Legantur D. Hieron. *loc. cit.* Suarez *c.8. cit. n.12.* Raphaël de la Torre *loc. cit. n.3.* Fagund. *de 5. præc. Eccles. lib.4. c.1. n.4.* Cornelius *in c.18. Num. sub. vers.12.* & ante illum Abul. *ea. lo. q.14.* Ribera, *lib.3. de Templo c.2.* Lessius *lib.2. c.39. dub.6. n.32.* Rebuff. *q.1. de decimis n.17.* Ita dicens: De primitiis etiam quota in lege noua non est taxata. Nam in animalibus olim sufficiebat vnum ex ducentis dare in aridis ac liquidis de 40 ad sexagesimum inceps. eo. Ideò est stanita quantitas pro arbitrio soluentis secundum loci consuetudinem. Inn. Panor. & alij *in d. c.1.* quod probatur Ezech.45. c. [Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei,] &c. & computat Host. *in d. cap. 1.* post Hieronymum, esse partem sexagesimam. Huc vsque ille, & omnes.

QVÆSTIO VII.

Quotuplex erat, Primitiarum Oblatio, quam in lege veteri soluebant Iudæi?

RESpondeo: Quòd Quadruplex. *Primò*, namque, offerebant Primitias spicarum adhuc virentium in Pascbate, secundo die azymorum. Iuxta illud Leuit.2. 14. *Si autem* (idest, cùm autem) *obtuleris munus primarum* (non primitiarum, vt scripsere Suarez, & Cornelius) *frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus, &c.* Sic ibi, & Leuit.23. 10. Nec enim (vt notat Cornelius) Hebræi quidquam hordei, aut segetum demetere poterant, nisi priùs hunc manipulum spicarum, quasi primitias Deo obtulissent.

Secundò. Primitias panum ex messe triticea in Pentecoste, iuxta illud Leuit.23. 15. *Numerabitis ergo ab altera die Sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas*, & vers.17. *Ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.*

Tertiò. Offerebant Primitias panum, quos hebdomadatim pinsebant Hebræi, iuxta illud Num.15.20. & 21. *Sicut de areis primitias separatis, ita de pulmentis* (idest, de panibus, vt legunt Hebr. Cald. & Sept.) *dabitis primitiua Domino.* Itaque, iuxta hanc legem, cùm panem pinserent Hebræi, panem aliquem primitiarum tenebantur dare Sacerdotibus, aut Leuitis iis, qui in illorum vrbe erant, vel qui ad primitias recipiendas a Pontifice, & Sacerdotibus erãt constituti.

Quartò. Tandem offerebant primitias in mense septimo, purà, in festo Tabernaculorum, ex omnibus frugibus, & fructibus, tam ex messe, quàm ex vuis collectis iuxta illud Exod.23. v.16. *Et solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro, solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Et de his quartis primitiis loquitur scriptura regulariter, cùm de primitiis mentionem facit. Legantur Cornelius, *in Leu. Num. & Exod. loc. cit.* S. Aug. *q.32. cit.* Suarez, *c.8. cit. n.11.*

QVÆSTIO VIII.

Ob quos fines primitiæ in lege veteri offerebantur?

RESpondeo: Quòd ob multos: Sed præcipuè ob duos. Primus fuit in recognitionem diuini beneficij, quasi profitendo se à Deo fructus terræ percipere, vt omnium auctore, & primo influente in terræ germina, & ideò se teneri ad aliquid huiusmodi Deo exhibendum; iuxta illud Paralip. vltimo: *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.*

Secundus finis, seu motiuũ, & quod solis Hebræis quadrabat, erat in recognitionem, & memoriam beneficiorum illi populo collatorum, tam in liberatione de terra Ægypti, quàm in donatione terræ promissionis, & fructuus in ea percepros, vt colligitur ex Deut.29. à v.1. vsque ad 10. vbi sic dicitur: *Cumque intraueris Terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones eas in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iurauit Patribus nostris, vt daret eam nobis*, &c. Et infrà: *Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pauore, in signis, atque portentis: & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte, & melle manantem. Et idcircò nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittas eas in conspectu Domini Dei tui*, &c. Sic ibi.

Ex quo colligitur, quòd Hebræi hanc Primitiarum oblationem sequentibus ritibus peragebãt. Primò namque, ponebantur in Canistro. 2. Inferebantur in templum 3. Eleuabantur in altum 4. hebat professio nuper præscripta 5. offerebatur victima pacifica, & 6. Canebantur psalmi, vel hymni. Legantur D. Th. *2.2. q.86. art.4.* & ibi Raphaël de la Torre, Suarez, *tom.1. de Relig. lib.1. c.8. n.11.* Cornelius in Deut. *c.26. cit.* Et alij expositores, vbi de veteribus primitiis dicta sufficiant.

QVÆSTIO IX.

An in lege noua, seu gratia, latum sit præceptum soluendi primitias Deo?

NEgarunt quidam, quos tacitis nominibus, refert Panormit. *in c. Decimarum de Decimis.* Quibus (apud Theodosium de Rubeis, *in singularib. Rota tom.2. p.3. pag.229.*) fauet D. Thom. sentiens, Primitias non esse de necessitate soluendas.

Sed tanquam omninò certum, Respondeo: Est latum præceptum. Quia sic expressè habetur in iure, *c. Decimas, 16. q. 7. ibi*: Oportet congruentiùs nos decimas, & primitias, quas iure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quos fideles, Domino præcipiente, offerunt. Idem habetur, *in c. Reuertimini, 16. q. 1. & c. Decimam. de decim.* Vbi Glossa ab omnibus recepta, ait, primitias eodem iure exigi, ac exiguntur decimæ. Sic tenent omnes tam Canonistæ, quàm Theologi. Hostiens. Ioan. Andr. & Abbas, quos refert, & sequitur Azor, *1. p. instit. moral. lib. 7. c. mihi 27. q. 2. vol. 709.* Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 8. n. 14.* Gutierrez, *lib. 2. Can. c. 21. n. 6.* Et alij statim citandi. Theodos. *loc. cit.* & apud ipsum Rota, coram Achil. *decis. 317, aliàs 2. de decimis.* Barbosa, *de iure Eccles. lib. 3. c. 25. n. 7. & c. 26. n. 13.*

QVÆSTIO X.

An præceptum hoc soluendi Primitias in lege gratiæ, sit de iure diuino?

Affirmant Rebuffus, *tract. de decim. q. 14. n. 16. vsque ad 22.* Andr. Hispan. apud ipsum, Barbosa, *de iure Eccles. vniuers. c. 25. n. 5.* Et omnes alij Canonistæ, qui affirmant præceptum decimandi, adhuc in lege gratiæ esse iuris diuini; nam quoad hanc præcepti rationem, decimis primitias æquiparant. Sunt autem præcipui, quos retulimus supra, *disp. 2. q. 6.*

Sed vt mihi certum Respondeo: Non esse dictum præceptum de iure diuino, sed humano, & Canonico. Quod latè probauimus, *loc. cit.* Et docent Authores ibidem pro nostra sententia adducti. Et in specie de Primitiarum præcepto loquendo: Sic tenent D. Thom. 2. 2. q. 88. *art. 4.* Suarez, *lib. 1. cit. c. 8. à n. 14.* Azor, *loc. cit. q. 2.* Fagondez, *de 5. precept. Eccles. l. 4. c. 1. n. 2.* Raphaël de la Torre, *2. 2. q. 86. art. 4. n. 5.* Castro Palao, *tom. 2. tract. 10. punct. 16. num. 2.* Trullench, *lib. 4. in Decal. c. 3. dub. 12. num. 2. & 3.* Qui addunt, & benè; quòd si Primitiæ sumantur pro alimento Sacerdotum necessario; tunc debitæ sunt iure naturali: vt dictum est de decimis, *disp. 2. q. 4.*

QVÆSTIO XI.

An hoc præceptum soluendi Primitias, possit consuetudine, aboleri, & abrogari?

Negant Andr. Hispanus, *in regul. decim. qu. 8.* & Rebuff. *tract. de decim. q. 1. n. 21.* & alij.

Sed, vt certum, Respondeo: Hoc præceptum soluendi primitias, non solùm posse consuetudine, minui, variari, & augeri, vt fatentur Authores pro prima sententia adducti; sed etiam omnino aboleri, auferri, & abrogari, Patet ex dictis de decimis. Nam consuetudo potest præualere contra legem humanam: at sic est, quòd lex soluendi primitias est humana, vt suprà est habitum: ergo; Sic Henric. Bohic. *in c. 1. de decim.* Suarez, *loc. cit. n. 16.* Raphaël de la Torre, *ar. 4. cit. n. 6. vers. Denique.* Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 16. n. 2.* & alij Authores citati suprà, *disp. 7. q. 2. & 6.* An autem de facto sit hoc præceptu abrogatum dicemus infrà.

QVÆSTIO XII.

An nunc in dicto præcepto soluendi Primitias, sit quantitas seu quota determinata à iure?

Respondeo tanquàm certum. Quòd licet olim in lege veteri fuerit quantitas determinata Primitiarũ, iuxta dicta nuper, *q. 6.* Nunc verò in lege gratiæ, minimè: Sed relicta est arbitrio offerentium quantitas, quam offerri velint, iuxta deuotionem vniuscuiusque. Patet. Quia nullus textus reperitur in iure determinans, seu taxans quantitatem, seu quotam primitiarum, quæ offerri Deo, aut eius Ministris debeat: ergo ex iure, arbitrio offerentium est relicta, Sic Suarez *loc. cit. n. 16.* Lessius, *lib. 2. cap. 39. n. 32.* Raphaël de la Torre, *art. 4. cit. n. 6.* Sic dicens: Dicendum tamen in iure Canonico (à quo institutæ sunt Primitiæ in lege gratiæ) nulla certa quantitas determinata est. Vnde consuetudini standum est. Quòd si non constat, ad vicinarum Ecclesiarum recurrendum est consuetudines. Quæ si variæ sunt, minor est eligenda (vt colligitur, *ex ff. de legatis in l. 3.*) vel illa, quæ magis tendit ad mediocritatem, *10. q. 2. c. Hoc ius.* Sic la Torre.

QVÆSTIO XIII.

An iam de facto, præceptum Primitiarum, propriè, & in rigore sumptum, sit consuetudine abrogatum?

Respondeo: Esse, in toto ferè orbe, abrogatum, & abolitum. Quia primitiæ propriè dictæ, ferè nullibi sunt in vsu, vt constat: ergo vsu, & consuetudine earum præceptum est abrogatum. Sic docent Lessius, *lib. 2. de iust. c. 39. dub. 6. n. 33.* ibi: Sed consuetudine passim hoc ius est abolitum. Trullench, *lib. 3. in Decalog. c. 3. dub. 12. n. 4.* Azor, *1. p. lib. 7. cap. mihi 27. aliàs 38. q. 3. in fine.* Palao, *punct. 16. num. 2.* & alij. Qui tamen benè notant, quòd si alicubi extet consuetudo primitias dandi; ibi debeantur ex præcepto. Sic Suarez, *de Relig. tom. 1. lib. 1. c. 8. n. 16.* Villalob. *tom. 2. sum. tract. 13. diff. 5. n. 2.* & Barbosa, *de iure Eccles. vniuers. lib. 3. c. 25. num. 6.*

QVÆSTIO XIV.

An vbi huiusmodi præceptum Primitiarum adhuc extat, debeant solui primitiæ, nisi à Parochis petantur?

Negat expressè Azor, *loc. cit.* his verbis: At verò, vsu, & consuetudine, primitiæ sunt magna ex parte sublatæ, & lex de illis soluendis ferè vbique antiquata: & vbi huiusmodi lex extat, minimè primitiæ soluuntur, nisi à Clericis petantur. Ita Azor. Cuius sententiam refert Palao, nec improbat.

Sed, vt certum, Respondeo: Debere solui, etiamsi à Parochis non petantur (nisi aliàs alicubi contraria introducta fuerit consuetudo.) *Primò.* Quia decimæ debent solui, etiamsi non petantur, vt habitum est sup. *disp. 4. quæst. 47.* ergo, & primitiæ; cùm vtriusque idem sit præceptum. *Secundò.* Quia de facto, vt sæpe vidi, vbi loco primitiarum, aliquam quotam fructuũ Ecclesiæ tradunt, eam, antequam petatur, soluunt à Parochianis, eodem modo, ac decima: ergo. Sic debent pro fectò tenere Authores pro nostra sententia *loc. cit.* relati.

QVÆSTIO XV.

An nunc in lege gratiæ, debeantur, ex iure humano Primitiæ, de omni frumento, vino, ac de aliis rebus omnibus, ex quibus in lege veteri iure diuino, soluebantur?

Negat Raphaël de la Torre *2. 2. q. 86. art. 4. in fine,* his verbis: Nec necesse est, vt soluantur de primis fructibus, neque de oleribus, aut leguminibus: sed tantùm de frugibus. Ita ille.

Sed vt certum, Respondeo. Ex vi iuris humani, debere solui primitias de omnibus rebus, de quibus olim

olim soluebantur, iure diuino. *Primò*. Quia nunc decimæ debentur de omnibus rebus, de quibus olim soluebantur, vt habitum est sup. *disp. 4. quæst. 1.* ergo, & primitiæ. *Secundò*. Quia præceptum Primitiarum, latum est ab Ecclesia, ad instar præcepti diuini: Sed sic est, quòd ex vi præcepti diuini soluebantur olim Primitiæ de vino, frumento, oleo, fructibus, &c. vt suprà est habitum: ergo de iisdem rebus debent nunc solui, ex vi iuris humani. Secus dicendum est, attenta consuetudine, quia illa inspecta, in multis Prouinciis non soluuntur Primitiæ; in aliis solùm de quibusdam rebus, &c.

QVÆSTIO XVI.

Quænam pars fructuum applicetur Ecclesiis seu Parochis, soluenda de præcepto, loco Primitiarum?

RESpondeo: Quod iuxta varias, & diuersas Prouincias, diuersa est quota fructuum, quæ loco Primitiarum, assignata est à Parochialibus Ecclesiis, seu Parochis, aut Sacristis. Loquendo verò de consuetudine nostræ Hispaniæ, Raphaël de la Torre, 2. 2. q. 86. *art. 4. n. 6.* dicit: Quòd communior consuetudo sit; vt si alicui frugum modij vltra decem obuenerint, vnum Primitiarum nomine soluat, nec plus, quamuis infinitus numerus modiorum accrescat. Ex aliis locis magis tenuis est solutio. Ita Raphaël.

Trullench verò, *lib. 5. in Decal. c. 3. dub. 12. n. 4.* affirmat, quod in Archiepiscopatu Valentiæ, præter decimam, quæ Archiepiscopo, & Canonicis datur, soluunt Parochis, loco Primitiarum, trigesima quinta pars fructuum. Addo ego, quòd eadem quantitas sit assignata fabricæ Ecclesiarum; in toto ferè Regno Nauarræ, quam sæpè vidi soluere. Vnde constat, quòd quota fructuum, quod loco Primitiarum assignata in diuersis regionibus, sit diuersa ob regionum varietatem. Quapropter in hac re maximè attendenda est consuetudo, quæ pro regula obligationis in hac materia est subeunda. Habent enim hoc commune primitiæ cum decimis, in quibus soluendis, esse maximè attendendam consuetudinem, sæpè diximus.

QVÆSTIO XVII.

Ob quos fines, aut causas, institutæ sunt in lege gratiæ, Primitiæ?

RESpondeo: Quòd ob duas principaliter. *Prima est*, vt per primitias frugum testemur Deum esse nostrorum bonorũ datorem, & quòd de eius munere accepimus fructus terræ. Quæ causa communis est, nobis, & Hebræis. *Secunda*. Causa itidem communis est vt Primitiis commodè Sacerdotes sustententur. Cùm enim hæc sustentatio Ministrorum Dei, non minùs, sed potiùs magis necessaria sit nũc, quàm olim in lege veteri, iure optimo, conueniens iudicauit Ecclesia, denuò Primitias præcipere, quæ in veteri testamento præceptæ erant. Licèt non cum eisdem conditionibus, & ritibus, quia non decuit. Vnde modò nullo modo possunt offerri illis cerimoniis, quibus olim primitiæ offerebantur, quas suprà, q. 8. retulimus. Quia omnia, quæ in illo præcepto veteri cerimonialia fuerunt, in lege noua cessarunt. Et ideò sublata est illa multiplex primitiarum oblatio, quia tota illa in cærimoniarum ritu fundabatur. Quamuis non ideò prohibitum sit, quin manipulos spicarum vel aliorum fructuum possit in Ecclesia offerri, vel suspendi in signum gratitudinis, & gratiarum actionis, dummodo ex deuotione, non ex ritu legis id fiat. Sic Suarez omnino, *c. 8. cit. n. 15.* Raphaël de la Torre, *art. 4. cit. n. 5. & 6.* Azor, *1. p. lib. 7. c. mihi 27. q. 6.*

QVÆSTIO XVIII.

Quonam modo Primitiæ differunt à Decimis?

RESpondeo: Differre in multis. *Primò*, quòd Primitiæ debent esse, vel ex primis fructibus, qui collecti, vel maturi sunt: vel ex optimis fructibus, vel prima pars, quæ ex cumulo frumenti, frugũ, &c. extrahitur, iuxta supradicta. Decimæ verò, minimè id requirunt.

Secundò. Primitiæ offeruntur Deo immediatè, profitendo illum esse omnium nostrorum bonorum largitorem: Decimas verò soluimus, vt hisce muneribus Deum esse supremum omnium rerum Dominum profiteamur.

Tertiò. Decimæ offeruntur immediatè Sacerdotibus, vt illis sustententur: Primitiæ verò immediatè offeruntur Deo profitendo illum esse nostrorum bonorum largitorem; quamuis postea in alimenta Sacerdotum cedant. Sic Azor. *q. 6. citata.*

QVÆSTIO XIX.

An Primitiæ debeant ex iure solui Rectori Parochiæ, in qua prædia sita sunt?

RESpondeo: Ex iure Canonico soluendas esse Rectori, seu Curato Parochiæ, in qua extant prædia Quia Primitiæ sunt onus prædiale, & fructus terræ: ergo ex iure solui debent Parochis illius Parochiæ, vbi dicta prædia sunt.

Dixi autem, *ex iure Canonico*: quia de facto, standum est consuetudini, per quam maiori ex parte, applicatæ sunt Ecclesiarum fabricis, Sacristiis, aut aliis rebus sacris. Sic tenent Hostiens. *in c. Decimas, & in Rubr. de decim.* Glossa *in dic. decimas 16. q. 1.* Azor, *1. p. lib. 7. q. mihi 27. q. 7.* Rebuff. *tr. de dec. q. 1. à n. 16.* Beja, *1. p. Respons. casuum consc. casu 52.* Fag. *de 5. præc. Eccl. c. 2. n. 4. in fine.* Trull. *lib. 5. in Decal. c. 3. dub. 12. n. 5.* Didac. Perez, *de dec. agens, col. 210.* Barbosa, *de iure Eccl. lib. 3. c. 25. n. 8. & 9.* & apud ipsum, Rota *dec. 261. n. 3. & dec. 192.* Et est communis omnium: & consonans dictis de decimis prædialibus, *disp. 5. q. 14.*

QVÆSTIO XX.

An ex iure, teneantur omnes, tam Clerici, quàm Laici, & Religiosi Primitias soluere?

RESpondeo: Omnes, ex iure teneri; nisi aliàs per priuilegium aliquod, siue extra, siue in iure insertum, qui ab onere huiusmodi eximantur. Ratio est. Quia omnes, qui tenentur soluere decimas de prædiis, aut terris, tenentur, & soluere Primitias; nam, vt ait Glossa *in c. decimam de decimis*, communiter recepta, eodem iure exiguntur decimæ: at sic est quòd omnes tenentur ad soluendas de suis terris decimas, vt suprà est habitum: ergo, & ad Primitias. Sic docent omnes Authores. Legantur citati.

DISPVTATIO X.

De Oblationum Obligatione.

QVÆSTIO I.

Quidnam sit oblatio propriè, & strictè sumpta, & de qua iura loquuntur?

RESPONDEO: Quòd est donatio quædã bonorum temporalium, siue mobilium, siue immobiliũ; facta Deo, vel Ecclesiæ. Sic colligitur, *ex c. Qui oblationes, & c. Clerici 13. q. 2.* Vnde,

 sicut

sicut quidquid homini datur, donatio dicitur; sic quidquid Deo, vel Ecclesiæ donatur, dicitur oblatio. Quamuis verum sit, quod consuetudine est receptum, vt oblationes specialiter dicãtur; quæ in Missæ sacrificio, ab assistentibus offeruntur; vt pecuniæ, vinum, panes, oleum, & huiusmodi. Sic D.Thom.2.2. *qu*.86.*art*.1.Raphaël de la Torre,ibi, Suarez,*tom*.1 *de Relig*. 2.*part*. *lib*.1.*c*.4. per totum. Azor, 1.*part*. *lib*.7. *c*.27.*q*.8.Fagund. *de* 5.*præc*. *Eccl*.*lib*.4.*c*.1. *n*.5, Palao, *tom*.2.*tr*.10.*punct*.17.*n*.1. Moneta, *de decim*.*c*.2.*n*.9. & *c*.3.*n*.2. Lessius, *lib*.2.*de iust*.*c*.39.*dub*.6.*n*.34. Rebuff. *tract*. *de decim*. *qu*.1.*n*.23. Barbosa, *lib*.3.*de iure Eccl*.*c*.23.*n*.2. Rota apud Postium de manutep. *tom*.2. *decis*.166.*n*.3. Vbi sic dicitur: Oblationis namque verbum, licèt largo sumpto vocabulo cõtineat quemlibet actum, per quem aliquid alicui offertur, propriè tamen ad illud tantùm referri videtur, quod ad cultum Dei, Ecclesiæ, & Sacerdoti, tanquam mediumantes Deum, & populum exhibetur. *Quia Sacerdotes*. & 3.*cap*.*Sanctorum* 14.& *sequent*.10.*qu*.1.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit species Oblationum?

RESpondeo: Quòd triplex. *Prima*. Est donatio rei inter viuos Deo facta, vel Ecclesiæ. *Secunda* est donatio causâ mortis facta, quæ instar legatorum redacta est, & solet mortuarium appellari. *Indigna*, 12. *qu*.2. *Tertia* est vsualis, quam faciunt fideles dum offerunt ad altare, vel ad manum Sacerdotis. Sic Rebuff. *qu*.1. *de decim*. *n*.27. Hieron. Carat. *in epist*. *de iuribus Parochial*. *lib*.3. *c*.3. Barbosa, *c*.23. *cit*. *n*.3. Raymund. *in sum*. & Graff. *p*.2. *decis*. *aureæ*. *lib*.2. *c*.27. *n*.5.

QVÆSTIO III.

An in lege veteri fuerit præceptum de Oblationibus faciendis?

RESpondeo tanquam certum: Affirmatiuè. Quia id expressè habetur in Scriptura Sacra. Nam Exod. 23.15. generaliter dicitur, *Non apparebit in conspectu meo vacuus*. Super quibus verbis, sic ait Cornelius: Præcipit hic Deus oblationem cuique accedenti ad tabernaculum, vel templum, tanquam Religionis actum pertinentem, tum ad cultum sibi debitum, tum ad Leuitarum sustentationem. Sic ille. Idem præcipitur, *Num*.6.31. *Dixitque Dominus ad Moysen: singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris*. Et ibi idem præceptum passim inuenies. Et ideò, vt certum, docent Suarez, *tom*.1.*de Relig*.2. *p*.*lib*.1.*c*.4.*n*.1. Raphaël de la Torre, *in* 2.2. *D. Thom*. *q*.86.*art*.1.*disp*.2. Rebuff. *q*.1.*de decim*.*n*.23. Barbosa, *lib*.3.*de iure Eccl*.*c*.23.*n*.4.

QVÆSTIO IV.

An etiam in lege noua, extet præceptum de Oblationibus faciendis?

AFfirmant aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Azor, 1.*p*.*lib*.7.*c*.27.*q*.11. Et (expressis nóminibus, alij, pro hac tenet referunt Glossam, *in c*. *Statuimus*, 16.*q*.1.& *c*.*omnis Christianus*, *de Consecrat*. *dist*.1. Hostiensem, *in Rubr*. *de Parochijs*, & *in summa tit*. *Parochi*.§. *In quibus*, & Lapum, *alleg*.38.*n*.1.& 7.

Fundamentum horum Authorum, sunt aliqui iuris Canonici textus. Nam *in c*. *Præter dist*.32. eodem teoore verborum ponitur præceptum de Primitiis, Decimis, & Oblationibus. Sed sic est, quòd de Primitus, & decimis soluendis datur præceptum: ergo, & de oblationibus faciendis. Faciuntque pro hac parte etiam text. *in c*. *De his*. *c*. *Antiquos*. 10.*q*.1. *cap*. *Statuimus*.16.*q*.1.& *cap*.*Omnis Christianus*, *cit*.

Sed, vt certum, Respondeo: Nullum extare in lege gratiæ præceptum, de oblationibus faciendis; sed omnes huiusmodi oblationes, natura sua, & per se, spontaneas esse, & de consilio: licèt per accidens cadere sub præcepto possint; veluti, si Ecclesia oblationibus indigeat ad diuinum cultum, & ministerium; aut, si Curatus non habeat vnde sustentetur; aut quando oblationes sunt debitæ, vel promissione, vel legato: aut ratione consuetudinis, seu præscriptionis.

Ratio est, *Primo*. Quia de Oblationibus, prout distinguuntur à Primitiis, & decimis, qua ratione in præsentiarum de eis agimus, nullum extat in iure decretum absolutè præcipiés illas fieri: potiùs dictas oblationes spontaneas esse decreuit Concilium Cabilonense, sub Carolo Magno, c.6. his verbis: *Ammonuimus salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena, debet; quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, nec circumueniendi. Oblatio enim spontanea esse debet, iuxta id, quod ait Scriptura. Voluntariè sacrificabo tibi*. *Ps*.53. ergo, &c.

Secundò. Quia de ratione oblationis est, quòd sponte fiat; iuxta illud Exodi cap.25. *Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas*. Sed oblatio, quæ ex vi præcepti fit, non potest dici spontanea; iuxta text. *in princip*. *Instit*. *de obligat*. ergo.

Nec obstant textus pro parte contraria adducti: quia intelligendi sunt de oblationibus, quando sunt debitæ aliquo ex titulis in nostra responsione assignatis, nempe, vel ratione promissionis, aut legati, aut consuetudinis, aut indigentiæ Ecclesiæ, vel Curati. Sicque intelligendi sunt Glossa, & Hostiens. pro prima sententia citati. Ideòque hanc nostram sententiam post illos, tenentur D. Thom. 2.2.*qu*.86. *artic*.1. & ibi Caietan. Arag. & Raphael de la Torre, D. Anton. 2. *p*.*tit*.12.*c*.11. Abbas, & Anchar. *in Rubr*. *de Parochijs*: Angel. Syluest. & alij Summistæ, *v*. *Oblatio*. Suar. *to*.1. *de Relig*. *tr*.2. *lib*.1.*c*.5.*n*.2. Azor, *p*.1.*lib*.7.*c*.7.*qu*.10. *aliàs* 11. & *c*.27 *aliàs* 28.*p*.11. Castro Palao, *tom*.2. *tr*.10.*punct*.17.*n*.2. Gutierr. *Can*. *lib*.2.*c*.11.*n*.153. Sotus, *lib*.9.*de iust*.*q*.3.*art*.1.*q*.4. Couarr. *lib*.1. *var*.*c*.17. *n*.3. Fagund. *de quinto præc*. *lib*.4. *c*.1.*n*.6.& 14. Trull. *lib*.3.*in Decal*. *c*.13.*n*.2.& etiam Barbosa, *in Rubr*. *de decim*.*n*.9 & antea, *lib*.3. *de iure Eccl*. *vniuersi*, *c*.23. *n*.9.& 10. Vbi, inter alios, citat pro hac parte Card. *consil*.6.*ad fin*.*de Relig*. *domib*. Grillenzon. *consil*.53.& *consil*.167. Gabr. Pereiram, *de manu Regia*, *p*.1.*c*.15.*n*.12. & Fr. Philip. de la Cruz, *de decim*. *fol*.107. Sed huius viri de decimis tractatus prohibitus est. Et iure optimo, cùm omnia contra ius in illo continerentur.

QVÆSTIO V.

An quis ad oblationes faciendas teneatur, ratione censûs, pensionis, aut conuentionis anteá cum Ecclesia factæ?

RESpondeo Tanquam omninò certum: Teneri. Quia in his casibus certa est obligatio, orta ex contractu, pacto, aut conuentione. Sic omnes Doctores, D. Thom. Suarez, Azor, Raphaël, Palao, Trullench, Fagundez, Barbosa, & alij supet citati.

QVÆSTIO VI.

An itẽ quis teneatur ad oblationes, quãdo debet ea ex testamento, legato, donatione, aut voto?

RESpondeo, Tanquam certum: Etiam teneri, aut ex iustitia, aut Religione. Sic D.Thom. *loc*. *cit*. & Palaus,

Palaus *loc.cit.n.2.* Sic dicens: Si donatio promissa sit voto, aut per simplicem promissionem acceptatam, nulli est dubium teneri promittentem adimplere promissum: Similiter etiamsi testamento, aut donatione legata est alicui hæreditas, cum obligatione offerendi Ecclesiæ aliquam partem, nota est obligatio. Sic ille. Suarez, *loc.cit.n.5.* Raphaël de la Torre, *a.1. cit.n.3.& 4.* Barbosa, *n.10. cit.* Trull. *n.2.cit.* Rebuff. *q.1 de decim.n.24.* Quid id probat ex cap. *Nulli.13.q.2.* Syluest. *verb. Decima, q.2.* & alij, *q.4. citati.*

QVÆSTIO VII.

An etiam facienda ex præcepto sint Oblationes, casu, quo Curatus, illis ad commodam sustentationem indigeat?

AFfirmat absolutè, & sine vlla limitatione, Rebuffus, *q.1. de decim. n.24.* per hæc verba: Secundò (intellige, *facienda sunt Curato oblationes*) si Curatus indigeat: non enim suis militare stipendiis tenetur. *Paul. 1. ad Corinth. 9. & cap. Cum ex officij de præscript.* Glossa *in cap. Omnis, de consecr.dist.1.* Felin. *in cap. veniens, 1. colum.2. de testib.* Ità ille.

Sed cum limitatione quadam, Respondeo: Dicendum: Teneri quidem in dicto casu, Parochianos; præcepto naturali, & diuino ad exhibendas Oblationes suis Curatis; nisi aliàs, Parochiani, vel, ita pauperes sint, vt non valeant sufficienter Curatis prouidere; quia in hoc casu, Curati aliunde sibi prouidere debent, ne Parochianis onerosi existant: aut consulere Episcopum, vt hic mediis traditis à Concilio Trident. *sess.21.c.7. & 8. de reformat. & sess. 24.c.3. de reform.* vtatur. Sic S.Thom. *loc.cit.* Raphaël de la Torre ibidem, *n.5. & 6.* Qui etiam limitat, & benè, dictam conclusionem, ad casum, quo Parochiani soluunt Primitias, & Decimas sufficientes ad sustentationem Curatorum, aut Parochorum, quia tunc etiamsi Curati non habeant sustentationem, vel quia decimæ ad alios vsus applicatæ sūt, vel in plura beneficia diuisæ, &c. Non tenentur Parochiani ad oblationes exhibendas. Sic etiam Suarez *c.5.cit. à n.7.* Sotus *de iust. l.9. q.3. art.1.* Gutierr. *Can.lib.2. c.21. n.2: 9.* Palao *to.2. tr.10.punct.17.n.2.* Couarr. *lib.1. var. c.17.n.3.* Trull. *lib.3. in Decalog. c.3. dub 13. n.3.* Barbosa *de iure Eccles. lib.3. c.23. num.10. & 11.*

QVÆSTIO VIII.

An vbi viget consuetudo offerendi aliquid in Ecclesia in diebus Dominicis, aut alijs festis, obseruari in conscientia à Parochianis debeat?

NEgant Angel. *ver. Oblatio. n.1. in addit. ad illum* Rosella, *ea.verb.* & Sotus, *lib.9. q.6. art.1.* docentes, consuetudinem Oblationes exhibendi in certis diebus, non obligare in conscientia, vbi decimæ soluuntur. Id denique affirmare videntur Innocent. *in c. Ad Apostolicam, de Simonia.* & Anton. de Butrio, dum affirmant, non posse Episcopum cogere fideles, vt consuetas oblationes soluant. Et hanc sententiam esse probabilem, expresse docent. Azor *par.1. lib.7. cap.7.quæst.11. vers. Verum illud.* & Palao *tract.10. cit. pun.17. n.3. & 4.* vbi ait, solùm propter authoritatem Doctorum censere oppositum, probabilius esse.

Horum fundamentum est vnicum. Quia huiusmodi consuetudo offerendi in Ecclesia, aliquid, debuit in suo principio esse spontanea, libera, & absque vlla obligatione, vt docent, Suarez *tom. 1. de Relig. tract.2. lib.1. cap.5. n.2.* Azor. *lib.7. cit. cap.27. quæst.11.* ex Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno *cap.6.* & nos suprà *q.4.* Sed sic est, quòd consuetudines circa ea, quæ fiunt spontaneè, & liberè, non inducunt legis obligationē, cùm semper absit animus se obligandi; vt docent Caiet. *in summ. verb. Hora Canonica §.2.* Sotus *lib.1. de iust. q.7. art.2.* Syluest. *verb. consuetudo q 14.* Cinus, Ioan. Andreas. Innocen. & Bartol. Ergo consuetudo circa oblationes, non inducit vim legis, & consequenter nō obligat in conscientia.

Affirmant verò è contrà alij, absolutè docentes, quòd prædicta consuetudo offerendi aliquid in Ecclesia, continuata per tempus necessarium ad præscribendum, obliget fideles in conscientia ad illam seruandam, non solùm quando incœpta est liberè, & continuata ex intentione se sua conscientia obligandi; sed etiam si incœpta sit liberè, & continuata liberè, aut sine animo se obligandi. Ita sentiunt, apud Raphaëlem, D.Thom. *1.2. q.86. art.1.* & omnes eius discipuli. Panormit. Hostiens. & alij Canonistæ *in c. Suam. & cap. Ad Apostolicam. de Simonia.* Syluest. *verb. Decima. q.2.* & ferè omnes Summistæ. Couarruu. *lib.1. var. c.17. n.3.* vbi ait, hanc sententiam esse communiter receptam, nemine refragante, & Gutierrez *Canon. lib.1 cap.21. num.140. & sequent.* Sic etiam sentit Castro Palao *to.2. tract.10. pun.17. n.4.* Qui pro se citat Lessium *lib.2. de iust c.39. dub.6. num.34.* Suarium *cap.5.* Azorium *lib.7. cap.7. q.11. & cap.38. q.12.* Gutierrez, & Couarruuiam, *locis cit.* Fagundez *de 5. præcep. Ecclesiæ lib.4. c.1. n.7.* Panormit. Hostiensem, & alios *loc. citat.* Sic deinde Trullench *lib.3. in Decalog. cap.3. dub.13 n.4.* dicens: quòd ad hoc, vt populus teneatur ad oblationes offerendas, ex vi consuetudinis, sufficiat, quòd sit præscripta per spatium decem annorum; quia est, inquit, præter ius, & in fauorem piæ causæ.

Istorum Auctorum præcipuum fundamentum est, *tex. in cap. Ad Apostolicam. de Simonia* vbi, laudata consuetudine aliquid in Ecclesia offerendi, pia deuotione fidelium introducta, præcipitur eas consuetudines obseruari, dicendo *non esse permittendum fidelibus, vt has consuetudines laudabiles infringant, aut immutent, sed compescendos esse, qui hoc tentauerint.* Sic textus. Sed tunc sic: Sed sic est, quòd non posset Episcopus cogere fideles, ad oblationes faciendas, titulo consuetudinis, nisi consuetudo obligationem induxisset: ergo. Sed ego in hac quæstione claritatis gratia,

Respondeo. *Primò.* Certum existimo, quòd optimè possit introduci, vt oblationes, quæ à principio spontaneæ, & liberæ fuerunt, habeant vim obligandi fideles, vt eas ex necessitate persoluant. Patet. Quia optimè potest quis se ex necessitate obligare ad soluendum, id quod à principio liberè, & voluntariò obtulit, vt constat; ergo, & qui ab initio quædam, & certis diebus, spontè obtulit, potest se obligare ad offerendum ex necessitate: ergo in hoc casu, consuetudo vim legis habebit, & consequenter in conscientia ad offerendum in dictis diebus obligabit. Sic sentiunt Raphaël de la Torre, *2.2. quæst.86. art.1. disput.3. n.5.* Barbosa, *lib. 3. de iure Ecclesiast. vniuerso, c.23. n.12.* sic dicens: Sed circa vltimum casum aduertendum, hanc consuetudinem, licèt à principio voluntariam, & minimè obligatoriā, sensim posse habere vim legis, & obligare, quia acceptata est, & præscripta, vt obligatoria. Sic ille, & penes ipsum, Gutierrez *Can. lib.1. c.21. n.140.* Azor *lib.7. cap.30. alià 27. qu.12.* Lessius *lib.2. cap.39.* Suarez *cap.5. cit. num.12. & 21.* & alij. Et credo, in hac parte (quidquid dicat Raphaël) conuenire etiam Authores primæ sententiæ.

Ex hac responsione colligitur, quòd si certò constiterit, aut verosimiliter, populum fidelem qui ab

initio

initio sponte quædam obtulit, se voluisse posteà obligare ex necessitate ad offerendum, tunc ad id ex præcepto teneri. Idemque dicendum est in casu, quo id, licet certò non constiterit, verisimiliter credatur. Quod tunc euenit, quando fideles dictam consuetudinem, velut immemorialem tenaciter obseruant, putantes eam consuetudinem esse obligatoriam.

Respondeo *Secundò*. Si certò, aut verisimiliter constiterit, oblationes fieri solitas, esse introductas ex liberalitate, & ex eadem continuatas, & retentas, tunc probabilius dico, quòd non teneantur fideles in conscientia eas offerre, aut persoluere, etiamsi per multos annos talis consuetudo seruata fuerit. Hanc responsionem tenent Authores citati pro prima sententia, & probat efficaciter argumentum pro illa factum. Sic etiam Raphaël de la Torre *loc. cit. num.6. vers. Tertio.* Qui citat pro hac parte Antonium Butr. & Innocentium, *in cap. Ad Apostolicam.* Sotum, vbi suprà, & Axorium *lib.5.c.17.q.4.* Sed certè Axor ibi nil ad propositum dicit: & oppositum, vt probabiliùs expresse docet *lib.7.c.38. qu.11. vers. verum illud col. mihi* 641. Potest tamen loco illius, citari Palao; quia re vera à principio intrinseco id sentit; licèt propter authoritatem Doctorum oppositum asserentium, oppositum, vt probabilius, sequatur. Necnon, & Villal. 2.*p.tr.33.diff.5.n.3.* vbi ait; raro contingere obligari populum ad oblationes ex consuetudine habente vim legis: [Por que (inquit) lo que ofrecen los Parrochianos, no es con animo de obligarse, lo qual era necessario para la costumbre.]

Vnde ad fundamentum pro secunda sententia adductum Respondeo: Quòd Pontifex *in d.c. ad Apostolicam*, quamuis clarè videatur præcipere obseruare dictas oblationes, illis verbis: *Eas pias consuetudines præcipimus obseruari*: intelligendus tamen est sic; quòd, scilicet, præcipiat obseruari, eo modo, quo introductæ sunt, ita vt non immutentur, nec varientur. Sic explicant hunc textum Innoc. *loc. cit.* Et ex illo Palao, & Raphaël de la Torre *loc. cit. diff.3.* per totam, vbi optimè, & latè hanc nostram partem defendit.

Qvæstio IX.

An oblationes vsuales, quæ in Ecclesia, etiam Cathedrali ad altare fiunt, spectent ex iure ad Parochum?

RespondeO, tanquam certum: Spectare ex iure, ad Parochum. Patet *ex c. Quia Sacerdotes, c. Sanctorum,* 10.*q.*1. *& ex l. Regia Castellæ, tit.*19.*p.*1. Et ratio est. Quia soli Parochi tenentur ex officio, pro populo orare; verbum diuinum prædicare, & Sacramenta ministrare: ergo ex iure eis solùm oblationes debentur. Dixi, *ex iure.* Quia aliter ex consuetudine; vel priuilegio euenire potest, vt inf. à. Sic Azor *tom.*1.*l.7. c.27.q.13.* Fagund. *de 5. præc. Eccl. lib.4.c.2.n.1.* Barbosa *de iure Eccl. lib.3.c.23.n.5.* & penes ipsum, Mar. Socin. Laurent. de Franch. Hostiens. Rom. Ioan. Andr. Rota *in Hispalen. Primitiarum* 13. *Maij* 1622. & alij, quos refert Postius in vna Hispalens. 13. *Maij* 1622. *decis.*166.*nu.*8. Raphaël de la Torre 2.2. *qu.86. art.2. disp.1. à n.1.* Trull. *lib.3. in Decal. c.3. dub.13. à n.6. & 7.* & alij: Addentes idem dicendum esse, de oblationibus, quæ in aliquo sacello; vel eremitorio fiunt: & etiam de oblationibus factis imagini depictæ in muro, vel in pariete alicuius domus priuatæ, quòd scilicet, spectent ad Parochum, intra cuius Parochiam, hæc sita sint. Quod tamen intelligit Barbosa cum aliis, dũmodo hæ vltimæ oblationes non fiant contemplatione domini domus, vt si talis esset pauper, vel offerens sciret dominum domus ex consuetudine conuertere oblationes in suas necessitates, vel in pios vsus. Legatur Barbosa ibi. & *in summ. Apostolic. Decisionum ver. oblatio.*

Qvæstio X.

An etiam Oblationes vsuales, quæ fiũt in Monasteriis Religiosorũ, spectent ad Parochum, intra cuius Parochiam, sunt Monasteria situ?

AFfirmat absolutè Trullench *loc. cit. n. 9.* per hæc verba Tertiò sequitur ea, quæ offeruntur à fidelibus Christianis in Monasteriis Religiosorum, & illorum sacellis intra certam Parochiam constitutis, de iure communi Rectori Ecclesiæ deberi, nisi ex priuilegio Pontificis ipsis Religiosis attributa sint, & nisi contra Ecclesiæ Rectorem Religiosi oblationes illas præscripserint. Axor, *d.q.*13. Fagundez *d.n.*1. & alij. Quia soli Curati tenentur ex officio spiritualia populo ministrare. Quare non est audiendus Fr. Ioan. de la Cruxe *de statu religioso, c.9. lib.2. concl.4.* vbi nititur oppositum probare. Si tamen Religiosi habeant curam animarum, possunt oblationes recipere, quia habent vicem Curatorum, quomodo vt diximus *dub.8. n.9.* possunt percipere decimas, ex Suarez *tom.1. de Relig. l.1. c.7. n.19.* cum S. Thom. 2.2. *q.86. a.2.* Et hoc modo solùm nunc de facto Religiosi recipiunt, & recipere possunt vsuales oblationes, & quotidianas, & ad manum Sacerdotis, de quibus loquimur. Quod satis declarat, & confirmat communis vsus, & praxis, præcipuè in Archiepisc. Valent. vbi domus Religiosorum, earumque Superiores, conuentione facta cũ Parochis, seu Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, quotannis ipsis Rectoribus, intra quorum Parochias, monasteria sita sunt, soluunt certam quantitatem, ratione vsualium oblationum. Huc vsque Trullench.

Sed, tanquam certum, Respondeo: Nunc de facto, nullo modo pertinere seu spectare ad Parochum oblationes vsuales, & quotidianas, quæ ad manum Sacerdotum Religiosorum fiunt in altari, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, & Sacellis: Sed ad ipsosmet Religiosos, eorumque Monasteria: etiamsi non sint Rectores, seu Curati Ecclesiarum Parochialium.

Probatur manifestè. Quia id imprimis est expressè definitum *in iure c.1. de statu Monach.* vbi Gregorius I. seu (vt alij volunt) III. vel IX. hæc Archiepiscopo Neapolit. scripsit verba: *Alicui Monasterio, tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiæ inferatis: Aut siquid illic pro diuersorum deuotione accesserit, vobis vendicare æstimetis: Cum Monachis ibi seruientibus debeat proficere, quicquid à fidelibus taliter offerri contingit.* Sic textus. Idemque definitur in cap. Nimis iniqua, de excessib. Prælat. ibi, *Quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum, pia fidelium deuotione donatur ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes,* &c. & in cap. de his, de Sepultur. & alibi.

Secundò. Quia ad id habent Religiosi priuilegia à variis sum. Pontificibus concessa. Nam ita concessit Cistercienfib. Bonifac. VIII. Bulla 9. vt testatur Ioan. de Cruce infrà. Et Bonif. IX. Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt refert Raphaël de la Torre. infrà.

Tertiò. Quia sic declarauit Sacra Congreg. Concilij in Cauen. teste Rota *in Lunen. Sarzanen. Oblationum* 8. *Februarij* 1627. vt refert Barbosa *de officio, & potest. Parochi c.24.n.29. & in summ. Apostolic. Decisionum, collectan.*530. *num.*2.

Quartò. Quia sic sentiunt communiter omnes Doctores. Abbas *in d.c.1. de statu Monach: notab. vlt. & in c. dilectum. n.4. vers. Sed in Monasteriis. De offic. Ordinan.* Decius *consil.*148.*n.*2. Beller. *disquis. Cleric. part.*1.

p.1.tit.de bonis Clericorum, §.3.n.2. Barbosa *loc.cit.* & *in c.1. de statu Monach.n.1.* & 2. & penes ipsum, vltra citatos Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Butr. Imola, Anania, Hostiens. Anchar. Henric. Allagona, & alij. Sic etiam ex Theologis D. Thom. 2.2. *q.86. art.2.ad* 3. Raphaël de la Torre ibid. *disp.1.n.5.* Suarez *lib.1. tr.c.7.n* in ordine 4. per errorem, 19. Ioan. de Cruce *de statu Religioso lib.2.c.9.n.4.* & penes ipsum, Syluest. & Armilla *verb. Oblationes.* Qui addit, idem esse dicendum in casu, quo Prælati celebrent in Monasterijs Religiosorum; nec enim tunc poterunt sibi vsurpare eis ibi oblata, sed tenentur ea monasterio dimittere.

Ex quibus etiam patet, minùs posse Parochos sibi postulare, aut vsurpare candelas, aut alia in Ecclesiis Religiosorum à mulieribus puerperis, suos filios Domino præsentantibus oblata: vt aliqui Parochi contra dicta iuris decreta, & priuilegia, necnon, & Sacræ Congreg. declarationem, sibi vsurpare contendunt, vt benè colligit Cruz *loc.cit.*

Nec fundamentum Ægidij Trullench, quid contra nostram sententiam probat. Cùm nostra sententia apertum fundamentum habeat in iure, in priuilegijs Pontificis, declaratione Cardinalium, necnon, & in vsu, & praxi totius fere orbis, excepto Archiepiscopatu Valentiæ, vt ipse affirmat. Vnde valdè miror Azorium, & Fagundium viros doctissimos, de iure, & priuilegiis Religiosis concessis, hac in parte, dubitasse.

QVÆSTIO XI.

An Laici, aut saltem Confraternitates, possint ius requirere in oblationes?

RESpondeo, tanquam certum: Minimè posse. Quia ius accipiendi oblationes, est spirituale, sicuti est ius accipiendi decimas, & primitias: sed sic est, quòd laïci sunt incapaces acquirēdi ius, saltem primarium ad decimas, & primitias, vt sæpè à nobis est dictum: ergo etiam erunt incapaces acquirendi ius ad oblationes. Sic colligitur apertè *ex c. Peruenient* 16.*q*.7. *Et c.1. q.1.* vbi sic dicit textus: *Hanc consuetudinem, quæ contra Sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, vt nullo vnquam modo, vllo tempore oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam efferuntur sub dominio laïcorum detineantur, sed tantummodo Sacerdotibus dentur.* Sic textus. Et docent D. Thom. 2.2.*q*.86.*ar*.2. Raphaël de la Torre, *ibidem n.3. pag.mihi* 446. Azor *tom.1.lib.7.c.38.q.5.* Fagund. *de 5. prac. Eccl.lib.4.c.2.n.2.* Trull. *lib.3. in Decal. c.2. dub. 13.n.10.* Rota apud Postium. *dec.529. n.12.* Rebuff. *tr.de decim. q.13.n.64.* & 65. Qui benè addit. *Primò.* Non iuuare illis quidquam consuctudo contraria, etiam per longissimum tempus: quia consuctudo non operatur vim priuilegij, quando adest incapacitas personæ: Nam consuetudo non potest reddere incapacem, capacem. cap. *Quanto.de consuetud.* Addit: *Secundò.* Peccare grauiter laïcos, qui in festis solemnibus, solent oblationem vini, & panis auferre, vt dent mimis: tum, quia auferunt rem Ecclesiæ: tum quia rem Deo dicatam ad vsus turpes mimorum conuertunt: contra id, quod habetur in cap. *Donare, 86. dist.* & *regul. Semel Deo.* &c. Tum tādem, quia in Ecclesia Dei comedunt & bibunt; & domum Dei tabernam faciunt, contra id, quod Christus dixit: Domum Dei decet Sanctitudo, c. Decet. de immunit. Eccle. Et ideò propter hæc monendi sunt laïci, vt ab hac turpi consuetudine desistant.

QVÆSTIO XII.

An consuetudine introduci possit, vt in aliquo festo, v.g. Purificationis, Clerici tribuant laïcis cereos albos, vel quid simile?

NEgant Syluest. *verb. Decima, n.7.* Gutierrez referens Menoch *lib.2. q.Car. c.21. n.156.* Quia (inquiunt) per illam consuetudinem Ecclesia subiiceretur laïcis: quod est plusquam irrationale.

Sed probabiliùs Respondeo: Posse introduci talem consuetudinem. Quia non est per se, & intrinsecè irrationalis: ergo præualere potest. Antecedens probatur. Quia prædicta dona, non dantur ab Ecclesia laïcis per modum oblationis, aut tributi; sed per modum cuiusdam liberalis donationis, ad ipsos excitandos ad deuotionem, & mutuam charitatem. Vnde per hoc, nullo modo Ecclesia subiicitur laïcis, sed potiùs se ostendit matrem erga illos. Sic Suarez *tom. 2. de Relig.c.7.* · *in ordine* 5. per errorem Typographi 20. & penes ipsum, Federic. Senens. *consil.155.* Rosella *verb. Decima.* Additio. Ad Abbatem, *c.1. de consuet.* & Gregor. Lopez *in l.15.tit.17.p.1.* Sic etiam Palao *tom.2.tr.10.punct.17. n.6.* Trull. *n.10.cit.* Barbosa *lib.3. de iure Eccl.vniuersi. c.23.n.7.* Ita dicens: Vnde laïcos non debere recipere à Clericis oblationes, nec aliquam in hoc consuetudinem esse admittendam, resoluit Aluys. Riccius *in praxi p.4. Res.265. n.5.* vbi *n.6.* id limitat si fuerit consuetudo introducta, prout est in tota Italia, per quam in festo Purificationis B. Virginis laïci recipiunt oblationes candelarum benedictarum à Sacerdotibus. Caueat tamen sibi Parochus huiusmodi candelas benedictas transmittere ad ædes sæcularium, sed iuxta laudabilem, & obseruatam, ab Ecclesia Vniuersali consuetudinem in Ecclesia populus eas recipere teneatur, vt cēsuit Sac. Congreg. negotiis Episcop. & Regul. præposita *in vna Foglinen.de anno* 1581. & Celebrans qui distribuit candelas, cineres, & palmas, detecto capite, distribuere tenetur, vt censuit Sacr. Rituum Congr. *sub die* 18. *Iulij* 1626. Sic Barbosa.

QVÆSTIO XIII.

An aliqua pœna sit ipso iure imposita non soluentibus oblationes debitas?

RESpondeo: Nullam esse pœnam ipso iure impositam: Sed imponendam. Nam, qui negant oblationes ex testamento, aut donatione debitas, aut difficulter reddunt, excommunicari debēt: & ab Ecclesiis, quousque, reddant, excludi. Sic habetur in c. Qui *oblationes, 13.q.11.* & *in c. sequenti.* & *in c. Clerici ea. causa,* & *q.* Sic Glossa ibi. Qui benè notat, iura citata nullo modo loqui de oblationibus gratuitis, & voluntariis; sed solùm de debitis; hoc est, de illis, quæ iam sunt donatæ Ecclesiæ, vel testamento ei legatæ. Suarez *lib.1.cit.c.5.n.25.* Azor *tom.1.lib.7.c.mihi* 27. *q.17.* Fagundez *de 5.prac. Eccl. c.* & *n.vlt.* Palao *tr.10. cit. punct.17.num.7.* Trullench *lib.3. in Decal.cap.3. dub.13. num.12.* & alij.

QVÆSTIO XIV.

Quæ requirantur, vt Oblationes sint Deo acceptæ?

RESpondeo: Quòd requirantur duo. *Primum.* quòd res oblata sit propria, licitè & honestè acquisita. Vnde nulli Clericorum licèt oblationes factas de rebus alienis recipere; quia aliàs esset particeps in

Digitized by Google

in furto, vt habetur, *cap. Super ea, de Raptoribus* Et in cap. *Quia in omnibus, de vsuris.* prohibetur, oblationes recipi ab vsurariis manifestis, non solùm in pœnam, & odium talis delicti, sed etiam, quia acquisita per vsuram, aliena sunt, & ideò illa Deo offerre, non solùm sacrilegium est, sed etiam noua iniustitia, & propterea ibidem præcipitur, vt talis oblatio statim restituatur. Atque eadem ratio est de omnibus iniustè possessis, seu acquisitis. Sic D. Aug. *Serm. 35. de verb. Domini*, exponens illud Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* D. Gregor. relatus *in cap. Non est 1. q. 1.* D. Thom. 2. 2. *q. 86. art. 3.* Raphaël de la Torre, *ibi.* Suarez *lib. 1. de Relig. tr. 2. c. 6.* Panor. *in c. fin. de verbor. significat.* Barbosa *lib. 3. de iure Eccl. c. 23. n. 13.* Palao *tom. 2. tract. 10. punct. 18.* Trullench. *lib. 3. cit. dub. 13. num. 11.* & alij.

Secundum est, quòd res oblata non sit obnoxia alteri priori, & maiori obligationi. Talis esset oblatio, quam filius faceret de re necessaria ad sustentationem parentis (quam reprehendit Dominus Matth. 15.) vel è contrà, parens de re necessaria filiis, vel aliàs eis debita. Item oblatio, quam creditor de rebus debitis offert. Nam huiusmodi oblationes, vtpote factæ, vel contra iustitiam, vel charitatem, aut pietatem, minimè recipiendæ ab Ecclesia sunt. Sic Suarez *loc. cit. num. 7.*

QVÆSTIO XV.

A quibus personis Ecclesia oblationes non recipiat?

RESpondeo: Quòd à multis. *Primò*, à non baptizatis, à Iudæis, ab hæreticis, & ab excommunicatis vitandis. Habetur *in Can. 37. Concilij Laodicens. Secundò* non recipit oblationes Ecclesia à dissidentibus fratribus, si notorij sint. *c. Oblationes dist. 90.* Nec à raptoribus hominibus. *c. Super de raptorib.* Nec à Sacrilegis. *cap. de viro 12. q. 2.* Nec ab Vsurariis. *c. Quia in omnibus, de vsur.* Nec à pauperes opprimentibus Nec ab hominibus, qui per vim extrahunt seruos suos ab Ecclesia, ad quam confugerant. *c. Miror. 16. q. 3.* Nec à Meretrice publica, aut ab alio publico peccatore. Sic D. Thom. Suarez, Raphaël de la Torre, Palao, Trullench, Azor, & Barbosa *loc. cit.* Ex quibus aliqui bene notant, quòd, & prædicta iura intelligantur de prædictis peccatis notoriis, ac manifestis. Et etiam de oblationibus factis ad altare, vel in Ecclesia: non verò de aliis donationibus, legatis, aut oblationibus necessariis. Et hæc dicta sufficiant pro hac tertia parte ad Laudem, & Gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Genitricis Dei Mariæ, necnon Sanctorum Patriarcharum meorũ, Ioannis de Matha, & Felicis de Volois.

AMEN.

LECTORI,

OMnia, quæ huc vsque scripsi, & scribam, libentissimè Sanctæ Rom. Ecclesiæ censuræ omnino subiicio. Imò, & tuo, sapiens Lector, iudicio. Semper namque sum paratus veritatem, à quocumque, & quacumque intentione sit dicta, gratiarum etiam cum actione, amplecti. Illaque intellecta, retractare, aut corrigere, quidquid à me, ex subreptione calami, minùs bene dictum fuerit. VALE.

FINIS.

INDEX

INDEX
OMNIVM AVTHORIS SENTENTIARVM, QVÆ IN
hac tertia parte continentur.

Primus numerus, paginam, Secundus Quæstionem indicat.

Qui

Index Sententiarum.

De

De consuetudine in decimas.

De decimarum præscriptione.

De decimarum compositione, & transactione.

Quibus soluendæ sunt Decimæ.

Defuncti.

Dispensatio, Dispensare, Dispensatus.

Doctores.

Dominica Dies.

Dominus.

Index Sententiarum.

obla

Excusantur

Equitan

R. Leand. in V. Precept. Eccles.

Fide

Index Sententiarum.

facto

Digitized by Google

Dei

Textores.

Index Sententiarum.

FINIS.